RERUM VENETARUM AB VRBE CONDITA AD ANNUM 1425. HISTORIA. PETRI...

Pietro Giustiniani

Digitized by Google

Iuſtiniani hiſtoria Vene

19.

31 i 6 7

Digitized by Google

A

Digitized by Google

RERVM VENETARVM AB VRBE CONDITA AD ANNVM MDLXXV. Hiſtoria.

PETRI IVSTINIANI,
PATRITII VENETI,
A L O Y. F.
SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

NVNC AB EODEM DENVO REVISA, & rerum memorabilium additione exornata.

Cum Indice locupletiſſimo.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Apud Ludouicum Auantium.
M. D. LXXVI.

RERVM VENETARVM AB VRBE CONDITA AD ANNVM MDLXXV.

Hiſtoria.

PETRI IVSTINIANI PATRITII VENETI. ALOY. F.


SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

NVNC AB EODEM DENVO REVISA,

& rerum memorabilium additione exornata.

Cum Indice locupletiſſimo.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS.

Apud Ludouicum Auantium.

M. D. LXXVI.

EXCELLENTISSIMIS

DECEMVIRATVS

PRAESIDIBVS

Petrus Iuſtinianus.

ITA ciuitatis veſtræ Maieſtas, rerum geſtarum gloria, opum amplitudine, pacis diuturnitate creuit, auctaq́ eſt, vt neminem eſſe videam, qui non ſummis Venetam fœlicitatem efferat laudibus, ac plurimum admiretur. nobiſq́ hac in vrbe veri Imperij ſede natis gloriari licet, cuius eximia pacis, belliq́ decora, ſi mortales miris laudibus extollentes, frequenter in ore habent, monumentis etiam litterarum commendare decet, vt non ſolum viua hominum voce, ſed perenni quoque hiſtoriæ præconio illius geſta perpetuò celebrentur: quo fit, vt publicæ laudis ſtudio ductus, illam in Annalibus conficiendis curam ſuſceperim, quibus Veneti nominis ſplendor pro ingenij mei viribus perpetuus apud omnes gentes redderetur. Vobis autem, quorum in Rep. authoritas maxima eſt, dicatam Hiſtoriam trado, quam ab vrbe condita exorſus, ſex annorum ſpacio, magnis laboribus, vigilijſq́ abſolui. Præclaraq́, ac memoranda terra, mariq́ facta legentur, ſi ſacroſancta poteſtatis iure ea in publicum exire permiſeritis. Nec enim ſine ſuprema magiſtratus veſtri authoritate temerè quicquam in ædendis voluminibus aggredi licet, ſub cuius cenſura quorumlibet ſcripta ſunt poſita. quare ego in conſcribendis Venetis rebus, ſi ſeruata hiſtoriæ lege publicæ dignitati, ac laudi conſului, curate æquè vos, vt laborum meorum vigiliæ, quæ diu domi correctionis ſtudio latuere, nunc caſtigatæ, excultæq́ veſtro aſſenſu in lucem prodeant.

HIERONYMO PRIOLO, VENETORVM PRINCIPI, ET SENATVI FOELICITATEM,

Petrus Iuſtinianus.

SAEPE euenit, conditionis humanæ inconſtantia, Princeps Grauiſſime, ac Patres Optimi, vt uarijs ſubiecta caſibus Regna, & Imperia poſt aliquem temporis curſum vel intereant, vel collabantur: cæterùm ſi in hoc naturæ uis grauis, acerbaq; uidetur, in eo tamen benigna, ac mitior apparet, quòd quantum illa mortalibus hoc loco, uel illo infeſta adimit, tantum his alibi fæliciori munere rependit, pariaque, ac nonnunquam ampliùs largiendo leuat inuidiam. Nam ut exemplis agamus antiquioribus, ex Phenicia armis eiectus Cadmus, Thebas profugus in Bœotia condidit: Tyro deleta, Carthaginē Dido fundauit; Medorum euerſo dominatu, Perſicum, Macedonicum poſt Perſas conſtituitur Imperium: Maſſiliam Phocenſes, Albam Phryges condidere: hinc Romanorum potentia clara, glorioſaq; emergit, qua euaneſcente, ecce tanquam alter Troianæ ſtirpis partus, ne libertatis, & Imperij nomina Italia unquam expungerentur, non ſine diuina prouidentia Venetiæ conduntur, vbi tanta uirorum indoles ſemper effulſit, ut ab his Reſp. noſtra inſtituta perſimilem hodie Romani Imperij formam repræſentat, & nunc ea in toto terrarum orbe, cæteris collapſis, unica remanſit, celeberrimoque apud omnes gentes uiget nomine, cui tu Princeps Excellentiſſime præſides. in iſto enim dignitatis faſtigio conſtitutus, rem Venetam mira ſapientia gubernas, nihilq; die, noctuque prætermittis, quod ad Reipub. gloriam & emolumentum eſſe poſſit: aſſiduus enim in curia, in Senatu, in comitijs, omnia diuino ingenio moderaris, qua tua adminiſtratione, nulla quidem inſtitui, excogitarique ſanctior potuit, nulla Venetæ vrbi, vniuerſæque Reip. ac ſocijs ciuitatibus ſalubrior. diuinaque factum eſt id pietate, ut hoc tempore Veneti Principatus habenas teneres, qui bello undique terras premente, diuturna tamen pace, qualis ſub Octauiano Cæſare Auguſto fuit, frueretur; quem æmulatus, ut ille Romanam, tu Venetam rem pacis beatiſſimæ rore foues, quod tibi gloriæ ſempiternæ erit, atque omnibus documento, quàm bene recens hoc principatus decus in Priola ſit domo collocatùm, ex qua duorum Principum nouus ſplendor obortus, gloriæ ſuæ radijs noſtra tempora illuſtrat. Nam duo Veneti Imperij lumina, Hieronymus, & Laurentius, fratres fæliciſſimo partu æditi, vnus poſt alium vrbis Principes conſtituuntur: nouum autem id, & admirabile fuit, vt qui prior in lucem naſcendo uenerit, commutata ratione, poſt eum, qui minor natu erat, principatum obtineret. ambo itaque ingenio clari, ambo pietate inſignes per omnium ora euagantur. ſed aliud tempus requiritur, vt eximiæ Priolæ gentis, ac vtriuſque Principis laudes opportunius prædicentur. Interim quæ a me patrij nominis ſtudioſiſſimo ſcripta ſunt, Princeps Optime, ſerena fronte accipe, eritque (ſpero) hæc lectio in vniuerſum non iniucunda, oblectabitque animum maximarum rerum narratio; verum hoc quicquid eſt, tibi Princeps inclyte, uobiſque Patres optimi fæliciſſimè inſcribitur; rogatoſque uos uelim, ut quando ab intentiſſima Reip. cura, quæ in tanto uos Imperij moderamine ſibi pene totos uendicat, ocij, laxamentique dabitur, aures accommodate, ad cognoſcenda inuictiſſimæ veſtræ ciuitatis geſta, in quibus enarrandis multum laboris, curæque ſuſcepi, vt expolita, cultaque Hiſtoria ſub veſtro altiſſimo nomine in pu-

blicum

*blicum prodiret, ac omnia enarrata eſſent, quæ ab urbe cōdita uſque ad hæc tempora uelu
ti una ſpectarentur tabula: conatuſque ſum præclaros authores imitatus, quanta Vene-
tus terra, marique facinora ædiderit, ſempiternæ litterarum memoriæ mandare. nihil au
tem Hiſtoriæ cognitione præſtantius, in ea enim omnia profectò continentur, quæ ad be-
nè, beatè, glorioſeque uiuendum pertinent, quum egregia bella, paciſque exempla ex ip-
ſa lector haurire poſſit. per hiſtoriarum enim libros populi Romani, Athenienſis, Lacede-
monij, atque omnium gentium, nationumque publicæ res, priuatæque noſcuntur: per eoſ
dem Alexandri illius Magni, Darij, Artaxerſis, Antiochi, Cyri clariſſima geſta celebrā
tur. quid porrò præſtanti animo gratius, quàm Regum, Principum, Rerum publicarum,
ac illuſtrium uirorum potentiam, opeſque cognoſcere? conſilia, curas, cogitationes, cona-
tus, uires addiſcere? hic uaria diſcrimina, uarij caſus repræſentantur, alio loco contēptus
mortis, periculorumque, alio uitæ ſplendor recognoſcitur, alio laudum cupiditas, uirtutiſ
que ardentiſſimi amores apparent: exinde parta, auctaque Imperia, ac momento tempo-
ris eadem collapſa in conſiderationem ueniunt. ſine hiſtoria omnium gentium res pace,
belloque geſtas alta obliuio deleret, nullius gloria, lauſque prædicaretur, non Scipiones,
non Fabios, non Marcellos, Caſares, Pompeios, Catones, Ciceroneſque poſteritas decanta
ret: obſcuræ eſſent Annibalis uictoriæ de Romanis, eorundemque de Carthaginenſibus.
quis Tigranem parua manu a Lucullo uictum ſciret? cui L. Pauli, T. Flamminij uirtus
pateret? Themiſtoclis res geſtæ, Milciadis trophea, Lycurgi leges, Epaminundæ uirtus
in obſcuro iaceret; qui nunc beneficio hiſtoriæ clari, immortaleſque uiuunt, innumerabi-
leſque alij in ore poſteritatis reſonant. quantam quoque delectationem hiſtoriarum ſtu
dioſi percipiunt, dum in his uel illuſtrium uirorum facta, dictaque lectitant, uel deſcri-
ptas leges exāminat, ubi ſapientia, peritiaque eorum, qui eas condidere, ſpectatur? & po
ſtremo, quicquid pace, belloque ubique terrarum euenit, hiſtoria edocet, & ueluti ante
oculos ponit. hæc Imperatoria decora non ſilet, militares artes deſcribit, ſtratagemma-
ta, caſuſque uarios commemorat: in caſtris locandis, in urbium oppugnationibus, in ordi
nanda acie, in paranda uictoria documenta tradit; omnis denique memoria antiquitatis
eruitur, & in cōſpectu quodammodo noſtro repræſentata ponitur. dicamque breuì, quod
ſentio: hiſtoriæ ignoratione omnia in tenebris iacerent, & nil certum, nil altum, nil ma-
gnificum in uita eſſet. adde illud quàm admirabile, quàm inſigne: de Deo enim, & de re
bus cæleſtibus, nullam penitus notitiam haberemus, niſi hiſtoria fuiſſet, Chaldea, Latina
que lingua Diuo Hieronymo interprete: in ea uerba prorumpente: In principio Deus crea
uit cælum, & terram: terra autem erat inanis & uacua, & tenebræ erant ſuper faciem
abyſſi: et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, &c. Quo nā pacto igitur primos homi
nis ortus, cunctarumque rerum generationem a Deo factam ignara mortalitas caperet,
niſi ſacræ paginæ memoria extaret? Per hanc autem tanquam tubam reſonantem ad om-
nium aures perueniunt magnalia Dei, quo iubente Cælum, Sol, Luna, Stellæ factæ ſunt,
arboreſque illæ ſcientiæ, boni & mali, & uitæ, plantatæ in paradiſo, eiectique ex eo pri-
mores parentes ob inobedientiam fuere, è quibus poſtea genus humanum propagatum,
multiplicatumque terras impleuit. Deum tamen in prima illa mundi conſtitutione ſum
mum opificem, authoremque rerum omnium ſolus populus Hebræus agnouit & coluit,
pro quo ſigna, & prodigia magna a Deo facta leguntur. nam innumeris plagis Aegy-
ptum, Pharaonemque Regem, qui in duriſſima ſeruitute populum ſuum tenebat, offecit,
quod in ſacra Hiſtoria in Exodi libro legere eſt, ubi ſcriptum, Deum in ardenti Rubo
Moyſi apparuiſſe, iſque mirabilia coram Rege oſtenta faciens, Dei omnipotentiam Mun
do manifeſtauit. incredulus tamen Rex (diuina ira prouocata) in multa aduerſa incidit,
Rubroque mari ad poſtremum abſorptus, per quod dudum Hebręis ſicco itinere trāſitus*

patuerat,cum toto exercitu perijt;ſequutaque ſunt alia uirtutem & glorificationem diuinam teſtificantia,de quibus niſi hiſtoria memoriam reliquiſſet, nulla prorſus cognitio haberetur,cæcique & ignari rerum,& ueritatis,ceu pueruli & infantuli eſſemus. At noui Teſtamēti,Euangelicæque doctrinæ quàm excellens,ſublimiſq; Hiſtoria,ubi Chriſtus,Dei filius,lexque eius ſanctiſſima in cognitionem noſtram uenit,ſine qua belluarū more in terris uita traduceretur,offuſcatæque hominum mentes malum a bono nō diſcernerent,appetitusque rationem ſuppeditaret,ac irreligioſitate, iniuſtitia, erroribuſque omnia plena eſſent: quis enim ad cœleſtia,ad pietatemque incapacem animum erigeret? omnia autem (hiſtoria ſubticente) in præcipitem confuſionem irent,& collaberētur. fructus itaque ampliſſimi ex hiſtoriæ cognitione percipiuntur;enituntur que mortales per hiſtoriæ lectionem ſuæ fragilitatis memores,rerumque ſupernarum edocti,piè,caſtèque in hoc ſeculo uiuere,ut poſt obitum cœleſti gloria perfruantur. Hiſtoria enim ſeminarium eſt omnium uirtutum,magiſtra uitæ,nuncia ueritatis, lux,per quam honeſtè, religioſèque in terris uiuimus,& per quam poſt fata ad cœlum itur. Hiſtoriæ igitur libri ſunt euoluendi,ut remotiſſimæ res in his conſcriptæ ediſcantur, & ad præſentis ac uenturæ generationis notitiam maiorum facta perueniant: quod nos in his Venetarum rerum commentarijs facere conati ſumus.eorum autem ſi minus elegans,excultaque, uerax tamē & ſincera deſcriptio erit,multaque egregia pacis,belliq́ue,Princeps Ampliſſime, Patres Opt.ueſtræ Reip.ornamenta effulgent,multus Veneti nominis ſplendor, multa rerum geſtarum gloria,ut uetus illa Roma reſurrexiſſe apud uos quodammodo uideri poſſit.una tantùm me ea cura premit,quòd in conſpectum ueſtrum proditura, nullum cultum,nitoremq́ue Hiſtoria habet:uerùm omnem abſterget orationis maculam ampliſſima nominis ueſtri authoritas;ac quicquid mendoſum,obſcurumque in ea eſt,ueſtro ſplendore (ſpero) illuſtrabitur.

ALOY-

ALOYSIO MOCENICO
Principi Venetorum,
PETRVS IVSTINIANVS
FOELICITATEM.

TVA ſingularis & perpetua virtus, Sereniſſime Princeps, quæ in Reipub. adminiſtratione pace, belloq; elucet, magno me ardore accenſum impellit, ut has Venetæ Hiſtoriæ uigilias cum noua uoluminum additione, altiſſimo nomini tuo dedicem, quo Principe res maximæ terra, mariq; geſtæ totum terrarum orbem gloria, famaq; impleuere. nihil enim animi fortitudine tua præſtantius, bello hoc Turcico abundè cognita, dum fœdera iunguntur, dum claſsis inſtruitur, dum pugnatur, dum egregiè uincitur. Adde indefeſſum pecuniæ cogendæ ſtudium, ſollicitam commeatuum curam, bellici apparatus uigilantiam: quæ omnia admirabili cum ſolertia togatus fortiſſime Princeps adminiſtraſti; unde ex tantis domi, foriſq; rebus geſtis, ora, oculoſq; coniiciunt in te omnes; ſi quidem demandatum Principatum difficillimis Reipub. temporibus ita moderatus es, ut in ore omnium laudatiſſimus ubiq; uerſaris, eademq; gloria hodie ſplendeſcis, qua Thomas, Petrus, & Ioannes Mocenici, proaui tui, Principes ſapientiſſimi, tria ciuitatis lumina olim effulſere, quorum domeſticus ſplendor, ueluti Trophæa Miltiadis te de ſomnio excitat: nam ad clauum Imperii ſedens, dies, noctesq; omnia conſilia tua ad publicam refers utilitatem, communiq;, bono priuati commodi oblitus, tota mente inſeruis; & nos locupletes teſtes ſumus, dum publicis muneribus uel conſiliarius, uel Decemuir fungeremur, quanta cum pietate, ſtudio & eloquentia, quæ quidem in te admirabilis ſemper fuit, Reip. negocia curabas; quorum multitudine an fortaſſe obrueris, quin uigilantiſſimè, prudentiſſimeq; omnia agis in curiaque ampliſſimis dextra, læuaque circumſeptus Senatoribus, & diuini ingenii iubar enudas, & eloquentiæ flumen pleno ore effundis. Quãdo igitur noſtra hęc Hiſtoria in lucem ædenda eſt, rectè facere arbitratus ſum, ſi tibi humaniſſimo Principi eam dicarem, tuamq; in hac noua operis editione implorarem opem. Nam ſub tuo optarim patrocinio & præſidio hi mei labores, hæ meæ annalium uigiliæ in apertum prodeant, tuaque authoritate aduerſus obtrectatores me inoffenſum, ſaluumque reddas, cureſque ne quis publicæ dignitati, Hiſtoria ſub fœliciſſimis nominis tui auſpiciis exeunte, negocium faceſſat. Tu uerò optime Princeps, quem Reipu. geſta noſcere decet, benignè feceris, ſi dum ocium in tantis occupationibus (quandoq; erit) librum euolues, in quo repudiatis inelegantiæ ſordibus, eos tantum, ſi qui ſunt, flores decerpas, qui tibi ſuauiores uidebuntur: permaneant, etenim opto, inextinguibilis æui curſu hi mei litterarii labores, adglorioſam nominis tui memoriam, & patriæ ſempiternam laudem; cuius præclara terra, mariqúe, geſta tenui, qua ualui, dicendi arte, & facultate, ab urbe condita uſque ad hæc tempora (abſit uerbo inuidia) diligenter conſcripſi, tibique dicaui, optime Princeps, obſeruantiſſimus uirtutum tuarum maximarum cultor. Vale, ſummum patriæ decus.

PETRI IVSTINIANI IN SVOS
RERVM VENETARVM LIBROS
EPITHOMAE.

EX LIBRO PRIMO.

VENETAE Gentis origo exponitur, urbis ſitus. Conſularis, Tribunitia,& Magiſtrorum militum poteſtas; Ducaria poſtea adminiſtratio. Bellum Gallicum a Pipino in Venetos geſtum, Ducalis ſedes in Riualtum translata, Palatii deſcriptio & Reip. regimen; translatio corporis Beati Marci ex Alexandria, Sarracenorum; & aliarum gentium in Adriaticum mare incurſus,& prælia. Humni in ſtagnis uicti, Virginum raptus ab Hiſtris,& earum receptio. Ludorum Mariarum inſtitutio. Pet. Candiani Ducis tyrannica adminiſtratio,& eiusdem cædes: Dalmatiæ, & Hiſtriæ deſcriptio, & earum prouinciarum partum imperium. prima expeditio maritima Venetorum in infideles,cum Chriſtianis principibus: claſſis Venetæ in Syria geſta, bellum contra Patauinos ſuſceptum,& ſopitum.

EX LIBRO SECVNDO.

PAnnonum clades ad Iaderam, Croatia ſubacta ab Ordelapho Faletro P. atque honorifica præfatio tituli memoratur. claſſis in Syriam miſſa, Venetorum uictoria ad Ioppem. Tyri deſcriptio, priuilegia Venetorum in Syria, Inclyta Dominici Michaelis Principis geſta, Diui Marci turris erecta, Vlricus Patriarcha Aquileiæ cum XII. Canonicis ad Gradum captus. Ludi inſtituti: Hemanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani ingens in Venetos perfidia, Venetorum præpotens claſſis in Hemanuelẽ comparata. Iuſtinianæ familiæ clades,& reparatio eiusdem. Decemuirum inſtitutio. Columnæ medio foro erectæ: carmen fatidicum de Conſtantinopolitano Imperio, & eius expoſitio. ſciſma in Eccleſia, Fed. Imp. impietas aduerſus Alex. Pont. Præclara naualis Venetorum uictoria ad Salborium contra Fed. Imp. Inſigna Ducalia ab Alex. Pont. Veneto Principi & ſucceſſoribus tradita. Diui Marci templi deſcriptio, Principum Chriſtianorum fœdus cum Venetis pro Iſacho aduerſus Alexium, Byzantii Imp. Balduinus Byzantii Imp. Orator declaratus, Creta a Veneto ſubacta, & colonia deducta.

EX LIBRO TERTIO.

BEllum cum Græcis, Cretæ Inſulæ deſcriptio, ingens Cretẽſium motus, Eccellini in Italia potentia, Venetæ claſſis ſucceſſus in Apulia, cautiſſima eligendi Principis ratio, fœdus cum Romano Põtifice in Eccellinum: bellum cum Genuenſibus, duodecim millia Patauinorum ab Eccellino interfecta, Venetorum uictoria. Galli,& Veneti Paleologi armis Byzantio eiecti. Euboea inſula a Venetis occupata, claſſis in Genuenſes emiſſa, uictoria Venetorum de Lygure ad Drepanum. Tumultus populi ob nouum uectigal, fames ingens, lex a Venetis lata de portoriis, Bononienſe bellum, Iuſtinopolitanum, & Anconitanum, & pax. Rerum Venetarum cum Romanis comparatio, clades Venetorum ad Curzolam, Bochoniana coniuratio. Claſſis in Paleologum inſtructa, Ferrarienſis motus, atrox Baiamontis Theupoli coniuratio, Iadrenſium defectio ad Pannonas.

EX LIBRO QVARTO.

DAlmatiæ populi in fidem reuerſi. Fr. Danduli pietas in patriam, Nauale excultum, Procuratorum numerus auctus, expeditio prima in Turcas, bellũ in Scalanos. Patauium captum, pax cum Scalanis, Taruiſium Venetis cedit, Miraculum in tempe-

tempeſtate. Nauigatio in Aegyptum,& in Syriam inſtituta: ingens Venetorum uictoria in Dalmatia aduerſus Pannonas. Auditorum ueterum creatio. motus terræ ingens, fędiſſima peſtilentia, claſſis Venetæ uictoria ad Cariſtium, fœdus in Genuenſes. Lyguſtica claſſis deleta, Veneti in Peloponeſſo a Genuenſi tota ferè claſſe exuti. Marinus Falerius Princeps in patriam coniurat, eiuſdem cum aliis ſupplicium. bellum cum Ludouico Rege Pannoniæ. Defectio urbium in Dalmatia, bellum Creticum in Colonos:

EX LIBRO QVINTO.

Legatio in Cretam a Senatu miſſa, conſultatio de bello gerendo. Colonorum ſcelus,& perfidia. Typographia, Venetorum uictoria, Creta recipitur, Haſtiludia Veneta in urbe publice ædita: noua in Creta defectio, Legati a Senatu in Cretam miſſi. Fame rebelles domiti, atque ultimo ſupplicio affecti. noua legatio in Græciam miſſa, And. Contarenus inuitus Principatum iniit, Targeſtinorum defectio, urbs recepta. Bellum Carrarienſe,& eius felix exitus. Grauiſſimum cum Genuenſibus, Ludouico Pannoniæ Rege, Aquileienſi antiſtite, & Carrario Principe in Venetos bellum. claſſis ſub Victoris Piſani ductu,& eiuſdē ingēs ad Polā clades. Clodia a Lygure uictore capta. De ſumma rerum Veneta in urbe metus. Piſanus petente populo è cuſtodia liberatur, portus munitio, pax iniquiſsimis conditionibus tentata, ſuperba hoſtium poſtulata, claſsis a Veneto reparatur. Contarenus Princeps claſſem aſcendit, ciuium Venetorum charitas in patriam, Clodia a Venetis obſidetur. Labores,& pericula circa Clodiam, Caroli Zeni cum claſſe aduentus. Genuenſium clades, ingens eorum fames in Clodia; urbs recipitur. captiuorum, & triremium de Genuenſibus numerus. Targeſti defectio ad Aquileiæ Patriarchā, Piſani mors, Carolus Zenus claſsis Imperator, Veneti Taruiſium Liopoldo Duci Auſtriæ ſponte tradunt.

EX LIBRO SEXTO.

Zeni geſta circa Lyguriā. pax inter Venetum,& Lygurem,& eius conditiones. Venetarum matronarū pietas in Genuenſes. triginta ciues in patritium ordinem aſſumpti, & nobilitate donati; Tenedi excidium, Taruiſium Carrarius occupat, lex de Sicariis, Bellum inter Scalanum,& Carrarium. Galeatius Mediolani Dux Carrarienſem Principatu eiicit. Veneti Taruiſium recipiunt, Nouellus Carrarius Venetorum fauore Patauium recuperat, Caroli Zeni aduerſus Buticcaldum uictoria. Vicentia in Venetorum fidem, ſponte uenit, fędus cum Fr. Gonzaga in Carrarienſem, oppida Veneto dedita. claſsis in Pado, Veneti per pacis conditiones Vicedominum Ferrariæ mittunt,& Poleſinus ſubigitur. Verona Veneti potiuntur, eius urbis ſitus & deſcriptio. Patauium Veneti occupant, eius urbis deſcriptio, primiq; Patauii rectores. Carrarii in carcere necati. urbes & oppida capta, Vegati Veron. Legati Patauini, nobiliſsimus Venetiis apparatus medio foro ad excipiendos legatos. Iadera cū tota Dalmatia a Venetis empta, Pepus cū Pannonico equitatu in Italiā uenit, Techius Patriarcha Aquileienſis moritur. Forumiulium,& Patria omnis Veneto cedit imperio, Bellum cum Philippo Vicecomite, ſocia cum Florētinis arma in Philippum iungūtur, Brixia a Venetis capitur, munitionesq́ue ualidiſsimæ erectæ a Venetis circa Brixiam, Philippenſium clades ad Maclodium, captiui a Carmaniola liberantur.

EX LIBRO SEPTIMO.

Pax Martini Pontificis authoritate inter Venetos,& Philippum firmatur. Bergomum in Venetorum fidem conceſsit, Foſcarus Princeps a furioſo patritio uiolatus, Bellum in Vicecomitem iterum ſumptum. Eugenius IIII. Venetus, Pontifex Maximus. Venetorum clades in Pado, noua claſsis a Venetis in Genuenſes inſtructa, Petri Lauredani uirtus, Lyguſtica claſsis profligata, Spinula hoſtiū Imperator nauali prælio

lio captus;conſultatio in Senatu de Carmaniola obtruncando,admirabile Senatus ſilentium,Carmaniola ob perfidiam ſecuri inter geminas columnas percuſſus; Philippi clades a Thuſco illata;pax cum Vicecomite, Pontificis Eugenii fuga ob tumultum Romæ ortum,Marſilii Carrarii Veneta in urbe capitale ſupplicium, clara Genuenſiũ uictoria ex Alphonſo Rege, Genua ſe in libertatem uendicat. Ioannis Paleologi Byzantii Imperatoris Venetias acceſſus,Ferrariæ Concilium, Dalmatarum remigũ.Veneta in urbe tumultus,populorum defectio ad Philippum; Brixia obſeſſa, & liberata; Franciſci Barbari uirtus,naues in Benacum ex Venetiis per montes traductæ; hoſtium in Venetos fines ſucceſſus,Venetorum clades ad Salodium, duplex Sforciæ uictoria aduerſus Philippenſes;Verona furtim a Piccinino hoſtium Duce capta, Sforciæ uirtute & celeritate eadem recepta.

EX LIBRO OCTAVO.

VEnetorum uictoria in Benaco,& oppida capta,fœliciſsimo ſucceſſu,Salodium, Ripa,Garda, inde Aſula,Lunatum,& Peſcheria.poſt hæc Rauẽna,Oſtaſio Pollenta dedente,Veneto ceſsit Imperio. Florẽtiſsimi Venetorum,& Philippi exercitus; pacem Sforcia ſuo arbitrio inter partes componit.Melitæ interitus, & ſtatua ei equeſtris Paduæ erecta; tres Procuratores additi, Antibaris Epyrhi urbs in Venetorũ fidẽ conceſsit. prælium atrox ad Danubii ripam inter Turcas,& Polonos; Bellum cũ Philippo Sforciæ cauſa renouatum.Venetorum uictoria,Duce Attendulo,ad Caſale maius; Ancona Venetis dedita, Philippi Mediolani Ducis interitus; Lauda, & Placentia urbes Venetũ ſpontè accipiunt Imperium,Mediolanenſiũ Legatio ad Venetos, Sforcia a Mediolanenſibus Imperator exercitus ſui declaratur, Placentia ab hoſte recipitur,claſsis Veneta in Pado diſiecta;Veneti exercitus clades ad Carrauagium, Sforcia fœdus cum Veneto iniit; Allobroges ad Sicidiam a Veneto uicti,Theſauri a Græculo furati,& recepti;Crema in Venetorum fidem conceſsit,Sforcia Dux Mediolani ſalutatus, Feder.Imperatoris cum coniuge Venetias acceſſus, Conſtantinopolis a Turcis capta;pax cum Sforcia,& ſociis; Bellum cũ Othomano,& res uario euentu geſtæ; bellum Targeſtinum,& pax;claſsis Veneta in Turcas,Vrſatus Iuſtinianus Imperator claſſis, Mythilenas fruſtra oppugnat; Iuſtiniani interitus, Fœdus cum Pio Pontifice, & Chriſtianis Principibus in Turcas.Chriſtophorus Maurus Princeps claſſem aſcendit, & Anconam nauigat;Pii Pontificis mors Pauli II. Pontificatus, Oratores ad eum miſſi,Nicolaus Canalis Venetæ claſsis Imperator,Chalcis a Turcis ui expugnatur, Canalis exilium,Petrus Mocenicus nouus claſsis Imperator, Aragonum Regis ſocia claſſis,Niceni Cardinalis librorum munus.

EX LIBRO NONO.

FOedus cum Vſſoncaſſano Perſarum Rege;Caramani Reguli,Petri Mocenici virtute in Regnum reſtituuntur; Cypri Regis mors, duplex Perſarum cum Turcis conflictus,noua numiſmata ſignata; Cypri motus, Inſulæ deſcriptio,Turcæ Scodram obſident,Antonii Lauredani uirtus,& Scodrenſium ſtrenuitas, oppidum obſidione liberatur,fœdus cum Matthia Pannoniæ Rege aduerſus Othomanum; clades Venetorum ad Croiam,& in Foroiulio: Scodrẽſis recens obſidio,urbs per pacis conditiones Turcis tradita.Hidruntum a Turcis in Apulia occupatum,Vegia Veneto Imperio cædito.bellum Ferrarienſe,Galliæ Ciſalpinæ deſcriptio,uaria partium bello geſta: publica ſigna Ferrariam admota, Sixti Pontificis ſubita defectio, Aragonia claſſis Curzulam fruſtra oppugnat,Legati a Senatu miſſi ad Principes Chriſtianos; de Sixti Pontificis iniuria;Gallipolis a Iacobo Marcello claſsis Venetæ Imperatore expugnata, & eiuſdem in pugna interitus.Ferdinandi ob Gallipolim ſubacta metus,pax, & eius conditiones. Aurigationes & Ludi Veneta in urbe publicè æditi: Triumuiri primi creati ad leuandam peſtilentiam;Hieronymi Barbari præclara litterarum ſtudia.

EX LIBRO DECIMO.

BEllum Germanicum ob finium contentionem, uariaque inter utranque partem bello geſta. Seuerinatis interitus, Atheſi fluuio demerſi, pax cum Sigiſmundo, & Germanis: Cyprum Veneti, Cornelia Regina in patriam reuocata, Imperio ſuo adiũgunt M. Cornelius Cardinalis creatus: bellum Gallicum, & Neapolitanum: Caroli Regis ſucceſſus in Neapolitano Regno occupando. fœdus inter Maximilianum, Pontificem, Hiſpaniæ Regem, & Venetos, & alios Principes aduerſus Carolum. pugna ad Tarrum, Carolus in Galliam tranſit, Veneta claſſis oppida in Apulia ſubigit, Aragonius Rex fœdere cum Venetis inito Neapolitanum Regnum recuperat. Tranum, Hidruntum, Brunduſium Veneti ex fœdere accipiunt. Bellum pro Piſanorum libertate aduerſus Florentinos. Fœdus inter Ludouicum Gallorum Regem, & Rempublicam Venetam aduerſus Mediolani Ducem. Rex Mediolano potitur: Veneti Cremonam, totamque Abduanam glaream ſuo imperio adiungunt. Othomanus claſſem ex Helleſponto emittit, Veneti & ipſi claſſem contrahunt ſub Antonio Grimani imperio, Nauium concurſus. Andr. Lauredani, & Albani Armerii glorioſus interitus. Naupacti amiſsio, Grimanus a claſſe reuocatus exilio damnatur. Methonem Turcæ, Coronéque occupant. Benedictus Peſareus Cephaleniam iunctis cum Ferdinando Hiſpaniæ Rege armis expugnant, inde & Leucada: pax cum Bayſetho, Iulius II. Pontifex creatur, bellum cum Maximiliano Cæſare. Pontifex Fauentiam, & Ariminum a Venetis repetit, induciæ cum Cæſare, Regum iræ in Venetum nomen, Cameracenſe fœdus in Rẽpublicam. Venetorum clades ad Abduam, & urbium alienationes a Venetis ſpontè factæ. hoſtium inſolentia, Patauium a Veneto recipitur. Marchio Mantuæ captus Venetias ſub cuſtodia miſſus, turri includitur. Hoſtium ingentes copiæ Patauium obſidet, Veneti patritii ad urbis cuſtodiam profecti, Hiſpanorum circa Patauium cædes, ſoluitur Paduæ obſidio.

EX LIBRO VNDECIMO.

VIcentia recipitur, Veneta claſſis in Pado diſiecta, Petiliani interitus. interdicti Pontificis abrogatio, Marchio Mantuæ cuſtodia liberatur, Bellum in Foroiulio, fœdus in Gallos, Heluetiorum motus, Brixia a Veneto capta. Foiſenſis celeritas in recipienda Brixia, Venetorum in ea clades, And. Grittus capitur, Aloyſii Auogari ſupplicium, induciæ cum Cæſare, pugna cruentiſſima ad Rauennam inter Gallos & Hiſpanos, Cremam Veneti recipiunt, Leonis X. Pontificatus, fœdus cum Rege Gallorum, Gallorum cædes ad Nouariam, Cremæ obſidio, Laur. Ceritis uirtus, pugna Venetis aduerſa ad Vicentiam, Marani fraude amiſſio, ingens Riualti incendium. Franciſcus Gallorum Rex creatur, Veneti cum nouo Rege fœdus percutiunt, prælium ad Marignanum: hoſtium ferocia anceps pugna redditur, Liuianus ad opem ferendam Gallis cum Veneto exercitu aduolat, Heluetii profligantur, Rex ex hac uictoria Mediolani Principatu potitur. Maximilianus Sforcia in Galliam captiuus mittitur. Liuiani ad Gaidum interitus, Gallorum auxiliariæ copiæ circa Brixiam. Poſt multos labores, ac fortunæ uarietatem Brixia, Bergomum, & reliqua oppida, inde Verona quoque in Venetam fidem conceſſit. pax, & belli finis.

EX LIBRO DVODECIMO.

TVrcorum maritimi & terreſtres motus, Veneta claſsis ſub Dominici Triuiſani ductu, Rhodus a Turcis oppugnatur & capitur, Adrianus Flamingus Pontifex abſens creatur, Oratores a Senatu Romam miſsi, Clemens VII. Pontifex in Adriani locum ſuffectus. Turcorum in Pannonia uictoria aduerſus Ludouicum Regem, & eius interitus: urbis Romanæ direptio, Rex Gallorum circa Papiam captus, eiuſdem poſtea liberatio. Galli circa Neapolim ex cœli inclementia magna clade affecti. Cæſaris coronatio in Bononia, Alexander Medices Dux primus Florentiæ, Hieronymus

Canalis

Canalis naualis uictoria aduerſus Morum Alexandriæ, bellum Turcorum cum Sephi Perſarum Rege, Paulus III. Pontifex creatus. Henrici Britanniæ Regis circa uxores, & Religionem Chriſtianam impietas. bellum inter Cæſarem, & Gallorum Regem ob Mediolani Ducatum, ex Sforciæ Ducis interitu. Alexandri Medices cædes, Coſmus Dux ſubſtitutus, Turcorum claſsis, Veneta claſsis ſub duobus Imperatoribus. Veneti fœdus cũ Pontifice, & Carolo Cæſare aduerſus Turcas ineunt. Corcyræ oppugnatio, & ſoluta obſidio. pax a Turca petita a Senatu reiicitur. maritimus cõgreſſus ad Preueſam, & leuis pugna. Caſtrinoui a Turcis expugnatio. pax cum Solymano, & eius conditiones, Cæſarianæ claſſis naufragium, Maranum Veneti recipiunt, Gallorum Regis fœdus cum Solymano. Iulii III. Pontificis creatio. Quindecim Cardinales a nouo Pontifice creati: fœdus inter Gallos, & Germanos. Senarum a Cæſare defectio, Solymani iuſſu Muſtapha filius necatur, Britaniæ Regnum per filii nuptias in Cæſaris poteſtate redactum. Bellum in Sabbaudia, Pauli IIII. ad Pontificatum aſſumptio, Cardinales creati. Bonæ Reginæ ex Sarmatia ad Venetam urbem acceſſus.

EX LIBRO DECIMOTERTIO.

VEneti Imperii fines deſcribuntur. magna Venetorum exiſtimatio apud Chriſtianos Principes, Duciſſæ apparatus. Calectum Galli occupant, claſſis Turcorum Gallo auxiliaris, Veneta claſſis altum in prodit, Oratores Veneti ad Ferdinandũ Imperatorem declaratum miſſi. Turcorum origo, & Othomanorum Regum geſta. Caroli V. Cæſaris mors. pax inter Henricum, & Philippum Reges: legati Veneti. nuptiæ inter Reges, bellum inter Solymani filios, Henrici Gallorum Regis in haſtiludio interitus, Pauli Pontificis mors omnibus odioſa. Ferrariæ Ducis, & Patriarchæ Diedi obitus. Sforcia Palauicinus Veneti exercitus Gubernator. Lex de ſumptibus. Lex Agraria. nouarum terrarum inuentio, & Orbis breuis deſcriptio. Gerbi Inſula ab Hiſpanis capta, Perſarum legatio ad Solymanum. claſsis Hiſpana a Turcis capta, & fugata. Concilium Tridenti a Pio IIII. Pontifice indictũ: Ducalis infula Gẽmis ornata, & duæ aureæ Coronæ. Aerarii furtum, & latronis ſupplicium. Federici Baduarii Achademia, Gerbi a Turcis magna Hiſpanorum cæde recepta. Hæreſis uirus iñ Gallia, naualis machina pro extrahendo Galeono a Barthol. Campi artifice fabricata. Roma legatus Amulius reuocatus, & in gratiam Pontificis in legatione confirmatus. Transyluaniæ Rex a Turcis in Regnum reſtituitur. Chriſtoph. Canalis uictoria in Pyratas.

EX LIBRO DECIMOQVARTO.

PHilippus, Caroli filius, Hiſpaniarum Rex, Mariam Britanniæ Reginam in uxorem accepit. peſtis, & fames ingens in urbe: Bergomi munitio, Ruſteni Baſſa obitus, Aly Baſſa ſuffectus, Philippus Cicada pyrata a Chriſtophorus Canale captus. controuerſia de finibus inter Brixianos, & Cremonenſes ſuper flumine Oleo. M. Ant. Carretus Hiſpanæ claſsis præfectus. Controuerſia de præcedentia, Philippus Mocenicus Archiepiſcopus Cypri: prodigia ex Tyberis ſuccreſcentia, Hier. Albani Collateralis damnatio, & exilium: actio in Senatu aduerſus Amulium Cardinalem. Bellum cum Huggonotis in Gallis: Ducis Ghiſæ per inſidias cædes. Pax Regis Gallorum cum Condeo Principe, & Huggonotis. Ingens Cathari terremotus, Philippus Bragadenus cum Claſſe ad Cathari præſidium, Andreas Duodus ad urbem Rector miſſus.

EX LIBRO DECIMOQVINTO.

ORanum in Lybia oppidum Rex Algerii fruſtra oppugnat, Pyratæ a Veneto claſſe uicti. Controuerſia de finibus in Foroiulio, procella ingens Byzantii, Collegium maritimum, Cõcilii Tridentini exitus & Decreta: Ioan. Baptiſtæ Peſarei patritii

tritii facinus, & ſupplicium. Palatium Romæ Sancti Marci dono datum Venetis a Pontifice. Semperii geſta in Corſica aduerſus Genuenſes. Duorum Chriſtianorum atrox ſupplicium, Ferdinandi Imp. obitus, Diuiſio Regnorum inter filios. Inſidiæ in Pontificem Pium. prodigia. pax Maximiliani Impe. cum Othomano, Melchior Michael Claſſis præfectus. XXIII. Cardinales a Pio Pontifice creati. Turcæ Melitam Inſulam cum claſſe potenti inuadunt: cædes utrinque, uariis oppugnationibus factæ. Melita obſidione liberatur, Pii Pontificis mors, Alexandri Bono patritii facinus, & ſupplicium capitale. Oratores ad nouum Pontificem, Chium Turcæ occupant. Hieronymus Zane claſſis Imperator. Turcorum claſſis in Illyrico, aucta a Veneto mira celeritate claſſis, Turcæ territi a Dalmatiæ finibus abeunt, oppida in Pannonia a Turcis expugnata. Solymani interitus in exercitu, dum bellum cum Maximiliano Cæſare in Pannonia gereret: Selynſach patris in ampliſſimo Regno ſucceſſor. Al. Mocenici in continenti legatio, conſilia de Vtino muniendo, Ibraynbei legatio ad Venetos. ſtatuæ marmoreæ Martis, & Neptuni erectæ in ſummitate ſcalæ Ducarii. Marchionis Finarii priuilegia, & eius genealogia. De Regina Scotiæ. Marini De Caballis Oratoris calumnia, retentio, & abſolutio, bellum inter populos, Regeſque inferioris Germaniæ. Leucoſſiæ urbis in Cypro ualidiſſimæ munitiones, Cypriorum in patriam charitas, & liberalitas. inexpectata Pet. Lauredani Principis creatio. Caroli Philippi Hiſpaniæ Regis filii cuſtodiæ traditi caſus, ingens Arabum motus ad Carras contra Turcos, Legatio Sophi Perſarum Regis ad Selynum, Biremes de pyratis captæ, claſſis Turcorum ſub Aly Baſſa imperio, claſsis Veneta, Hierony. Zane ſecundum claſsis præfectus. bellum in Flandria cum Huggonotis, & eorum clades. Caroli Philippi Regis uoluntarius ſub cuſtodia interitus, Regina quoque partu extincta. Condei Huggonotorum Principis cædes. Caroli Ducis Auſtriæ ad urbem Venetam acceſſus. Arſenatus incendium, & ingens ciuitatis metus, & trepidatio. M. Quirini uirtus in piratas. aliud Byzantii atrox incendium. Huggonotorum cædes, Admiraldo Duce ſaucio. Cypri terremotus. armorum a Turcis ingens terra, marique in Cyprum apparatus, idem a Venetis ſumma diligentia factum, ut Turca reprimerant. Ber. Maripetri circa Iaderam pugna, & interitus. Cubat Chiaus Selini nominis Cyprum poſtulat, Senatus reſponſum, ſociarum Vrbium fides in Remp. Coſmi Ducis Florentiæ titulus.

EX LIBRO DECIMOSEXTO.

TRactatus fœderis inter Pontificem, Philippum Regem & Venetum Senatum. diminutio tituli Selyni litteris Ducalibus. M. Ant. Baili retentio, Mamuth in arcem Veronæ ſub cuſtodia miſſus. prodigia. Turcarum terra, mariq; apparatus. Venetorum alacritas in bello, priuatorum in Rep. adiuuanda ſtudiũ. actio de fęđere ineundo, Lauredani Principis interitus, Al. Mocenicus Dux creatur. Ingens Venetorum claſſis, præſidium in Cyprum miſſum, populi ultro in Venetam fidem dati, Cardinalium creatio. Piali Baſſa. Turcarum metus de bello, Chriſtianorum Conſilium in inuadendo hoſte. Cubat Chiaus reditus ex legatione. Memeth primus uiſir, Muſtapha Baſſa, Xemonicum caſtrum in Dalmatia a Turcis captum, Polizana amiſſa, Suppoto oppidum a Venetis ſubactum, Thine Mychone fruſtra a Turcis oppugnatum. Item Nouemgradi. improſpere ad Catarum a noſtris dimicatum. Brachium Maynæ in Laconiæ ora a Marcus Quirino expugnatum, triremes Equitum Melitæ a Luciali captæ; copiæ Turcarum in Cyprum ad Salaminam tranſcendunt; Leucoſſia obſidetur. Iubileus, & ſupplicationes. Imperatoris claſſis Venetæ oratio. Caſtrum Rugium, Claſſis, & acierum ordo. Doriæ claſſis ſubitus receſſus. Leucoſſiæ expugnatæ nuncius. Magiſtratuum cædes. Iacobus Foſcarenus Prouiſor Generalis in Dalmatia, aduerſi de Imperatore Zane rumores. ingens languentium, & defunctorum numerus. Terremotus, & alia prodigia. Sebaſtianus Venerius claſſis Imperator. noui Legati, Auguſtinus Barbadicus Prouiſor Generalis maris, Vincentii Prioli virtus, Chriſtianorum Principum ſocordia. conditiones icti fœderis, & eius in Veneta vrbe publicatio: Turcorum geſta circa Cretam, Dirrhachium fruſtra a Veneto

neto tentatum, M. Quirinus fœliciter in hoſtes pugnat, Antibar is & Olchinium oppida in Epyrho a Turcis capta, Alex. Donati damnatio, Sancti Nicolai littus munitur militum præſidiis, & bellicis inſtrumentis. Chriſtianæ claſſis ſumma, ſeptem triremium Venetarum in Calabria naufragium, coniunctio claſſium ad Meſſanam, Mutii tribuni Hiſpanorum arrogantia & ſupplicium. Famaguſtæ amiſſio, & eius oppugnatio, & obſidio, M. Ant. Bragadeni Famaguſtæ præfecti virtus. Hector Balleonus Gubernator, ingens in Muſtapha perfidia, Bragadeni excoriatio, Balleoni & aliorum crudelis cædes, præparant ſe Chriſtiani ad pugnam, ordo claſſis ad confligendum. Aly Baſſa, & Duces Turcarum: claſſis vtriuſque numerus, prælium atrox, & uniuſcuiuſque ſtrenuitas. ingens ad Echinades Chriſtianorum victoria, deuicti omnium clade maxima Turcæ: ſingulorum fortitudo, & cædes. victoriæ comparatio, & de eius nuncio Onfredo Iuſtiniano: gratulationes, & ſupplicationes. oratio funebris de laudibus, qui in prælio ceciderant, diuiſio prædæ, dies Iuſtinæ inter feſtos relatus, numiſmata noua, & pictura victoriæ in Ducalis Palatii aula, claſſes in Lyberna ſe recipiunt, & de inuadendo fines hoſtium conſilia. oratores ab Auſtrio miſſi, & eius commendatio. Margarithi oppidum de Turcis captum, & Suppoto a noſtris receptum. tacita ſimultas inter Auſtrium & Venerium, Decretum de Venerio, Iac. Foſcarenus claſſis Imperator, Venerii conſilium de oppugnanda Leucade, & receſſus ab ea prodigia. oratores Veneti ad Pontificem, Procuratores creati, Caſtrinoui expeditio uana reddita, motus belli in Flandria, Oratores miſſi ad Hiſpaniæ, & Galliæ Reges, ſtudium Pontificis ad bellum, Hiſpanorum auxiliaris manus in claſſe, Hiſpanorum & Auſtrii conſilium de Aphrica. claſſis Veneta, & Pontificia in Cretam nauigat. Scardona capitur, item Cliſſa, quæ poſtea deſeritur. Hector Tronus accuſatur, claſſium duplex congreſſus ad Cythercam, Iac. Superantii virtute hoſtium claſſis pene fugata in Peloponneſſum conceſſit, coniungitur Auſtrius cum noſtris circa Zacinthum, tumultus Pariſiis, & Admiraldi vulnus & cædes, obſidio claſſis Turcarum ad Nauarinum, & Methonem. receſſus claſſis Hiſpanæ è Peloponneſſo, conſilia circa expeditiones fiendas, Venerii reditus ouans in patriam, apparatus belli apud Chriſtianos, Duciſſæ interitus, Verbagnum Caſtellum à Superantio captum, Turcarum noua claſſis, Chriſtianorum maritimæ vires, præda ingens a noſtris facta in Dalmatia, notandum de monſtro, in Peloponneſſi ora, pax inita cum Turcis, indignatio Pontificis in Venetos pro pace. Nico. a Ponte Orator Romam miſſus, atque eius ſermo de pace cum Pontifice, aurum in bello expenſum, Pontifex pacatur, pacis conditiones, Andr. Baduarius legatus ad Turcas, Ioan. Superantius Orator in Hiſpaniam miſſus.

FINIS.

IOANNES BAPTISTA

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNES BAROTIVS

PET. IVSTINIANO S.

SVPERIORIBVS diebus perlegi ſumma cum uoluptate Hiſtoriam tuam de rebus Venetis, in qua non ſolum uerborum copiam, Sed etiam ſententiarum grauitatem ſum uſque ad ſtuporem miratus. proh Dii immortales. quanta dicendi copia? quanta ſententiarũ grauitas? quãtus Orationis nitor? quãta ubertas? quãta uenuſtas? Si narras, nihil lucidius, ſi diuidis, nihil diſtinctius, ſi moues, nihil acrius, ſi laudas, nihil benignius, ſi uituperas, nihil acerbius, quæ omnia tanta cum diligentia, atque uenuſtate exequeris, ut in quo iſtorum magis excellas, iudicatu difficile ſit. quare liceat mihi, liceat inquam mihi, ueluti de altiſſima quadam ſpecula conclamare, o fœlix terque quaterque fœlix Iuſtiniane, quem patriæ, maiorumque claritas exornat, uitæ integritas commendat, Bonarum artium, atque eloquentiæ ſplendor illuſtrat, atque ita illuſtrat, ut qui te non commendat, potius inuidus, quam qui multum extollit, aſſentator cenſendus ſit. rogo te igitur & pro ueteri, atque ſingulari mea erga te beniuolentia hortor, ſuadeo, moneo, ut tam diſertum, atque elegans opus, quam primum in lucem prodeat. Dicam, & libere dicam quod ſentio, ſi ſecus feceris, & ſtudentium fructui, & gloriæ tuæ inuidebis. Vale.

PET. IVSTINIANO, DANTES RICCIVS S. D.

SI T. Liuius Patauinus ſcriptis ſuis Romanorũ facta literis mandauit, ſi horrendas clades, quibus totius ferè orbis populos affecerunt, conſcripſit, ſi inſignes familias, ſi illuſtres uiros, qui de Pœnis, de Samnitibus, de Sabinis magna cum uictoria triumpharunt, concelebrauit, quam maxima ei laus eſt tribuenda? nõ minorem tibi præbendam eſſe cenſeo, quum ſcribendæ Venetæ Hiſtoriæ magno tuo cum honore, filiorum, nepotumque gloria, onus ſuſcepiſti, id quòd ex tot patritiis huc uſque aggredi nemo auſus eſt, nec admiratione affici debemus, ſi tam excellens Hiſtoria eleganti ſtilo contexta, & ueritate plena (ut facile eſt uidendum) ad noſtra tempora peruenerit, quum Tu ex nobiliſſima inter alias familia Iuſtiniana ortus es, quæ tot literis præclaros, tot inclytos bello, & pace, tot glorioſos terra, marique uiros, quorum eximia facinora per ſe ſatis nota ſunt, procreauit. immortales igitur Veneta urbs Deo, Opt. Max. gratias agere debet, quum te ſcriptorem ſortita eſt, qui nullum laborem prætermiſiſti, ut eius admirabilis ſitus, bella terra, & mari cõflata, cæterorumq; locorum deſcriptiones, nec non celeberrimi uiri, & denique omnia, quæ ad ueram Hiſtoriam pertinerent, tuo uolumine legerentur, quo quantum aliis tenebras effudiſſe uideris, quiſquam diligens lector facile iudicare potuerit. ſed quam plurimi Iuſtiniane Doctiſſime magno affecti ſunt deſiderio, ut genus ſcriptorum tuorum a me uehementer expectatum, in lucem proderet, quoniam non ſolum familiarum ſuarum laudes Annalibus tuis eſſe commendatas, uerum etiam teſtimonii tui authoritate, ingeniique ſuauitate perfrui ſperant. & ſi ego non ignorabam, quantis oneribus prmere ſuſceptarum rerum, & iam inſtitutarum, tamen maximam lætitiam cœpi, quum ad me per latum eſt, te Hiſtoriam tuam ad exitum perduxiſſe, & in publicum breui exituram. quis enim, te onus nullum, ut patriæ tuæ plurimum prodeſſes, depoſuiſſe neſcit? quæ quod non poteſt, in te non honorifice eſſe dictum, in clariſsimis ſuis, atque ampliſsimis rebus teſtimonium uocis tuæ habere uoluit. hic enim principum creationes, hic oppidorum, inſularum, prouinciarum ſitus, hic Oratorum legationes, hic terra, marique geſta, hic multorum Conciones, hic temporum uarietates, hic fortunæ uiciſſi-

tudines perlegentur, quæ & ſi lectoribus optabilia in experiundo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundisſima, & tibi ſempiternæ gloriæ fore exiſtimamus: Vale.

CLARISS. VIRO IVLIO CONTARENO PROC. S. M.

NATALIS DE COMITIBVS S.

MAgna quædam & a uiris doctiſſimis ſæpius pertractata eſt, diſputatio, Procurator Ampliſſime, utrum maius beneficium in genus humanum conferrent, illi ne, qui rebus publicis aſſidue præſunt, qui iuſtitiam inter ciues exercent, quo munere ciuilis ſocietas continetur, & qui res geſtas memoria dignas geſſere, an qui illas litterarum monumentis ſcire committunt. Ego cæteris omnibus rebus Hiſtoriam denique anteferendam cenſeo, quum rerum pub. adminiſtratio, Iuſtitiæque alicuius uires inter præſentis ætatis munus ſuum expleat, futurã nõ attingat, at rerum ſcriptarum peritia quum per longiſſimam annorum ſeriem res geſtas ante oculos proponat, maiorumque uirtutes, aut uitia, prudentiam, aut ſimplicitatem renouet, in uniuerſas ætates ſuas uires extendit, beneficiumque latiſſime diffundit. nam uel fortiſſime defenſa Imperia, & ab iniuriis iniquorum, Diis fauentibus, protectas ciuitates per Hiſtoriam intuemur, uel meritas pœnas ab improbis exactas, & uarias inde fortunas, regnorũq; mutationes perdiſcimus, hanc tantam utilitatem quum ex Petri Iuſtiniani hiſtoria uberrime colligere liceat, cum omnium Rerump. ac principatuum, res Veneta ſit diuturnior, cui dubium eſſe poteſt, magis prodeſſe eius induſtriam uniuerſis hominibus, quàm ſtudium eorum, qui ſunt in grauioribus magiſtratibus occupati, & qua prudentia Dii boni, qua ſuauitate orationis, qua uerborum copia, omnia exequitur? Eſt quod plurimum tuæ amplitudini uiri boni debeant, Procurator Ampliſſ. cuius inſtinctu illa in lucem prodierit, quem non ſolum ad hoc faciendum inflammaſti, ſed contra etiam fortunæ impetus ſtudioſiſſime protexiſti, gratularer plurimum honorificentiſſimæ familiæ Iuſtinianæ, ſi nouum hoc præclarum germen pullulaſſet, ſed quoniam prior hãc Leonardus uir Doctiſſimus, Bernarduſque eius filius, uirtutum ſuarum ſplendore illuſtrarunt, nihil de huiuſce nobiliſſimæ familiæ uiris illuſtribus dicam. unum tantum ſic habeto, hunc meo quidẽ iudicio, cæteros omnes facile antecellere, cum ſuauitate, calliditateque Orationis, tum etiam grauitate, & rerum geſtarum peritia, quicunque de rebus Venetis conſcribere ſunt adorti. Hanc meam ſententiam de Petro Iuſtiniano uiro Doctiſſimo non ſcribere ad Amplitudinem tuam non potui, ea commotus oblectatione, quam ex eius Hiſtoria percepi, quum ſcirem illam tuo optimo conſilio fuiſſe æditam. Vale.

SANCTISS. AC BEATISSIMO GREGORIO XIII.

PONT. MAX. PET. IVSTINIANVS.

QVum te mortales omnes Gregori XIII. Pontifex Maxime, in Apoſtolica ſede conſtitutum, Chriſtiani Orbis habenas tenere, ac regere intuentur, incredibili afficiuntur lætitia, in ſpem illam adducti, fore, ut tua ſanctitas admirabili uirtute tua populum Dei a quibuſcunque fortunæ ictibus ſaluum reddat, quis enim te ſanctior? qui pietatem colis, quis ſapientior? qui pacem quæris, quis iuſtior? qui bonis proſis, quis liberalior? qui multa donas, quis Doctior? qui muſis faues. Et quum recte, prudenterque omnia facias, Pontificiam Maieſtatem uere repreſentas, & ſupra humanum faſtigium excedis. cunctorum itaq; oculi in te ueluti in numen quoddã è cœlo demiſſum reſpiciunt: nam altiſſima quæque appetens, heroicam erga omnes Pater Beatiſſime uirtutem exerces, tanta æquitate, prudentia, & animi moderatione, ut diuinæ, non humanæ actiones tuæ eſſe uideantur, fruiturque te præſide nunc Roma fęliciſſimo ſtatu. tuũ uero erga Venetum nomen ſtudium quantopere extollendum, ex quo nihil maius dici aut excogitari poteſt, adeo, ut nullo unquam tempore tui nominis memoria è Veneto-

rum

rum animis obliterata,conſeneſcet,& quoniam ſingularis tua erga omnes eſt benignitas,nil ueritus ſum hæc ad te pauca ſcribere,& exiguum munus Hiſtoriæ a me de rebus Venetis conſcriptæ per Ioannis Superantii Oratoris noſtri manus tibi exhibere,ubi maiorum noſtrorum in inſtituenda, moderandaque Rep. rationem uidere poteris , & quãta illi pro fide Chriſtiana in Aſia,aliisque orbis partibus belli facinora geſſerint, Pontifices in ſedem armis reſtituere,piratis maria purgarunt,gẽtes efferas, nationes Barbaras debellarunt. Imperii ſui fines terra,marique propagarunt. quæ lectio tibi Pontifex ſapientiſſime non iniucunda fortaſſe erit,ob rerum amplitudinem,& uarietatem,& uos uiros Principes Hiſtoriæ ſtudioſos eſſe decet,quæ uitæ (ut aiunt) magiſtra eſt, & ex ea multa documenta,colligi poſſunt,quæ ad rectam adminiſtrationem, & publicam ſpectent utilitatem. ſcio autẽ Beatiſſime Pater, te ad Venetas res domi, foriſque cognoſcẽdas animum libenter adiicere,quas ſemper non ſolum inquirere, ſed admirari conſueuiſti. Hæc igitur hiſtoria a me magnis laboribus compoſita,& denuo reuiſa, ſi in Sanctitatis tuæ caſtiſſimas, puriſſimaſque manus peruenerit, nil glorioſius mihi in uita contigiſſe arbitrabor,interim aduolutus genibus,me Sanctitati tuæ deuotiſſime cõmendo.

AVTHOR, AD LECTOREM,

Perlege, ſi poſitis permittunt ocia curis,
Hiſtoriæ quicquid pagina noſtra docet.
Spectabis mores patrios, ab origine prima
Vrbis,& infuſo pectora plena Deo.
Nec tam bellandi ſtudio,quàm legibus auctum
Imperium,ac Sancto Lumine Iuſtitiæ.

FR. ZANII CAR.

Annales Venetum dum colligit ubere meſſe,
Aeternum læta uiuet in Hiſtoria,
Cæſarea natus prole alta Iuſtinianus,
Adriaci Petrus gloria uera Sinus.

DANTIS RICII.

Cecropia affecta eſt quondam Pytheidos Aetheræ,
Lætitia nato, Sanctaque Roma Lupæ,
Altera clara nouis quoniam completa Colonis,
Altera, ubi Tybris eſt, ædificata fuit.
Sic urbs te Venetum gaudet, dum ſcribere geſta
Nixus es Hiſtoria Iuſtiniane tua.

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN HISTORIAM VENETAM, PETRI IVSTINIANI PATRITII VENETI ALOYSII F.

AB Vrbis primordio uſque ad hæc tempora ſeries huius operis enarrata eſt. cv. 1.nu.30.
Abdua car.2. nu.40.
Abduæ fluuij excreſcentia. car. 162.nu.20.
Abduana terra in poteſtatem Venetorum. car.191.nu.10.
Abduanæ terræ Philippo deſſignatæ a Sforcia. car. 189. nu.10
Acciorum hoſtium ordines. c.151.nu.10
Accius Eſtenſis Dux Ferrariæ à Priſco filio interemptus. c.63.nu.20
Accius Eſtenſis è Creta reuocatus. car.129.nu.20
Achillis Brambati cædes. c.412.nu.50
Acies Brundulana fugata. c.115.nu.10
Actio de fœdere ineundo cum Philippo Rege. c.438 nume. 50
Actio in Senatu aduerſus Amulium. c.413.nu.20
Actio de pace cum Venetis, & Ferrarienſibus. car. 243. nu. 20
Adagium in Venetos. c.211.nu.50
Adhortatio Petri Lauredani ad bellum.car.294.nu. 30.
Adhortatio Andreæ Gritti ad defenſionem patriæ. car.296. nu.10
Adhortatio Vincentij Capellij ad pugnam. car.257 nume. 40
Adhortatio Dominici Mauroceni, Pauli Barbi, Andreæ Venerij ad Senatum. car.280. nu.20
Adhortatio ad pugnam Imperatoris Petiliani. car. 285. nu.20
Adhortationes Herculis ad Alfonſum Ferrariæ Ducē. car.241. nu.20
Adhortationes Ioannis Matthei Bembi ad pugnam. c. 371. nu.10
Adria urbs à Veneto capta. c.234.nu.40
Adriaticus ſinus Piratarum infeſtatione innauigabilis. c.189.nu.50
Adriaticum mare. car.2.nu.40. & car.4.nu.40
Adriaticum mare unde dictum. car.174.nu.40
Adrianus ui poſt Leonem ſummus Pontifex eligitur. car.332. nu.40
Adriani Pontificis laus, & factum. c.333.nu.20.
Adriani Pontificis mors. c.333.nu.40
Aduerſa fortuna Venetorum. car.284 nu.20
Aduerſa fortuna Venetorum. c.84.nu.30. & car. 164. nu.40
Aduerſa fortuna Antonij Grimani narratio. car. 332. nu.10
Aduocatores primi qui fuerunt. car.11.nu.20
Aegypti Rex. car.9.nu.30
Aegypti nauigatio. c.77.nu.50
Aegyptij eluſi. car.10.nu.10
Aemyliani nobiles Veneti a Romana familia orti. car.7 nu.29
Aetas Pij II. Pontificis c.207 n.50
In prima urbis a finitimis Italiæ populis Patauino,Aquileienſi, Altinati, Concordienſi,fundatæ origine,conſulatum geſſerant, Gallianus Fontana, Symeon Glanconius, Antonius Caluus,poſt eos Albertus Falerius,Thomas Candianus,inde Marinus Linius,Huggo Fuſcus,Lucianus Gaulus, nouiſſime M. Aurelius, & And. Clodius: poſtea Tribunos ciuitas habuit,qui per aliquot annos publicæ adminiſtrationi præfuere· ſed ſublata tandem conſulari, Tribunitia, ac Magiſtrorum militum poteſtate, decretum eſt,poſt uarias optimatum , populique altercationes , ut Dux crearetur , qui ſummum,primumque in ciuitate locum haberet, perpetuaque eius , quoad uiueret , eſſet poteſtas,diffinita tamen,& legibus circunſcripta,tradita ad hæc nouo Duci inſignia ampliſſima: nam uenerabilis in eo eſt cultus, purpura ſiquidem, & holoſerico omni tempore Dux ueſtitur,aureoque interdum pallio, ac ſtola candida uſus, in publicum prodit,caputque tenui uitta obtectum habet,& coccinea infula,quam limbus aureus præcingit,fronte decore aptatur,ac retro in tereti formam cornu attollitur, quod priſcis tamen temporibus ad Phrygiæ mytræ ſpeciem in conum ibat, albæque armellinorum palles circum ſcapulas ad medium uſque demiſſæ, maieſtate plenum conſpectum reddunt: geſtat & picturata Dux Sandalia,fibulaſque aureas, & baltheũ gemmatum. Ducalibuſque his ornamentis nihil auguſtius, ac regale ſupergreditur tantus cultus faſtigium: frequens autem Ducem in apertum prodeuntem (quod raro euenit) Senatus,togatorumque patrum ſummus ille ordo maieſtatis, & ſilentii plenus ſubſequitur;præceduntque uerſicoloria alte geſtata octo uexilla , ſella curullis, quoque,& Vmbella aurea, circunſonantibus tubis ex argento oblongis, ſub ea medius inter Regum Oratores Princeps Senatu (ut diximus) concomitante procedit, pompaque admirabilis eſt, Ducis,Seniorumque grauiſſimo conſpectu, miſſique ſunt ſtatim Romam ad Deodatum Pontificem legati, Petrus Candianus, Michael Particiatius,& Theodoſius Ipatus,ut inſtituendi,eligendique Ducis Pontifex Apoſtolica authoritate ius Venetis perpetuo confirmaret. Anno igitur Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo,Paulutius Anafeſtus nobilitate, uirtuteque inſignis Dux primus in Heraclia creatus fuit: hic paci ſtudens,cum Luithprando Longobardorum Rege fœdus percuſſit, & poſt uiceſimum annum uita functus, ſucceſſorem habuit Marcellũ, uirum optimum,cuius quieta adminiſtratio annorum nouem curſum eſt amplexa. Huic Vrſus,uir acer,& genere clarus ſuffectus,Venetum nomen rebus præclare geſtis primus illuſtrare cœpit.nam cum bellicis artibus egregie inſtructus eſſet,ad arma tractanda iuuentutem Venetam exercere maxime ſtuduit: ſtatimque ciuitas ſpectatorẽ, laudatoremque uirtutis Ducem ſuum nacta, naualis diſciplinæ peritiam magna indole aſſecuta eſt: tuncque Venetæ gentis ope Rauenna a Longobardorum iugo erepta, Leoni,& Conſtantino Græciæ Imperatoribus reſtituitur. Extat autem Gregorii Pontificis Epiſtola,quæ Venetos admonet: ad arma ſumenda pro recuperatione Rauennæ: cuius exemplum fidei cauſa uiſum eſt,hic annotare Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,Dilecto filio Vrſo Duci Venetiarum. Quia peccato fauente Rauennatum ciuitas,quæ multarum caput Eccleſiarum extat,a nefanda gente Longobardorũ capta eſt, & filius noſter eximius Dominus Hexarcus apud Venetias (ut cognouimus) moratur,debet Nobilitas tua ei adhærere, & cum eo noſtra uice pariter decertare,ut ad priſtinum ſtatum ſanctę Reip. in imperiali ſeruitio Dominorum,filiorumque noſtrorum Leonis,& Conſtantini,magnorum Imperatorum ipſa reuocetur. Rauennatum ciuitas zelo , & amore ſanctæ fidei noſtræ, Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime fili. His pontificis adhortationibus Veneti permoti, claſſem pararunt, ad Rauennam oppugnandam , qua non ſine ingenti certamine recepta. Venetum nomẽ

Priſci Cõſules.

Dux.

Ducis habitus.

Not. legatos ad Põti.

Paul. Anafeſt· Dux primus anno Domini cccccc. xcvii.

Marcellus D. II.

Vrſus. D. III.

Not. Pontificis litteras ad Ducem.

tunc primùm clarum, Illuſtreque apud finitimos haberi cœptum, ſed cum undecim fermè annis Vrſus Ducatum egregie geſſiſſet, orta inter Heraclianos, Equilinosque de finibus controuerſia, ambo populi mutuis ſe ſe per biennium cladibus affecere: ita que quaſi omnium author malorum Vrſus orto tumultu interfectus eſt: eo ſublato ciuitatis quoque adminiſtrandæ forma mutatur, creanturque Magiſtri militum, qui Ducis loco annuum haberent Imperium. hi autem quinque unus poſt alium fuere, Dominicus Leo, Felix Cornicula, Theodatus Vrſus, Iulianus Ceparius, & Ioannes Fabriciatius: quo occæcato, Magiſtrorumque militum poteſtate, publico decreto antiquata, Ducatus iterum adminiſtratio reuocatur, Theodatusque ſtatim in Methamauco Princeps declaratus eſt: Qui cum Aiſtulpho Lõgobardorum Rege Heraclianos fines ad Anaxum fluuium conſtituit: poſtea ad Brondulum profectus, ut locum muniret, in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem incidit, obidque Galla authore uiro ſeditioſo tertiodecimo ducatus anno a feroci populo luminibus, dignitateque priuatur. Et poſt uarios diſſenſionum fluctus, Galla in Theodati locum Dux eſt ſurrogatus, qui malis artibus Remp. regens, oculis & ipſe erutis, ſecundo dignitatis ſuæ anno uix inito in exilium agitur. Delataque eſt poſt eiectum Gallam ad Dominicum Monegarum ſumma Imperii, uirum acrem, & præferocem, cui annui tribuni dati ſunt, ne hominis temeritate aliquid detrimenti ciuitas pateretur. Hic tamen quum in omne facinus prorumperet, excæcatus, depulſusque, Ducalem adminiſtrationem amiſit. Mauritius ei ſucceſſit, magni ingenii uir, & uitæ integritate clarus, obtinuitque a populo ob rectum, ſincerumque in moderanda Rep. ſtudium, ut Ioannem filium ſibi collegam in Ducatu cooptaret: ſed Ioannes minime paternis inſiſtens ueſtigiis, poſt parentis obitum, præter multa infanda ſcelera, Fortunatum Gradenſem Antiſtitem uirum ſanctiſſimum, ꝙ is blanda oratione ſæpe eum ad ſaniora conſilia retrahere conaretur, ex alta turri præcipitauit, cruoriſque maculæ, quæ ſubiectum marmor infecerant, per multa ſecula in tanti ſceleris teſtimonium nullatenus abſtergi, abolerique potuerint: & paulopoſt uir nequam ob infandum parricidium, ex urbe in Galliam aufugiens, Carolum Regem, ſiue Pipinum eius filium patriæ bellum inferre ſuaſiſſe traditur. Quod poſtea Beato Obelingerio Ducante, atrociter eſt a Gallis illatum: miror autem hoc loco omnes ferè ſcriptores ſuis cõmentariis, in quibus hoc bellum Gallicum deſcribitur, pro certo affirmare, Obelerium, & Valentinum Duces ea tempeſtate Reip. præfuiſſe: id ſane prorſus a fide diſcrepare uidetur. nam in comitiis, ubi omnium Principum imagines ab inſtitutæ dignitatis exordio effingi cõſueuere, nulla Obelerii, & Valentini fratrũ figuratio apparet: ſed Beati Oblingerii ſola legitur in ſuo Throno ſubſcriptio. præſtãdaq; fides eſt ueteribus picturis, quæ omnem ambiguitatem tollunt, quando nulla alia monumenta extant: ſatis uero conſtat, atrociſſimum bellum a Pipino Venetis illatum, Ducante (ut diximus) Beato Obelingerio, ea potiſſimum cauſa, quòd Veneti cum Nicephoro Græciæ Imperatore, ſentire uiderentur, quum ex fœderis formula cautum eſſet, ne neutrius partis ſocietatem ſequi liceret, in ciuium præterea Obelerius odium incurrit. quòd Gallicis rebus impudenter ubique fauebat, & quum ſe ob id ipſum, ſuſpectum eſſe cerneret, ad Carolum in Germaniam profugit. At Pipinus in Venetos ferociter mouens, omnem littoralem oram momento temporis occupat, oppidaq; Equilium, Heracliam, Albiolam. Peleſtrinam, & Clodiam capit, in Methamaucumq; a uictore Pipino ſigna illata, ubi tunc Ducatus ſedes erat: Veneti autem aduentu irati in ſe hoſtis cognito, diffiſi immuniti loci natura, omnes cum uxoribus, liberis, & precioſa ſupellectile in Riualtum tranſmiſere, ubi ob inexpugnabilem ſitum cunctas hoſtium minas in circunfuſo late ſtagno facile eludere poſſe ſperabant. id quod (ut opinati ſunt) prorſus euenit. nam Galli quum Methamaucum fuga deſertum eſſe cognouiſſent, indignati Venetum inſequi, ac parata ſtatim claſſe Riualtum aggredi ſtatuerunt, Alii tradunt, Pipinum uetulæ conſilio, ponte ratibus conſtrato, copias transfretare tentaſſe. ſed utcunque res ſeſe habet, pugna atrox mediis aquis utrinque commiſſa eſt, Galliſq; ad internicionem cæſis, profligatur Regia claſſis. Veneti enim pro libertate tuenda acerrima dimicantes, adeo ingentem Gallorum cæ-

dem

Vrſi Ducis cædes.

Magiſtri militum.

Theodatus Dux. IIII.

Galla. D. V.

Dom. Monegarus. D. VI.

Mauritius D. VII.

Not. miraculum.

Beatus Obelingerius. D. VIII.

Obeleri⁹. Pipini ſucceſſus.

Tranſmiſſio in Riualtum.

Pipini clades.

dem ædidere, ut Canale, in quo prælium commiſſum eſt, Orphanum in hunc uſque diem appellatur, eoque euentu res Veneta a Gallorum armis ſeruata incolumis ſtetit, & Pipinus poſt cladem acceptam cum Venetis in gratiam rediiſſe dicitur: & Obelerius in patriam eſt reſtitutus, quem mox populus, Pipino ex Italia abeunte, fœdè trucidauit, Alii dicunt, quòd Conſtantinopolim Obelerius fuerit relegatus, & Beatus eius frater Iaderam, ita res uarie traditur. Defuncto autem Beato, ſeu relegato, qui triennio præfuit, ſubſecutus eſt Angeli Participatii principatus, Qui primus in Riualto Ducalem ſedem tenuit, Anno ſalutis Chriſtianæ nono, & octuagenteſimo, Participatiaque hæc familia nobiliſſima hodie Baduaria appellatur, & Candiana nūc Sanuta eſt, Centranigi quoque, & Barbolani in Salamonios tranſiere: factum autem eſt, ſoboleſcente in dies uicinarum gentium concurſu, & conuenarum numero, ut Sexaginta paruæ Inſulæ ad capiendam multitudinem tunc primùm ſtratis pontibus inter ſe coniunctæ ſint, uiriique Romana nobilitate, ac agnominatione, Marcelli, Cornelii, Valerii, Amullii, Quirini, Memmi, Longi, Balbi, Vetturii, Aemyliani, ac Piſones, qui corrupto nomine appellantur, Piſani, atque alii æque genere, natalibuſque homines illuſtres huc confluxere, quorum præcipua cura fuit, Iuſtitiam colere, pietatem amplecti, leges condere, totumque Reip. corpus, abiectis priuatis affectibus, exacte curare; non faſtum, nō ambitionem uiri ſanctiſsimi ſequebantur, ſed pacis amor, unumque religionis ſtudium eorum animis alte inſederant. certabant ad hæc (ut Sabellici uerbis utar) inter ſe ciues non luxu, & uoluptate, ſed continentia, & uirtute, ut diceres, philoſophantium illum fuiſſe cœtum, non profugorum ciuium, unde Albertus Magnus ſcriptor illuſtris, in ſextodecimo libro de proprietatibus rerum, de hac urbe ita ſcribit, Venetia, inquit, olim fuit prouincia, a qua ciuitas Venetiarum eſt dicta, eius poteſtas hodie per longiſſimos maris protractus etiam uſque in Græciam ſe extendit, Germanorumque fines uſque in Aquileiam tangit, Dalmatarum, Sclauorū pyratarum prædam tyrannicam reprimit, Inſulas, & portus, promontoria maris, & Sinus, ſub eius Dominio exiſtentes iuſtiſſime regit, ſubditos protegit ab hoſtibus, ac defendit potentiſſime Remp. & ciuilem poteſtatem iuſtis legibus ſubiicit, nullam ſectam diuinis contrariam inſtitutis intra ſuos terminos manere diſſimulat, aut permittit: huius gentis referre ſingulas probitates extimo ſuperfluum, quum de gentis Venetorum uirtute, potentia, circunſpectione, prouidentia, uirtute ciuium, & concordia, amore totius Iuſtitiæ, cum clementia omnibus ferè nationibus iam ſit notum. Hæc Albertus. Frater quoque Henricus doctiſſimus Theologus in libro ſuo de quattuor uirtutibus Cardinalibus, ubi tractat de politia ciuitatum, attollens politiam Venetorum, inter cætera, ſic ait, Venetorum hæc gens tanta pace, ac ſecuritate fruitur, quòd nullus unquàm intuitu partis expellitur: aduenientes, & profugi ibi tuti ſeruantur, nullus alterius oppreſſor, nullus alieni habitaculi inuaſor, ſecura ſunt omnia: homicidia, uel humani ſanguinis effuſiones aut nunquàm, aut raro, ibi audiuntur, nulli omnino patitur ſubdi, dicta gens ſumma gaudens libertate: Ducem, quem, ſibi conſtituit, tanta ſtatutorum ſeruitute coarctat, ut non plus præfectus poſſit, quàm uelit præficiens: homines in marinis aquis, quibus ſunt undique circumſepti, ædificia ſtupenda pulchritudine, ſumptuoſitate, & numeroſitate conſtruxerunt, uſibus maris cū periculis, & laboribus pro neceſſariis uitæ iuuentutem erudiunt, ætatem uero maturam actibus Reip. impendunt: pro colentibus agros remigia habent, & pro boue nauigium, omnia mercantur nummo, etiam potum aquæ: nullus ibidem natus alterius eſt ſeruus, nec etiam mercenario pacto conductus, ſed unuſquiſque patriæ libertatem ſibi uendicans propriam, uictum proprio labore quærit, in bellis naualibus audaciſſimi, atque peritiſſimi, olim pro Rep. miranda, ac laude digna fecerunt: uictualia a multis regionibus eis deportantur, & ipſi merces, quas a remotis partibus deferunt, ad multas prouincias Occidentis tranſmittunt: in ueſtibus ſplendidi, ſed in cibo temperati, ne per ebrietates mercandi uſus impediatur, aut ſtatus politiæ turbetur: tabernas non habent, magni Eccleſiarum ſunt cultores, & diuini honoris amatores, pauperibus ſunt benefici, multa pauperum hoſpitalia, & inſignia ſanctarum monialium monaſteria annualibus, & quotidianis eleemoſynis tā publicis, quàm priuatis nutriuntur,

Canale orphanum.

Obelerii cædes.

Ang. Participatius D. IX. in Riualto anno Do. 809.

Familiæ ex Roma nobiliſſimæ.

Not. priſcos Venetorum mores.

Not. Alberti magni de Venetis uerba.

Frater Henricus.

untur,

untur: decedentes decimam pecuniæ, in qua ferè omnia eorum bona conſiſtunt, indigentibus, & diuinum cultum colentibus derelinquunt: catholici ſunt, & ab omni labe ſunt prorſus immunes, inhumana, & enormia crimina non habent, a conuicinorum moribus alieni, fœnerator ibi nullus eſſe permittitur; leges communes non ſequuntur, ſed ſecundum ſtatuta propria uiuunt, miro modo politiæ negociis accommoda, nec tamen a iure aliena; ubi ſtatuta deſunt, ad patriæ conſuetudines ſe conuertunt: fideliſſimi ſunt Reip. quam unuſquiſque in opulentia, & in honore tenere ſtudet, ſed & ſuos ciues ipſa ciuitas etiam plebeios magnis libertatibus, & ſingularibus immunitatibus conſeruat, & tuetur: ſi quis in aliena patria grauatur, mox curam adhibet, ſiue ducalibus ſcriptis, ſiue nunciis publicis, ſeu repreſaliarum terroribus, ut eum a grauamine liberet, honorabiles ciues diuitiis, tenues officii, uel Rectoriæ prouiſione ſubleuare nititur, multos de communibus prouentibus nutrit. Hæc frater

Caſſiodorus.

Henricus. Extat & Caſſiodori Rauennatis Epiſtola, in qua Venetias prædicabiles appellat, multaque in nouæ Vrbis laudẽ prolixiori ille ſermone deſcribit, quæ nos breuitatis cauſa omittimus.

Boncompagnus.

Et Bõcompagnus Bononienſis, ſcriptor non ignobilis, in tractatu de Diſceptatione amicitiæ inter corpus, & animam his uerbis utitur: Profecto admirabile eſt Regnum Venetiarum, quod eſt unum de principaliſſimis Italiæ membris, libertatem Italicam in altiori ſtatu conſeruat: in ciuitate Venetiarum ſenes ex aeris temperantia, & moderata dieta uireſcũt. & poſtea dicit, Si autem quæratur, quomodo ciuitas Venetiarum conſtructa ſit, reſponderi poteſt, quòd pauimentum eius eſt mare, cœlum eſt tectum; & paries, decurſus aquarum.

D. Thomas.

Diuus quoque Thomas in libro quarto de Regimine Principum, ad Regem Cypri, cap. 8. ita ſcribit: In partibus autem Lyguriæ, Emyliæ, & Flamminiæ, quæ hodie Lombardia uocatur, nullus principatum habere poteſt perpetuum, niſi per uim tyrannicam, Duce Venetiarum excepto, qui tamen temperatum habet regimen. Hæc exteri ſcriptores de Venetis memoriæ prodidere; quorum teſtimonio uti placuit, ad declaranda huius ciuitatis ornamẽta, alienis ſcriptis tanta cum laude celebrata. Cæterum ut cœpta proſequamur, quod

Riualtus.

bonum, fœlixq; Veneto foret nomini, publice decretum, ut Riualtus perpetua Principum Sedes eſſet, atque in ampliſſimi magiſtratus honorem, Domicilium haud impar Ducaria maieſtate confeſtim fundari cœptum eſt, cum curia, & foro, licet primis illis temporibus non eam crediderim fuiſſe operis molem, quæ nunc extat: nam & Patrum memoria, & noſtra etiam ætate multa ſunt addita ad ornatum, & ſplendorem, præclarumque ſanè illud eximia architectura opus uiſitur, quod ſub Fr. Foſcari Principatu erectum fuit, in anteriori curiæ parte, ſupra palatii fores, ubi illius principis marmorea ſpectatur effigies, ac plurimæ uario cultu ſtatuæ ſub Maripeteo, Mauroque principibus diuerſo tempore magnificentiſſime erectæ: ſumptuoſi ad hæc Arcus rara arte fabrefacti columnis parum inter ſe diſtantibus miro ordine fulciuntur, noſtraque ætate tota facies Ducariæ ſedis, & ea, quæ aquis incubat, candido conſtructa ſaxo, & in adamantis ſpeciem faſtigiato, & a fronte, qua forum ſpectat, magnificentisſimo ſtructuræ ornatu ab utraque parte perbelle abſoluta eſt.

Not. Regiminis formam.

Sed de Reip. regimine, ne intactum quicquam relinquatur, pauca hoc loco dicenda. Sedet Princeps medio ſublimis ſolio, iuxtaque eum ex ſenis tribubus, in quis ciuitas ultra & citra canale maius diuiſa eſt: ſex conſiliarii ſingulis diebus matutina hora in collegio præſunt, ubi pari poteſtate adſunt ſex Conſilii, quinque Continentis, totidẽque loco paulo inferiori Sapientes ordinum, ita tam hi, quàm illi diuerſimode appellati, pro munerum uarietate; nam hi omnes maturo conſilio procurant ea, quæ terra, & mari, ac pace, & bello agenda ſunt; referuntque poſtea ad Senatum, qui auctoritate ſua cũcta decernit, appellaturque conſilium Rogatorum, patria lingua, a rogandis ſententiis, ut Romani factitabant, quòd ex eorum Rep. Veneti illi Imperii conditores, ſicuti pleraque alia, acceperunt.

Decemuiratus.

Eſt quoque Decemuiralis Magiſtratus inſtar Dictatoriæ poteſtatis, ampliſsimus, ut & Romæ antiquitus erat, principemque locum obtinet inter reliquas Vrbanas dignitates, quum ſub Decemuirum ſit cenſura, diuinæ rei cultus, maieſtatiſque læſæ crimen, atrocioraque alia flagitia. in creandis autem magiſtratibus tam urbanis, quàm peregrinis ampliſsimus locus in palatio conſtitutus, ubi in ea

parte

Comitia.

parte,quę ad meridiem ſpectat:octauo quoque die omnis patritius ordo aggregatur, creandorum magiſtratuum cauſa; comitiaque ad Romanæ illius Reip.imitationem appellantur,ubi ſupra mille & ducenti ex omni nobilitate iuuenes, ſenesque ad ſonitum æris campani miro ordine per ſubſellia conſidentes,ſuffragia ineunt: nec quiſquàm ex uicinis, longinquisque oris ad Venetam urbem accedit, qui locum ipſum Comitiorum, dum magiſtratus creantur, inſpicere maximopere nón affectet, uiſumq; non ſupra modum admiratur. Hic Princeps uirtute eximia præditus,duos habuit filios,Iuſtinianum,& Ioannem;hũc ſibi in adminiſtratione Reip. collegam aſciuit,Iuſtiniano ad Leonem Græcię Imperatorem Conſtantinopolim miſſo.Sed is poſtea in patriam reuerſus, abdicato Ioanne, a patre cooptatur collega, ad leniendam filii indignationem, quam conceperat Iuſtinianus ex fraterna dignitate. Ac ſub id tempus ſacrũ Diui Zachariæ corpus, & Dominicæ Crucis lignum Leo Imperator ad Participatium Principem dono miſit: isq; ædem Zachariæ dicatam erigẽdam curauit, perexilem tunc, & anguſtam, quæ mox ætate noſtra laxitudine, & ſpecioſitate inter reliqua urbis templa primaria habetur, in qua Prophetæ corpus repoſitum,cum Dominicæ Crucis ligno.

D.Zaccharie ædes.

Eadem etiam tempeſtate Oliuolenſe Templum in extrema parte urbis,quod nunc Caſtellum appellamus, Diuo Petro, Apoſtolorum Principi, fundatum fuiſſe dicitur; in cuius dedicatione Sergii, & Bacchi Martyrum reliquit templo illatæ ſunt. Conſpiratum quoque eſt a ſeditioſis quibuſdam uiris in Principem: ſed detecta coniuratione, ſceleris authores, Ioannes Tanolicus,& Bonus Bragadenus capitali ſunt ſupplicio affecti: Dominicus uero Menegarius nefarii conſilii ſocius, ne uitæ diſcrimen adiret,ultro in exilium abiit.

Coniuratio i Principem.

Hæc Angeli Participatii principatu geſta,qui ſibi in primis ex eo laudem peperit,quòd Ducalem ſedem in Riualtum ex Methamauco proſperiore fortuna, lætioribusque auſpiciis primus tranſtulit: uixitque in Ducatu decem & octo annos, eo autem defuncto, Iuſtinianus filius maior natu Remp.adminiſtrare cœpit,ſtatimque gratificaturus Michaeli Imperatori Conſtantinopolitano,miſit ei in auxilium aduerſus Saracenos aliquot naues bello aptiſſimas: ſed quum hoſtis receſiſſet,naues non multòpòſt incolumes domum rediere,

Iuſtinianus Dux. X.ann. D. 826.

Tranſlatumque eſt hoc tempore Venetias Beati Marci corpus ex Alexandria;ac ſimili modo id factum memorant: Cõdebat Aegypti Rex ædes ſibi magnificẽtiſſimas,atque ea de cauſa,præcioſa,ingentiaque undique marmora requiri iuſſerat. Fortè Regii miniſtri ad fanum, in quo Diui Marci corpus iacebat, acceſſerant: repertosque ibi aliquot pulchriores lapides confeſtim nõ ſine templi deformatione aſportandos curarunt. Qua rei indignitate commoti Stauratius, & Theodorus æditui,qui illic ſacris operabãtur,ambo natione Græci,plurimo dolore ſunt affecti.

Trãslatio corporis Beati Marci.

Accidit autem,ut Bonus Methamaucenſis,& Ruſticus Torcellanus,Veneti mercatores,ad maritimam negociationem profecti,cum decem nauibus ui uentorum Alexandriæ littus tenerent, hique ſtatim in terram deſcendentes,quum uiſendi templi cauſa ad locum ueniſſent, intuitique eſſent ædituos mœrore affectos,percupidi,ut ſunt hominum ingenia, cognoſcere,quidnam Græculos affligeret;humaniori ſermone,blandoque ore,uiri probi,triſtitiæ cauſam ab eis ſciſcitati ſunt:qua intellecta,uiſaque templi deformatione, magnis precibus tentare eorum animos cœperunt, ad tradendum Beati Marci corpus, affirmantes fore,ut ex hoc pio munere ampliſſima præmia uterque apud Venetos cõſequeretur. Auerſari illi primo rem tãquàm difficilem,cæterùm Veneto inſtante, & precibus,& pollicitationibus annuere paulatim cœpere, inde prorſus aſſenſi ſunt. Et ne incolæ furtum poſſent deprehendere,apud quos Diui nomen in non parua erat ueneratione;aperto loculo,in quo Euangeliſta iacebat,obuoluunt in illius pallio Diuæ Claudiæ corpus;illudque in ſportam coniectum herbis,ſuillaque carne obtegũt,

Bonus, & Ruſticus mercatores.

a qua Gens illa ueteri legis Machometanæ ſuæ inſtituto pertinaciſſime abſtinet; ſportamque cum præcioſo onere confeſtim ad naues deferunt. Traditurque interim tãta odoris fragrantia emanaſſe ex ipſa Diui æde,ut factus ſit ſubito ad eam concurſus ingens populi;uiſisque ſigillis pallii intactis, res occulta permanſit. Cæterùm accedentes ad perſcrutandam ſportam Publicanorum miniſtri,ut uiderunt eam ſuilla carne opertam,uociferantes Ganzir,quod porcum ſignificat, nil ultra illi inquiſiuere, atq;

Nota odorem ſparſum.

Ganzir

hoc

hoc commento eluſis Aegyptiis precioſiſſimum furtum ad naues incolume delatum eſt,ſtatimque è ſporta ſumma ueneratione Diui corpus Veneti extractum, uelis, antennisque inuolutum malo ſuſpendunt, littoreq; demum ſuſpecto ſoluentes, uela dant uentis, ac leni primùm ſpirante aura in altum progrediuntur: ſed mox fœdiſſima orta tempeſtate, toto mari nauigia iactabantur, in proximosq; Strophadum ſcopulos omnino impacta perierant,ni curſu aliò directo uela nautæ ſtatim demiſiſſent.

Not. miraculum.

Ferunt autem Diuum Euangeliſtam Bono Methamaucenſi manifeſte in tanto diſcrimine apparuiſſe,monuiſſeq;, ut primo quoque tempore uela deponi iuberet: quo facto,naues ſeruatæ ſunt,incolumesq; Venetiis cum precioſiſſimo furto appulſæ, ingentem ciuitati lætitiam attulere,ſummaq; ueneratione Diui corpus a Principe, Senatu,& Clero exceptum,effuſaque obuiam totius populi multitudine,ſacello, quod tūc iuxta Ducariū fuit,certiſſimū Veneti Imperii pignus illatum eſt: quo in loco ędes poſtea excellētiſſimi operis,prout hodie uiſitur,erecta,honorabilē, perpetuamq; tanto numini ſedē præbet:

Not. oraculum.

ueriſſimumq; illud oraculum fuit, quod a maioribus acceptū omnes enarrant, Diuum Marcum, quum in humanis ageret, Aquileiam mari petentem ad hæc ſtagna delatum,ac ſomno preſſum, angelica uoce cælitus admonitum fore,ut quandoque in ea terra,quam tum is omni ferè humano cultu deſertam, nudamque uideret,Gens illuſtris,Imperiumque maximum conſtitueretur, ubi etiā poſt obitum honorifice ipſius oſſa perpetuo conquieſcerent. Igitur ſub huius numinis tutela Veneta ciuitas publicam adminiſtrationem auſpicata, ſecundis ſucceſſibus florebat,Princepsque optimus dum ſedulam in moderanda Rep. præſtat operam, fatali neceſſitate ex humanis decedit, quum duos circiter annos Ducatum adminiſtraſſet: teſtamentoque mandauit,dimiſſa magna pecuniarum quantitate, ut amplior ædes Beato Euangeliſtę erigeretur.

Ioā. Principatius. Dux XI. anno Do. 828.

Ioannes frater ei ſucceſſit,qui ſtatim ut fraternam exequeretur uoluntatem, Fanum Ducario propinquum auguſtiori forma ædificandum curauit,in quod rite dicatum Diui corpus ex minori ſacello,ubi iacebat, tranſlatum eſt, atque arcula ferrea obſeratum,intra columnam marmoreis lapidibus cōpactam recōditur, lectique ſacerdotes,qui rem ibi diuinam,ſacraque pie agerent,cū

Narētani.

Narentanis poſtea Gente Illyrica fœdus publice eſt percuſum. Inde haud longo interiecto tempore Princeps optimus,Caroſſio quodam authore uiro, turbulēto,ui,armisque Ducatu eiectus, in Galliam trepide transfugit,

Caroſſius

Caroſſiusque ipſe ſe temerè intruſit in Ducatum: qui confeſtim optimatum factione,dignitate priuatus, excæcatusque in exilium agitur,adnitentibusque Baſilio Traſimundo, Ioanne Marturio, & Dominico Ortiano uiris in Rep. primariis. Ioannes Dux è Gallia reuocatus,in priſtinam dignitatem reſtituitur. Is poſtea graues ſimultates cum Maſtalitia familia exercens,quietum ciuitatis ſtatum turbauit. Demùm ab hominibus aduerſæ factionis Oliuolenſi arca inſidiis exceptus,urbeque pulſus,Gradum eſt relegatus, ubi nòn multo pòſt uitam cum morte commutauit, octauo Principatus ſui anno; cui Petrus Tradonicus ſurrogatus eſt, publicamque adminiſtrationem is a Diuinis orſus,

Petr. Tradonicus. D.XII. anno Domi. 836.

Diuo Paulo,Gentium Doctori,ædem pie condidit: in Narentanosque Veneti nominis hoſtes acerrimos aliquot expeditiones feciſſe dicitur, Veronenſesque aduerſus Benaci accolas auxiliis iuuit,poſtea in Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani gratiam ſexaginta nauigiorum Claſſem inſtruxit,aduerſus Mauros, qui inferum, ſuperumq; mare naualibus infeſtabant armis: miſſusq; eſt Theodoſius a Michaele Imperatore è Græcia cum ualida Claſſe, quo cum Tradonicus Veneta arma maritima coniunxit,audentibusq; animis itum eſt in hoſtes: eos autem apud Crotonem in Tarentino ſinu inuentos, Græca, Venetaq; Claſſis ferociter inuadit, pugnatumque eſt diu utrinque dubio Marte: demùm fuſis,fugatisque Græcis,qui ſub primum ferè congreſſum turpiter ceſſerant,omnis Maurorum impetus conuerſus eſt in Venetos. cruētumque oritur certamen:

Venetorū clades a Mauris illata.

ſed Barbari totis uiribus connixi, Venetos quoque ſociorum clade conſternatos magna ſtrage fundunt,ac fugant,depulſisque toto mari Græcis,Venetisq;, Maurorum Dux Sabbas nomine,ad urbem ueterem copiis in terram expoſitis, Romam propere ducit, in Vaticanumque impetum faciens, celeberrimam Apoſtolorum principi ſacram,dicatamque Baſilicam fœde diripuit, magnificē

tiſſimum

tiſſimum quoque Diui Pauli templum, quod duobus paſſuum millibus ab urbe diſtat, miſerabiliter uiolatum expoliauit. Verùm audito Eccleſiaſtici exercitus aduentu, quem Gregorius Quartus Summus Pontifex ſub ductu Guidonis ex Gallia Ciſalpina ad urbis præſidium mittebat, Barbari repente omiſſo Romano agro, omnia late igni, ferroque inter Appiam, & Latinam uiam depopulati, in Caſſinenſem Saltum peruenere, Germanumque oppidum ſubita ui occupant, & diruunt: hinc profecti, ſecundum Lyris fluuii ripam ad mare deueniunt, opulentaque præda in naues impoſita, in Aphricam, Mauritaniamque ſpoliis Italiæ onuſti tranſmiſſere. At Narentani aduerſis Venetorum rebus elati, ex Illyrico celeri curſu Crapulas uſque ad oſtiũ Liminis amnis prædabundi aduolant; direptoque oppido, non paruam Venetis littoribus intulere cladem. Per hęc quoque tempora Benedictum Pontificem Venetias ferunt acceſſiſſe: & Lotharius Imperator ueteres immunitates, ac cætera iura, ut Venetis inuiolata manerent, benignè confirmauit. Nec domi res omnino quietæ fuere, ob ciuilem diſcordiam inter nobiliſſimas Familias ortam. Hinc enim Iuſtiniani, Pollani, & Baſeii, inde Barbolani, Seii, & Sæuolæ, in aduerſum nitentes, mutuo inuicem cruore manus ſæpe inquinarunt: Et quum penè ad internicionem uterque pars depugnaſſet, Barbolani tandem cum hominibus ſuæ factionis ciuitate eiecti ſunt. Verùm non multo pòſt in Ludouici Imperatoris gratiam, in urbem compoſitis inter utranque factionem rebus, reſtituuntur, & hæc Petro Tradonico Principe domi, foriſque geſta; qui quum ſacrorum hora in Zachariæ ædem Ducario comitatu ueniſſet, infanda coniuratione exceptus, obtruncatur, nec quicquam miniſtris eum protegentibus: rexitque is triceſimo ferè Rep. anno necatũq; principem ex ea cauſa fuiſſe aiũt, quòd is in familiarum illarum diſſidio parum iuſte, ciuiliterque ſe geſſiſſet, uniuerſæ tamen ciuitati eius mors permoleſta fuit, ad uindicandumque parricidium tunc primùm triumuiri Aduocatores creati, Petrus Equilianus, Ioan. Gradenſis, & Dominicus Maſſonus, qui ſacroſanctæ poteſtatis iure nefariis parricidis merita ſupplicia irrogarunt, & ex coniuratis unus Vrſus Grugnarius ita dæmonibus uexatus fuiſſe dicitur, ut paucis horis miſerabili cruciatu perierit: quo apparet, Tradonici cædem non hominibus ſolùm, ſed Superis quoque moleſtam fuiſſe. Rep. autem triumuirali iudicio pacata, Vrſus Participatius Ducatum accepit. Ad conſuetaque latrocinia Mauri reuerſi, ad iniuriam uindicãdã Veneta arma conciuere, ſtatimq; triginta nauiũ claſſe Vrſus inſtructa, in eos mouit, naualique pugna ad Gradum commiſſa, hoſtem profligauit: a Ioanne autem Principis filio ſtrenuam in ea expeditione aduerſus barbaros operam nauatam memorant, unde eum populus patri in principatu adminiſtrando collegam dedit. In Narentanos quoque a Venetis hoc tempore proſpere dimicatum, ac Rep. tam domi, quàm foris fœliciter adminiſtrata. Vrſus a Baſilio Imperatore Prothoſpatarius, quod nomen apud Græcos maximam cõtinet dignitatẽ, eſt creatus: ſed ne animi gratitudine uinceretur, duodecim campanas Vrſus Baſilio Byzantium dono miſit, quibus tunc primum Græci uſi ſunt, quum multis ante ſeculis ære cãpano caruiſſent. Anno autem initi principatus decimo ſeptimo Vrſus moriens, Ioannem filium ſucceſſorem reliquit: qui ſtatim ob Badoarium fratrem a Comaclenſi comite interfectum, ira accenſus, ualida claſſe Comaclum aggreſſus eſt: eo autem expugnato, multos in fraternæ cædis ultionem oppidanos interfecit; & Rauennatium fines inuadens, quia & ipſi eius necis participes fuiſſent, fœda populatione uaſtauit. Petro poſtea, & Vrſo fratribus collegiæ ſibi in principatu aſſumptis, aduerſa ualitudine laborare cœpit: ob idque, ne Reip. deeſſet, anno ſexto ſui regiminis nondum acto, ſupremo Magiſtratu ultro ſe abdicauit, eique ſtatim Petrus Candianus ſurrogatus eſt: a quo in Narentanos Veneti nominis hoſtes aliquot longæ naues miſſæ eorum inſultus compreſſere, nec multo pòſt, cum eiſdem hoſtibus ad Miculum Dalmatiæ promontorium eſt atrociter dimicatum: primo autem congreſſu, Duce animante, & pugnam intrepide ciente, res Veneta ſuperior fuit, aliquot hoſtium nauibus oppreſſis, & incenſis: Verùm medio ardore pugnæ, quum Candianus fortiter dimicans occubuiſſet, Veneta claſſis cæſo Principe fuſa, profligataque eſt, corpuſque eius Gradum deportatum honorificam ibi ſepulturam habuit, Præfuitque adminiſtrationi publicæ,

cæ,

Not. Maurorũ ſucceſſus.

Not. familiarũ diſſidia.

Not. Tradonici cædem.

Primi Aduocatores

Vrſus participatius. D. XIII. anno Do. 864.

Prothoſpatarius.

Comaclũ

Petr. Candianus. D. XV. anno Do. 887.

Candiani p. mors.

cæ,quinque menſes tantum: Hæc uero clades Venetos non parum terruiſſe dicitur: ad creandumque ſtatim Principem ciuitas conuerſa, Pet. cognomento Tribunus ad Ducariam dignitatem promouit: ipſe uero,quum Mauri,Narentani,& Hiſtri perpetui hoſtes Veneta littora prædatoriis nauibus aſsidue infeſtarent, ut Vrbem tutam a ſubitis pyratarum incurſionibus redderet,murum ab Oliuolenſi riuulo uſque ad Iubeniacam ædem ducendum curauit,craſsiſsima ab ipſo muro cathena ad Gregorii fanum extenſa,nocturnasque uigilias ad precauendos hoſtiles incurſus tota Vrbe conſtituit. Erantque res Venetæ in hoc ſtatu,quum alius nouus terror derepente exortus totam turbauit Italiam:nam ea tempeſtate Hunni,qui nunc Hungari,Schytica gens, poſt fuſum in ipſis Italiæ faucibus Berengarium,Romanorum Imperatorem, libero campo igni,ferroque omnia deuaſtantes,in Carnorum oram ſe ſe primò effuderunt; famaque Venetarum opum,quæ tum iam ſatis amplę,prævalidæque erant, commoti,ad eas inuadendas animos adiecerunt;in littoraque magno impetu deſcendentes, Heracliam,Equilium,Ieſulumque expugnant,& diripiũt,inde aput Caggere,& Clodiam pari clade afficiunt: demum tota ui belli in Venetæ urbis oppugnationem conuerſa,lembis,nauigiiſque omnis generis in traiiciendis copiis ſubito paratis, barbara feritate in Riualtum minitantia agmina,ſignaque conuertunt. At Veneti ad propulſandos immaniſsimos hoſtes erecti,cum quibus non ſolum de libertate, ſed de uita etiam dimicatio futura erat, arma capiunt,in eoſque cum expeditiſsimis nauibus ferociter inuehuntur. Verùm priuſquàm prælium committeretur,Tribunum Principem tumultuaria concione naualem turmam adhortandi cauſa ita allocutum fuiſſe ferunt: Video equidem uiri fortiſsimi,ueniſſe tempus quo uere oportet,uirtutem, ſi qua unquam fuit in armis,ueſtram oſtẽdere;quum maximum immineat periculum a tam crudeli hoſte,cuius inhumanam feritatem Pannonia,Myſia, Gallia,Germania, & Italicæ nouisſimè ſenſere gentes.nam quid immanius, quid abhominabilius his? qui Schyticis imbuti moribus,unde trahunt originem,humanis carnibus ueſcuntur, & in ſacrificiis homines uictimarum loco mactatos immolant. Neque hi tamen ſua tãta feritate adeo timendi ſunt,ut domari, debellarique interdum nequeant; præſertim maritimis in congreſsibus,quorum ignari,inexperteſque prorſus habentur; uos uero a teneris annis naualibus rebus innutriti, Hunnum hunc maritima pugna minimè timere debetis,ſicuti & Maiores noſtri eodem certaminis genere ſuperioribus annis Pipinum Galliæ Regem ſuis, paterniſque opibus ſuperbientem haud procul his ſtagnis magna clade deuicere: eademque fortuna hodierno die & nos pugnabimus. obcæcati enim prædæ cupidine,aberranteſque in ignotis aquarum fluxibus, ac refluxibus,memorabili fortitudinis exemplo hoſtes deleti erunt. Ipſe autem uobiſcum uiri egregii omne ſubibo uitæ diſcrimen, promptiſſimamque in pugna præſtabo operam,ut deuictis immaniſſimis,ac truculentiſſimis barbaris,patriam,coniuges,parentes,liberoſque noſtros ab eorum faucibus eripiamus: uos quoque per Deum immortalem enitimini, ut pulſus,profligatuſque Hunnus armis ueſtris cadat, barbariemque iſtam in perpetuum delete,ac iniurias ulciſcimini,quibus in demoliendis tot oppidis tractu illo littorali Venetum nomen crudeliſſime affecit. Præſto eſt enim acerba memoria,nec ſine lachrymis referre poſſum, quonam modo ſeuiſſimus hoſtis in Italiam ab extremis oris irrumpens,ferro,ignique omnia deuaſtauit,armiſque in fines noſtros conuerſis, littoralia illa oppida a dextra,læuaque demolitus ſit, ac demum infreni, hoſtilique animo in Riualtum tranſcendere lintribus, lembisque audet,noſque patriis ſedibus tentat depellere,libertatemque, & animam ſimul eripere. Itaque expergeſcimini commilitones fortiſſimi,meque Ducem ſequuti, uicinum iam hoſtem intrepide inuadite,ueſtriſque hodie proponite animis, quod & ipſe ſtatui,uel uincere,uel mori. His Principis adhortationibus Veneti accenſi, directis repente circa Albiolam in hoſtes proris, pugnam ferociter ineunt, parique audacia Hunnus occurrens, prælium capeſcit,miſſilibuſque primum res geri cœpta, tela autem ab hoſte emiſſa haud nimis nocebant,quum ex lintrium commotione incerti,inualidique ictus redderentur: contrà Veneti notitia locorum periti,ac naualibus bellis aſſueti,ueluti ſtataria pugna barbarum eminus,repetitis uulneribus ualde affligebant

Pet. Tribunus. Dux XVI. anno Do. 888.

Hunni.

Tribunis Ducis oratio.

Albiola.

No. pugnā

bant

bant, ac a fronte, & a latere incurſantes cum expeditiſsimis cymbis propius hoſtem collato pede inuadunt, uirtuteque, & peritia naualis diſciplinæ Venetus ſuperior Hunnum multitudine, ac feritate diu impigre reſiſtentem, tandem armis, ferroque oppreſſum profligauit: inclytaque Veneti uictoria ſunt potiti, ſub Tribuni fortiſsimi Principis auſpiciis, qui tertio, & uiceſimo regiminis ſui anno cum maxima nominis gloria tanto patriæ triumpho parto uita deceſsit. In eius autem locum Vrſus Baduarius ſuffectus eſt, Venetaque res eius principatu, qui annum undeuiceſimum habuit, longa pace floruit: miſitque Petrum filium ad Græciæ Imperatorem Byzantiũ, a quo prothoſpatarius factus, dignitatem, muneraque accepit, iuuenem poſtea in patriam redeuntem in Illyrico a quodam Regulo interceptum fuiſſe aiũt. unde is clam fuga elapſus, Venetias incolumis poſt modum rediit. Pater autem mira pietate, & innocentia Princeps ſponte ſe Magiſtratu abdicauit, monaſticamque ſequutus uitam, in Diui Felicis cœnobio, apud Amianum ſenio confectus, diem ſuum obiit. Poſt Vrſum Petrus Candianus ad Ducatum euehitur. Hiſtrique audax facinus aggreſsi, inſtructis nauibus, tacite urbem ea parte, quę Caſtellum dicitur, ingreſsi, ex æde Diui Petri aliquot uirgines, quarum ſponſalia de more tum ibi celebrabantur, cum dotali, nuptialique apparatu, ui, & armis repente omnia miſcentes, abduxere. Quo caſu conſternata ciuitate Candianus Princeps tumultuaria manu celeriter contracta, continuo ad demendum publicum ciuitatis dedecus, uindicandamque iniuriam, in eos mouit, in Caprulaniſque paludibus inuentos, impetu repente facto ad unum trucidãt cadaueraque in medios fluctus ad explendam iram proiecta ſunt. Venetiaſque eodem temporis momento Candianus reuerſus cum recepta præda, in gentem attulit ciuitati lætitiam, atque ut huius uictoriæ memoria perpetua temporum ſucceſsione extaret, ludi annui inſtituti, qui Mariarum ſunt nũcupati. Duodecim enim Virgines auro, & gemmis, ac miro ornatu excultæ, quotannis ſtatis diebus ſolenni pompa tota urbe frequentiſsimoq; cymbarum apparatu circumuehebantur; ſalutatoque Principe, priuatas deinde affinium domos inuiſebant, maximo omnium concurſu, qui ad ſpectandum pompam paſsim confluebant. reuerſæque poſtea ad hoſpitium, ubi lautiſsimum conuiuium paratum erat, ſimul omnes diſcumbentes, ſumma feſtiuitate exultabantur. Diuque hæc conſuetudo, ludorumque celebratio apud noſtros permãſit; quæ poſtea Lyguſtico bello ciuitate maioribus curis in recipienda Clodia occupata, prorſus exoleuit. Per hæc quoque tempora in Comaclenſes arma ſumpta, ob direpta Venetorum ciuium bona: & quum repetitæ res minimè redderentur, Comaclum Venetus adortus expugnauit, rebuſque receptis, oppidani imperata facere coacti ſunt. Iuſtinopolis pariter bello petita, tributum Reip. pendere, quod prius inſolenter recuſaret, compellitur. ſeptennioque Candianus in Reip. adminiſtratione uixit, decedenſque magnum deſiderium ſui reliquit. ei Petrus Baduarius ſucceſſor datus. fuit hic Vrſi Filius, duoſque tantum annos Principatum tenuit, nihilque ob temporis breuitatem ab eo dignum memoria geſtum reperio. Candianus poſt hunc Princeps declaratur: cuius ob uitam iuuenili ætate probro inquinatam, infame nomen in ciuitate prius erat: ſed mutata poſtea annorum acceſsione natura, quum antiquos exuiſſet mores, magno populi fauore Ducalem dignitatem adipiſcitur. Infeſtabant interim Narentani Adriaticum dextra, læuaque mare latrociniis, ita ſanè, ut nauigatio nulli hominum tuta uſquam eſſet; aſsiduumque impendebat omnibus mare ingredientibus non fortunarum ſolùm ſuarum, ſed uitæ etiam diſcrimen. Tum pudor, iraque omnium animos ad uindictam in ſæuiſsimos prædones ſtimulare, indignitatem tantam omnes execrari, quòd paucisſimi latrunculi maria proxima obſiderent, in Venetæ gentis contumeliam, quæ tot clariſsimas uictorias ad eam diem maritimis præliis eſſet aſſequuta. quid iam expectari, niſi ut hi facto ex alto impetu in Venetum portum, mediamque urbem irrumpant: paſsimque miſerorum ciuium cædem, direptionemq; impune agant? His querelis, accenſis omnium animis, confeſtim claſſis triginta trium longarum nauium inſtruitur: quibus Vrſus Baduarius, & Petrus Roſolus cum Imperio præficiuntur. Ad famam autem Narentani huius nouæ claſsis territi, non ſolum incurſionibus maria infeſtare amplius ſunt auſi, ſed per legatos

Vrſus Baduarius. D.17. anno D.909

Pet. Candianus. D.18. anno D.920

Nota Hiſtros excifos, & receptam prædam.

Ludi Mariarum.

Comaclũ

Iuſtinopolis.

Pet. Baduarius. D.19. an. no. D.939

Candianus. D.20 anno Domini 941.

Not. Ciuitatis indignationẽ.

Vrſ. Baduarius. Pet. Roſolus.

etiam pacem ſuppliciter petiere: quam Venetus his conditionibus dedit, ut tributi nomine ingentem pecuniarum ſummam per aliquot annos, quos authores non ponunt, Reip. penderent. Sunt etiam, qui dicant, claſſem infecta re ex Illyrico Venetias reductam, hoſtemque illæſum dimiſſum. Princeps Candianus interim ex tribus filiis Petrum nomine ſibi collegam in adminiſtranda Rep. cooptauit: is autem non multo pôſt ſumma inſolentia, patris uiri optimi conſilia aſpernatus, res nouas moliri cœpit, parumque abfuit, quin eius cauſa media urbe ſit inter ciues dimicatum. nam ferox iuuenis in armis nocte, dieque furens, nefarias ad perturbandum quietum Reip. ſtatum ſeditiones alebat. Quare commota ciuitas abrogata ſtatim dignitate, perpetuo eum exilio damnauit. Sunt, qui tradant, illum ultimi ſupplicii reum in publica cócione a populo factum: ſed patre deprecante, capitis damnationem in exilii pœnam commutatam: exulque ipſe ſtatim ad Guidonem Berengarii Imperatoris filium Rauennam ſe contulit, indignatusque quòd indicta cauſa a patria fuiſſet eiectus, in eam hoſtiliter, ueluti alter Coriolanus, arma conuertit, Venetoque nomini infenſus, cum ſex nauibus ad bellum inſtructis, patriæ fines inuadere auſus eſt: multaque circa Rauennæ, ac Clodiæ littora ferox iuuenis Venetis damna intulit: qua filii immanitate ita pater uir optimus, affectus fuiſſe dicitur, ut præ nimio mœrore intra paucos dies expirarit, quum annos undecim Reip. præfuiſſet. Sed ciuitas, quem merito odiſſe debuerat, ob intentata in patriam maleficia, & hoſtilem animum, eum ſubito mutata uoluntate ad ſupremæ dignitatis faſtigium euexit: nam confeſtim, ut ſunt læuia ſemper uulgi ſtudia, Petrus Candianus, qui paulò ante patriæ hoſtis fuit acerrimus, publico decreto ab exilio reuocatus, Princeps ſummo omnium fauore inde mortui patris locum ſufficitur. ſed & ſuæ inſtabilitatis ciuitas, & tyrannicæ adminiſtrationis Candianus meritas pœnas luerunt. feruntque, officii gratia Rauennam uſque paulominus, quàm trecentas cymbas obuiam progreſſas illum excepiſſe. Qui initio rem Venetam prudenter, & iuſte adminiſtrauit, moderationiſque, ac benignitatis non obſcure ſpecimen dabat: poſtea in omnem nequitiam prolapſus, pro libidine animi cuncta agebat, primumque cum Ioanna coniuge matrona optima diuortium fecit, ex qua Vitalem filium ſuſceperat. ea autem domo eiecta, & in Zachariæ monaſterium ablegata, Vualdertam, Berengarii Imperatoris neptem, ex Guidone filio duxit uxorem, a qua prædia, mancipia, & quædam etiam oppida dotis nomine accepit. Iis autem fortunis, regiaque affinitate elatus, manifeſtam tyrannidem cœpit in libera ciuitate exercere; ſuperba alloquia, moroſæ aures, difficiles aditus erant: parato præterea exercitu, inconſulto Senatu, in Opiterginos mouit, a quibus prædia non pauca ad uxoris dotem ſpectantia armis repetebat. Ferrarienſium quoque fines eodem nomine uexari ab eo traduntur, cum magna rerum perturbatione, & Veneti nominis indignitate. Poſtremo Venetias reuerſus, Ducarium ualido armatorum firmat præſidio: nam ſcelerum ſuorum conſcius, populum uindicem formidabat: qui tandem libertatis ſuæ memor, arreptis repente armis, in eum ueluti impium tyrannum impetum fecit. & quum diu necquicquam ob firmum præſidium tentato aditu in Ducarium irrumpere non potuiſſet, ſecundo uentorum flatu furibunda plebs in propinquas palatio ædes faces iniecit: quibus conflagrantibus, non ſolum Ducarium, ſed etiam Diui Marci templum impellente uento incendium paruo temporis momento contraxit. Candianus autem Princeps quum undique & ferro, & flammis ſe cinctum uideret, ac multitudinem iratam, minitabundamque obſtrepere, nullaque prorſus effugii ſpes ſibi reliqua eſſet; tum in preces uerſus, orare cœpit, ne in ſe Ducem ſuum crudeles manus iniicerent, nollentque indicta cauſa inſontem opprimere, patriſque ſui Principis optimi recordarentur, cuius moderatum, iuſtumque fuit Imperium, & Rempublicam, ſapientiſſima rexerat: complexus poſtremò paruum filium populo oſtentans, ut ei ſaltem ignoſceret, qui nihil per ætatem mali fecerat, populum orabat. At irritæ fuerunt preces, in tanto flammarum, armorumque ſtrepitu, factoque repente impetu pater, & filiolus a furenti multitudine, quæ (ut aiunt) aut humiliter ſeruit, aut ſuperbè dominatur, ſtatim iugulati ſunt; & quod crudelius eſt, ad Macellum amborum corpora proiecta: ea poſtmodum è publico ſublata, in Diui Hilarii æde tumulo

Petri Candiani exilium.

Pet. Candianus. D 21. anno. D. 90. ;2.

Not. Ducis Imperioſitatē.

Not. populi furorem.

Not. Principis, & filii credere.

lo conduntur. Trecentæque, & amplius ædes, præter Ducarium, & Templum eo incẽ
dio conflagrarunt. Poſt Candiani Principis cædem, ad nouum Ducem creandum ci-
uitas erecta, incredibili omnium conſenſu Petrum Vrſeolum uirum pietate, & inno- Pet. Vaſeo
centia clarum in Oliuolenſi æde principem creauit. Iſque in priuata domo Ducalem lus. D. 22.
ſedem tantiſper tenuit, quoad Ducarium, quod incendio collapſum erat, inſtaurare- anno, D.
tur, ab pio itaque opere publicam adminiſtrationem auſpicatus, & ædem, & Palatiũ 900.77.
magnificentiſſimo apparatu propriis ſumptibus reparauit: tabulam ad hæc ex gem-
mis, auroque Byzantii mira arte conflatam, ſolenni ad aram maximam dedicatione
ſtatuit. Sarraceni hoc tempore Italiam terra, marique ingreſſi, Capuam, Barium-
que in Appulia obſedere: inopiaque rei frumentariæ utranque ciuitatem in ultimũ
diſcrimen adductas occupaſſent, niſi Vrſeoli principis Ductu Veneta claſſis opportu
ne commeatu iuuiſſet: poſtmodum barbaros maritimo prælio Vrſeolus aggreſſus, Sarraceni
fuſos, fugatosque deuicit. Partaque domi, foriſque ingenti gloria, Remp. ſingulari ſa uicti.
pientia regebat, quum Princeps optimus omnia ad communem utilitatem, ciuium-
que commoda referret. Interim unico ex Felicia coniuge filio ſuſcepto, uterque dein
ceps perpetuam Deo uouit caſtitatem, incorruptoque, calcatis rebus humanis, ani-
mo, cæleſtium bonorum ſolum contemplatione gaudebat, omnem poſtea curam ad-
hibuit Princeps optimus, ut in meliorem Remp. ſtatum, Candiani cæde turbatam
redigeret. Nec defuere illi aſſiduæ ſeditioſorum ciuium moleſtiæ, importunique co-
natus, quos mira tamen patientia Princeps optimus ſuſtinuit. ab humanis poſtea, &
terrenis rebus ad cœleſtia pie oculis conuerſis, dignitatis faſtigia, fortunæque fuca-
cata blandimenta deſpicere cœpit, piaque amplexus opera, pauperum inopiam in-
credibili charitatis ſtudio ſubleuabat; Clerum, Religionemque omni fauore, & cul- Not. Prin
tu proſequi, uiduarum, pupillorum, ægrotantium curam habere; necquicquam o- cipis ſan:
mittere, quod ad pietatis, charitatiſque munus ſpectare poſſet. Condidit ad hæc e re ctimoniã
gione fori (quod hodie quoque extat) pium diuerſorium ad egeſtate depreſſos alen
dos, conſtituto his perpetuò ad uictum cenſu. Verùm Guerrini cuiuſdam optimi, ac
religioſi uiri ſuaſus, quem peregre profectum, Venetiiſque appulſum Vrſeolus hoſpi
cio ſuſceperat, Principatum deponere, rerumque humanarum curam abiicere indu-
ctus eſt, noctuque ignoto habitu poſitis ſummi magiſtratus inſignibus cum eo in Aqui
taniam abiit; ubi procedente tempore ita diuinarum rerum ſtudio profecit, ita reli-
gioſe, pieque uixit, ut poſt obitum multis claruiſſe miraculis dicatur, Secundo itaque
ab eius creationis anno, ſummo, ac optimo Principe ciuitas priuata non uulgari mœ-
rore affecta eſt: uerùm ad alterum Ducem creandum ſtatim populus recurrens, Vi-
talem Candianum in deſiderati Principis locum magno cõſenſu ſubſtituit. Miſſique Vit. Can-
ſunt in Germaniam ad Othonem Imperatorem Legati, qui Candiani cædem iniquiſ dianus
ſime tulerat, placatoque Othonis animo fœdus cum eo publico nomine renouarunt. Dux 23.
Interim menſibus circiter ſexdecim eius Ducatus exactis, quum in grauem morbum anno Do
Vitalis incidiſſet. magiſtratu ſe abdicauit, in monaſticamque e Principatu uitam de- mini 978
lapſus, apud Diui Hilarii cœnobiũ reliquum ætatis ſuæ peregit, ibique tandem ex hu
manis decedens honorifice ſepultus eſt. Huic Tribunus Memmus Dux a populo ſur- Trib. Mẽ
rogatur. factionesque inter patritios eo tempore grauiſſimæ ortæ, quietum ciuitatis mus Dux
ſtatum non mediocriter turbauere. nam Mauroceni, Caloprinique familiæ nobiliſ 24. anno
ſimæ inimico, prauoque inter ſe animo furentes ad arma proruperant: ſæpenumero- D. 979.
que media in urbe cædes commiſſæ. At Caloprini aduerſarios potentes nacti, ad O-
thonem Romanorum Imperatorem (qui tum Veronæ erat) transfugiunt. Quo de-
functo Adlethæ Imperatricis, aliorumque Principum fauore Caloprini in patriam
reſtituũtur. Verum non multò poſt, quatuor ex Maurocena familia uiri in ultionem
cædis aliàs in Gentilem ſuum perpetratæ, treis Caloprinos fratres ex Ducario ſe do-
mum parua cymba recipientes adorti interficiunt: iterumque ſeditionis fomes, qui
ſopitus eſſe uidebatur, noua cæde ſuſcitatus exarſit: resque ad arma ſpectabat: ſed
Principis, primorumque authoritate accenſi utriuſque factionis animi placati ſunt.
Sub id etiam tẽpus Diui Georgii ædes è regione fori ſub Benedicti dogmate inſtitu-
ta erigitur. Quæ hodie cum ampliſſimo cœnobio inter reliqua urbis ædificia excellẽ

ti operis ſtructura ſummum locum obtinet. Mauritiusque, principis filius, ad Baſilium Græciæ Imperatorem in Thraciam miſſus eximiis honorum inſignibus ab eo in patris gratiam ornatus eſt: quattuordecim poſtea annorum curſu expleto in ſummo dignitatis faſtigio, in grauem morbum incidit, ciuiliumque diſcordiarum curis anxius, & iam quietioris uitæ cupidus principatu ſe abdicauit, monaſticoque ſumpto habitu intra paucos dies uita functus eſt. ſuffecitque illi Senatus, populusque unanimi conſenſu Petrum Vrſeolum huius nominis ſecundum. feruntque Principatum diuino quodam Numinis afflatu a parte uiro ſanctiſſimo illi longe prius uaticinatum, proſperaque eundem Reip. fœlici augurio prædixiſſe: quod ita ſane euenit. Nam huius adminiſtratione res Veneta domi, foriſque mirum in modum aucta eſt. Primum omniũ Baſilius, & Alexius, qui per id tempus unà in Græcia imperabant, publico edicto ſtatuere, ut toto eorum Imperio Venetis negociari liceret. Præterea ad Aegypti, Syriæque Reges legati miſſi cum muneribus, ad iungendam cum eis ſocietatem. Italię quoque Principes fœderibus in Venetam amicitiam ſunt allecti. poſtremò Narentanis terra, marique Illyricum, Dalmatiam, Hiſtriamque armis infeſtantibus, cuncti ferè prouinciarum illarum populi, ne a præpotenti hoſte domiti eius imperio ſubiicerentur, ad Venetorum opes confugere: miſſisque Legatis deditionem fecerunt, ſe, ſuaq; omnia liberè tradentes, quibus pollicitis ciuitas in ſpem maximam propagandi Imperii erecta, continuo ualidiſſimam claſſem decernit, ut Narentanorum armis repulſis, Dalmatas, Hiſtroſque in fidem reciperet. Sed antequàm ad rẽ geſtam ueniamus; pauca de ipſarum prouinciarum ſitu ſunt a nobis explicanda. Eſt Dalmatia quæ & Illyricum nunc appellatur, omnis illa littoralis ora, quæ a leua ad mare Adriaticũ ſpectat, eiusque longitudo a Pola Hiſtriæ ciuitate per quadraginta paſſuum millia uſq; ad Catarum urbem Epyrho confinem pertingit, infraque anguſtos pelagi meatus plures inſulæ paſſim ad Illyrici, Lyburniæque fines ſpectantes haud ignobiles extãt. Montana uerò Dalmatiæ hæc ætas Croatiam appellat, cui contermini ſunt & Sclaui & Boſſinenſſes, qui olim Illyrii, Tauriſci, & Tryballi uocabantur, gens ferox, & belli coſa: poſt eos uero a Drynone fluuio uſque Epidamnium, quod eſt Dyrrachium, Epyrhotæ hodie Albani: ſed Dalmatiæ incolæ Dardani, & Taulantii olim fuere: nam Dalmatia habet ab Oriente Macedoniam, ab Aquilone Dardaniam, a Septentrione Myſſiam, ab Occaſu Hiſtriam, & Adriaticum ſinum a Meridie. ad ſuperum uero mare Veneta in ora poſita eſt Hiſtria, extrema Italiæ regio, ac in peninſulæ formam excurrit. Ab Iſtroque amne effluente è Danubio in Adriaticum mare quidam Hiſtriam cognominatam tradidere. latitudoque, & circuitus eius incerto, uarioque paſſuum numero deſcribitur. Quibuſdam ad Fanaticum uſque fines eius extendentibus per centum & uiginti paſſuum millia: nonnullis per centum quinquaginta uſq; in Lyburniam, Arſiaque, & Formio fluuii labuntur: at inter Venetiam, & Hiſtriam interiecta eſt Iapygia: quæ regio nunc ubi ſit, ex uetuſtate temporis, rerum, locorum, nominum mutatione facta, obſcura, incertaque habetur: licet Iapygiam quidam partem Appuliæ appellent. Parata igitur claſſe, terreſtribusque copiis in naues impoſitis, cũ Vrſeolus in Oliuolenſi fano ſacris peractis publica ſigna Antiſtitis manu ſolẽniter accepiſſet, in prouinciam mouit, proſpereque emenſo pelagi ſpacio, quod ad Hiſtriæ littora protenditur, primo Gradum applicuit, atque hìc Vitalis oppidi antiſtes cum toto Clero, & magna populi multitudine obuiam effuſa, ob aduẽtũ eius gratulatus eſt, conuerſuſque ad Principem. Quod fœlix, fauſtumque ſit tibi, inquit, Vrſeole, Venetoque nomini, accipe Diui Hermacoræ, Fortunatique fœlici omine uexillum: hoc inter reliqua patriæ ſigna, fac tui milites ſequantur: ſub horum Diuorum tutela acriter dimicent, intrepidèque hoſtem feriant. ſpero fore, ut in hac nauali militia tutelares in huiuſmodi uexillo Deos non minus, quàm tuæ claſſis apparatus ad uictoriam conſequendam profuturos ſenties. Deo enim auſpice, magis quàm uirtute omnia proſpere fiunt. Accipio tuum iſtud, Vrſeolus facie hilari ait, optime Antiſtes omen. Tuque nobis (ut facis) quæſo, proſperam nauigationem, ſecundoſque ſucceſſus pie precare, ut nauali hoc Imperio fœliciter adminiſtrato, uoti compotes reddamur. Cumque his digreſſus, in proximam prouinciam primùm tranſmiſit, ad Parentiumque

Dalmatiæ, & Hiſtriæ Deſcriptio.

Iapygia.

tiumque cum claſſe itum,ubi confeſtim ciuitatis Antiſtite obuiam facto,belliquе iniuriam depreca nte,poſitis armis oppidani in Venetorum fidem conceſſere, impoſitoque præſidio claſſis ex Parentio deducta, ad Polam propinquo acceſſu admota eſt. Sub ipſum autem ferè appulſum ciuitas deditionem fecit: Princepsque militibus ſextus urbem ingreditur,Bercaldumque Antiſtitem comiter appellatum, qui urbis dedendæ author fuit,magnis muneribus donauit. Eſt autem Pola nobiliſſimum totius Hiſtriæ oppidum,uetuſtateque inſigne:quippe quod a Colchis conditum fuiſſe tradunt. Amphyteatrumque extra mœnia antiquo ſtructuræ opere ſpecioſum, ſuperbũque uiſitur.

Pola.

Polenſem deditionem ſequuta cuncta Hiſtriç oppida Venetis ſponte ſubiiciũtur, Tergeſtum,Iuſtinopolis,Pyranum,Iſola,Mugla,Emonia, Rubignum, Humagum,& in Mediterraneis,Pinguentum,Montona,Raſpum,Budeæ, Portulæ, Griſignans,Dignanum,Mocho, Vallis,Albona,Flannona, Sanlaurentius: Ex quibus locis legati Polam ad Vrſeolum accedentes imperata facere polliciti ſunt: atque hìc per aliquot dies Princeps in audiendis populorum legationibus moram traxit; poſtea conſcriptis è tota prouincia militibus, ſupplementoque Remigum in naues accepto,in Dalmatiam cum tota claſſe curſum direxit, Iaderamque prima uelificatione itum,metropolim, & emporium totius prouinciæ,qua cum Veneto Senatu iampridem ueteri ſocietate iuncta,facile ad Imperium retracta eſt, totusque populus ingenti plauſu,& lætitia obuiam effuſus uenientem Venetum excepit, dominum, liberatoremque ſuum Principem ſalutat.

Nota Hiſtriç oppida.

& Iadrenſium deditione per uniuerſam oram uulgata,Salonenſes, Seuenſes, Spalatrenſes, Tragurini, Enonenſes, Belgradenſes, Almiſſani, Raguſini, & cum his Inſulani omnes, Corriſtani, Pagenſes, Oſſerenſes, Cherſani, Hyſſenſes, Braccenſes, populique alii per legatos pacem orantes, Venetis ſubduntur,præter Curzulanos,& Leſinenſes; qui imperium recuſantes, armis rẽgerere auſi ſunt: Sed Veneti utrunque oppidum ſubita oppugnatione terra, marique inuadunt,Curzulaque facile expugnata capitur: Leſina autem, quæ & Pharus dicitur,pertinaciter defenſa,Veneta arma diu ſuſtinuit.

Nota Dalmatiæ populos.

Curzula. Pharus.

Vrbs enim natura, & opera muniтiſſima haud tam cito capi potuit: primum autem tentati ſunt Oppidanorum animi,ut aliorum deditionem ſequuti,in Venetam & ipſi fidem ultro concederent, nec uim experiri uellent,quum irritatis ſemel animis,nullus poſtea a Veneto foret impetrandæ ueniæ locus. Sed Leſinenſes munitione confiſi, & ſuapte natura feroces, ad tuendum oppidum communes uires intendunt. quod Veneti conſpicati, claſſe ſtatim admota,mercenarioque milite in terram expoſito oppidum circundant;datoque pugnę ſigno prælium ingenti animo capeſſunt: Leſinenſes contrà ferociter ſe ſe ex ſuperiori loco miſſilibus, omnique telorum genere tuentur,in arcendoque a mœnibus hoſte ſedula nauata opera fortiter repugnant. Verùm ea telorum uis a Venetis terra,marique in propugnatores emiſſa eſt, ut ceu denſiſſima miſſilium nube operti,præſidio,qui intus erant, decedere coacti ſint,tum nudatos muros ſocii nauales, & ſelecta militum cohors,adhortante Principe,ferociter aggrediuntur;ſcaliſque pluribus locis admotis,per aliquot horas pugnari impigre utrinque cœptum. tandem feſſi oppidani arce,turribus,mœnibuſque relictis, Veneto irrumpendi in urbem liberum aditum præbuere; ſupplicesque, abiectis armis,ueniam implorant, quam facile a mitiſſimo principe impetratũt,paucis in prima irruptione obtrũcatis.ita Leſina capta dicitur.

Leſina capta.

Mox Veneti Narẽtanorũ fines ingreſſi,omnia igni, ferroq; deuaſtãt, Eorumque captis arcibus,& caſtellis, poſt centum ſeptuaginta circiter annos, quibus Veneti,Narentaniqne de maris poſſeſſione uario euentu, cruentoque ſæpe inter ſe Marte concertauerant,Venetis tandem perpetui, infenſiſſimique hoſtes idomiti ceſſere,uictrixque claſſis in patriam reducta, clariſſimum intulit triumphum; exceptusque eſt Vrſeolus a gratulabunda ciuitate maximis honoribus, quum is Veneti Imperii fines primus propagarit,omni maritima Hiſtriæ, Lyburniæ, Dalmatiæque ora cum adiacentibus inſulis in Venetorum ditionem redacta,frenoque infenſiſſimo hoſti Narentano iniecto.unde quod bonum,fœlixque ei,ac Veneto nomini eſſet, decretum eſt,ut non Venetiarum modò,in publicis litteris,& tabellis, ſed & Dalmatiæ Dux ipſe,ac deinceps reliqui Principes in poſterum inſcriberentur. Miſſique ſunt ſta-

Nouus Princip. titulus.

tim a Senatu in ſingulas nouæ prouinciæ urbes annui magiſtratus. Ferunt. N. Mapheum Iuſtinianum Iaderæ prætorem datum, Raguſio Othonem Vrſum, Spalatro Othonis filium, Tragurio Dominicum Pollanum, Sibinicho Ioannem Cornelium, Belgrado Vitalem Michaelem, aliiſque oppidis alios præfuiſſe, quorum nomina, uetuſtas, tempuſque aboleuit. Poſt hæc quum Vrſeolus Princeps ob res bello præclare geſtas apud Italos, exteroſque Principes in ſumma nominis eſſet celebritate, Otho Imperator filium eius adhuc teneræ ætatis ad ſe Veronam per litteras accerſiuit: cupiebat enim aliquo amicitiæ, charitatiſque uinculo Vrſeolum ſibi beneuole adiungere. Miſſuſque ſtatim puer honeſto comitatu Veronam, chriſmatis ſacro fonti ab Othone Imperatore in patris gratiam admotus eſt, atque Otho Cæſaris nomine appellatus, quum prius Petrus uocaretur. Multaque inſuper priuilegia, amplaſque immunitates ac mercati, nundinarumque celebrandarum iura Imperator Venetis conceſſit: de finibus quoque Heraclianis ad Elauem uſque fluuium olim promotis, a Ioanne Diacono Principis oratore cum eo actum, facileque impetratum, confirmatumque, ut ex antiqui fœderis formula immoti fines Veneto nomini perpetuo manerent. Imperator autem Otho poſtea Romam ſoluendi uoti gratia profectus, Vrſeolum per litteras admonuit, non multò pòſt ſe Venetias acceſſurum. adueniensque mox ipſe ad urbem ignoto habitu in remotum Diui Seruuli monaſterium parato hoſpicio ſe cōtulit, ibique cum Vrſeolo Duce Cęſar familiariter congreſſus eſt, mutuaque gratulatione ambo uſi, dexteras, complexuſque inuicem iunxere. Votiſq; poſtea Otho rite ſolutis in Germaniam abiit. Mox publico decreto ſancitum, ut Vrſeolus Ioannem filium ſibi in Rep. adminiſtranda collegam cooptaret. Sed quia res humanæ uariæ, inſtabileſque ſunt, infinitiſque ſubiectæ caſibus, ita ſane accidit, ut antequam Princeps alioqui fœliciſſimus, uita decederet, præter famem, & peſtilentiam, duo extrema mala, quibus ciuitas conflictata eſt; filii quoque, & nurus continuata prope funera uidit: & quum annos duos de uiginti in Ducatu uixiſſet, ſuumque prope inſtare extremum uitæ diē præſago quodam animo cerneret, teſtamentum condidit, in quo bona ſua trifariam partitus eſt, partem unam liberis diſtribuit, alteram in pauperum alimoniam, diuinarumque rerum cultum impendit; tertiam in ſpectaculis edendis, publicoque congiario impartiendo, dum adhuc in humanis eſſet, elargitus eſt. interiectiſque pòſtea paucis diebus Princeps optimus moritur, habuitque ſucceſſorem magno populi fauore ad Ducalem dignitatem loco ſuo elatum Othonem filium: qui alta indole iuuenis auo, patreque Principibus optimis dignus uere fuit, ac Remp. ſingulari uirtute, quemadmodum de eo totius ciuitatis erat expectatio, adminiſtrare cœpit. Eius autem fama impulſus Getis, Pannoniæ Rex, filiam illi matrimonio locandam curauit. regiaque affinitate Otho conſpectior factus, Veneti principatus dignitatem auguſtiorem reddidit. In Adrienſemque populum fines Venetos infeſtantem primùm arma ſunt mota, quem circa Lauretum inter Atheſis, & Padi oſtia magno prælio Princeps deuicit: Impoſitiſque legibus pax petenti data eſt, ac per id tempus Mourcymirus Croaciæ Regulus, quem Hereſimum alii appellant, Iadrenſium fines crebris excurſionibus infeſtabat: aliæ quoque Dalmatiæ urbes Croatianis armis uexabantur. Otho autem ad ulciſcendam ſuorum iniuriam excitus, in Barbarum mouit, quem acie congredi auſum prima ſtatim impreſſione Venetus fudit. Ab hac proſpera pugna quum hoſtis in intima Croatiæ loca profligatus ſe recepiſſet, Otho è pacata Prouincia Venetias rediturus, omnem maritimam Dalmatiæ, Lyburniæ, & Hiſtriæ oram, quæ partis ductu in Venetorum fidem conceſſerat, ad confirmandos populorum animos inuiſere ſtatuit. Claſſe igitur circumuectus ſingulas ciuitates, & conuentus adiit, omneſque comiter appellatos, ad fidem, obſequiumque Venetis inuiolabiliter præſtādum cohortatus eſt. Mox uero optimum Principem ex Illyrico reuerſum nefaria coniuratio, Dominico Flambānico authore, indigniſſime oppreſſit, in Græciāque anno quinto, ex quo Remp. fortiſſimus Princeps adminiſtraret, relegatur, Othoneq; in exilium iniuſte acto, Petrus Centranicus ſummæ dignitati præficitur, ſtatimque in initio Principatus enixe ſtuduit, ciuitatem atroci coniuratione, exilioque optimi Ducis conſternatam, ad priſtinum concordiæ ſtatum reuocare: ſed ob implacabiles factioſorum ciuium

Pretores dilecti.

Otho Ir. Venetias accedit.

Otho Vrſeolus Dux 26 anno D. 1006.

Getis.

Murcymirus.

Principis Opt. Exilium

Pet. Centranicus Dux. 27 anno. D. 1024

tuum iras nil actum eſt. Interim Pepo, Aquileienſis antiſtes, ad Gradum occupãdum animum adiecit, improuiſoq́ue oppidum aggreſſus in ſuam redegit poteſtatem. Sed non diu ea uictoria Pepo lætatus eſt: nam Venetis armis intra paucos dies oppido eiicitur, Vrſusq́ue præſes in Gradenſem reſtituitur Eccleſiam, quam Pontifex antea frequentiſſimo conuentu Romæ habito totius Venetiæ metropolim eſſe adiudicaret. Illud uero conſtat, Corradum Romanorum Imperatorem Veneto nomini per id tempus Peponis cauſa uehementer iratum fuiſſe, ad inferendaq́ue Venetis arma interdum cogitaſſe: ſed maioribus Cęſaris curis bellum intermiſſum. Hic erat tum Reip. ſtatus, quum Centranicus, a quo iam quartum annum res Veneta prudenter adminiſtrata fuerat, Vrſi Patriarchæ Gradenſis (ut fertur) opera, a ſeditioſo, tumultuanteq́; populo captus, atque abraſa prius in contumeliam, barba, monaſticoque inſuper indumento addito, in exilium actus eſt:

Centranici P. exiliũ

quo eiecto, populi iuſſu Remp. Vrſus capeſcere cogitur, ac tantiſper Ducariam poteſtatem gerere, donec Otho eius frater, cui principatus iterum demandabatur, è Græcia ab exilio reuocatus, Venetias rediiſſet; miſſisque legatis ad eum in patriam reducendum, cognitum eſt aliquanto antea Othonem ex humanis deceſſiſſe, quaſi diuinitus factum eſſet, ne ingrata ciuitas tanti uiri præſentia frueretur, quem optimi Principis filium, atque eundem de Rep. bene meritum paucorum temeritate in exilium agi paſſa eſſet.

Vrſus antiſtes pro princeps.

At Vrſus, qui proPrinceps iam per annũ Reip. præfuerat, audita fratris morte, ſe ultro publica adminiſtratione ſtatim abdicauit: Quo abeunte Dominicus Vrſeolus temerè Ducatum inuaſit. cæterùm populus minitabundus arreptis armis in eum impetum facere parabat: manifeſtumque uitæ diſcrimen Vrſeolus omnino adiiſſet, niſi celeri, occultoque effugio in tutum abiiſſet; unaque tantum luce principatu geſto, alteraque depoſito, in exilium ſponte Rauennam profectus eſt, ubi non multò pòſt mœrore animi confectus, diem obiit.

Dom. Vrſeolus Dux. 28.

Deinde Dominico Flabannico Principatus a populo traditur, qui, ut ſuprà memorauimus, Othonis Vrſeoli ſummi Principis in exilium eiiciẽdi author fuerat. Quapropter Vrſo eius fratre, Gradenſi antiſtite, interducis nomine Remp. tenente, Flabannicus hoſtis patriæ iudicatus, vrbe exceſſerat, ipſe tamen poſt Vrſi abdicationem, in patriam reſtitutus, ad principatumque euectus, ut exilii ſui iniuriam ulciſceretur, continuo ad populum tulit, ut familia Vrſeola tanquam ciuitatis ocio infeſta ex vrbe perpetuo eiiceretur:

Dom. Flabanicus Dux. 29. an. D. 1034.

quod ipſum ſtulta, & ingrata multitudo impio ſanxit decreto, ueteraque eius gentis merita non ſolum oblita, ſed ignominia, ingratitudineque notata, Deos, homineſque læſere; ita illuſtris, ad eam diem Vrſeola familia, & quæ ſummis in Rep. Principibus, clariſque floruit Senatoribus, immani plæbiſcito eò uſque depreſſa eſt, ut ad priſtinum fortunæ ſplendorem nunquam amplius emerſerit:

Not. ingratitudinem in Vrſeolã familiam.

eodemque Flabannico authore ſtatutum, ut mos ille collegæ in principatu cooptandi prorſus antiquaretur, decennioque hic Remp. regens, ex humanis fatali neceſſitate abreptus eſt; in eius autem locum Dominico Contareno ſurrogato, Iadera, prætore Vrſo Iuſtiniano vrbe eiecto, ad Croatiorum Regulum defecit, uel (ut alii ſcribunt) ad Pannonas.

Dom. Cõtarenus Dux. 30. anno D. 1044

Sed utcunque ſit, ciuitas confeſtim ingentem claſſem ad eam recipiendam decernit: Contarenuſque Princeps in expeditionem profectus, maritima arma Dalmatiæ infert, Iaderamque ſtatim obſidione cingit, ac intra paucos dies prælliis, operibuſque circumuallatam expugnat. Nobiliſſimæque vrbis celerrima receptio multum ualuit, ad cætera Dalmatiæ oppida in fide continenda, quæ leui, inſtabilique populorum uoluntate nutabant.

Iaderę defectio.

Iaderæ receptio.

Interim Pepo Aquileienſis antiſtes, Gradum ſecundo occupat, Veneti uero ne temere armis rem gererent, prius ad Benedictum Pontificem legatos mittunt, de Peponis iniuria quæſtum: ſed ille Pontificis dicto parens, Venetis oppidum ſponte reſtituit. Leoq́ue Pontifex, defuncto iam Benedicto, hoc tempore Venetias acceſſiſſe dicitur, ad Diui Marci corpus inuiſendum, priuilegiaq́ue multa, & magna tum ipſi templo, tum aliis pleriſque Diuorum ædibus pie conceſſit: & hæc domi, foriſq́ue ſexto & uiceſimo anno, quibus Contarenus Remp. adminiſtrauit, geſta ſunt. Habuitq́ue is obiens Dominicum Syluium ſucceſſorem, ſubita populi acclamatione Ducem ſalutatum, cuius uxor nomine ?Cali genere Cõſtãtinopolitana adeò moroſa elegantia fuiſſe dicitur, ut communi aqua aſpernata, roſacea ad ſe lauandam

Dom. Syluius Dux 31. an. D. 1058.

quotidie

quotidie uteretur, in menſa autem cibaria aureis furculis apprehenſa ori applicaret, eius quoque cubiculum mira ſemper odoramentorum uarietate fragrabat. Sed diuino factum eſt iudicio, ut ex hac immoderata luxuria mulier fœtidiſſima tabe contracta in ſummo cruciatu uitam duxerit: periit tandem miſerabiliter ulceribus, & tabidi corporis ſanie cõfecta. Cum Normanis poſtea gẽte origine Gallica bellatum eſt: qui

Normáni.

Aquitanici Oceani accolæ poſt præclara armorum geſta, ex Gallia in Italiam irrupere: pulſiſque ex Calabria, & Appulia Sarracenis, & ex Sicilia Græcis, earum prouinciarum Imperio potiti ſunt: pro quo retinendo cum Romanis Pontificibus, Græciſque Imperatoribus per multos annos uario euentu decertarunt. Nouiſſime Ruberto Guiſcardo Duce, Normani Nicephorum Byzantii Imperatorem, bello petiere; cum quo Veneti arma iunxerant, claſſibusque hinc inde inſtructis, apud Dyrrhachium atroci prælio concurſum eſt. Numeroque nauium Normani ſuperiores erant: ſed Græci, & Veneti uirtute, maritimarumque rerum peritia præſtabant. pugnatumque eſt cum maxima utriuſque partis cæde per plurimas horas: tandem Syluii Principis, Venetorumque ea fuit uirtus, ut hoſtis momento temporis claſſe deleta fuſus, fugatusque ſit. Nec multopoſt reparatis uiribus nouam claſſem inſtruxerunt: Græcique abſente Veneto a Barbaris uincuntur, Dyrrhachiumque ea clade amiſſum. Euerſis autem Nicephori opibus, Alexius in imperium Conſtantinopolitanum ſucceſſit, in cuius gratiam Veneti ſub Syluii ductu parata claſſe, iterum in Normanos mouere, atque eodem ferme loco (ubi prius) atrox pugna commiſſa eſt: ſed longè alio fortunæ euentu. nam uicti Veneti fœdiſſimam accepere cladem, Syluiusque Princeps cum pauciſſimis uix euaſit: qui Venetias reuerſus ob rem male geſtam in populi odium incurrit: unde anno Principatus ſui tertiodecimo ſumma dignitate priuatus fuiſſe dicitur. Alii negant, Syluium publica adminiſtratione a populo deiectum, ſed duobus, & uiginti annis in Ducatu expletis, fœliciter mortem obiſſe, ac in Diui Marci æde honorifice ſepultum, Vitalis Falerius in Syluii locum ſuffragio populi princeps creatur, iſque ad amplificandum publicum decus legatos Conſtantinopolim ad Alexium Imperatorem miſit, Dom. Dandulum, And. Michaelem, & Iac. Daurum, qui publico nomine peterent, ut Dalmatiæ, Hiſtriæque imperium, quas prouincias Veneti latronum manibus armis extorſiſſent, ſuaſque iure belli feciſſent, Cæſarea authoritate Veneto nomini Imperator perpetuò confirmaret. Atque iam inde factum, ut Dalmatiam, Hiſtriamque ex Imperiali authoritate legitimo Veneti poſſederint titulo: Vitaliſque Falerius omnium primus (ut quibuſdam conſtat annalibus, earum Dux prouinciarum honorifice præfatione inſcribi, uocarique cœpit. Cum Guiſuardo quoque Normano per hæc tempora a Græcis, Venetiſque Falerii ductu (ut aliàs) male pugnatum ferunt: & Henricus Italiæ Imperator ex Taruiſio Venetias tranſiiſſe dicitur, ut Diui Marci templum ex uoto inuiſeret, cuius corpus paucis ante diebus miraculo repertum mœſtæ ciuitati magnum ſolatium attulit. Trãſactis enim pluribus annis, quum in dubio eſſet, an illud aſſueto loco, ſedeque priori iaceret, credereturque uulgo furtim ſubtractum, aſportatumque aliò; ad diuinam opem ciuitas eſt conuerſa: ſupplicatione itaque, & ieiunio indicto Antiſtes Caſtellanus, totus Clerus, Dux, Senatus, populusque mira frequentia ad Euangeliſtæ templum ſupplices uenere: tum ibi poſt multas preces, pioſque deuotionis affectus, ſuperna uirtute memorant, Diuum altero extra columnam templi, quæ ad Leonardi aram eſt, exerto brachio ſe totius populi oculis miraculoſe oſtendiſſe, tum omnes humi proſtratos diuinam clementiam adorare cœpiſſe, ac Beatum Marcum laudare, qui tum glorioſe apparens ſuum deuotum populum conſolatus eſſet. decerniturque ut noua ædes illi decata ſumptuoſiore apparatu conſtruatur. quæ (uti opinor) ea eſt, quæ hodie tam excellenti ornatu erecta, fundataque uiſitur, ubi Diui corpus ex humiliori Sacello ſecundo ſublatum auguſtiore loco repoſitum nunc iacet: ſolusque Princeps, Procuratoreſque locum ipſum ſecretiſſime norunt. Redegit ad hæc Valerius in oppidi ſpeciem Lauretum uicum uetuſtate collapſum, inhabitatumque; ad quem incolendum multis immunitatibus, muneribuſque finitimos pellexit accolas, ipſe uero poſt hæc domi, foriſque geſta duodecimo Ducatus ſui anno è uita migrauit.

Not. Venetorum cladem.

Vit. Falerius. Dux 32. ann. D. 1072.

Principis titulus.

Attende miraculũ de beato Marco.

uit.in Falerii autem demortui locum Vitalis Michael eſt ſuffectus,cuius totus Principatus rerum geſtarum maritima gloria pro Chriſtiana Rep. aduerſus infideles maxime ſplenduit. Nam quum in Claramontenſi conuentu Aruernæ ciuitatis fœdus inter Principes Chriſtianos aduerſus Sarracenos, Turcaſque, Vrbano ſecundo Pontifice Maximo præſidente pro recipienda Syria,& Iudea,initum fuiſſet, ne Veneti quoque in tam pia expeditione Chriſtianorum cauſæ deeſſent;claſſem pro parte ſua ualidiſſimam inſtruendam curarunt,Ducentarum enim nauium ea fuiſſe dicitur,cui primum cum Imperio præfuere Henricus Contarenus Caſtellanus Antiſtes,& Michael Vitalis Principis filius, uiri impigri, & pietate inſignes, a quibus Piſani nauali prælio ad Rhodum uicti ſunt,ac tota fermè claſſe exuti, quum Veneti iurgio ab eis laceſſiti iniuriam ferre nequiſſent. Cæterùm, antequã Veneta claſſis in Syriam mouit,ad trecẽta armatorum millia populi Chriſtiani Ducibus Gothifredo,Euſtachio, & Baldoino Bollioniis ex alto Francorum genere natis,nec non Raymundo,& Ruberto,Flandrię comitibus,aliiſque ſummis uiris,& Principibus ex omni natione Gallis, Germanis, Hiſpanis,atque Italis,partim terreſtri, partim maritimo itinere in Aſiam traiecere, ubi multis urbibus Bythiniæ,Armeniæ, Meſſopotamiæque expugnatis,ac fuſis, fugatiſque barbarorum maximis,ualidiſſimiſque exercitibus, Hieroſolymam tandem ante quadrageſimum diem Chriſtiani ui capiunt,Gothifreduſque omnium cõſenſu fortitudine animi,ac corporis robore uir præſtantiſſimus Hieroſolymarum, Antiochięque,ac totius Iudeæ Rex ſalutatus eſt.qui receptis cęteris regalibus inſignibus,aureã nunquàm de more coronam geſtare uoluit,quum Chriſtum ſummum Regem,& Dominum ibi ſpineam capite tuliſſe pie recordaretur.Dum autem hęc in Syria ferũtur, de quibus Benedictus Accoltus elegans ædidit opuſculum, Veneta claſſis proſpero curſu Pamphylii maris oram circumuecta in Ioniam uenit, ubi Smyrnam urbem præſidio a barbaris deſtitutam repente occupauit: Ioppem quoque,quæ Zaffus nunc uocatur,nauali Venetus manu,Gallus terreſtri adorti,in Chriſtianorum poteſtatem redegere.Quibus geſtis,dum hyems inſtaret, claſſis domum eſt reducta:Verno poſtea tempore claſſis iterum Veneta ſub Vitalis ducis Imperio in Syriam tranſmiſit, Aſcalonemque urbem maritimam,quam diu Galli fruſtra oppugnarant,ſubegit.inde Tyberiadem,& Caipham deditione ab hoſte facta occupat. Sunt, qui hæc Gothifredi, non Venetorum geſta aſſerant: ego utrorumque auſpiciis,armiſque capta oppida exiſtimo,ut ille terreſtribus copiis, Veneti maritimis in hoſtes rem fœliciter geſſerint. Ex Syria in Adriaticum claſſis delata, urbem barbarica præda onuſta magna cũ gloria ingreſſa eſt:& Veneti cum Calomano Pannoniæ Rege fœdus percuſſerunt;iunctiſque armis in Normanos,toto Appuliæ littore uis illata,Brunduſiumque ſub primum pene appulſum Venetus occupauit;præſidioque hìc impoſito,omnem Calabriæ, Appuliæque maritimam oram uſque in Siciliam excurrens fœde populatus eſt: fugatoque ubique hoſte, claſſis ouens iterum domum reducitur. Hac quoque tempeſtate Mathildi fœminæ illuſtri Sigifreda familia procreatæ miſſa in Padum ingenti claſſe Veneti opem in recipienda Ferraria tulere. Quare nobiliſſima matrona beneficii memor perpetuas immunitates in ea urbe amico populo conceſsiſſe traditur. Verùm anno quarto circumacto,Vitalis,quo temporis curſu Reip. præfuit,ex humanis deceſſit,cui Ordelaphus Falerius ſurrogatus eſt. numeroſaque hoc Principe claſſis rurſum in Syriam mittitur:hæc autem tranſmarinis appulſa littoribus ad Ptolomaidam oppugnandam celeri nauigatione recta contendit, quam ualidiſſimis etiam copiis Baldoinus Imperator terra premebat.ita ab utraque parte urbs atrociter oppugnata intra uiceſimum diem a Chriſtianis capitur.Inde ad Sydonem terra,marique itũ,omnium Phœniciæ urbium,& uetuſtate,& opulẽtia olim inſignem. Hæc quoque paucorum dierum ſpacio ſubacta eſt, è Sydone Veneti ad Faraniam oppidum maritimum circa Nili oſtia, claſſem admouere:quo primo oppugnationis impetu capto,in oppidanos a Victore Venetum ſæuitum,aliquotque nauibus hoſtium oppreſſis,quę Chriſtianorum commeatus mari deuectos intercipiebant,nauigationis tranquilla ſecuritas per Venetos reddita eſt.Quibus magnifice geſtis,motus Baldoinus Imperator ſacram in Ptolomaide ædem,uicum,forum,aream,bene merito de Rep.Chriſtiana populo

Vitalis Michael D. 33. ann. D. 1086.

Nota expeditionẽ Chriſtianorum in infideles.

Gothifredus Rex Hieroſolymæ.

Zaffus.

Fœdus cũ Pannoniæ Rege.

Ord. Falerius. Dux. 34. an. D. M.C.I.

Sydon.

Venetorũ priuilegia in Syria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pulo aſſignauit,ubi Venetus merum,mixtumq́ue cum Gallis haberet Imperiũ. nec Ptolomaide tantùm,ſed toto quoque Hieroſolymitano Regno plurima tribuit priuilegia. ac paulò poſt Veneta claſſis quum maritimum bellum in Syria hyemis aſperitate intermiſſum eſſet, in Italiam demum eſt reuerſa: uerùm ne nimis ciuitas ocio torperet, cum Patauinis ob finium contentionem bellum ortum: qui cum Taruiſinorum,& Rauennatium appendicibus in Venetos mouentes, ad Bebianam turrim eos ad tentãdam prælii fortunam inuitos attraxere, in qua Venetus ſuperior Patauinum profligauit, ac præter plurimos in acie cæſos ſexcenti cum Rolando Craſſo Duce ex hoſtibus capti, in Venetorum poteſtatem uenere. Ea autem clade conſternati Patauini, ad Hẽricum Imperatorem, qui tum Veronæ erat, confugiſſe dicuntur, opem aduerſus Venetos implorantes. Quare Henricus (ut miti erat ingenio) ne Patauinorum cauſam reiicere uideretur, per Legatos a Venetis petiit, ut ad ſe Oratores mitterentur, a quibus Patauinam cauſam, belliq́ue originem cognoſceret Decreta eſt ſtatim a Senatu Legatio, miſſiq́ue Vitalis Falerius, Stephanus Maurocenus,& Vrſus Iuſtinianus; Patauini quoque nuncii affuere: quos omnes benigne Henricus amplexatus, cũ his egit, ut depoſitis ſimultatibus, oblitisq́ue iniuriis, Veneti, Patauiniq́ue pacate inter ſe agerent, belliq́ue conſilia utraque pars abiiceret. Oportet, inquit, Veneti meminiſſe uos ab Euganeis, Patauinisq́ue genus trahere: ac inhumanum eſt, in natales ſuos impia arma induere. Contra, uos Patauini non ſolum Venetæ potentiæ, inſurgẽtiq́ue laudi inuidere debetis, ſed gloriari potius, quòd ad eam diem, qui a uobis procreati originẽ traxiſſent, tanta cum gloria terra, mariq́ue, imperitarent. deponeret igitur uterque populus cognata arma, finibusq́ue ſuis contenti: quod ſibi gratum futurũ eſſet, reconciliatis animis pacis ſtudia amplecterentur. Valuit plurimum Imperialis Henrici authoritas ad ſedandam diſcordiam, ſed longe magis benigne, comisq́ue oratio: quã adducti Legati, qui aderant, ex Cæſaris ſententia poſitis armis, iurgiisq́ue litem ſopiuere. Ab eo quoque Veneti multa,& ampla immunitatum priuilegia in Reip. ſplendorẽ & commodum benigne impetrarunt: ipſi autem gratitudine uſi, pallium aureum Hẽrico annuum obtulere, ut id conceſſarum immunitatum perpetuum monumentum eſſet. Cæterùm quia acerbis fortunæ caſibus res humanæ cõtinuo inuoluuntur, fœdiſſimum ſub id tempus incendium Venetam urbem deformauit. Ignis.n. ex Henrici Zeni ædibus ad Apoſtolorum fanum erumpens longe, lateque conuolutas flammas diſperſit, exiguoq́ue temporis ſpacio in ſex propioribus urbis uicis ædificia, tectaq́ue incendio conſumpta deflagrarunt. Inde duobus circiter menſibus interiectis aliud recens incendium ortum Laurẽtianam inſulam primò inflammauit, mox undique perflante uento diffuſum ſexdecim alios urbis uicos cum parte Ducarii, quæ ad Baſſi fanum ſpectat, magno horrore corripuit, miſerabiliterq́ue incendit. Methamaucum quoque eodem ferme tempore combuſtum aiunt, ac nõ multò pòſt ſubita pelagi inundatione prope ſubmerſum; ex quo loco Principis, Senatusq́ue authoritate ex flammarum ruinis lapides, columnæq́ue, ac cætera ornamenta ad ſacrarum ædium, publicorumq́ue ædificiorum ſtructuram Clodiam ſunt aſportata. atque ita ex eo tempore publicis, priuatisq́ue operibus urbs illa, quæ ad eam diem parum frequens ædificiis, & iis quidem humilibus,& ex aſſeribus factis habitabatur, magnopere dicitur exculta, a duobusq́ue familiis patritii ordinis Gradonicis, & Baduariis religionis ſtudio Cypriani Muranenſi ſuburbio,& Sanctæ Crucis templa Veneto ſolo ſunt erecta.

Patauini uicti.

Legati.

Henrici Imp. monita.

Nota incẽdium.

Methamauci clades.

PETRI

PETRI IVSTINIANI PATRICII VENETI

ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIA,

CVM REFORMATIONE, ET RERVM MEMORABILIVM Additione vſque ad annum 1575.

Liber ſecundus.

VIx a fœdiſſima illa incendii clade ciuitas reſpirarat, quum trepide nunciatum eſt, Iaderam Prætore, Præfectoque urbe eiectis, ad Calomanum Pannonię Regem defeciſſe, Dalmatiamque omnem ad defectionem ſpectare. Tum Ordelaphus princeps claſſe ſubito parata, ut infidam prouinciam ad Imperium retraheret, in Dalmatiam propere trāſmiſit, Iaderamque Pannonicis armis firmatam obſidione cingit, ac crebris oppugnationibus die, noctuque fatigat. Ad leuandam autem obſidione deditam urbem Calomanus Rex ingentes, bellicoſaſque è Pannonia armatorum acies miſit: quorum aduentu non ſolùm territus Venetus non eſt, ſed ferociter obuiam progreſſus, hoſtem ad ineundum collatis ſignis prælium exciuit. Contracto igitur certamine barbari fuſi, fugatique tota Dalmatia ceſſere, Calomanuſque Rex auditu ſuorum clade dolore animi morte præreptus eſt; & Iaderam uictor Venetus modico negocio recepit, totiuſque Prouinciæ ſtatum ad priſtinam retraxit obedientiam. Nec pręſenti contentus ſucceſſu, Ordelaphus in Croatiæ quoque fines irrupit, ſuperatiſque montibus, fugatiſque, qui ſibi obuiam armata manu prodierant; quicquid in Mediterraneis fuit, armis ſubegit, ac tum primùm Veneti principes cœperūt Croatiæ titulum aſſumere. Recepta itaque Dalmatia, propagatiſque latè Imperii finibus Ordelaphus illuſtri parta uictoria Venetias rediit; ac præter cætera, quibus ille toti ciuitati inſignem, conſpicuumque ſuum reditum fecit, illud memorabile uiſum, quòd captiuos multos Illyrici generis Regulos, eminentioriſque alios fortunæ uiros, regiaque Calomani, Dalmatarumque inſignia in triumphi ſpeciem, ciuium oculis ſubiecit. Nec diu tamen prouincia in quieto ſtatu fuit Pannonicis rurſum armis ingruentibus, quibus Veneti laceſſiti, denuò nauales, terreſtreſque copias pararunt, ad tuendam Dalmatiæ oram. Ordelaphuſque (ne patriæ deeſſet) ad bellum iterum rapiente fato, profectus eſt: nam ut in conſpectu fuit hoſtium, qui circa Iaderæ mœnia caſtra habebant, eòs continuo ad pugnam elicuit, atroxque & cruentum utrinque per aliquot horas fuit prælium. tandem dum Ordelaphus inter primos Pannonicam ferro premit aciem, Princeps æterna memoria dignus telo ictus occubuit: cuius cæde perculſi Veneti ſolutis ſtatim ordinibus fugam capeſſunt; Iaderamque ingreſſi, ualido urbem firmant præſidio. At aduerſæ pugnæ nuncius, ducisque interitus Venetias perlatus, ingenti ciuitatem mœrore affecit; uulgò credere, actum eſſe de rebus Dalmatiæ, nullamque ſpem aliam ſupereſſe eius prouinciæ hoſte præferoci, uictoreque imminente. Placuit proinde primo quoque tempore legationem ad Regem decerni, a quo pax, aut ſaltem induciæ publico nomine peterentur. miſſique ſunt Vitalis Falerius, Vrſus, Iuſtinianus, & Marinus Maurocenus, qui ſedulam Reip. operam præſtantes, in annos quinque cum Rege inducias pepigere. Ordelaphi autem corpus Venetias

Iaderæ obſidio.

Venetorū uictoria.

Succeſſus Venet. in Croatia

Ordelaphi Principis interitus.

Legati.

netias delatum, in Diui Marci æde honorifico conditur tumulo. Vixitque Ordelaphus in Ducatu anno undeuiceſimo: Dominicus Michael poſt eum Princeps declaratus eſt: ad quem, & ad Senatum Baldoinus ſecundus Rex Hieroſolymitanus Legatos miſit oratum, ut in Aſiam quàm citius poſſet a Venetis claſſis mitteretur, ad opem Chriſtianis rebus in Syria laborantibus pie ferendam. Idem Calixtus ſummus Pontifex perlegatos enixiſſime petiit. Tum Pontificiis, Regiisque monitis impellentibus, ut in claſſe paranda promptiorem, alacrioremque populum redderet, ita Princeps locutus dicitur: (alii Epiſcopum concionatum fuiſſe tradunt) Neminem ex uobis eſſe puto, uiri Veneti, qui ignorare poſſit, quæ in Aſia ſexto & uiceſimo (ni fallor) ab hinc anno pro Iudeæ recuperatione partim noſtris, partim alienarum Gentium auſpiciis terra, marique glorioſe geſta ſint: nam quicquid terrarum immenſo ſpacio extenditur, a Bythinia uſque in Syriam, breui id totum ex immaniſſimo hoſte Chriſtianorum armis receptum uidiſtis. nec interim noſtri & in Ionia, & circa maritimam Syriæ oram pauca naualibus armis in infideles geſſere: Clariſſimis oppidis, Smyrna, Ptolomaide, Aſcalone, Tyberiade, Caypha, Farania communium armorum ſocietate expugnatis: unde non tantùm Veneto nomini ingens gloria parta, ſed receptarum vrbiũ imperium communicatum eſt. Verùm, quia res humanæ aſſiduam habent uiciſſitudinem, intra paucos annos accidit, ut Gothifredus fortiſſimus ille Rex Baldoinus poſtea, Boemundus, Tancredus, atque alii illuſtres Duces, fatali neceſſitate ex humanis deceſſerint. Quorum interitu res Chriſtianorum in Syria adeò mutatæ ſunt, ut deteriores in dies factæ in ſummo diſcrimine uerſentur. Nuper autem Baldoino a Dalocho Parthorum Rege capto, Carrhasque in uinculis abducto, Hieroſolymitani Regni magna iactura facta eſt: ob idque Calixtus Pontifex nuntiis, litteriſque nos admonet, oratque, ac obteſtatur, ut Chriſtianam fidem in tanto diſcrimine maritimis uiribus (quibus Deorum benignitate plurimum ualetis) protegamus: ad quod ipſum noſtra omnis tendit oratio, ac precibus, hortationibusque nunc inſtamus, ne religionis cauſa in tanto periculo deſeratur. Pulchrum etenim, & decorum erit, uiri Veneti, eam terram ueſtris armis protegere, & ab omni hoſtium iniuria uindicare, ubi Chriſtus Rex noſter infans obrepſit, ubi doctrina, prædicatione, miraculis coruſcauit. Quibus rebus permoti primi illi Heroes Galli, & reliqui Europæ Principes numeroſa, præpotentique armatorum manu in Aſiam tranſmiſſere, ſtrenuamque operam nauantes, uniuerſa Iudæa ab impio Maomethi Imperio recepta, potiti ſunt: Quã nunc reparatis uiribus immaniſſimi barbari lacerant, affligunt, & ſuæ iterum ditioni, duroque ſeruitio ſubiicere conantur; ut expulſis inde Chriſtianis ſacrilega gens ſordium, ſcelerumque inquinamentis tellurem illam ſanctam fœde polluat: quod ne eueniat, maturo conſilio cauendum eſt: debemusque nos, ut Chriſtianum, religioſũque populum decet, ante alios in ſæuiſſimum hoſtem irruere, maritimoque eum bello aggredi, amicique Regis opes (quantum in nobis eſt) tueri: quod ſi fecerimus, perpetuus in ore, oculiſque omnium ueſtri erit nominis ſplendor, ueſtramque indolem admirabitur Europa, Aphrica collaudabit. Præterea quis eſt ueſtrum, qui non patriæ charitate impulſus optet, ac uelit, ut huius urbis Imperium, quàmampliſſimo finium ambitu terra, marique protendatur? Qua autem ratione creditis id poſſe fieri? ſedendo ne? aut hæc ſtagna lembis, lintribusque circumeundo? Veteres Romani nobis exemplo ſint, a quibus oriundos uos eſſe gloriamini, non orbis Imperium deſidia, delitiarumque blandimentis ſibi tam late quæſiuere: ſed bellicis artibus, militarique aſſidua agitatione cunctis gentibus ubique terrarum freno iniecto, rerum potiti ſunt, belli ſtudiis, ſupra q̃ dici poſſit, eorum uires auctæ, nobis quoque ſperandum, fractis infidelium opibus, aliquam ampliandi toto Oriente Veneti Imperii occaſionem opportunæ acceſſuram. Inflammet igitur ad arma ueſtros animos religionis ſtudium, moueat Regni illius Hieroſolymitani periculum, accendat gloria & ſperata præmia; atque (quod Veneto nomini bene uertat) ualidiſſimam claſſem decernite, quæ maritimos hoſtium conatus ſub noſtro hoc nauali Imperio ad Chriſtianæ Reip. ſalutem egregie propulſet. Ad eam orationem cum lachrymis clamor mixtus tota concione Principem, Senatumque expoſcebat, ut continuo claſſis, copiæq;

Dom. Michael D. 35. anno Do. 1120.

Oratio

Calixtus pontifex.

contraherentur, omnesque in tam piam expeditionem libenti, fortique animo ire profitebãtur,nec tam longinquam ullus militiam detrectabat. Deductæ itaque triremes uario numero traduntur:qui rem extenuant,quadraginta longas naues fuiſſe dicunt:alii centum.qui uero nimium augent,ſupra ducentas.Ipſe autem mediæ ſententiæ potius accedo,ut ad centum uarii generis nauigia fuerint, quæ in bellum profecta ſunt. Votis itaq; nuncupatis,ubi portu ſoluta claſſis in Dalmatiam uenit,accepto ibi remigum,nautarumque ſupplemento,Dominicus Princeps paucis diebus in Cyprum cum tota claſſe delatus eſt:inde Syriæ littora tenuit,ubi ad Iopem hoſtium claſſis ualidiſſima admota, urbem graui obſidione premebat. Sed Venetus pugnandi auidus,in hoſtem ferociter mouit,cõcurſumque eſt utrinque magnis animis,dubiuſque prælii euentus per aliquot horas hinc inde fuit:demum Adriacis uiribus præualentibus,deleta,profligataque eſt hoſtium claſſis, Iopeque obſidione liberatur : ſecundumque hanc pugnam Michael,ut claſſis Venetæ aduentum,& rem fœliciter geſtam nunciaret, Hieroſolymam ad Varinundum antiſtitem, qui Baldoini nomine rẽ adminiſtrabat,ſe cõtulit:a quo benigniſſime exceptus,collaudatuſque eſt, quod præpotenti claſſe ad opem Chriſtianis ferendam in Syriam delatus, hoſtem ex Iopenſi obſidione reuulſum egregiè uiciſſet. poſtmodum ne uictoriæ curſus aliqua temporis intercapedine retardaretur,ad Tyrum oppugnandum,qui nunc uulgo Surrum appellatur,ſortione,ut dicitur,præmiſſa itum. Hanc igitur primam urbem Duces Chriſtiani terra,marique oppugnare ſtatuerunt, de cuius ſitu, & uetuſtate multa memoratu digna referri poſſunt.Fuit enim Tyrus olim inſula,ac præalto mari ſeptingentis paſſibus a Phœnicia diuiſa.hanc Alexander Macedo ingentium ſaxorum congeſtis obiicibus, operoſiſque molibus in profundum deiectis per tot pelagi intercurrentis ſtadia continẽtem fecit:ſeptimoque menſe Macedonicis armis expugnatur,nobiliſſimę autem urbes,Leptis,Vtica,& illa Romani Imperii æmula, Carthago,Gadeſque ad Herculeum fretum poſitæ conditores Tyrios habuere.Ipſius loci claritas præcipue præter conchilium,& purpuram, in Arithmeticæ inuentione,in litterarum commento, & nocturna ſyderum, planetarumq; obſeruatione commendatur:oppidumque Agenorem,Beli filium,condidiſſe memorant, ac Sarram quandoque uocatum,ab Abrahæ Sarræ coniuge,quæ antiquitus, ut in ſacris eſt litteris, haud procul his locis ſedem tenuit,unde Surrum pro Tyro uſurpatum,ut ſupra memoraui.Placuit igitur cõſultatione inter Duces mature habita,terra,marique urbem Tyrum oppugnari, quæ & ſi ualido munita præſidio , difficilem, diuturnamque expugnationem ſpondebat,intrepidis tamen animis ad eam inuadendam prope ratum eſt:& Varinundus, ut Venetos ad bellum promptiores,alacrioreſque redderet, quorum maritimas uires plurimum ad uictoriam conferre intelligebat,cum Michaele ad huiuſcemodi conditiones ueniſſe dicitur; ut quæcunque a Baldoino Rege in Syria fuerant priori bello Venetis conceſſa,eis rata,firmaque perpetuo manerent:in omnibus præterea Hieroſolymitani,Antiochenique Principatus urbibus, totiuſque Paleſtinæ oppidis, priuam Aram,priuum uicum cum foro, & aede, omnimodamque cum Gallis poteſtatem Veneti haberent,negocia ad hæc,quæ iidem Veneti in Aſiæ,Syriæque emporiis pertractarent:omnibus eſſent uectigalibus,oneribuſque Regni immunia.Si quis autem Venetus naufragium feciſſet,aut inteſtatus diem iis locis obiiſſet, illius bona intacta Veneto magiſtratui aſſignarentur, cui quotannis Regius Quæſtor ex Hieroſolymitano ærario aureos nummos trecentos perſolueret.Expreſſum quoque eſt, ut Tyri, Aſcaloniſque,ſi quando hæ urbes caperentur, Veneti tertiam partem perpetua poſſeſſione retinerent,multiſque aliis priuilegiis Venetum nomen honeſtatum Blondus diligentiſſimus Hiſtoriarum ſcriptor,memorat.Obſidebatur interea terra, marique Tyrus,quæ magnis conatibus ſæpe oppugnata inuicto animo Chriſtianorum impetum ſuſtinuit:ſed dum urbs undique circumuallata, graui bello, aſſiduiſque præliis fatigatur,ſubito allatum eſt,ingentem hoſtium exercitum ad ſubſidium urbis ferendum aduectare. Tum cœptæ ſunt totis caſtris uoces in Venetos iactari,quòd hi ſcilicet,ſoli periculorum omnium expertes eſſent;ac ſi quid nouo aliquo belli turbine, improuiſoque hoſtium incurſu incontinenti laborandum foret, haud dubium eſſe,

Nota claſſis numerum.

Varinundus.

Tyri deſcriptio

Surrum.

Nota fœderis conditiones.

Blondus.

quin deductis ſtatim in altum nauibus cum tota claſſe Veneti ex prouincia in pacatum eſſent abituri: proinde aut exæquãdum terra, marique omnibus periculum, aut obſidionem ſoluendam, ne terreſtres copiæ, Venetis abeuntibus, ab hoſte delerentur. Sociorum calumnia huiuſcemodi ad Michaelem Principem delata, non mediocriter illius perturbauit animum: & quum aliquandiu indignitate rei defixus, cogitabundusque Michael ſtetiſſet, menteque interim ſecum euolueret, quonam pignore Venetam fidem, conſtantiamque ſociis probare poſſet; confeſtim publicum edictum propoſuit, ut tabulæ, claui, aliaque nauigandi inſtrumenta ex ſingulis carinis adempta reuellerentur: quod quum factum eſſet, hæc omnia ſtatim ad Varimundi Antiſtitis, & aliorum Ducum conſpectum in caſtra afferri iuſſit; conuerſusque ad eos Michael, Audio, inquit, Socii, Venetam fidem apud uos neſcio qua animorum addubitatione in ſuſpicionem ueniſſe, atque deſertores nos, & fœdifragos pro ueris ſociis appellari, haberique cœpiſſe: ſed non ea leuitate ſumus, ut a conſtanti fide, nulla fortunæ facie unquàm deiiciamur: atque, ut hoc uos indubitata probatione, firmum, exploratumque teneatis, accipite certa noſtræ fidei, & conſtantiæ pignora. atque cum his inſtrumenta nauibus adempta ad illorum pedes conſtituit, adiecitque ad hæc: Habetis, inquit, puto, & tu optime Antiſtes, & uos alii, cur iam nobis tuto ueſtram, totiuſque exercitus ſalutem credere poſſitis; nemoque ambigat, Venetos, non eũdem, qui & in uobis eſt, habere animũ, totaque mente optare, ut pari ſtudio inimica urbs expugnetur, qua ſubacta, ſpero breui totius Syriæ Imperiũ noſtris ceſſurũ armis. Tũ Varinũdus, cæteriq; Duces laudata Principis, & Venetorũ fide, uictoriæ cõſequendæ certã, ſtabileq; fiduciã animis ſe tenere affirmarũt, poſt q̃ Venetos tam fidos, optimosq; bellatores ſecũ fœdere, ac ſocietate cõiunctos haberent, nullumq; amplius hoſtiũ incurſum, bellique minas reformidantes, Venetæ claſſis auxilio urbem expugnare propediem poſſe ſperabant: proinde uulgi uoces ipſi contemnerent, ſcirentq; apud Duces, primoresque exercitus Venetum nomen in ſumma eſſe exiſtimatione. Confirmatis in hunc modum ſociorum animis, quum aliquanto arctius ciuitas terra, marique obſideretur, tradunt, rem nouam eo tempore in caſtris accidiſſe, Superuolans. n. tabellarii uice fungens columba, litteras pedibus annexas ex caſtris Dachini Regis Damaſci ad Tyrios afferre dicebatur, quæ ingentes, bellicoſaſque ex tota Syria copias in eorum ſubſidium aduentare nunciabant. Tum uerò a peritis earum rerum edocti Chriſtiani milites, expectato columbæ ſuper caſtra uolatu, terribilem clamorem ſuſtulerunt, quo ales repente conſternata in terram ab alto procidit: lectisque litteris hortationibus plenis, quibus Rex Tyrios admonebat, ut forti, bonoque animo eſſent, obſidionemque perferrent, tantiſper dum ipſe cum ingẽtibus ad urbis ſubſidiũ copiis aduolaret. Contrà, Chriſtiani Principes ſagaci conſilio uſi, nouum commentũ in fallendo hoſte adinueniſſe dicuntur, ſubdititias nanque litteras pro Damaſcenis columbæ eiuſdem pedibus alligarunt; quibus Tyrii admonebantur, ne auxilium ullum a Dachino ſperarent; recte proinde eos facturos, poſtquàm deſperatis pene rebus nulla ulterius auxilii reliqua ſpes eſſet; ſi tempori, ac neceſſitati in tanto diſcrimine ceſſiſſent, maturaque deditione, ſeipſos, parentes, liberos, coniuges, penatesque ſeruarent. atque ita columba dimiſſa in urbem ex more cum litteris aduolauit: quæ publicæ recitatę ingentem mœrorem Tyriis attulerunt, deſtitutos ſe Regis ope falſo credentibus, in quo ipſi ſpes omnes ſuas collocauerant. Itaque uicta eorum pertinacia quinto obſidionis menſe facta deditione Tyrus in Chriſtianorum poteſtatem uenit: ſtatimque occupata urbe in turribus, ac cæteris locis eminentioribus præfixa ſunt Varinundi, & Venetorum ſigna, eisque urbis tertia pars iuxta fœdus libero iure poſſidẽda datur. tantundem & Aſcalonis receptæ conceſſum. ea autem omnia Baldoinus Imperator poſtlimino reuerſus non ſolùm approbauit, ſed Venetum etiam principem ornare uoluit, hac honorifica præfatione: Dominicus Michael Dux Venetiarũ, atque Dalmatiæ, Hieroſolymitani Regni Princeps, qui numeroſa hoſtium claſſe ante importuoſam Aſcalonis oram profligata, multis barbarorum millibus partim captis, partim cæſis, Iopenſibus graui obſidione liberatis, uictor Hieroſolymam eſt ingreſſus, & cætera. Subiiciunt etiam illud ſcriptores, ſtatutum fuiſſe, ut Venetorum

Dux

Nota Michaelis prudens factum.

Att. Varimundi, & ducum uerba.

Nota de columba.

Not. Chriſtianorũ aſtum.

Tyrus capta.

Not honorabilem præfationem.

Dux quoties Hieroſolymis eſſet, communibus cum Rege fungeretur honoribus. At dum in hoc proſpero fortunæ curſu res Venetæ in Syria eſſent, Caloioannes, Byzantii Imperator, ueteri gentis odio Chriſtiano nomini Tyriæ urbis uictoriam inuidens, & in primis Venetis, quorum maritima facinora Aſiatico illo bello maxima, clariſſimaque fuerunt: aduerſus eos arma, bellumque moliri cœpit: quo motu Michael cum tota claſſe ex Syria decedens, in hoſtem (qui rem iam Venetam in Aegeo, Ionioque pelago infeſtabat) ferebatur, Rhodumque primum aggreſſus, ferro, flammaque inſula deuaſtata, ui captam diripuit, inde Chium profectus pari clade affecit, ex quo loco Diui Theodori corpus ſublatum, Venetiaſque deportatum, in ſacello Saluatori dicatum reponitur: mox ex Chio Michael digreſſus, Samum, Lesbum, Pariũ, Andrũ, Eginam, atque alias Conſtantinopolitani Imperii inſulas armis oppreſſit, Cycladibuſque relictis in Peloponeſſum transfertur; Methoneque occupato, ac firmo præſidio impoſito, in Dalmatiam uenit, ubi Iaderam, Spalatrum, Tragurium, rebelles urbes, quæ ad Pannonas ex inſito, ueterique Dalmatarum in Venetos odio defecerant, armis recepit. His tot, tantiſque rebus nauali Imperio Michael geſtis, omni ora maritima a Syriæ littoribus in Illyricum uſque partim domita, partim ab hoſtili iniuria uindicata, uictrici, incolumique claſſe in patriam reducta, urbem ueluti ouans, ingreſſus eſt. Multi poſtea uariique fuerunt, Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Potentatumque totius Europæ bellici apparatus pro Syria retinenda: ſed omnes ipſos motus irritos, uanoſque Chriſtianorum diſcordia reddidit.

Caloioannes.

Not. Michaelis. P. geſta.

Michaelis etiam inuentum hoc fuiſſe traditur, quod prudens, ingenioſumque planè fuit. Aſiatica.n. illa expeditione, quum pecunia in claſſe ad ſtipendium nautis, militibusque perſoluendum defeciſſet, nouum numiſma ex loro publica nota Michael ſignari iuſſit; illudque pro aureo, & argenteo ſtipendiariis omnibus diſtribuit, pollicitus fore, publica fide interpoſita, ut mox quum Venetias claſſis applicuiſſet, pro alutinis ex auro, & argento excuſſi pari numero habentibus redderentur nummi: atque ita claſſe ex Syria reuerſa iuxta pactionem, fidemque datam omnibus ſatisfactum: & Michaelia familia in huiuſce rei argumentum gentilibus ſignis ab illa die auream geſtat nummorum figurationem. Per id tempus autem quo Michael ex Aſia reuerſus eſt, ædes Charitatis conſtructa fuiſſe dicitur, ac diui Donati corpus ex Pera aduectũ, quod Murani hodie baſilica honorificè iacet. Nec diu poſt hæc Michael ſuperuixit, qui anno undecimo, quo Reip. tanta cum gloria præfuit, fœliciſſime extremum diem obiit, cuius funus Senatus, populuſque frequens inſigni exequiarum pompa pie celebrarunt: uiſiturque hodie illius ſepulchrum, ſub interna cœnobii diui Georgii porticu, exculto opere erectum.

Not. de pecunia.

Petrus Pollanus illius gener ſucceſſit, primaque eius adminiſtratione Fanenſes Venetis ſubduntur, annuamque pecuniam tributi nomine polliciti ſunt. Clementiſque ædes hoc tempore ad Canale Orphanum a Petro Gatiloſo erecta fuiſſe dicitur. Atrox inſuper bellum inter Venetos, Piſanoſque per id tempus eſt ſubortum, maritimæque potentiæ æmulatio utrunque populum in arma traxit: clades quoque tumultuaria illa pugna ad Rhodum Piſanis illata, Hetruſcum Adriaco nomini infeſtum reddebat. Multæ igitur hoc bello, uariæque fuere utrorumque clades citro, ultroque per occaſionem illatæ, & acceptæ; in immenſumque eorum furibunda odia exarſiſſent, niſi blandis Romani Pontificis ſuaſionibus belli rabies inter eos cõpreſſa fuiſſet. Cum Patauinis poſtea, Hetruſco tumultu ſedato, ob ſciſſonem fluminis ad Hilarii templum factam, pugnatum eſt: Venetique Guidonem Monticulanũ uirum acrem in hoc bello copiarum ſuarum Imperatorem habuere, cuius uirtute hoſtis ad Tumbam fuſus non paruam cladem accepit: trecentoſque & quinquaginta Venetias in captiuitatem abductos ferunt; quos omnes poſtmodum Patauinis ueniã implorantibus Venetus in priſtinam libertatem reſtitutos dimiſit. ac per id tempus Vrſi Baduarii ſumptu pium Diui Iacobi diuerſorium circa Muriani, & Maiorbii paludes conſtruitur, quod noſtra tempeſtate mediis ſtagnis pene collapſum, deſolatumque iacet. Et ne ciuitas diu bello immunis ociaretur, pro Hemanuele, Græciæ Imperatore, qui per legatos opem a Venetis implorarat, claſſem in Rogerium, Siciliæ Regem, eius acerrimum hoſtem inſtruxit. Normanus autem Hydruntino portu egreſſus, cum na-

Petr. Pollanus. D. 36. an. D. 1131.

Bellũ cũ Piſanis.

Bellũ pro Hemanuele.

netorum fines repente inuadunt, ac Caputaggere, & Lauretum adorti, in ſuam redigunt poteſtatem. Veneti autem ad ulciſcendam ſuorum cladem ſtatim tumultuario delectu habito, & exercitum parant, & in hoſtem feruntur: at is direptis oppidis, quæ occuparat, fuga trepide arrepta in tutum abiit. Venetuſque non reperto hoſte, in Ferrarienſes fines effuſus, omnia ferro, flammaque deuaſtat, ac pari illata clade iniurias uindicauit. Cæterùm hac temporum nouitate fretus Vlricus Patriarcha Aquileiēſis, Veneto nomini infeſtiſſimus, ad Gradum occupādum animum adiecit, ualidaq; Carnorum manu contracta, oppido potitur: ubi facta ingenti præda, tacitè inde cum ea in Aquileiā abire parabat: ſed inopinato ille Venetorum acceſſu, qui eò cum armatorū manu celeriter accurrerant, oppreſſus, cum duodecim canonicis, ac pleriſque aliis Venetias eſt perductus; nec multò poſt his conditionibus in libertatem reſtituitur; ut quotannis optimum ille taurum, ac duodecim apros, Patriarchæ, Canonicorumque captorum numerum æquantes, Venetias mitteret: qui ad perpetuum eius uictoriæ monumentum ſub Carniſpriuii dies frequenti populo ante Principis, Patrumque conſpectum medio foro conficerentur, ſeruaturque is mos tot iam annos a maioribus inſtitutus, in confodiendis publice belluis uſque in præſens tempus, uerùm ſunt, qui hæc ad Angeli Participatii referunt principatum· nos hoc tempore facta credimus, ſed maiori alio incommodo ciuitas per id tempus turbari cœpit: ſi quidem Hemanuel Græciæ Imperator, ut Venetos nouo bello implicaret, quos infenſe oderat, per Legatos ab his petiit, ut ſocietate ſecum inita aduerſus Guielmum Siciliæ regem, auxiliaribus, maritimis, & terreſtribus ſibi copiis adeſſent. Sunt, qui dicant, noua arte Hemanuelem ad fallendos Venetos uſum, fœdus cum Guielmo clandeſtine percuſiſſe, filia illi in matrimonium oblata: ſubdoleque deinde poſtulaſſe, ut Veneti Regi bellum inferrent, pro quo & ſocro, & Genero ipſe illico arma ſumpturus erat: atque ita Veneti Siculis, Græciſque armis petiti, grauiſſimo implicarentur bello. Sed utcunque res ſe habet, in antiquo fœdere a Venetis perſeueratum eſt, quod antea ipſi cum Rege, ut ſuprà memorauimus, percuſſerant; reſponſumque Hemanuelis legatis in hunc modum, neque iure gentium, neque ueteri ſuo, maiorumque inſtituto Venetos facturos, ſi in Regem fœderatum, & amicum arma tam temere ipſi induerent: nam Deos uiolatorum fœderum ultores timebāt, quos fallere nulla humanarum rerum cauſa Venetis unquàm licuit. Cæterùm in his, quæ ad dignitatem Reip. ſpectare uidentur, poſſe, debereque Hemanuelem amiciſſimi populi fauore, ac opibus omni tempore ad libitum pro ſuis uti: nunc uero, ſi petita abnegentur auxilia, id quidem, ne fides publica uioletur, Senatum iudicare, ſancte, recteque facere, atque cum his legati dimiſſi. Et quia apparebat, Hemanuelem hoc reſponſo exacerbatum res nouas in Venetos moliturum, continuo publice decretum eſt, ut ex cunctis Græciæ Emporiis Veneti negociatores reuocarentur. Imperator autem, cui Adriacum nomen ſemper inuiſum fuit, ubi negata auxilia eſſe ſenſit, quaſi legitimam nactus occaſionem inferendi belli, præmiſſa in Illyricum claſſe, Spalatrum, Tragurium, Raguſium, & Corcyram Venetis ademit: mox aliam machinatus fraudem, ſimulat ſe eas urbes occupaſſe, non tam Venetis nocendi conſilio, quàm ut ad priſtinam amicitiam ipſos retraheret. Legatis itaque ad Senatum miſſis, urbes Dalmatiæ reſtituere pollicetur, ac damna quæcunque reficere. hortatur inſuper, ut Patres permittant, ſuos mercatores ſolito more Græciæ Emporia frequentare; quos læto animo, cunctis Imperii locis uiſurus, admiſſuruſque eſſet. Multum, ſatiſque mouere patrum animos Hemanuelis nomine legatorū pollicita, ſed plus omnino in ipſum Imperium tot beneficiorum uetus, recenſque memoria; qua freti, prioris decretum edicti Patres ſtatim Senatuſconſulto abrogant, fitque omnibus poteſtas, libere in Græciam nauigandi. Hoc uulgato, ingēs ſubito uis nauium quæſtus cupiditate, pars Conſtantinopolim, pars in Peloponeſſum, ad finitimaque circum loca uſque in Euxinum, Tanaim, & Meotidem paludem, ad ea exierunt negocia: miſſique Seb. Zianus, & Aurius Maſtroperius Legati ad renouandam cum Hemanuele amicitiam. Ipſe autem perfidia plenus, conſtituto ad id facinus die, tota Græcia, & cunctis Imperii finibus Venetos, eorumque naues, & Bona cum mercimoniis repente intercepta oppreſſit, ac in ſeruitutem redigit. Legati noui-

Patriarcha Aquileienſis, & canonici capti.

Not. Ludos.

Not. Hemanuelis perfidiā.

No. Venetorum reſponſum.

Not. fraudulētiam.

tate rei territi occulte fugam ſubitam arripiunt,nunciantque, dum in uia eſſent, per tabellarios,celerrimaque nauigia,quæcunque haberi potuerunt, immanem facinoris atrocitatem,quam in Venetum nomen perfidiſſimus omnium mortalium Hemanuel exercuerat. Defixit rei indignitas Patrum animos: ſed ad ulciſcendam iniuriam ciuitas conuerſa, ualidiſſimam continuo centum nauium claſſem inſtruendam curauit,quæ intra centum dies,uniuerſo populo operam ſuam præſtante, cõfecta dicitur; tanta celeritate,atque eo belli apparatu,ut poſt Romani Imperii ruinam, nullum alium Latini nominis populum, aut Principem, tantis uiribus claſſem eduxiſſe mari unquàm perlegerimus, ea autem in altum è portu ſubito educta, cui Michael Princeps præfuit,in hoſtem uindictæ auida ferebatur: Dalmatiæque appulſa finibus, Spalatrum,Tragurium,Raguſium,quas urbes Græci antea occupauerant, magna oppidanorum cæde recepit; ſupplementoque ex Illyrico, & Lyburnia accepto Michael cum tota claſſe in Euboeam defertur. Perculſus uerò tam numeroſæ claſſis aduentu inſulæ præfectus,quum ſe imparem Venetorum uiribus eſſe cerneret, ad dolum, ut eſt gentis natura,conuerſus,colloquio petito Principem adiit, eique callide perſuadet, ut ad Hemanuelem Conſtantinopolim Michael Legatos ſuos mittat, certoque ſciat,eum belli,diſcordiarumque pertæſum, qualemcunque pacem libenter amplexurum. Venetus ludificationem, fraudemque præfecti uerbis minime ineſſe credẽs, Legatos Aquilinum Antiſtitem,& Manaſſem Baduarium Græci ſermonis peritos ad Hemanuelem deſtinat. inde ad uictoriæ curſum proſequendum Michael paratus, in Chium tranſmiſit, inſulamq; confeſtim in ſuam poteſtatem redigit: & quia iã hyems appetebat,hìc Legatorum a Boſphoro reditum expectare conſtituit, ac uim, armaq; interim ab Imperatoris rebus infeſtandis continens,moram inglorius trahebat,at ille,ut callido erat ingenio,curam ingentem pacis habere uidebatur, quædam petere, alia tergiuerſari,illa probare,hæc reiicere,atque altercatione hinc inde in longum, irritumque protracta,Veneti Oratores rẽ infecta redierunt,peſtilentia ingẽs interim repente orta claſſem inuaſit;malumque latius ſerpens, breui ingẽtem uim hominum miſerabiliter confecit,creditum etiam uulgo eſt,flumina, unde Veneti aquabantur,& maria proxima Hemanuelis iuſſu ad perdendam claſſem ueneno fuiſſe infecta, atque ex ipſo aquarum hauſtu perniciosam cladem Veneto inflictam;quæ tanta extitiſſe dicitur,ut ex centum,& amplius nauibus,quas initio Michael in Græciam traiiciens,habuit, decem & ſeptem tantùm Venetias ſemifractæ,& attritæ, turmis peſtilentia extinctis reductæ ſint. Ferunt,ad hæc,omne Iuſtinianæ familię nomen ea clade deletum:nàm ita ſane acciderat, ut cuncti ex ea gente uiri,qui arma per ætatem ferre poterant,Romanos illos Fabios imitati, ad id bellum exiuiſſe, pro patria pugnaturi,quam ardẽtiſſimè amabant: itaque ex his omnes ad unum partim ferro,partim ueneno,morbiq; ſæuitia periere. extinguiturq; penè nobiliſſima familia,cuius immeritam internitionem ciuitas ęgerrime tulit: ad eam autem reparandam, unus ex ea gente ſuperſtes Nicolaus nomine,qui monaſticum habitum indutus,ad Diui Nicolai littorale fanum,ſacris operabatur, Alexandri III. Pontificis authoritate ex religioſo illo cœtu egreſſus, ad coniugium tranſiit, ductaque in matrimonio Anna Principis Vitalis filia, nouem ex hoc connubio ſuſcepti ſunt liberi; in his ſex uirilis ſtirpis, & tres fœminei ſexus fuerunt: quarum duæ matrimonio collocatę ex Eſtenſi, & Scalana familia præpotenti & Illuſtri uiros habuere,quorum poſteri in Ferraria, & Verona Principatum tenuere: tertia cœlibem uitam duxit. Ex filiis autem Mattheus, Marcus,& Vrſatus ſine liberis deceſſerunt: reliqui tres Marinus, Iacobus, & Philippus cõplures liberos procrearunt, unde Iuſtiniana ſoboles propagata, diuina pietate familię noſtræ belli iniuria pene extinctæ, reparationem obtinuit: quę iam inde præclaris domi,foriſque Senatoribus,ſummiſque in regenda Rep. uiris,bellicoſiſque terra,marique Ducibus,ac facundis floruit Oratoribus. Hæc autem omnia de Iuſtinianæ familiæ reparatione,propagataque per matrimoniorum iura ſoboles, Hieronymus Iuſtinianus, D.M. procurator uir ingenio clarus,ſua ſingulari induſtria è tenebris in lucẽ eruit;cui nos omnes ob uetuſtæ rei cognitionem eius ſtudio renouatam plurimum ſanè debemus. At Michael,ut inchoatæ rei materiam proſequamur,Hemanuelis perfidia,

Not. claſſem Venetorum ingentem.

Legati principis.

No. Venetorũ cladẽ ad Cõſtant.

Nota Iuſtinianæ fam. caſum

Liberorũ procreatio a Religioſo uiro.

Hier. Iuſtinianus. D.M. procurator.

dia,

dia,ad excidium penè redactus,tot hominum millibus morbo,ferroque conſumptis, claſſis reliquias domum reducere ſtatuit. Itaque ad prima ueris ſigna,ex Chio,ubi hybernarat,Mythilenas tranſmiſit, inde in Lemnum, ex Lemno Schyrum tenuit, cadētibusque inter nauigandum pernicioſa ui morbi ex miſeris turmis quàmpluribus: claſſem demum penè deſolatam,deletamque Venetias reduxit;repenteque cōtagioſa lues totam urbem inuadens,lethali clade eam miſerabilem in modum deformauit.tota autem ciuitas Vitalem amaris conuitiis lacerabat, culpamque in eum omnē acceptæ cladis conferre, proditoremque appellare,& Reip.hoſtem; qui dum Hemanueli Veneti nominis infeſtiſſimo, eiusque pollicitis nimium credit, eam cladem adiiſſet,tot conſumptis ferro,uenenoque uiris,tot amiſſis nauibus, tot extinctis egregiis bellatoribus;& quod acerbius eſt,Venetam urbem grauiſſima peſtilentia infeciſſet: ipſe autem quum purgare ſe uellet,præ populi tumultuantis, obſtrepentisque clamore id agere non ualuit:è media igitur concione occulte dilapſus, ad Zachariæ fanum a quodam obuio grauiſſimo uulnere illato, poſt decimū ſeptimum Ducatus ſui annum interfectus periit.

Not.populi querelas.

Fuit autem Vitalis uir ſumma probitate, & innocentia præditus,cui nihil æque nocuit,ac nimia modeſtia, eiuſque propenſa ad pacem inclinatio;quam dum credula ſpe,ac percupido animo ſequitur,Remp.in hanc calamitatem coniecit:eiuſque indigna cædes ciuium animos adeò turbaſſe fertur, ut ad uindicandum parricidium Decemuiri continuo cum ſumma poteſtate creati ſint.

Vitalis.P. cædes.

alii pro Decemuiratu (undecim uirorum electionem factam dicunt) qui Principem in demortui locum crearent;atque hos fuiſſe tradunt,Leon.Michaelem,Vit.Dandulum, Henricum Nauigaioſum,Renerium Zenum,Philippum Græco, Aurium Maſtroperium, Dominicum Maurocenum,Manaſſem Baduarium,Henr.Pollanum,Candianum Sanutum,& Vit.Paleriun.ab hiſque tum primum Seb. Zianus ſine populi authoritate, ut antea fieri conſueuerat,Princeps declaratur.

vndecim uirorum electio.

Ferunt,electores ad Aurium Maſtroperium unum ex undecim uirum optimum,& ſapientem conuerſos unanimi conſenſu ſummam dignitatem ei demandare uoluiſſe:tum ille (ut ſingulari in patriam erat charitate,& ab ambitione alienus,Collegis perſuaſiſſe dicitur,ut pro communi beneficio in Seb.Zianum ſua uerterent ſuffragia. Qui ætate,ſapientia,fortunis, inter reliquos ciues longè eminebat;facileque ea temporum nouitate non ſolùm conſilio, ſed opibus etiam (quibus maximè affluebat) Remp.iuuare poſſet. His itaque Aurei perſuaſionibus illi moti,miro conſenſu Zianum Ducem creauerunt.

Seb.Zianus Dux. 39.an.D. 1164.

Ac per id tempus ex tribus inuſitatę magnitudinis columnis ex Græcia aduectis, duæ earum in conſpectu fori parua intercapedine diſtātes admirabili artificū ingenio erectæ ſunt,tertia in profundum aquarum depreſſa, quum prior ea in terram machinis quibuſdam attrahi è naui cœpiſſet, quæ ad hunc uſque diem ſub aquis eſſe dicitur. Cæterùm quum colūnæ aliquandiu humi abiectæ iacuiſſent,nec quiſquam reperiretur,qui eas ob uaſtam molem erigere auderet, tum publice edictum, ut quicumque id opus ſua induſtria & ingenio conſummaſſet, fas illi eſſet, quid honeſtum petere: quandoquidem Senatus id fide publica inuiolabiliter præſtaret. Ferunt, artificem, conſummato, perfectoque opere, pro mercede poſtulaſſe, ut aleæ luſoribus ipſo intercolumnio vel dolo, & fraude, ac feſtis, profeſtiſque diebus impune ludere liceret, uana ſanè, & inſulſa petitio tua, quiſquis ille fuiſti,perpetua, infamique ſuggillatione non caret, quum tam turpi ordini conſultum uolueris; qui tibi niſi probatus, gratusque fuiſſet, haud equidem tam impudenter ad illius commoda reſpexiſſes.

Not. Artifices poſtulatum.

Hic quoque ad Riualtum primus omnium pontem ſtatuit,atque alia complura priuatis,publiciſque locis conſtruxit ædificia.Sed dum hæc domi fiunt,Hemanuel Byzantii Imperator magno Venetos odio proſequens, nullam eis quoquo modo nocendi artem omittebat. Oratores enim Reip. qui apud eum legationis munere fungebantur,contra ius gentium magna affecit iniuria,per ſpeciem ſi quidem ſecretioris colloquii,diis,hominibusque contemptis, Henricum Dandulum alterum ex legatis ad ſe clam uocatum candenti ære oculis debilitauit, quę ſordida hominis perfidia degenerem, abiectūque eius arguit animum:effecitque,ut quilibet hoc pro indubitato credat,quod apud quoſdam ſcriptum legitur,humili loco Hemanuelem na

Not. Hemanuelis ſcelus in Legatum.

ricus autem Guidone pro uero Pontifice Romæ conſtituto, in Appuliam abiit, crudeli edicto prius propoſito, quo omni Italia Pontifex Alexander exturbabatur; ac capitale eſſet, ſi quis eum fugitiuum, ac imperii hoſtem iudicatum, cibo, potuve, aut hoſpicio iuuiſſet; ciuitatibusque, & Regulis, qui illum excepiſſent, ſæuiſſimus eccleſiæ hoſtis ſupremum excidium comminatus eſt. His igitur Cæſaris perſecutionibus Pontifex uexatus, quum omnia circumcirca tota fermè Italia hoſtilia ſibi cerneret, tacitam fugam meditatus, a Beneuento ad Garganum montem tranſiit; mox inde Lyburnico nauigio Iaderam delatus, ex Dalmatia ignoto habitu Venetias, tanquàm ad unicum libertatis domicilium, & ſecuram quietis ſedem confugit: nec hìc quoque ſatis fidens, ob impium Federici edictum, quo pontificia oppugnabatur dignitas, inopis ſacerdotis habitu ad Charitatis ædem latuit, atque, ut aliqui aiunt, ad ſordidum culinæ miniſterium, ut occultius perſonæ magnitudinem celaret, ſe ultro dimiſit.

Pontificis ad Venetam urbẽ acceſſus.

Verũ non diu tantus hoſpes latere potuit: nam dum Miſſarum ſolemnia in tẽplo celebrat, cum quiſpiam intuitus, qui tum ibi forte ſacris intererat, cui Commodo fuiſſe nomẽ tradunt, Alexandrum Pontificem Romanum certo indicio eſſe cognouit: ſtatimque id Principi, & Patribus in curiam delatus, propalauit: quo audito, nouitatem rei omnes admirati, ad eum ſtatim publice excipiendum ſtudioſe incumbunt. Princeps igitur, Senatus, populus, Clerusquè omnis honorificentiſſimo apparatu ad locum profecti, Alexandrum Pontificem aduoluti genibus lætanter excipiunt, ac inter publicas gratulationes in Patriarchatum Oliuolenſem deducunt, ſpe pacis cum Federico iungendæ a Senatu facta, aut armis Pontificiæ dignitatis illi aſſerendæ, quando alienum a pacis ſtudio Cæſar animum haberet.

Pont. a Venetis excipitur

Primum igitur omnium Legatio ad Federicũ decernitur, in qua duo clariſſimi Senatores, Philippus Vrſus, & Iacobus Centranicus delecti ſunt, qui publico nomine Federicum orarent, ut poſitis armis, infeſtationeque Eccleſiæ omiſſa, cum Pontifice in gratiam redire uellet, facturum eum rem Cæſarea æquitate dignam, quæ Chriſtiani nominis decus, & quietem Italiæ reſpicere debet.

Legati ad Fed. Imperatorẽ.

Ferunt, Pontificem, quum publicæ litteræ ad Federicum de fide Legatis habenda, ut fit, cæra obſignatæ eſſent, in Principis, & Senatus gratiam mandaſſe, ut Ducales in poſterum litteræ plumbo munirentur, qui obſeruationis uſus in hunc uſque diem permanet.

Litterarũ Ducaliũ obſignatio.

Legati igitur ad Federicum in Appuliam profecti, benigne ab eo inter circumaſtantium Imperii procerum coronam excipiuntur, humaniſſimisque uerbis Reipub. nomine expoſita mandatorum parte: ubi ad mentionem pacis cum Pontifice agendæ uenere, tum Federicus ira accenſus, Ita, inquit, & hoc ueſtro Principi referte, Federicum Romanorum Imperatorem, ſontem, & fugitiuum hominem repoſcere: qui niſi quàm primùm ſub cuſtodia mittatur, fore, ut Veneti rebelles, hoſtesq; Imperii iudicẽtur, euenturumque, ut uictrices Aquilas, & Imperialia ſigna ante Diui Marci ædem præfixa medio foro breui conſpecturi ſint. Cum his Legati dimiſſi, ferociſſimum Federici reſponſum Senatui retulere. Pontifexque plurimùm expauit: ſed Princeps iacentis animum conſolando erigens, omnes maritimas Reip. uires ad eius dignitatem tuendam Pontifici obtulit.

Att. ſuperbum Fed. reſponsũ.

Federicus autem in Venetos moturus ſeptuaginta quinque triremium claſſem confeſtim inſtruendam curauit, eique Othonem filium præfecit.

Ingens Fed. Imp. claſſis.

Veneti ex altera parte ad retinendum maris imperium contra potentiſſimum hoſtem arma & ipſi ſedulo parant: eratque ciuitas in tanti belli expectationem erecta: quum ſubito trepidiſsimis nunciis allatum eſt, Othonem Federici filium cum numeroſa claſse ad Hiſtrie littora appuliſse, ingentique populos terrore concuſſos noua conſilia agitare: tum Zianus Princeps in tanto Reipub. diſcrimine ad expediendam claſsem conuerſus, triginta triremes optime inſtructas mira celeritate contrahit, diuinisque rebus a Pontifice pie celebratis, proſperam ipſe nauigationem, fœlicem pugnam, maturamque uictoriam principi, Venetoque nomini precatur: inde ad Zianum, qui iam ferro cinctus cum magna nobilitatis parte in foro aderat, conuerſus, aurato eum enſe, aliisque equeſtribus ornamentis publice inſigniuit, hortatusq; eſt, ut in Deorum auxilio ſpe repoſita, Venetus fortiter pugnare uellet. nec enim defuturam cœlitus opem, quæ inſigni uictoria nomen Venetum perpetuo illuſtraret: ille uero portu egreſsus triginta longis nauibus in hoſtem magno animo fertur; quem

Veneta claſſis.

ad

ad Salborium Hiſtriæ promontorium,quod in Pyranenſi tractu eſt, repertum ferociter inuadit:excepitque Germanus pari audacia irruentem Venetum, commiſſaque atroci pugna pluribus horis dubio utrinque Marte dimicatum. claſſe demum hoſtiũ fuſa,profligataque inclytam Venetus uictoriam adeptus eſt. nam Othone capto, & ſaucio, ſexaginta fermè hoſtium triremes,præter alias in profundum demerſas, incenſasque.in Venetorum poteſtatem uenere.

Clara Venetorũ uictoria.

Ad eam ſingularis uictoriæ famam ingens lætitia cum ſtupore Pontificis animum,uniuerſamque ciuitatem occupauit: nec adduci homines poterant,ut crederent, à tam paucis innumerabilem manum profligatam eſse,ſecundoque euentu in potentiſſimum hoſtem, ac longe uiribus ſuperiorem,ita a Veneto pugnatum.Sed nihil eſt in rebus bellicis tam inexpugnabile, & munitum, quod non diuino certe conteratur auxilio. Vt uero uictricem claſsem ad urbem appropinquare nunciatum eſt, uidendi ſtudio ingens populi multitudo obuiam effuſa ad portum uſque proceſsit: ibi quoque Pontifex,Senatuſque omnis officii gratia aderant: è Ducariaque triremi in littus Principem deſcendentem, ſtatim Alexander Pontifex complexus,uictoriam illi gratulatur: inde annulum porrigens aureum,

Not. Annuli uſum

Verba põtificis.

Accipe,inquit,Ziane,& me authore hoc mare tibi,Venetiæque armis obnoxium deſponſato;quod tu,& futuri Principes quot annis ſtato die in perpetuum ſeruabitis;ut omnis poſteritas memoria repetita intelligat,maris poſseſſionem patria uirtute, ac nauali diſciplina ueſtram eſse iure belli quandoque factam; atque ut uxorem uiro, ita illud hoc deſponſationis annuæ munere ueſtro ſubiacere imperio. Tum Princeps gratiis Pontifici actis,Othonem Federici filium, quem ſecum adduxerat, captiuum obtulit: ipſeque,atque alii Germani proceres,maritimo prælio capti in cuſtodiam traduntur: mox Otho cum Venetis egit,pollicitusque eſt,ſi in Germaniam è cuſtodia dimiſsus proficiſceretur,fore,ut Federicus pater cum Alexandro Pontifice, & Veneto Senatu in gratiam rediret; quòd ſi ille reiecta pace in armis perſeuerare uellet,ſolemni iuramento fidem ſuam aſtrinxit,ſe quàm primum ad Venetos ſub priſtinam cuſtodiam rediturum.

Otho liberatur.

His igitur pollicitationibus Otho dimiſsus in Germaniam profectus eſt: & quum ad patris conſpectum ueniſset,maxima lætitia ab eo excipitur. poſt hæc de ratione belli multa locutus,fortunam in re militari Otho accuſauit,quòd uiribus ipſe longe ſuperior a Veneto nauali prælio uictus fuiſset: atteſtatusque eſt, ſe omnia diligentiſsime curaſse,quæ ad optimi Imperatoris officium pertinerent, ſed credere,diuina prouidentia factum,quod tam ualida claſsis a pauciſsimis profligaretur, atque ex iniuſta belli cauſa hanc pugnam aduerſam eueniſse; orare ſe proinde ipſius clementiam,ut a Pontifice inſectando abſiſteret,& cum eo,& Venetis pacem, amicitiamque reconciliatis animis firmaret; quod Diis acceptiſsimum, ac uniuerſo Chriſtiano populo ualde ſalutare futurum eſset; ſatis, ſuperque in Pontifice oppugnando terra,marique laboratum; ſed omnia fruſtra tentata, quum iniuſtum geratur bellum, aduerſus optimum,& ſanctiſsimum Pontificem; facturum eum iccirco rem Chriſtiano, ac Auguſto nomine dignam, ſi pacato tandem ipſe animo, odiorumque, ac irarum extinctis facibus, Pontificem amplecteretur, profugumque in Romanam ſedem uerum Chriſti Vicarium reduceret.

Not. Othonis uerba ad Fede. patrem.

Magniſque ad hæc inſtabat precibus,ut accepta prius publica fide, Federicus ad Venetam urbem ſe cõferret, ubi Põtifici coram ſatisfaceret,ac ab eo uenia petita, duo Chriſtiani nominis ſummi principes perpetuam inter ſe pacem componerent. Valuit filii oratio plurimum apud patrem; continuoque Federicus ab armorum ſtudio ad pacem conuerſus, de reconciliatione,ac concordia redintegranda cum Alexandro,& Venetis per Legatos agere cœpit: nec ita multòpoſt publica fide accepta,Federicus cum Othone filio, ac frequenti Germanorum,Italorumq; procerum comitatu Venetias acceſſit.

Placatur Cæſar.

Petrus Zianus Principis filius, cum ſex longis nauibus officii gratia Rauennam uſque primum miſſus eſt illi obuiam,urbique poſtea appropinquantem multa nauigia inſigni ornata apparatu Clodiam uſque progreſſa Federicum triremi aduectum ornatiſſima exceperunt. Vbi uerò Venetias peruentum, Alexander Pontifex ad Diui Marci templi fores ſella ſedens aurea, Cardinalibus,Oſtienſi,Portuenſi,Præneſtino, ac unà Ziano Principe, Senatuque omni aſtantibus,Federicum ad ſe progredientem expectabat. is ubi proxi

Not. Federici acceſſum ad Venetam urbem

mo

mo loco ſtetit, purpuream humeris clamydem depoſuit, atque humi, Imperiali amo-
to faſtu, procumbens, Pontificis pedes exoſculatus eſt. Alexander autem Federici col Nota. de
lo planta ſuperpoſita, Dauidicum illud in Pſalmo protuliſſe dicitur. Super Aſpidem, pſalmo.
& Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis, Leonem, & Draconem. tum Federicus, alto
adhuc inflatu ſpiritu, Nõ tibi, inquit, ſed Petro. Cui Pontifex impreſſa fortius planta,
Et mihi, ait, & Petro. Inde illum confeſtim manu alleuatum Pontifex ad oſculum ad
miſit; templumque ſimul ingreſſi duo Orbis terrarum ſummi Principes ad aram ma
ximam acceſſere; ubi ædito in loco poſt pias preces Deo redditas, ambo conſpecti, ac
ſe inuicem cum gaudio alloquentes, ſuauiſſimum populo ſpectaculum præbuere. Ade
rant & hi omnes uiri religioſi, & cucullati, Pontificem ex diuerſis Orbis partibus ſe-
quuti, Pontius Claramontius, Epiſcopus Bonaualles, Abbas Romualdus, Archiepi-
ſcopus Salernitanus, Regerius comes Andriæ, ambo Oratores Regis Siciliæ, Vlderi
cus Aquileienſis Patriarcha, Philippus Colonienſis, Chriſtianns Maguntinus, Vica- Not. prælatorum numerũ.
manus Magelburgenſis, Arnulphus Treuerenſis, Corradus Salſaburgenſis, Archiepi
ſcopi: Algiſius Mediolanenſis, cum Milone Epiſcopo Taurinenſi, & plerique alii tam
Itali, quàm exteri uiri inſignes. Ferunt, ſolenni Dominicæ Aſcenſionis die id factum:
unde in tam fœlicis rei memoriam, celebrem illam indulgentiam Diui Marci tem-
plum uiſitantibus quotannis eadem die in perpetuum conceſſam. Qua item luce
Princeps cum magna Senatus parte Bucentauro ad mare deſponſandum ad portus
fauces progreditur, inauratoque annulo è puppi in ſubiectum pelagus proiecto, hæc
pauca ore profatur, Deſponſamus te mare, in ſignum ueri, perpetuique Imperii: at-
que inde Superis pie exoratis, Princeps, Patreſque reuerſi, laute in curia epulantur.
Nec ita multis interiectis diebus, Pontifex, Imperatorque Venetiis abiere. Quos Zia No. maris deſponſationem.
nus Princeps officii gratia ſequutus eſt: ſed Federicus terreſtri itinere, Alexander au
tem Pontifex cum Ziano Principe eodem tempore mari Anconem peruenere: ubi
quum tota ciuitas lætabunda ad portum effuſa, publico nomine Vmbellas duas auro
contextas, unam Alexandro, alteram Federico obtuliſſet, tum Pontifex tertiam Ve-
neto Duci afferri iuſſit, eaque, ut ipſe, & reliqui Principes perpetuò uterentur, inſti-
tuit. Vbi uerò Romam uentum eſt, ingenti quidem lætitia Pontifex a tota ciuitate ex
cipitur. Et quum inter multa, & uaria Romani populi officia, argenteas tubas, diuerſi Not. inſignia
quoque coloris uexilla eſſet intuitus, ad Apparitores conuerſus, qui illi aſtabant, ex
ipſis tubis octo, totidemque uexilla, in adeptæ uictoriæ memoriam offerri Principi
Ziano iuſſit. Cæterùm non deſunt, qui affirmant, fuiſſe inſignia illa aliunde quæſita,
uictoriæque huius ſucceſſum diuerſum ab eo, qui a nobis traditus eſt, enarrant: ſed
id Veneti Annales habent: confirmatque hoc idem figuratio illa in comitiis totius rei
geſtę: niſi enim res eo modo, quo ſecuta, & a nobis relata eſt, ueritatem contineret,
non utique Priſci illi Veneti modeſtia pleni, tam impudenter eam Hiſtoriam in pu-
blicum referendam cenſuiſſent. Adde, quòd eiuſdem rei ſchema Senenſi in Vrbe dũ
centeſimo & amplius ab hinc anno figuratum apparet: id quod multi uidiſſe affirmãt
in quis Matthæus Dandulus, & Aloyſius Mocenicus, uiri ampliſſimi, ſunt, qui dum è
Roma legatione functi, per Hetruriam iter facerent, rei geſtæ ſeriem publico Senatũ Mat. Dandulus Al. Mocenicus.
atrio depictam inſpexere; & ad præſens hoc tempore, quo hæc ſcribimus, Pius IIII,
Pontifex Maximus eandem Hiſtoriam Romæ in inſigni aula a Ioſepho Saluiati, picto
re nobiliſsimo, excellenti opere repræſentãdam curauit huiuſcemodique Elogium,
quo res geſta breuiter continetur, apponi iuſſit: Alexander Papa III. Federici. I.
Imp. iram, & impetum fugiens, abdidit ſe Venetias, cognitum, & a Senatu perhonori
fice ſuſceptum, Othone Imperatoris filio nauali prælio a Venetis uicto, captoque. Fe-
dericus pace facta, ſupplex adorat, fidem, & obedientiam pollicitus: ita Pontifici Not. De Elogio.
ſua Dignitas Venetæ Reip. beneficio reſtituta. Quid clarius? Extant etiam carmina
quædam uetuſto ſaxo inciſa, ſuper fores templi, quod ad Salboriũ in Hiſtriæ ora eſt,
ubi nauale fuit prælium; quæ fidei cauſa hìc annotauimus:

Heus populi celebrate locum, quem tertius olim
Paſtor Alexander donis cæleſtibus auxit. Not. Carmen.

Hoc

Hoc etenim pelago Venetæ uictoria claſſi
Deſuper eluxit, ceciditque ſuperbia magni
Induperatoris Federici, & reddita ſanctæ
Eccleſiæ pax alma fuit: quo tempore mille
Septuaginta dabat, centum, ſeptemque ſupernus
Pacifer adueniens ab origine carnis amictæ.

Sed (ut alia omittam) id ne forſan difficile eſt, credere, populum maritimæ rei diſciplina clarum, qui Pipinum Regem potentiſſimum, qui Rogerium, qui Guiſcardum, Hunnos, Sarracenos, Mauros, naualibus ſæpe præliis deuiciſſet, Othonem Federici filium numeroſam ductantem claſſem profligare non potuiſſe; uicere Romani parua manu Tygrannem Armenię Regem, Mythridatem, Antiochum; Alexander exiguis copiis, Darium, Porum: atque aliæ gentes alios: cur non Veneti maritimis pollentes uiribus Othonem iniuſtum gerentem bellum? Sed id externi ſcriptores non ponunt, nec iidem propterea negant. ſatis eſt, quòd domeſtici annales aſſerant, referant, atteſtentur, quos ſequi debeo, in his præſertim, quæ tam uero ſimilia ſunt, ut nihil poſſit eſſe, uel magis ſimile, uel rationi, fideique proximum. Credunt Romani (Liuio prodente) Romulum, & Remum (quod a communi ſenſu diſtat) Lupam infantes uberibus ferinis nutriſſe, Decium in terræ hiatum armis ſe cum toto equo proieciſſe, Coclitem è ponte ſolum aduerſus tot armatorum millia pugnaſſe: hæc ille tradidit, in natura rerum noua, & rara; noſtra fidem non habebunt; quæ uſitata plerunque in bellis eueniri ſolet? Nec plura hoc loco dicta ſint, prudens lector iudicet. Poſt hæc autem Zianus Princeps Roma digreſſus, Venetias rediit, cui Oliuolenſis Antiſtes, Senatus, & populus officii gratia obuiam prodiere: ipſeque è Ducaria naui egreſſus, præcedentibus ſolemni, nouaque pompa, tubis, uexillis, vmbella, cum ſella curuli, ac puluino aureo, inter triumphales totius populi plauſus & congratulationes, nouis ornatus inſignibus, urbem ingreſſus eſt. Verùm Zianus Rep. domi, foriſque fœliciter adminiſtrata, anno Ducatus ſeptimo, quum prius fortunas, opeſque ſuas, quæ ampliſſimæ fuerũt, in pias cauſas diſtribuiſſet, è uita deceſſit; ad Georgiique fanum, ſub monaſterii porticu ſepultus fuit, cui multa, & ampla prædia mercatoria uia ex teſtamento legauit: Diui quoque Marci templum eius opibus maiori parte conſtructum, inſtauratumque fuiſſe dicitur, cuius ſtructura, ut pauca hoc loco de ipſo templo memorem, excellentiſſima omnium prædicatione habetur. Eſt enim innumerabilibus columnis tota moles innixa, templique faſtigia plumbeis operta tegulis, ſuperbiſſimique ad id fornices miro opificio ſummitatem templi ſuperiori parte fulciunt, in ipſaque teſtudinum, atque arcuum conuexura, quicquid a medio aſſurgit, puriſſimo fulget auro, muſiuoque ac theſſalato omnia opere ſurſum emicant: quod inde ad pauimentum infra ſubiacet, id totum marmoreis eſt compactum tabulis; circa imum ſedilia peregrini lapidis templi ambitum complectuntur: pauimenti ad hæc ornatus eximius, ubi figurarum, minutorumque lapillorum incredibilis contextus, uarietaſque apparet. In ipſo autem ueſtibuli faſtigio in fronte foris, quattuor ænei equi auro micantes, infrenesque admirabili, atque alacri ſtatu edito in loco prominent, ſimilemque pari corporis motu adeo greſſum ducentes habent, ut in ſubiectam latiſſimæ areæ planiciem pariter deſilire uideantur. Lyſippi, ut aiunt, opus, quod eximium eſt, & priſci quidem ſeculi. Hique a Tyridate Armeniæ rege Neroni dono dati dicuntur, quos poſtea Conſtantinus Imperator Roma Byzantium deuexit, inde Venetias tranſlatos Zianus celeberrimi templi culmine ſtabili, perpetuaque ſede conſtituit: perſimileſque æreo in numiſmate antiquiſſimo inciſos cum Neronis Cæſaris ex altera parte effigie, Paulus Ramuſius Ioan. Baptiſtæ filius, adoleſcens elegantiſſimi ingenii, ac uetuſtatis amator nobis uiſendos oculis ſubiecit. Sed deſcriptionem cœptam proſequamur: ad hæc eminens, operoſumque templi ſupercilium ſenis ſeſe explicat pinnaculis, ubi ex candido lapide nudi genii ſtatuæ repoſitæ exteriorem templi faciem mirum in modum exornant; aliaque ſuauiſſimi aſpectus ſimulachra hinc inde conſtituta admirabile ornamentum templo addunt: multa quoque Prophetarum uaticinia intus,

Not. deuictos Reges & populos.

Nota de Romulo, & Remu. & aliis.

Reditus Ziani. ad urbẽ.

Ziani P. mors.

D.M. templi deſcriptio.

No. de equis.

Paulus Ramuſi°.

intus,foris,ac ſurſum,deorſumque toto templo conſpiciuntur. omnis etiam ueteris, nouiqueTeſtamenti pulcherrimo aſpectu auro effulgens figuratio apparet: nam quicquid in Geneſeos,Exodi,Iudicum,Regum,Deuteronomii, Eſdræ, Ioſue,Sacris Bibliorũ uoluminib.continetur,id totum diuerſis templi locis miro opere repræſentatur. In his quoque noui Teſtamenti res diuinæ expreſſæ ſunt, ex Euangeliis, ex Actibus,ex Apocalypſi excerptæ, magna cum ſpectantium admiratione, & auguſtiſſimi templi ornamento: cuius Moles Ziani Principis opibus in hanc amplitudinem erecta fuit. Fama quoque tenet,huius Principis legato illam piam nummorum annuam diſpenſationem primò inſtitutam,qua Procuratores uiduarum, orphanorum, ac pauperrimi cuiuſque inopiam ſubleuant. In Ziani igitur locum ſummo omnium conſenſu Aurius Maſtroperius Princeps ſurrogatur. Ac ſub id tempus Iadera nouis adhuc rebus ſtudens, a Venetis defecit; ad quam recipiendam comparata eſt ſubito ualida claſſis, in Dalmatiamque cum ea eſt tranſmiſſum. tentataque urbs multis oppugnationibus capi non potuit,Bela Pannoniæ Rege firmo eam tenente præſidio. Inſulæ autem circumiectæ modico negocio Imperium recepere. itum tamen rurſum ad obſidionem Iaderę,quæ intermiſſa fuerat. Sed dum Veneti Dalmatico ſunt bello occupati,urbemque terra,marique premunt,ac ferox hoſtis nequaquam cedit, accingunt ſe interim Chriſtiani ex tota ferme Europa Principes ad Hieroſolymam recipiendam, ex qua Sarraceni octauo & octuageſimo anno, quibus Gothifredi auſpiciis a Chriſtianis urbs illa cum tota Iudęa occupata fuerat, Saladini uiri fortisſimi ductu Gallos eiecerant. Induciis itaque cum Bela Pannoniæ rege in biennium pactis, ut rem Chriſtianam pro ſua parte iuuarent, Veneti & ipſi ingentem claſſem decernunt; quæ in Syriam profecta, Acconem ſtatim maritimis oppugnationibus fatigauit. claſſe hoſtium poſtea diſiecta,ac toto mari fugata, Chriſtiani Venetorum auxilio urbem poſt annuam ferè obſidionem receperunt: multiſque aliis in prouincia a Veneto præclare geſtis. Claſsis tandem tertio anno,quo abfuerat,domum reducitur: nouumque nummi genus hoc tempore Venetiis ſignatum eſt, Aurellumq; à Principis authoris nomine nuncupatum: ipſe uero anno Principatus ſui octauo, atque,ut quidam ſcribunt, quarto decimo,monaſticam uitam ſequutus, ad fanum Crucis diē extremum obiit. ei ſucceſsit Henricus Dandulus, uir & magnitudine animi, & generis claritate inſignis;cuius auſpiciis Veneti Imperii fines longe, lateque mari promoti. cum Piſanis primùm,qui ex Syria cum claſſe digreſsi,in Adriaticum ſinum flexerant, armis diſceptatum: iniuriaque aThuſco orta. quippe qui Polam Hiſtriæ urbem ſubito incurſu oppreſſerat,indignabundum Venetum in arma traxit;nouaque ſubito claſse comparata,militeque in eam impoſito, ad Polam continuo itum; Piſaniſque inde fugatis urbs repente capitur,ac quicquid Hetruſcarum nauium illic fuit,uictor Venetus concremauit;Polæ ad hæc mœnia eſt demolitus,ne amplius Piſanis receptus eò eſset. Ab Hiſtriaque continuo claſsis Veneta digreſsa, Ioanne Baſilio,& Thoma Falerio præfectis,circa Brunduſium ferocem hoſtem adorta eſt. qui cum Veneto non auſus congredi,trepide toto ſinu exces ſit. Alii ad Methonem pugnatum dicunt,uictoriamque Veneto asſignant. Sed utcunque res ſe habet, non multò poſt inter utrunque populum pax ſequuta eſt. Per hæc quoque tempora fortuna iam ad altiorem gloriæ apicem Reip. ſtatum attollente,bellum nouum,ingenſque ad Orientem exarſit, quo maiori Græciæ parte conflictata,ad illas Veneti oras fines Imperii protendere. Nam pręerat per id tempus Græciæ rebus Iſachus homo Chriſtiani nominis amicisſimus,cuius uirtute,fidaque opera Galli,& Germani Duces, qui è Byzantio in Aſiam cum copiis transfretabant,maximum ſenſere bellicis in rebus adiumentum. hic fratrem minorem natu Alexium nomine habuit,quem tanta beneuolentia proſequebatur, ut nomē,iuſque Imperii commune cum eo eſſe uoluerit. Sed impius frater beneficiorum, tantęque necesſitudinis immemor, Iſacum in Stagira ad Strimonem fluuium oppido dolo captum,& a Pantaugeno Græculo quodam crudeli iuſſu excæcatum in uincula coniicit: nec uno contentus ſcelere, nepotem duodecimum agentem annum inſequutus nefarias manus in eum iniicere tentauit: ſed is amicorum conſilio, & præmatura prudentia celeri effugio periculum diſcusſit. Ferturque hic Alexius(quod Græca habet

Aur. Maſtro. Dux 30. an. D. 1178

Bela Pannoniæ Rex.

Venetorũ claſſis in Syria.

Aurellus nũmus.

Henri. Dandulus D. 41. an. D. 1191.

Iſachus.

Alexius.

Impietas Alexii in fratrem.

Niceta Choniates. bet hiſtoria, a Niceta Choniate uiro doctiſſimo compoſita, dum Arabicum fului coloris in Palatium è templo rediturus equum conſcendiſſet, tyrannum, & fratricidam ueluti rationis & ſenſus humani animal capax ſeſſorem agnouiſſe, hinnituque, & mor ſibus, & calcibus ille agitatus, equi tandem dorſo deiicitur, & gemmata corona è capi *Not rem miram.* te excuſſa eſt. ſecundo quoque adducto equo idem illi contigit, quo in auſpicato omi ne infœlix Alexii exitus facilè denunciatus fuit. Erant autem ea tempeſtate Venetorum opes, maritimæque uires ualidiſſimæ, quas ſibi adiungere aduerſus infideles in tranſmarina expeditione Principes Chriſtiani uehemẽter optabant: nam uerno eius anni tempore Bonifacius Monferratenſis, Baldoinus Flandriæ, Henricus Sancti Pau*Noua P. Chriſtianorũ expeditio.* li comites, Pleræque Dux Dolocus, & cum his Sabbaudiæ Regulus Ludouicus, ut in Aſiam cum copiis traiicerent, Venetias acceſſerant: maritimum. n. iter tutius, breuiuſque ad traiiciendum in Syriam futurum eſſe uidebatur, quum in Germania, Pannoniaque, unde aliquoties Chriſtianorum traductus fuerat exercitus in Aſiam, res per id tempus parum quietæ eſſent. Principes igitur cum Venetis paciſcuntur, ut nauigia ad conuehendos commeatus, equites, pediteſque, ac bellorum machinamenta uſque ad Thracium Boſphorum ſibi traderentur, ubi alia maior armatorum manus præmiſſa inſederat. magnumque auri pondus Veneto pro uectura promiſſum dicitur. Parata itaque claſſe, quia milites haud in tempore affuere, res in Autumnum protracta eſt: qua mora accidit, ut pecuniis Principes exinaniti, quas pro uiatico collegerant, coacti ſint, aliquot aureorum nummum millia mutuo a Venetis expoſcere, eam autem pecuniam Patres ex ſua liberalitate non ſolum mutui nomine erogarunt, ſed etiam dono dediſſe dicuntur, his tamen conditionibus, ut Duces Chriſtiani ſociis armis au*Nota Venetorum liberalitatem.* xilio Venetis eſſent, ad retrahendos ad Imperium Hiſtriæ accolas, Iaderamque recipiendam, quæ fruſtra antea oppugnata Pannonicis adhuc armis tenebatur: nõ modò non id Venetis negatum, ſed inito fœdere ſocia etiam, ut petitum eſt, cum his arma iuncta, Dandulus Princeps, & ſi Hemanuelis perfidia uiſu debilitatus, parum proſpera utebatur ualetudine, ne tamẽ Reip. deeſſet, cũ reliquis Ducibus in expeditionẽ bellumq; proficiſcens, ſubito claſſem aſcendit; primaque uelificatione Hiſtriæ littoribus appulſus, Tergeſtinos, Muglenſeſque in fidem receptos tributarios reddidit: in*Iadera recepta.* de Iaderam claſſe admota, urbſque Gallis, Venetis armis diu oppugnata demum multo cruore utrinque effuſo recipitur: ſuperuenienteque hyeme in Dalmatia numeroſa illa claſſis hybernauit. Huc autem Alexius adoleſcens, Iſachi Imperatoris filius, qui patrui ſceleratas manus effugerat, paruo comitatu acceſſit. Et ad Dandulum Ducem, Galloſque Regulos conuerſus, eorum fidem implorauit. multa enim de iniuria patrui quæſtus erumnoſam Iſachi genitoris conditionem expoſuit, qui fraterna impietate in ſummo uitæ diſcrimine conſtitutus eſſet, eiuſque cæcitatem, ſquallorem, *Att. Alexii querellas.* carcerem, & uincula memorauit; ſuumque ad hæc exilium addens, ſummis eos precibus orabat, ut afflictis rebus opem afferrent, nec inultam patris de Rep. Chriſtiana benemeriti iniuriam paterentur; polliceri ad hæc magnum auri pondus, præmiaque multa proponere, quæ euerſis inimiciſſimi uiri opibus, ac recepto Imperio ſe regia fide præſtaturum affirmabat. Mouit adoleſcentis oratio, & rei indignitas omnium animos; uiſaque eſt Venetis, & Gallis digna cauſa, cui quiſque libens fauorem, auxiliumque præſtaret. Iccirco ad prima veris ſigna, inſtructa claſſe, lectiſſimiſque in eam militibus impoſitis, Veneti, Gallique ex Illyrico ſoluerũt, Græciam uerſus perpetuò curſu nauigantes. Sed Iadrenſes quidam profugi, captata occaſione ex Venetæ claſſis diſceſſu, infeſtiſſimam Hiſtris, finitimiſque Dalmatiæ populis pyraticam exercere cœ*Att. Dalmatarum inſolentiã* perunt, nullibique eorum incurſionibus commeantia intra ſinum nauigia tuta erant. Decreta eſt igitur in Dalmatas prædones noua claſſis, pręſidente tunc Reip. Vicario nomine Raynerio Dandulo, Henrici Principis filio, & ad Iaderam extorrũ ſigna ſunt promota, cum Pannonico præſidio. uerùm nouo nauium, militumque ſupplemento è Venetiis in Dalmatiam accedente, rerum ſuarum periculo exules commoti, pacem ſuppliciter petiere, quam facile ex ſolita Senatus lenitate impetrarunt. miſſi ſunt tamen Venetias obſidum loco Principum liberi, expreſſumque, ut mille cuniculorum pelles quotannis Veneto Duci ex Illyrico tributi nomine mitterentur. Dum hæc in

 Dalma-

Dalmatia geruntur, Veneti interim, Gallique per Ionium, Aegeumque, ac Helleſpontum ad Propontidem iuxta Byzantium peruenerunt, Alexioque adhortante, urbis inuadendæ conſilium Principes Chriſtiani iniere; ad idque omnes intenti arma terra, marique parabant. Eſt autem Byzantium (ut de loco, ſituque eius pauca ſubiiciam) clariſſima Thraciæ urbs, a Pauſania Sparthanorum rege tot antè ſeculis condita; Conſtantinopolis poſtea dicta, a Conſtantino Cæſare Auguſto, qui Imperii ſedem ex Italia eò transtulit.

Byzãtii deſcriptio.

Eſt urbs ipſa opportuniſſimo loco ſita, ob terreſtria, maritimaque cõmoda: habet enim ad Septētrionem ſinum quinque paſſuum millibus ab alto ad Occidentem protentum. Valachi, Bulgari, Myſii, Thraces, finitimi ſunt: gens ferox, & armis aſſueta. ex urbis autem regione ſita eſt Pera, oppidum ſatis frequens, mariſque ipſius anguſtias a peruiis boum meatibus Thracium Boſphorum Græci appellant, & in ipſis Helleſponti faucibus duo ſibi ex aduerſo reſpondentia ad Garipolim caſtella (Dardanula uocata) poſita ſunt, quæ maritimam illam oram egregie ab omni hoſtili incurſu communiunt. Ad Byzantii igitur oppugnationem Veneti, Gallique intenti, urbem terra, marique bellicis operibus inuadunt, ac cathena primùm, quæ ad ſinus anguſtias ualidiſſima obiecta erat, a naui Veneta, Aquila nuncupata, perrumpitur. ingreſſuſque portum Venetus poſt laborioſum, cruentumque cum Græcis certamen, ipſum tandem occupat.

Nauis Aquila.

Ex altera parte Galli circa Euergetæ monaſterium, ac Blachernium palatium mœnia adorti in his demoliendis ſtrenuam operam nauarunt, in urbemque irrumpere nitebantur: Sed Theodorus Laſcari, Imperatoris Gener, cum firmiſſimis copiis ſubita eruptione ex urbe facta, in Gallos ferociter inuectus eſt, ac cruēto certamine utrinque pugnatum. uerùm pulſus Græcus intra mœnia cum ingenti cęde repellitur. Nec maritima oppugnatione Veneti urbem fatigare intermittētes, magnum hoſtibus terrorem incuſſere: nam ex nauium malis, ac tabulatis miſſilia, facesque in propugnatores coniiciebantur. in ſummoque diſcrimine res Græcorum conſtitutæ erant: tum tyrannus cum militum robore eò accurrens Venetum ferociter pugnantem aliquantum repreſſit: ſed terra, marique circumuallatam urbem quum diu tutari poſſe parum confideret, resque Imperii acciſas, ac prope perditas cerneret, concubia nocte, deſperata uenia, ex urbe clam cum Eudocia uxore ad Blachos in Myſiã profugit.

Byzantii oppugnatio.

Alexii fuga

at populus ſummo mane cognita illius fuga, Iſachum ſtatim ex uinculis eduxit: inde Alexius, Veneti, Gallique Duces patefactis repente portis in urbem ingenti omnium fauore excipiuntur; conſalutatisq; ſene, & adoleſcente Imperatoribus, magnæ utrinque gratulationes fuere. & Iſachus pro concione rata, firmaque eſſe uoluit, quæcunque filius cum Venetis, Gallisque pro recuperatione Imperii pactus fuiſſet; atque in hoc unum omnem curam intenderat, quum aduerſa ſubito ualitudine correptus ſenex interiit: nec filii in oſtendenda animi gratitudine erga Venetos, Gallosque ſuæ dignitatis aſſertores minor cura fuit, qui omnia ſedulo agebat, ut quæ promiſerat, illibata fide ſeruaret.

Iſachi interitus.

Verùm inſolens ciuitas, & Latino nomini infenſa, optimi adoleſcentis conſilia euertit: orto namque tumultu populus arreptis ſtatim armis in Imperialem aulam impetum facit: ibi conuiciis in Alexium indigne iactatis, eius imperitiam, prauitatemque animi accuſat, quòd ſtultus adoleſcens pecuniam undiq; conquiſitam abraderet, fortuniſque ciues ſpoliare uellet, ut gentis auariſſimæ ingluuiem expleret, miniſque in eum ferociter agebat. At Alexius in tanto ciuitatis motu uitæ ſuæ timens, ut populi furorem compeſceret, ſupra ætatem maturo conſilio uſus eſt, alta enim uoce pronuncians, ſe in ciuium ſuorum poteſtate futurum: eius noctis tumultum hac populari denunciatione ſedauit. Poſtridie, ut res ſuas firmaret, timēs uulgi inſtabilitatem, ad Bonifacium propinquum ſuum clam incaſtra mittit, eumque pro mutua neceſſitudine, & conſanguinitate orat, ac obteſtatur, ut tertia proximæ noctis uigilia cum armatis cohortibus ſibi ipſe auxilio quàm celerrime adeſſe uellet, magnum dicere, non Imperii ſolùm, ſed uitæ quoque ſibi a ſeditioſis ciuibus imminere periculum. At id quod Alexius moliretur, quum forte Murzuffus, ſiue Myrtillus, ob coniuncta ſupercilia Græco uocabulo ſic cognominatus reſciiſſet, homo ex infima plæbe ſeditioſus, & procax, & qui multis honoribus ab Iſacho cultus fuerat; continuo, ut ambitioſo erat ingenio, & ad omne facinus prompto, rem paucis aduerſæ fa-

Murzuffus.

ctionis communicat; Alexiumque incuſat, quòd is in Græcorum perniciem Latinos armatos in urbem introducat. ſtatimque nouo tumultu de induſtria orto, Murzuffus ſub ſpecie ferendæ opis ad Alexium accurrens, cum trepidantem inſtantis periculi metu, admonendo, hortandoque perpulit, ut ſeſe in abditiſſimam palatii partem illatebraret; iuuenemque ad locum perductum, ſatellitibus ſuis aſſeruandum, custodiendumque tradidit: inde in publicum exiens, ingenti populi concurſu facto, in quo loco res Imperii ſitæ eſſent, paucis uerbis edocet; deinde in Latinam gentem Græco aſtu inuectus de urbis periculo diſſeruit; eſſe proinde opus affirmauit, uiro aliquo prudenti, & non impubere, & rerum ignaro, ſi præſentibus malis obuiam iri, de urbis ſalute conſulere cuperent; multiſque aliis adhortationibus, ac humaniſſimis uerbis ad Imperium aſpirans, populi fauorem aucupari ſtudebat. Eſt itaque (id quod maximopere affectabat) uir ſagax conſecutus, ut inconditis uocibus eum uniuerſa concio copiarum Ducem, ac Imperatorem acclamarit: ipſe uerò Fortunæ blandienti in tanta occaſione non defuit: magna etenim ſatellitum, propinquorumque gratulantium caterua ſtipatus, in Palatium, regiaſque ædes irrupit, ubi Alexium adoleſcentem crudelis carnifex eliſo gutture propria manu necauit, inſepultumque relinquens, in alios Alexii nominis ſtudioſos ferrum diſtrinxit: Tãto facinore perpetrato, ingentes ſubitò copiæ a Myrtillo contrahuntur, ad partes ſuas hoc tyrannidis initio cõfirmandas: &, ut tutiorem rem Græcam ipſe redderet, Gallos, Venetoſque, quos infenſe oderat, armis è tota prouincia pellere conſtituit. Vrbe igitur cum omnibus copiis repente egreſſus, in Gallorum ſtationes circa Phileæ loca impetum fecit, quibus Flandrenſis comes, uir impiger: præerat is, ut, inuicto erat animo, ſtatim cum paucis accurrens, tam diu irruentem Græcum ſuſtinuit, quòd armatæ legiones, ſubſidiariæque acies affuere. momento itaque temporis ſub eorum appulſu hoſtis fuſus, fugatuſque trepide ſe in urbem recepit; ſignaque militaria Græcis adempta, cum Virginis Icone, quam gẽs illa in præliis ineundis præferre ſolet, eamque ab hoſte ablatam in bonum omen Itali, Gallique uertere. Iconeque ea eſſe dicitur, quæ hoc tempore in Diui Marci templo aſſeruata, circũmlataque piis per forum precibus, tempeſtates ſedat, Solemque inducit. Contraria quoque ratione nubes, pluuiaſque ciet. Res inde inter Venetos, Galloſque in conſultationem uenit, eſſet ne Alexii indigniſſima cædes uindicanda, aduerſus perfidum tyrannum; qui Imperio occupato nefarias manus regio ſanguine tam inhumane polluiſſet. Decreuere igitur omnes unanimi conſenſu rem armis gerere, ac bello ſontem Grecum proſequi. fœduſque inter Venetos, Galloſque denuo initũ; in quo ita expreſſum, declaratumque eſt inter partes, fœdum Myrtilli ſcelus omnibus deteſtantibus; ut bello fine fœliciter impoſito, ipſius urbis, oppidorum, Inſularũ, rerumque omnium, quas ſociis armis Veneti, Gallique ex Conſtantinopolitano Imperio capturi eſſent, dimidiũ Gallus haberet, reliquam partem Venetus teneret. Cõfeſtim igitur hac noua fœderis formula contracta ad oppugnandam urbem copiæ terra, marique ductæ ſunt: plurimumque circa mœnia laboratum, Græcis ea fortiſſime tuentibus. Cæterùm is fuit Venetæ claſſis in hoſtium munitiones impetus, ea turmarum uirtus, ut pulſo è mœnibus præſidio ab ea maris parte prius Veneti, quàm Galli à continenti in urbem irruperint, in octauumque & ſexageſimum diem expugnatio illius protracta eſt. ſed Myrtillus, antequàm urbs caperetur, noctis umbra uſus, magno auri pondere aſportato, ad Theſſala Tempe profugit; qui poſtea captus, atque ex alta columna in Tauro urbis regione, ut uaticinio quodam illi prædictum fuerat, Balduini iuſſu præcipitatus, miſerabiliter periit. Oppidani autem uenia humiliter petita, uictorum clementia ſeruati ſunt. Byzantio recepto, de creando Imperatore conſultatione ſtatim procerum, Ducumque habita, conuenit inter omnes, ut quindecim uiri crearentur. ab aliis, duodecim fuiſſe traduntur. ſed ego priorem numerum teneo. quibus Imperatoris eligendi ius, poteſtaſque eſſet: necnon urbis Antiſtitis creãdi. Secundum hæc decreta, Veneti ex electorum numero hos quinos dedere, Othonẽ Quirinum, Nico. Nauigaioſſum, Panthaleonem Barbum, Vit. Dandulum, & Bertutium Contarenum. Flandrenſis, & Sancti Pauli Comites totidem, qui fuere Dux Saxoniæ, Mareſcalchus Campaniæ, & Arnulphus de Marchol. reliquorum duorum

Alexii diſcrimen.

Nota Alexii necẽ.

Not. de Icone.

No. Fœderis conditiones.

Not. Byzãtii expugnatione.

Not. Myrtilli ſupplicium.

Nota Electores.

memoria non extat, Monferratenſis, & Allobrogum Duces adiecere, Iac. Nauarrinum, & Nicolaũ de Pizuolis, adiunctisque Henrico Principe, Baldoino comite, & Monferratenſi Marchione, quindecim electorum expletur numerus. Coacto igitur in Apoſtolorum æde Concilio, ferunt, ad Dandulum Principem, Græciæ Imperium electores deferre uoluiſſe; ſed Panthaleonis Barbi ſuaſione exterum uirum delectum, qui rei ſummæ præeſſet, ut Veneti ea cura tutandi Imperii aduerſus efferas gentes leuarentur: atque ita diuino auxilio implorato horum quindecim electorum ſuffragiis Baldoinus Flandrenſis trigeſimum & ſecundum ætatis annum agens, vir pius, modeſtus, & iuſtus, Byzantii Imperator eſt declaratus: & Thomas Maurocenus Archiepiſcopatum habuit, qui Romam ad Innocentium Pontificem profectus, adeptæ ab eo dignitatis confirmationem obtinuit.

Baldoinus Byzantii Imp.

Pacato ciuitatis ſtatu Baldoinus, ac reliqui expeditionis Aſiaticæ Principes, ut Imperii res Myrtilli nouitate turbatas, alienatasque ad noui Imperatoris fidem, obſequiumque retraherent, Byzantio cum iuſto exercitu profecti, totam ferè Thraciam armis ſubegere, impoſitaque ſunt tribus illius Prouinciæ urbibus, Oreſtiadi, Dydimotico, & Philopopoli ualidiſſima præſidia. Henricus interim Princeps, ut & ipſe eam partem Imperii, quæ ex fœdere Venetis debebatur, obtineret, cum Baldoino agere cœpit, ut quæ promiſſa eſſent, ex fide exoluerentur: itaque pro pacti, fœderisque obſeruatione Imperator Cretam inſulam ex Bonifacii Monferratenſis conſenſu, qui Inſulam tenebat, Venetis libero iure habendam tradidit, pro qua mille auri drachmas accepit. Bonifaciuſque in Cretæ recompenſatione, Theſſaliæ eſt Rex declaratus.

Creta Veneto Imperio cedit.

Adduntur præterea Venetis omnia ferè loca, & inſulæ Ionii, Aegeique maris, quæ Conſtantinopolitani fuerant Imperii. hæc autem ut magis firma, rataque eſſent, Marcus Sanutus, & Rabanus Carcerius, Danduli Principis oratores, circa Handrinopolim in caſtra ad Monferratenſem ſunt miſſi: qui recepta pecunia omne ius, quod Alexii munere in Creta inſula quæſitum habebat, Veneto nomini remiſit.

Legati ad Monferratenſem.

Is poſtea circa Peneum fluuium in Græcos bellum gerens, ad Oetam montem uſque peruenit, & Termopylas, Lariſſamque occupauit. Thomas interim Conſtantinopolitanus Antiſtes ab Roma reuerſus, in Græciam nauigauit, ſecum quattuor inſtructiſſimas triremes habens, quæ in ſupplementum cæteræ claſſis Byzantium ad Henricum Principem mittebantur. quibus fretus, & ſi homo religioni addictus, Raguſium tamen, quod a Veneto Imperio defecerat, armis recepit, & Dyrrachio in fide nutanti præſidium impoſuit. Hinc Byzantium progreſſus, ingenti omnium plauſu, & fauore exceptus eſt, Baldoinumque ex Romani Pontificis authoritate diademate Imperii inſigniuit.

Baldoinũ coronatur

fuitque ea dies celeberrimo tot nationum Graiæ, Gallicæ, & Latinæ conuentu lætiſſima. Poſt hæc cunctis terra, marique locis ad Parthos, Perſasque uſque, præter unam Handrinopolim, Cozæ Schytę uiri fortiſſimi præſidiis munitam, in Imperatoris poteſtatem redactis, immatura eum mors abripuit. nec multis interiectis diebus a Baldoini obitu, Hẽricus Princeps Venetus, & ipſe uita functus eſt, anno Principatus ſui tertiodecimo, Byzantiique in Diuæ Sophiæ ſepultus fuit atrio. Petrus Zianus, Seb. Ducis filius, quum Arbæ comes eſſet, in defuncti Danduli locum ad Principatum euehitur.

Henr. P. mors. Pet. Zianus Dux 41. an. D. 1205.

Veneti interim qui Byzantii erant, ut magiſtratum in ea ciuitate haberent, uterenturque eius patrocinio apud Imperatorem, in negociis tam publicis, quàm priuatis, Marinum Genum ſibi prætorem creauere. Quattuor quoque Legati Cõſtantinopolim ad Henricum Imperatorem, qui Baldoino fratri ſucceſſerat, ad renouanda cum eo fœdera publico nomine ſunt miſſi. Legati autem fuere Rogerius Maurocenus, Benedictus Grionus, Paulus Quirinus, & Rogerius Permarenus.

Legati ad Henr. Cõſtã. Imp.

Sed dum hæc in Græcia feruntur, Patres, ut Imperii Conſtantinopolitani loca, quæ ex fœdere cum Gallis icto, ſortiti fuerant, ex Reip. dignitate Veneto nomini retinerent, edictum propoſuere, ut qui ciuium, ſociorumve priuatis auſpiciis ea loca intra Ionium, Aegeumq; mare poſita occupaſſent, libero iure quæſita ſibi, ac poſteris in perpetuum eſſent. quo factum eſt, ut multi ciues, ac ſocii ad apprehendendam inſularum, locorumque poſſeſſionem adducti fuerint. ex his enim. M. Dandulus, & Iacobus Viarus communium armorum ſocietate Garipolim occupãt. M. Sanutus ex Cycladibus Naxum, Parium, Molum, Eginam, Andrumque

ſubiecit, Rabanus Carcerius Veronenſis, qui in Græciam uenerat, ut in Aſiam cum reliquis Chriſtianis Ducibus traiiceret, Eubœæ dominio petitur. Andreas, & Hieremias Giſi, Tenum, Myconem, Schyrum, & Sciatum ſcopulum in ſuam redigunt poteſtatem. Philocolus Nauigaioſſus Staliminum, quæ olim Lemnus dicebatur. Dominus de la Rocha, qui ex Campania uenerat ad Aſiaticum bellum, Athenas. Corinthum, Argos, & Naupliam, efficiturque Dux Moreæ, atque ita Conſtantinopolitani Imperii diuiſio facta eſt, quæ ad retinendos in fide totius illius maritimæ oræ inſularum populos opportunum remedium fuit. His in Græciæ ora geſtis, ne publicè in Helleſponto maritima Venetorum deeſſent præſidia, unius & triginta triremiũ claſſis in altum ſub Raynerii Danduli, & Rogerii Permareni auſpiciis deducta eſt: quæ

Veneta claſſis.

inter nauigandum ad Adriatici ſinus exitum Leonem Archypiratem natione Lygurem cum ſeptem triremibus obuiam habuit: iniectoque certamine ſæuiſſimus prædo fuſus, captusque Præfectorum iuſſu laqueo necatur. inde in Peloponeſſum tranſmiſſum,

Methonũ, Coronum Corcyra ſubacta.

Methonumque, & Coronum munitiſſima oppida prædonibus eiectis Veneti Imperatores præſidiis firmant. Corcyram quoque expugnant, & muniunt, mittunturque in inſulam ueluti in nouam Coloniam uiri Patritii, Plæbeique, Petrus Michael, Stephanus Foſcarenus, Gilbertus Quirinus, Angelus Acotãtus, Octauianus Firmus, Iacobus Seius, & nonnulli alii. In Cretam demum cum tota claſſe fortiſſimi Imperatores curſum dirigunt, ut ex fœdere inſulam Veneto uendicarent Imperio. Neque.n. ſine aliqua armorum concertatione clariſſima Inſula in Venetorum fidem redigi poſſe uidebatur: quippe quæ ferox, & iugi Latini impatiens, aliena pati imperia obſtinatè abnuebat. Senatus autem animo propoſuerat, eam omnino uel maximo Reip. diſpẽdio opibus ſuis adiungere, tum propter Inſulæ clariſſimæ nobilitatem, tum ob nauigandi ſtudium, & Aegei, Ioniique pelagi poſſeſſionem in perpetuum retinẽdam.

Candax urbs.

Veneti igitur Imperatores claſſe ſubito admota urbem Candacem Inſulæ metropolim aggrediuntur. at Græci arreptis armis aliquandiu reſiſtere auſi ſunt, nec niſi ſummis oppugnationibus fatigati cedere uidebantur. multique hinc inde fuere armorum conatus: Inſulam tandem Veneti non ſine laborioſo certamine totam ad imperium cum adiacentibus Egei, Ioniiq; pelagi inſulis retraxere. miſſusque eſt Iacobus

Iac. Theupolus primus Dux Cretæ. Comes Malthæ.

Theupolus a Senatu in Græciam, uir prudẽtia, & authoritate clarus, qui primus Cretam ducaria poteſtate adminiſtrauit. Sed Genuenſes inuidia moti, ac uerentes, ne acceſſione tam claræ inſulæ Veneta potentia nimium excreſceret; tentarunt concitare Cretenſes ad defectionem, atque Henricum comitem Malthæ uirum ſtrenuum, & potentem in Inſulam parata claſſe induxerunt, ut eius armis, atque opibus, quæ in Græcia plurimum ea tempeſtate pollebant, Veneti è Creta eiicerentur. Auxilio itaque Genuenſium Henricus, cui Cretenſes plurimum fauebant, totam ferè Inſulam a Venetis alienauit. Aduerſus hunc Raynerius Dandulus cum ualida manu iterum ex Italia miſſus, multa Inſulæ loca armis recepit. ad frenandas autem Græcorum rebelliones, quum nonnulli ex primoribus patrum in Senatu conſulerent, ut oppida, quæ capta fuiſſent, continuo ſolo æquarentur, Raynerius è Grecia iam reuerſus, id pro cõcione diſſuaſit, ſuiſque ea ſe opibus (nam diuitiis abundabat) tutari palàm profeſſus eſt. In Græciam igitur tranſgreſſus, rebellem inſulam armis inuaſit, eiectoque ex ea

Not. Raynerii Danduli magnitudinem. Colonia in Cretã deducta.

comite Henrico, ſtatum inſulæ pacatum reddidit. Sed dum forte poſt aliquot dies in ſubita, tumultuariaque ſeditione furentem populum Raynerius in medium progreſſus, armis repelleret, ſagitta ictus occiditur. ſtatimque Patres audita Raynerii morte, ne Inſula ſine preſidio eſſet, miſſerunt in Cretam duos legatos, Iac. Longum, & Leon. Nauigaioſſum, cum ſex nauibus, totidemque triremibus, armis, uiriſque inſtructiſſimis. Poſt hæc Senatus deprehenſa inconſtantia Græcorum, ut Inſulæ ſtatum firmiorem redderet, deducere Coloniam in Cretam ſalubri admodum cõſilio cenſuit. miſſiſque ex nobilibus, ac popularibus equitibus, peditibuſque, inter eos agri, & caſalia, ſic Græco uerbo appellata, iure feudi diuiduntur: atque in hunc modum Creta inſula facta eſt Colonia Venetorum. At ſub id tempus Genuenſes ad turbandum nauigantium curſum maria grauiter infeſtabant: ad quorum conatus opprimendos Ioannes Triuiſanus cum aliquot longis nauibus miſſus eſt. is in Siculo freto haud longe a Drepano

pano Lyguſticam claſſem aſſecutus, nauium numero inferior duodecim hoſtium triremes intercepiſſe dicitur: qua clade fractis Genuenſium animis, pax miſſis citro, ultroq; Oratoribus inter utrumque populum ſequuta eſt. Quidam rem ſecus actam memorant: naui ſcilicet una Venetorum a Lygure capta, Triuiſanum ipſum uirum acrem ad perſequendum hoſtem cum duabus longis nauibus, ac totidem onerariis dimiſſum; qui celeri curſu per Tyrrhenum, Siculumque mare in Aphricam delatus, circa dirutæ Carthaginis littora Lygurem adeptus, cum quattuor nauibus interceptis, fudit; nec multò poſt apud Siciliam octo, & uiginti triremes eidem ademiſſe fertur.

Io. Triuiſani uictoria.

Per hæc quoque tempora ex leuiori cauſa, graue cum Patauinis bellum exarſit, cuius hæc origo fuit. Florebat tum longa pace Taruiſina ciuitas: & quum ocio, delitiiſque, ut fit, in ſecundis rebus laſciueret, commenta huiuſcemodi ludicrum fuiſſe dicitur: ut media urbe caſtellum conſtitueretur, aulæis, purpuraque ornatum, ubi ad cuſtodiam poſitæ eleganti, uenuſtaque forma excubabant uirgunculæ, quæ pro galeis, & thoracibus, contextas floribus coronas, & precioſa monilia habebant: foris uero nobiliſſimi adoleſcentuli pari ætate & forma ad Caſtellum oppugnandum intenti erant: miſſilia, & tela, quæ utrinque coniiciebãtur, pomà erant adamia, citrea, muſcatæ nuces, roſæ, lilia, aliique flores, uariaque odoramentorum genera, ac ſuauiſſimi fiſtularum cantus pro horriſono tubarum clangore exaudiebantur.

Not. Taruiſinæ urbis luxum

Is itaque apparatus, ſparſaque ludicri fama multos mortales ſpectandi ſtudio Taruiſium traxerat. Venerant & Veneti non pauci, & ex Patauio, ac ex tota ferme Italia ad id ſpectaculum. Sed quum iam oppugnatio inchoata eſſet, animiſque, ac oculis intentis omnes delectabilem, uoluptuoſumque congreſſum intuerentur; accidit, ut Venetorum iuuenum globus occupata repente Caſtelli porta ſigna iam inferre uideretur: quod ex Patauinis quidam conſpicati, ueteri æmulatione accenſi, facto repente in ſigniferum impetu, uexillum, in quo diui Marci effigies erat, è manu illi uiolenter abreptum, ignominioſe lacerant.

Not. rixæ originem.

Venetus contrà indignabundus, in Patauinum ferro inſurgit, continuoque ingens oritur rixa, fuiſsetque non ſine inſigni utriuſque partis cęde ibidem accenſis animis dimicatum, niſi confeſtim, qui ludis præſidebant, ſedandi tumultus ſtudio ſpectaculũ edicto ſoluiſsent. Diſceſsũ itaq; eſt, uehemẽti animorũ utrinque indignatione, armaq; ad ulciſcẽdas iniurias hinc inde parãtur: copiiſq; contractis prior Patauinus, Taruiſinis in ſocios aſsũptis, Veneto bellum infert, prædaſque ex eius finibus ſubitas agit: nec his ferox hoſtis contẽtus, Bebianã turrim flumini impoſitã, cui Marcus Concanus homo impiger, præerat, armis aggreditur.

Bellum

Veneti uerò tot laceſſiti iniuriis, in Patauinum cum ualida militum manu mouerat, eumque circa turrim inuentum ferociter adorti profligarunt, quadringentique, & amplius hoſtium cum ſignis militaribus in uictoris poteſtatem uenere: qui Venetias magna ciuitatis lætitia perducti, in uincula coniiciuntur. & Clodienſes, quorum opera in Bebiana illa pugaa maxime enituit, annuo tributo leuantur.

Patauini uicti.

Nec multò poſt inter Venetum, & Patauinum Aquileienſis Patriarchæ interuentu pax ſecuta eſt. His tamen conditionibus, ut quinque & uiginti eorum, a quibus Taruiſini ſpectaculi die iniuria orta erat, Venetias ad Principem mitterentur, in cuius poteſtate eſſet, quolibet ſupplicio eos afficere: ſed ii poſtea ex Veneta benignitate omnes incolumes dimiſſi ſunt.

Pax.

Nec pax diuturna fuit, diſſidente de finibus Bertoldo Aquileienſi antiſtite, cum Taruiſino populo, cui Veneti fauebant, & Patauini ex altera parte cum Foro Iulienſibus ſociis armis iuncti erant. ob ſocialem igitur fidem utrinque eſt ad arma recurſum; leuibusque inter partes præliis contractis, pactiſque inde in quinquennium induciis bellum ſoluitur. Et hæc in Italia circa continentem geſta: in Græcia verò maritimis expeditionibus res Veneti Imperii in dies maiorem in modum augebantur: nam Rabanus Carcerius, qui Euboeam occuparat, ueritus, ne tantę inſuſulæ poſſeſſione externis armis quandoque eiiceretur, ultro ſub Venetorum fidem uenit, tributumque ſe dare in perpetuum eſt pollicitus.

Euboea.

Guifredus quoque, Achaiæ Princeps, & Cephalleniæ regulus, natione Gallus in Venetorum fidem & ipſi conceſſere.

Guifredus.

cęterùm compoſitis, retractiſque ad Imperium Græciæ rebus, ad Othonem Imperatorem legatio miſſa eſt, ad munus gratulationis publico nomine obeundum

pro uictoria, quam Otho adeptus fuerat, aduerſus Philippum, Sueuiæ Ducem, ad Honorium quoque ſecundum Pontificem Romanum his ferme diebus altera decreta legatio, Rogerius Permarenus, Marinus Storlatus, & Marinus Geno Romam ad hanc legationem miſſi ſunt. Duxque ipſe Zianus priori coniuge defuncta Cōſtantiam, Tancredi Regis Siciliæ filiam, ad ſecunda uota tranſiens, ſibi in matrimonium copulauit, ex qua liberos procreauit præclara indole, uirilis ſtirpis unum, alteram fœminam: & Henricus Byzantii Imperator ſub id tempus uita functus eſt: cui Petrus Anteſiodorenſis Comes miro procerum conſenſu ſucceſſit. ipſoque deinde a Theodoro hoſpite medio conuiuio doloſe obtruncato, Rubertus filius ad imperiale faſtigium euehitur. Qui Conſtantinopolim per Pannoniam, & Myſſiam profectus, ſummo omnium gaudio in urbem exceptus eſt, & cum Marino Michaele, Byzantii prætore, bello, paceque res præclaras geſſit: atque in ſumma concordia cum Veneta Rep. ueterum Imperatorum ueſtigia ſecutus, amice, & ſtudioſe perſeuerauit, adeo ut in omni præfatione Venetum Ducem chariſſimum Imperii collegam appellaret. nec uana certè inerat prædicationis huius cauſa, quum exinanitis iam Gallorum opibus, quotidie res Imperii in deterius laberentur, ad idque uentum erat; ut ſola Venetorum potentia Conſtantinopolitanum ſuſtineret Imperium.

Legati.

Pet. Antiſiodorenſis dolo cæſus.

PETRI

PETRI IVSTINIANI PATRICII VENETI, ALOY. F. SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIA,

CVM REFORMATIONE, ET RERVM MEMORABILIVM Additione vſque ad annum 1575.

Liber tertius.

Nota diuturnum bellum cum Græcis.

CVM bellorum; quæ iamdudum terra, mariq́ue Veneti geſſere, ſeriem animo, menteq́ue reuoluo, nullius populi infeſtiora arma ciuitas Veneta ſenſit, quàm Cretenſium ciuium, & Colonorum: qui crebris defectionibus, per centum & ſexaginta amplius annos Venetum ſolicitare Imperium nunquàm deſtitere, miriſq́ue artibus Latinum Græci nomen exoſi, nobiliſsimæ Inſulæ dominationem ſibi aſciſcere conati ſunt. Huius igitur motus ſub uariis bellorũ caſibus facta ordine proſequamur, eaque legentibus fortaſſe haud iniucunda erunt, ob rerum amplitudinem & uarietatem. atque, ut omnia rectè percipi poſſint, de Inſulæ ſitu pauca explicabo.

Cretæ Inſulæ deſcriptio.

Sedet Creta Aegeo mari, alluiturque ab Auſtro Lybicis, Carpathiiſq́ue fluctibus, & a Septentrione Aegyptiis, ab Oriẽte Syrio, & ab Occaſu Cilicio æquore. Inſulæ magnitudinem uariè authores tradunt. ſunt, qui duobus millibus, & trecentis ſtadiis eius longitudinem conſtare credant: alii quattuor millibus, & centum: quidam duo millia. latitudinem uero inęqualem ponunt, ſed eam Plinius (ut Sabellicus ait) nuſquàm quinquaginta paſſuum millia excedere arbitratus eſt; longitudinem ducenta ſeptuaginta, quingenta uero & nonaginta circuitum ipſum. Hæc olim dicta eſt Aeria, indè Curretis, Creta poſtea ab Heſperidis filia appellata, quod nomen adhuc retinet, clara olim centum urbium fama. Pliniuſq́ue ſexaginta oppida in ea connumerat:

Cretæ oppida.

ſed noſtra tempeſtate hæc nominis celebrioris extant, Candida, ſiue Candax, maritima urbs, metropolis totius Inſulæ; Cydona, ſiue Gnaſos, quæ nunc Canea dicitur, Rethimum, Sitia, Milopotamum, Mirabellum, Anopolis, Themenum, Monsfortis, Chiſſamum, Calomona, Ierapetra, Laſythi, Caſtrumnouum. Montes in ea clari, Ideus, Dictineus, Strombolus, Codiſcus, præterea inſula eſt tota ferè ſaxoſa, & denſa, feraxque uini optimi, ſupra alias terræ fruges; & inter omnes uetuſtate antiquiſſima: quippe quam Radamãthus, Minoſq́ue Reges ab initio coluere, poſtea a Pyratis uexata, in gentium efferarum poteſtatem peruenit: inde interiecto temporis curſu Romanis armis, Duce Q. Metello, deuicta, ſub tanti Imperii umbra fœliciſſima aliquandiu quieuit: quo poſtea inclinante, in Graiorum Imperatorum partes acceſſit: Recẽtiſſimis uero temporibus deleta Myrtilli tyrannide in Venetorum ditionem peruenit. Sed inſtabilis gentis natura factum eſt, ut diu Veneta Reſp. in ea retinẽda fuerit occupata, bellaque multa & cum Grecis nouarum rerum cupidis, & cum Colonis poſtea uario euẽtu geſſit, ut ordine omnia explicabimus. Henrici igitur Danduli Principatu, dum Galli, Venetiq́ue ſociis armis in Alexii Iſachi Imperatoris filii gratiam Conſtantinopolim, ut ſupra memorauimus, expugnaſſent, humanæ ſalutis anno milleſimo, ducenteſimo quinto, inter cæteras Aegei maris inſulas Veneto ex fœdere adiectas Imperio Creta quoque nobiliſſima inſula iure emptitio Venetis rebus acceſſit; quam ipſi ſtatim ualido militum firmant præſidio: Claſſem quoque inſtruunt ad uim propulſan-

dam,

dam, ſiquid a Genuenſi populo æmulo, finitimisve principibus hoſtile moueretur. Hi enim omnes ægerrimè ferebant, nobiliſſimæ Inſulæ acceſſione Venetam potentiam in Græcia excreſcere. Claſſis igitur triginta duarum triremium educta in Greciam ad retinendum Cretæ Imperium nauigauit. Poſt autem eius ſubiectionem, & deductam in ea Coloniam, quidam Græci cognominati Ageoſtephanitæ, inter ſuos opibus, ac nobilitate longe primi, ex inſita animi leuitate ab Imperio deficientes, ſumptis repente armis Mirabellum, Sitiamque Inſulæ oppida munitisſima occupant. hac excitus nouitate Iacobus Theupolus Cretæ Dux. M. Sanutum ex Aegeo Pelago, quando alia tunc in inſula præſidia non aderant, in auxilium nunciis, litterisque aliis ſuper alias euocat: qui ſtatim, ne patriæ deeſſet, magnis terreſtribus, maritimisque uiribus aduolans, rebellionem compresſit. Mox ſuborta inter Theupolum, & Sanutum diſcordia ex indignatione dirum facinus in Remp. Sanutus patrare auſus eſt: nam copiis ſuis fretus, ad inſulæ Imperium ſibi aſciſcendum, animum adiecit. ac quadam die dum Platea ciuitatis careret pane uenali, per eius milites doloſa machinatione conclamatum eſt ad arma: moxque auxiliantibus Græcis, ciuitas a Sanuto occupatur. Theupolus improuiſo hoc motu exterritus relicto prætorio cum paucis familiaribus de urbis mœnibus clanculum ſe dimiſit, atque Themenum munitisſimum oppidum contendens, ibi pro tempore aduerſus hoſtis inſidias ſaluti ſuæ conſuluit. Interea a Senatu audita inſulæ defectione, copiæ magna celeritate parantur, tam terreſtres, quàm maritimæ, quæ ad portum Calimionis, Dominici Quirini, & Seb. Bethanici legatorum ductu, applicuerũt: atque his Dux ſuffultus auxiliis, ſtatim è Themeno egreditur, & quendam munitisſimum locum uocatum Apanoſiurite occupauit. Sanutus uero uiribus ſuis diffiſus è ciuitate abiit, nec multò poſt relicta inſula ad proprias in Aegeo Pelago ſedes transfretauit. Iacobo poſtea Theupolo, florentibus aliquandiu Græciæ rebus, in patriam reuerſo Paulus Quirinus nouus Dux ſucceſſit, ſub quo alia emerſit defectio, quam leuis ſuſcitauit cauſa. Nam quidem Petrus Filacaneuus præfectus arcis Bonrepari, furtiue abſtulit iumenta Ioannis Scordilli, proximis paſcuis, agriſque ſine cuſtode errantia: ille autem hac iniuria affectus, quum magna inter Græcos gratia, & authoritate polleret, ingẽtem excitauit defectionis tumultum. At Dux Quirinus, ne malum latius ſerperet, coacta non parua militum manu mittit legatos Petrum Toniſtum, & Ioannem Grittum aduerſus rebellium conatus, qui ſub ductu Conſtantini Seuaſti, & Theodori Melliſini ad montes in loco uocato de Pſiero caſtra habebant. inito autem certamine Ducis exercitus a Græcis profligatur, interficiturque Ioannes Grittus legatus, unaque Nicolaus Ballaſtrus, M. Bono, Andr. Thealdus, & Vendramus Aquileienſis, multique alii nobiles, & ſtrenui uiri. Poſt modum ſucceſſit Dux Dominicus Delphinus, ſub cuius regimine pax ſecuta eſt: quieueruntque biennio Græci, nullo motu per totum id tempus excito. Interim Zianus Princeps, quum annos duos & uiginti Reipub. præfuiſſet, uita decedens ad Georgii Fanum cõditur tumulo: ei Iacobus Theupolus ſucceſſit. huius quoque principatu res in Creta inquietisſimæ fuere. Nam, ut ſunt animi hominum mobiles, ſub Duce Ioanne Storla to noua ſecuta eſt in Inſula defectio, quam Scordilli, & Melliſini primarii ciues temere excitarunt. Hi enim capti prædæ dulcedine, ueluti generis humani hoſtes, cœperũt totam Inſulam uariis latrociniis crudeliter deuaſtare: trucidabanturque, & ſpoliabãtur foris paſſim quicunque per Inſulæ loca iter faciebant, nulla habita ſexus, ætatis, dignitatis ratione: quo ſcelere motus Dux huiuſmodi facinoroſos homines, & communes generis humani, & patriæ hoſtes, bello, armisque proſequi coactus eſt. Contracto igitur exercitu Græcis rebellibus uim intulit. At illi a Ioanne Vatacio, qui in Græciæ parte regnabat, opem implorarunt: miſitque is ſtatim in Cretenſium auxilium triginta longarum nauium claſſem; qua Cretæ littoribus appulſa M. Quirinus hoſtium armis territus, tradidit eis Rethymum, Margaritus Foſcarenus Milopotamũ, Corradus Mellena Caſtrumnouum. ſed Cathaldus Auonalus egregiam operam præſtitit, in caſtro Bonifacii ſeruando, cui præerat, cum ualida militum manu. Videns poſtea Vatatianæ claſis præfectus Venetorum uires terra, marique augeri, relicta inſula cum tota claſſe receſſit, Quæ ſuborta ingenti ſubitò tempeſtate, ad Cythercam penè tota

Not. claſſem.

Ageoſtephanitæ.

M. Sanutus.

Paulus Quirinus Dux Cretæ.

Dom. Delphinus Dux Cretæ.

Iac. Theupolus. D. 43. an. D. 1228.

Ioan. Vatacius.

tota naufragio periit, & res per hunc modum in Creta aliquandiu quietæ fuerunt. Sed non multò pòſt Nicolao Toniſto Duce aduerſus Græcos uario euentu bellatum eſt. Succeſſit inde Barth. Gradonicus nouus Dux, qui ingenii dexteritate, & manſuetudine ſingulari uſus, Græcorum animos pacatos, emollitoſque reddidit. eo autẽ defuncto Ioannes Ardizonus, & M. Mollinus Conſiliarii adminiſtrationem publicam uice Ducis ſuſcipientes, ad oppugnãdũ caſtrũ Sitiæ, quod in rebelliũ ptãte erat, magna militum manu profecti ſunt. conſiliariuſque Ardizonus in oppugnatione uulneratus grauiter fuit, oppidumque obſidione liberatur. Superuenit poſtea Angelus Grandonicus Dux, cuius miti ingenio factum eſt, ut Inſulani de Pſiuriti, aliique rebelles redierint ad fidelitatem, & obſequium. nunquàm tamen defuerunt nouitates, & tumultus in pleriſque Inſulæ locis, ob gentis inconſtantiam, & animorum leuitatem; quos tamen Duces, qui per tempora ad Inſulæ ſtatum regẽdum accedebant, tum armis, tũ benignitate, & prudentia aliquoties repreſſerunt. Elapſo poſtea aliquo temporis curſu, Nicolao Nauigaioſſo Duce, quidam Græculus miſſus a Michaele Paleologo Thraciæ regulo in Cretam ad turbandum Inſulæ ſtatum, cum aliquot triremibus optimè inſtructis applicuit, ad portum Suddæ: in terramque deſcendens auxilio aliquorũ rebellium expugnauit caſtrum de Larmiro, cui ob uehementiſſimum impetum Boreæ, nec terra, nec mari a Venetis ſuccurri potuit. Litteraſque Paleologus ad Cretenſium Primores clam mittens, ſignificabat, quòd ipſe armis receperat multa Græciæ loca, & quòd ſtatuerat etiam recuperare Inſulam Cretæ. Vellent igitur ipſi pro Græciæ libertate pugnanti ſibi adeſſe. Reſponderunt autem Paleologo Cretenſes, quòd ipſi erant ſub iuſto, & potenti Dominio, & ſecuri in ſumma pace, & tranquillitate, ſub eius fœlici umbra uiuebant: proinde nequaquam Paleologus ſperaret Cretenſium animos a Veneta ſocietate alienare, quam ipſi ſanctè, conſtanterque in utraque fortuna perpetuò culturi erant. Emerſit poſtea non multò pòſt ingens ſeditio, Andrea Geno Inſulæ Duce, quæ totam turbauit ciuitatem. duo enim famuli matronæ cuiuſdam potentis, quæ fuerat uxor Pauli Dono uiri inter Cretenſes nobiliſſimi, nefaria conſpiratione in conſpectu Ioannis Sagredi, & Leonardi Contareni conſiliariorum interfecerunt publico, ac frequenti ciuitatis loco Marcum Slenzam, & eodem temporis momento Marcum Nouellum tonſorem, qui in ſicarios altis uocibus inclamitans, impium facinus deteſtatus fuerat. Sequenti manè parentes, cognatique interfectorũ in Palatium ad Ducem, & Conſiliarios properantes, deplorãt miſerabilem filiorum caſum, flagitántque, ut ſceleſtiſſimi ſicarii more maiorum puniantur. Dux, & Conſiliarii blandis uerbis affirmant, ꝙ non deerunt in irrogando (prout iuris ordo requirit) merita homicidis ſupplicia; omnique ſtudio curabunt, ueritatem facti in lucem eruere. & quoniam percuſſores, qui fuerunt quidam Gerardus, & Paſqualinus, uiri ſeditioſi, perpatrata cæde ſtatim ex urbe profugerant, confeſtim (ſecundum iuris ordinem, abſentes proclamantur, publicoque edicto ſtatuitur ingens præmium interficiẽtibus eos, aut tradentibus uiuos in poteſtatem Regiminis. Monentur etiam per litteras omnes Rectores Inſulæ, ut perſcrutentur, ubi illi ſint, & quo ſe receperint: diligentiſſime ubique locorum perquiratur, ut ſi capti fuerint, meritum de his ſupplicium ſumeretur; tota tamen ciuitas partium ſtudiis agitata in armis erat. quidam enim minabantur, inflammare ciuitatem, niſi percuſſores in poteſtatem redacti quàm primum ſeuera animaduerſione plecterentur. nonnulli fauebant ſceleris authoribus, omnes cum famulis, & ſatellitibus per urbem armati, die, noctuque incedebant. aliqui ſe intra domeſticos lares tenebant, facinoroſum minis territi. plerique urbem, & proprias habitationes relinquentes, diuertebant in remota contubernia hoſpitum, & amicorum. miſerabiliſque erat totius facies ciuitatis. Dux igitur, & Cõſiliarii uigili cura ſalutem publicam procurantes, decernunt, ut partium ſtudioſi ſecedant a ciuitate per tria paſſuum millia: nonnulli prohibentur uenire in forum. ſed ne hoc quidem pacto populi furor ſedebatur, immo implacabilibus animis aliqui turbulenti ciues, arma, machinaſque in ſummitates tectorum erexerant, & ſe ſe eminus uiolentiſſimè telis, ſagittiſque inceſſebant: atque ex altera parte Laurentius Bono, Antonius Quirinus, & Petrus Donus uiri ſeditioſi temerario auſu in cõtemptum Regiminis cũ

magna

Michael Paleologus.

Litteræ Paleologi.

Cretenſiũ reſponſũ.

Att. nouũ Cretæ motum.

Not. tumultum in Creta.

Homicidæ.

Not. diuerſarum partium ſtudia.

magna ſatellitum manu uenerunt in forum, arma quatientes, & uociferantes, Quis nos hinc expellet? ingentemq́ue excitarunt tumultum. Poſtea ex Italia miſſa affuere equitum, peditumq́ue auxilia: quorum aduentu repreſſus eſt ſeditioſorum ciuium impetus; factionisq́ue nefariæ authoribus publice necatis, priſtina ciuitati quies redditur. Nec diu tamen conſuetis turbulẽtiis, & ſeditionibus ferox urbs caruit, Georgio, & Theodoro Cortazi fratribus defectionis nouæ authoribus, qui proſapia inter Græcos, maiorumq́ue titulis inflati, Venetam extirpare Dominationem ex Inſula totis uiribus annixi ſunt, ut ſibi ipſis Cretę Imperium ſuperbæ aſtruerent. Excurſis igitur, uaſtatisq́ue cum potenti manu multis Inſulæ locis, occuparunt anguſtias de Silodema; ibique equitibus, ac peditibus non paucis in inſidiis locatis, Venetorum copias præſtolabantur, quibus Marinus Geno, Dux uir fortis præerat: progreſſusq́ue is inexplorato ad loci anguſtias, ab inſidiatoribus magna clade profligatur, trucidatiq́ue ſunt ipſe Dux, & unus ex conſiliariis, & cum his pariter Petrus, & Nicolaus Cornelii fratres, tres de prole Abrama, quattuor de Gradonica, duo de Fuſcula, atque alii non pauci nobiles, & populares, Græci, & Latini. quæ clades ubi Venetiis innotuit, irritatis animis Senatus ſtatim Marinum Maurocenum Ducem creat, eumq́ue ſine mora in Cretam cum ualidis copiis nauigare iubet. Ipſe autem continuo in Inſulam tranſgreſſus, multis ſecundis pręliis inſolentes rebellium motus compreſſit. eius quoq; ſucceſſor Petrus Geno bellum uario euentu geſſit, nec tum quoque rebellium peruicaciæ & furori finis impoſitus. Accedens poſtea ad Inſulam Marinus Gradonicus, cum equitum, peditum, ac ſagittariorum ingenti manu, arma in Inſulanos conuertit, eoſq́ue maximis ſuffultos copiis graui prælio deuicit. Tum Georgius & Theodorus Cortazi quum uiderent uires ſuas pares non eſſe Venetæ potentię, ne prorſus exterminati, uictiq́ue delerentur, extra Inſulam emigrarunt: reliqui uerò rebelles miſericordiã implorantes, datis obſidibus, benignè ſuſcipiuntur in gratiam. Quietusq́ue mãſit per aliquot temporis ſpacium Inſulæ ſtatus: Suborta eſt poſtea noua Alexii Calergi defectio, uiri inter Græcos nobilitate, atque opibus primarii: Iacobo enim Dandulo Duce, hic in rebellionem prolapſus contra Venetum nomen multa inſido animo geſſit. quare Senatus ad Dandulum Ducem ſcribens, mandauit, ut Alexius quàm primũ in uincula coniectus, Venetias caute mitteretur. Sed præmonitus a quodam Grçculo, qui rem præſcierat, extemplo priuſquam in Regiminis ueniret poteſtatem, ab urbe clanculum receſſit, coactaque ingenti ſuorum manu, totam ferè Inſulam incendiis, direptionibusq́ue fœdat. quibus iniuriis Dux adactus exercitum cõtra Alexium duxit: at in loca munitiſſima ille ſe recipiens, pugnare cum Duce recuſabat, bellumq́ue de induſtria trahebat, multosq; Duces, qui per tempora ſucceſſerant, inquietos, ſolicitosq́ue tenuit. ad poſtremum decimo octauo rebellionis anno Vitalis Michael inſulæ Dux cum Alexio pacem firmauit, conceſſis illi ex Senatus munificentia multis immunitatibus, & prærogatiuis, ut in publicis diplomatibus continetur, huius ſententiæ: Tu uero iuraſti fidelitatem Domino noſtro Duci Venetiarum, & nobis, & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum, & de obediendo præceptis prænominati Domini noſtri Ducis, & noſtris; & ſucceſſorum noſtrorum, & amicos Venetorũ pro amicis habere, & inimicos Venetorum pro inimicis; & ſi aliquid quod ſit contra honorem ſuum, & bonum ſtatum huius inſulæ Cretæ ſcieris, uel tractari cognoueris, abſque mora dabis operam cum effectu turbandi illud, atque impediendi toto tuo poſſe: Nos autem cum noſtro Conſilio per nos, & ſucceſſores noſtros iurauimus omnia, & ſingula ſupra ſcripta tibi attendere, & obſeruare, donec domino noſtro Duci Venetiarum, nobis, & ſucceſſoribus noſtris fueris obediẽs, & fidelis. Huiuſmodi pacta, & concordium illibata fide ſemper Alexius ſeruauit, adeo, ut nulla ſuſpicio alicuius infidelitatis in eo unquàm extitit; quin multa conſtantis fidei, & ſingularis in Venetam Remp. obſeruãtiæ præſtitit documenta. nam placauit animos multorum rebellium, quaſdam detexit inſidias, nonnullos motus compreſſit. nouiſſimè Guidone Canali Duce, dum Ciuitas Candidæ grauiſſimo terræ motu concuſſa, quo late mœnia procubuerant, facilè pateret inimicorum inſultibus, multi Græci rebelles ad Alexium acceſſiſſe dicũtur, aſſerentes, nunc adeſſe tempus expellendi de inſula Venetos, proinde ipſe uellet, in

tanta

Marginal notes: Att. nouã defectionem. — 19 — Not. Venetorum Cladem. — Pet. Geno — Mar. Gradonicus. — Alexius Calergi. — Vitalis Michael. — Not. fœderis formulam. — Guido Canalis.

Not. Alexii prudẽtiam.

tanta opportunitate ſuum ad patriam liberandam fauorem, auxiliumque præſtare, ne amplius Latinorum iugum nobiliſſima inſula perferret. Alexius prudentiſsimus ſciens, animos concitatæ multitudinis non exaſperandos eſſe ſubita repulſa, ſed arte molliendos, uultu hilari reſpondit, & hoc ſibi in mentem ueniſſe, ſed dubium ſtatim animo ſubortum, an Græci eiectis Venetis poſſent inſulam ſuis uiribus tueri; iccirco ſuper hoc prius conſultandum. Poſt aliquot uero dies, quum iterum Græci ad Alexium conueniſſent, diſceptatumque diu eſſet inter eos, Alexius multis diſſeruit rationibus, difficillimum ſibi uideri, Græcos propriis uiribus Inſulæ dominium per ſe retinere poſſe. quo nam pacto, inquit, eiectis Venetis uobis Cretæ Imperium aſtruetis?

Not. Alexii ualidæ rationes in perſuadendo.

ubi claſsis? ubi militaris uirtus? ubi pecuniæ? ubi concordes animi? quibus adiumentis ueſtris hoſtibus repugnare, & libertatem defendere poſsitis. nam aut Græciæ reguli, aut Genuenſes, aut Cathelani, aut ipſi Veneti continuis uos bellis affligent, & tandem inſula de manibus ueſtris ablata in ſeruitutem redacti eritis. horum autem potentatuum, quem ueſtris rebus conducibiliorem futurum arbitremini? Vatatii, Pontique Imperium crudele, iniuſtumque habetur; Genuenſium pertinacia ubique nota, Cathelani immites, & ſuperbi, in Veneta uero gente ſumma Iuſtitia, ſumma lenitas, quam ſæpe in tot defectionibus experti eſtis. ſtandum igitur eſſe cenſeo. ſub miti Imperio Venetorum, nec aliquid innouandum, ne qua uobis ingruat inexpectata calamitas. Atque in hunc modum Græci deliniti, pacatique quieuerũt: Alexiuſque uerè fidem ſuam, donec uixit, illibatam, conſtantemque probauit, qui etiam moriens,

Alexii uerba ad filios.

quattuor filios ad ſe in cubiculum uocatos, Georgium, Marcum, Leonem, & Andream, cum lachrymis hortatus eſt, ac ſub comminatione diuinæ, & paternæ maledictionis eis mandauit, ut Venetæ Reip. ueram, & immaculatam ſeruarent fidelitatem: atque ita filii patri obtemperantes, Ducalis dominii, ac Veneti nominis ſtudioſiſsimi ſemper fuere. Tãtorum autem meritorum Venetus Senatus memor Calergam familiam ciuitate, & nobilitate piiſimo decreto donauit.

Nouus motus in Creta.

Secuta eſt poſtea elapſis aliquot annis alia rebellio ſub Blaſio Geno Duce, occaſione duarum triremium, quæ de more armandæ erant, pro cuſtodia Inſulæ aduerſus Turcas, & pyratas, quarum ſtipendium dum Rector Rethymi procuraret exigere a Caballariis (Græco enim uocabulo uti debemus, quando propius aliud uerbum non occurrat) quidam coloni de Caſali uocato de Margaritis, pertinaciter recuſarunt ſoluere ipſum ſtipendium, & in miniſtros Rectoris impetum facientes, interficere eos minabantur. horum autem exemplo rebellant turmæ Arnæ, Anopolis, & Chiſſami, & omnes ſimul maximo furore Duce quodam Varda Calergi irruentes expugnant Caſtrum Selini; ubi capto Hermolao Bellegno Præfecto, interficiunt undecim ipſius caſtri homines. inde adiunctis aliis turmis de Milopotamo hoſtiliter diſcurrunt uerſus partes Candidæ, ferro, igniqúe omnia deuaſtando. Quo facto in urbe haud parum trepidatum eſt. Sed miſſo Ioanne Cornelio cũ militibus unius terterii in rebelles, corũ aliquãtũ repreſſus eſt impetus: accedente poſtea è Venetiis magno equitum, peditumque præſidio, hoſtiũ partes deprimuntur,

Vardę Calergi cædes.

interficiturque ſeditionis author, Varda Calergi, qui nõ erat de uera ſtirpe Calergiorũ, caputq; eius delatũ eſt ad Duchã. reliqui uero ex rebellibus ueniã humiliter petentes admittuntur ſolita lenitate in gratiam. uinctus quoque traditur in poteſtatem Regiminis quidam Nicola Procoſiridi, omnium rebellium peſſimus, de quo ſtatim capitale ſupplicium ſumptum fuit. Poſt hæc Laurentius Maurocenus conſiliarius cum manu ualida equitauit ad partes Milopotami, & Rethymi, combuſſitq; Caſale de Margaritis. Vnde rebellio habuerat originem, interfecitq; ibi multos Græcos ſeditioſos. inde profectus eſt ad aliud Caſale uocatum Treſune, ad quod aufugerant tres fratres, qui appellabantur Siſopuli, capita proditorum; eoſque fugientes

Siſopuli.

inſecutus cepit in quadam ſpeluncha, qui propere miſſi ſunt Candidam, ibique capite puniuntur. In his autem præliis, & belli motibus Alexius Calergi Alexii Senioris nepos ſtrenuè, & fideliter pro Venetis ſe geſſit, quare eum Dux per litteras Senatui magnis præconiis commendauit.

Leo Calergi.

Impiæ contrà, & proditoriæ Leonis Calergi actiones in Remp. fuere, quo occulte inſtigante quietus inſulæ ſtatus ſubito armorum fragore turbatur. hunc tamen Leonem licèt infamem, ſuſpectumque reddebant morum

ſuorum prauitas,& conſortium,quod tenebat cum rebellibus in quotidianis potationibus,& commeſſationibus ſcortorum,ganeonumque,Ioannes Maurocenus primũ; deinde Nicolaus Priolus Duces comiter appellatum amice complectabantur,ſperantes,quòd beneficiis,& manſuetudine uictus Græculus quandoque reſipiſceret,& rediret ad ſanitatem: ſed perſiſtens in ſua nequitia Reip.occulte, palamque nocere ſatagebat: eiuſque tacitis ſuaſionibus tandem factum eſt, ut in apertam rebellionem

Coſta Smerilio.

multa loca inſulæ prorumperent, Duce Coſta Smerilio,cum filiis Michaele, & Ioanne,in quos cum firmiſſimis copiis a Duce Alexius Calergi mittitur, qui ſtatim commiſſa pugna hoſtes profligauit,& Coſta cum filiis capitur: miſſique omnes ſub cuſtodia Candidam,capitali ſupplicio afficiuntur. Volens autem Dux poſt aliquot tempus habere etiam in ſua poteſtate Leonem Calergi,uirum perfidum, & ſeditioſum, ut de eo quoque meritum ſupplicium ſumeretur, licèt is ueteri depoſita ſimultate Venetæ

Att. aſtum Ducis.

modo rei fauere uidebatur,aſtutè ad eum ſcribens,multis laudibus commendauit eius fidem,gratiaſque egit de ſtudio ſuo erga Remp.hortatuſque eſt, ut ad ſe quàm citius poſſet,proficiſceretur: qui percepturus erat meritos honores, & condigna præmia fidei,uirtutisq; ſuæ.ipſe autem uera eſſe quæ Dux ſcriberet, nec doli quicquàm litteris ineſſe opinatus,ad urbem magnis itineribus contendit, ad Ducemque properat,qui in Eccleſia Sancti Marci tum forte ſacris intererat,lætaque fronte ab eo exceptus

Leonis Calergi interitus.

inuitatur ad prandium.nec multos poſt dies Leo flagitii conuictus,noctu mandato Ducis ſacco obuolutus mergitur in profundum,cuius nece ingentem Græci in tota Inſula excitarunt rebellionem.at Dux præſidia ſtatim Venetiis acceſſit, & triremes ex ſinu Adriatico.immani autem rabia Græci Latinum nomen exoſi, omni ſtudio exterminare illud, depellereque ex Inſula conabantur,uictique toties nouis ſupplementis uires reparabant. at Dux ut ferociſſima gens tandem domita, ad Imperiũ retraheretur, bipartito exercitu in hoſtem mouit, parſque una per planiciem carpit iter,altera ad montes magno impetu perexit,ut locus hoſtibus effugii nullibi pateret. rebelles autem uiſis copiis non auſi reſiſtere, per rupes, & montium iuga trepide fu-

Michael Pſaromilingo.

gam arripuerunt.Capiturque præter multam turbæ cædem, Michael Pſaromilingo ductor rebellium, & interficitur,quem tradunt, uidentem ſe ex alta ſpecula circumuentum a Veneto, nec eſſe ſpem ullam reliquam euadendi, interfeciſſe primo equũ. clauam deinde ferream deieciſſe in ſubiectum marem,enſem uerò dediſſe in manus famuli, qui eum ſequebatur, ipſumque ita fuiſſe alloquutum, Mi fidiſſime,eripe me hìc a crudelitate inimicorum meorum: non eris reus homicidii,ſed fidelitatis filius, & executor pietatis: mors mea tibi retribuet, quod uita non potuit. abſcide caput meum, & illud defer Duci, & conſiliariis, nam non ſolùm ueniam, ſed etiam præ-

Not. Græculi in morte cōſtantiam.

mium conſequeris.Obſequenſque famulus inuita dextra Heri caput abſcidit. Fœlicem hunc appellarem,ſi pro Repub. non contra eam hac animi magnitudine uſus fuiſſet. Eo autem interfecto omnes rebelles præter paucos,qui in ſua nequitia permanſerant,ad fidelitatem rediere.Sed iam tempus admonet,ut Cretenſi re omiſſa,alia bella percurramus,primumque ea facinora explicabuntur,quæ naualibus Veneti ędide-

Ioannes Vatatius.

re armis aduerſus Hexagonarum,Pontique Regem,& Ioannem Vatantiũ Leſbi principem,qui fœdere,ſocietateque inter ſe inita ad Byzantium oppugnandum terra,ma-

Rex Hieroſolym.

rique copias contraxerant: quo motu perterritus Ioannes Hieroſolymitanus rex Byzantii pro Baldoino genero gubernator,iure ueteris amicitiæ, & regnorum communium ad Venetas opes confugit,eoſque admonet de nouo duorum potentiſſimorum Principum bellico apparatu;opus proinde eſſe maritimis auxiliis,ut communis Græciæ ſtatus defendi poſſet: maturarent igitur Veneti claſſe quàm celerrimè inſtructa opem ferre,ne cunctando aliqua inexpectata clades infligeretur. Rei igitur periculo ciuitas commota,continuò quinque & uiginti triremium claſſem decernit,eique Leo-

Veneta claſſis.

nardus Quirinus,& M. Guſſonus pari poteſtate Duces præficiuntur: ſtatimque in altum euecti,Byzantium uerſus curſum tenuere.circa uerò Helleſponti anguſtias ualida hoſtium claſſis per id tempus ſtationem habebat,cui præerat Leo Gaualla uir maritimis rebus admodum clarus: in hunc,ubi Venetus in conſpectu fuit, ferociter inuectus,aciem explicat,certamineque iniecto diu utrinque ancipiti Marte pugnatũ. Græ

ca.

Venetorũ uictoria.

ca demum claſſe diſiecta, naualem Venetus uictoriam obtinuit, in urbemq́ue eadem die ingreſſus, ingenti ab omnibus lætitia, plauſuſque excipitur. Nec diu ferox hoſtis quieuit, reparata enim denuò claſſe Byzantium aggreſſus, urbem obſidione cingit, terreſtres quoque copiæ admotæ ſunt. Sed Ioannes Michael, qui tum urbis præturã gerebat, cum ſexdecim triremibus portu eductis, in hoſtium ſtationem impetum fecit, qui tantus fuit, vt aduerſam momento temporis claſſem diſiecerit, ſolutaq; eſt inde ſtatim obſidio, duplicique uictoria intra paucos dies Veneti potiti Conſtantinopolitani Imperii res collapſas erexere. cum Genuenſibus quoque in nouem annos pactæ ſunt induciæ, Gregorio Romano Pontifice ad id vtrunque populum adhortante; eoque nomine Stephanus Iuſtinianus, & Marinus Maurocenus Oratores mittuntur:

Legati Veneti.

alii Ioannem Cornelium, & Paulum Mollinum tradunt, atq; in Lugdunenſi Concilio rem agitatam. Sed hæc in Galliis legatio pro ineundo fœdere cum reliquis Chriſtianis Principib. aduerſus Sarracenos decreta fuiſſe dicitur, armaq; & terreſtria, & maritima vbiq; parabantur, omniaq; in motu erant, nemine ſacroſanctam militiam detractante: verùm immatura mors Pontificis paratam expeditionem turbauit. in aliudq; belli incommodum eo diſcuſſo ciuitas incidit: atrox enim & nefaria tyrannis Patauinam vrbem per id tempus adorta, ingens tota Italia excitauit bellorũ incendiũ: ſiquidem Eccellinus homo obſcuro loco natus Federici Imperatoris fauoribus

Eccellini potentia.

maximas non ſolùm opes congeſſit, ſed Ciſalpinæ totius ferè Galliæ occupauit Imperium; diſſidentibuſq; inter ſe ciuibus, Patauinæ primùm vrbi frenum iniecit, quam amariſſima cœpit premere tyrannide: tum enim nobiles viri ad ſupplicium indicta cauſa trahebantur, quorum alios carcere, mulctaq; damnabat, illos in exilium vi impius agebat, debaccabaturq́ue in omnium vitam, & fortunas: multi itaq; ſuppliciorũ

Att. tyranni crudelitatem.

metu voluntarium ſibimetipſis conſciuere exilium; plures (ut impendentia euitarẽt mala) Venetias, tanquàm ad unicum ſalutis, libertatiſque domicilium confugerant. Interim quum Federici ſecundi Imperatoris armis Gregorius Nonus Pontifex præmeretur, per legatos Romeum Quirinum, & Stephanum Baduarium Veneti cum Põtifice aduerſus Federicum ſocia arma iunxere, claſſeque inſtructa quinque & uiginti

Legati.

triremium, cui Petrus Theupolus Principis filius pręfuit. Appulia eſt bello petita, ubi fuſis, fugatiſque duodecim hoſtium longis nauibus, Venetus expugnauit Thermolas, Beſticem, & Campum Marinum, nauemq́ue apud Brunduſium omnium maximã intercepit, quæ mille fulcita erat bellatoribus.

Not. Claſſis Venetis ſucceſſum.

Superueniente poſtea cum potenti claſſe Anſaldo Federici maritimo Duce, Veneta claſſis ex Appulia in Hiſtriam tranſiit. Pollamq́ue rebellem recepit: & hæc mari: in continenti autem quum idem Theopulus, qui tũ è claſſe digreſſus, Mediolani ab illius vrbis populo Prætor electus erat, aduerſus Federici copias parum ſecundo prælio dimicaſſet, captuſque in hoſtium poteſtatem ueniſſet, uictoris iuſſu in Appulia miſerabili modo necatus eſt; ad eamq; regionem perductus fuiſſe dicitur, ut ibi in Appulorum gratiam, quos ſuperiori æſtate in maritima ora tot cladibus affeciſſet, interficeretur.

Pet. Theupoli cædes

Nec multò poſt Iaderæ rebellio nunciata ciuitatem ad arma exciuit, ferox enim Dalmata defectionibus aſſuetus, arreptis repente armis Ioannem Michaelem prætorem vrbe eiecit, Pannoniciſq; innixus auxiliis, Venetum (vt antea) laceſcere minimè veritus eſt: ſed patres validiſſimam claſſem ad Iaderam recipiendam confeſtim decernunt. Quæ ſub Raynerii Zeni Imperio educta in Dalmatiam tranſmiſit:

Claſſis in Dalmatias

Iaderaque obſidione cincta, ac terra, marique oppugnata, poſt duos circiter menſes tandem voluntaria deditione in fidem recipitur, Legatiq́ue ad Pannoniæ regem miſſi Stephanus Iuſtinianus, & Petrus Dandulus, vt cum eo rebus Dalmatiæ compoſitis pacem firmarent.

Legati in Pannoniã

Dum hæc foris gerũtur, domi quoque Reſp. nouis inſtitutis exculta eſt, forum in primis Petitionum additũ, treſque in eo creantur iudices, ſeu vrbani Prætores, qui litigantium cauſas cognoſcerent; veteres etiam leges diligentiori examine reformatæ in aliud breuioris compendii volumen ſunt perſcriptæ:

Noua inſtituta.

& hæc domi, foriſque per viginti annos, quos Theupoli Principatus habuit, varia fortuna caſu euenere. qui ad Gemellorum ædem elatus marmoreo ſepulchro conditus fuit. ſingulariſque virtutis Theupolus fuiſſe traditur: ferunt enim eum, dum Principum Legati in curia (ut fit) mandata exponerent, clau-

Not. Theupoli P. memoriam.

ſos ſemper oculos tenere ſolitum, atque vbi illi dicendi finem feciſſent, tum apertis

Mar. Maurocenus Dux 41. anno D. 1248.

ſtatim oculis, ad omnia quæ audierat, incredibili memoria reſpōdiſſe. Marinus Maurocenus nouo electionis genere Dux in Theupoli locum creatur, diuerſaque hæc a priori illa in tanta dignitate demandanda creandi Principis ſāctio fuiſſe apparet, præ ſenſque electio omnino cautior habetur. Populi enim acclamatione, ſiue ſuffragio, Duces antea eligebantur: qualem autem, quantumque inconditæ vulgi voces cunctis in rebus afferant turbationem, nemo eſt, qui neſciat. ad hæc largitionibus, odiiſque concitati multitudinis animi a recti iudicii tramite prorſus recedunt: voluntateque, non ratione cæca plebs regitur. nunc verò mutata eligendi forma ſaniorem continet in Principatu demandando inſtitutionem, de qua pauca hoc loco dicenda duxi. Nam omnium primum, quum Principis creatio facienda eſt, indictis comitiis quinque vi-

No. Principis eligēdi rōnem.

ri ex Reip. ſenioribus, qui Correctores appellantur creati, futuro Principi leges præſcribunt, eaſque ad ſupremum totius nobilitatis conſilium adducere oportet: quæ ſi approbatæ in eo fuerint, firmæ, inuiolabileſque habentur. eadem etiam die triumuiri creantur, appellati Inquiſitores, qui defuncti Principis domeſtica facta perſcrutandi

Inquiſitores.

curam habent: eaq; ſi contra præſcriptum, ac iuris ordinem facta inuenerint, mulctā Principi irrogata, detractandi, immutandiq; omnimodam habent poteſtatem. His peractis, Principeque ſepulturæ mandato, ſtatim Comitia indicuntur, patritiis his ſolùm admiſſis, qui triceſimum vitæ annum exceſſerint: hìc tot pilæ minutiores argenteæ in vrnam vnam coniiciuntur, quot intra curiæ parietes cenſa, connumerataq; fuerint patritiorum capita. his triginta aureæ commiſcentur: mox ex ſubſelliis nobiles q. adſunt, ſinguli ordinē ad tribunal citantur, vbi puerulus fortuito, ad hoc vocatus, manū in vrnam immiſſa pilas ad ſingulorum conſpectum educit, atq; is, pro quo aurea pila à puero extracta eſt, in proximum conclaue ſtatim deducitur: atque ita omnes uſq; ad triginta, qui pilam auream ſortiuntur, eodem conclaui incluſi tantiſper ſubſiſtunt,

9. XL.
12. XXV.
9. XLV.
11. XLI.

donec nouem ex his aureas pilas ſorte eduxerint. hi quadraginta uiros ſuffragio legunt, ex his duodecim aureis pilis eductis ius habent eligendi quinque & viginti viros, qui ad nouem pilarum numerum ſortione redacti, quinque & quadraginta viros eligunt: ad ſortes illi reuocati: vndecim vltimo loco aureas ex omni numero pilas educunt, quas qui ſortiti fuerint, ii demum unum, & quadrinta viros ætate, & honoribus in Rep. ferè omnes primarios ſuffragio creant: Qui ſtatim ad Ducariam electionem ducti, ea ſuperiori parte curiæ clauduntur, ubi pene quotidie Senatus haberi ſolet: nam Aula ampliſſima pateſcit, tū ibi ſub primum ingreſſum à Diuinis orſi ſacra pie curant, treſque ex omni numero, qui annis, & authoritate eminent, totius ordinis

Priores.

Collegio præficiunt, quos priores appellant: hiſque aliquanto digniore loco conſtitutis, quadrifariam ipſum conclaue diuiditur, inde nominatim ex locis ſuis vbi reſidēt, ſuffragaturi citantur, qui eo ordine, quo vocati ſunt, ad conſpectum Priorum ueniūt, complicataſque ſchedulas habent, in quibus eorum nomine ſunt inſcripta, quos ad Principatum euectos iri velint. Redactis itaque in ordinem nominibus, & in pileum coniectis, tum pro eo, cuius nomē ſorte extractum eſt, ſuffragia citantur, verùm priuſquàm illā electionem inchoant, fit omnibus poteſtas, liberè quid de vnoquoque ſentiant, publicè pro roſtris loquendi, omniaque in medium proferunt, ſi qua indigna in homine ſint, ne ampliſſima urbis dignitas ei deferatur; qui immeritò eam appetit, hic quaſi reus ad diluenda obiecta procedit, ſuamque (dum poteſt) cauſam tuetur; poſtremò purgatione facta ſuffragia ineuntur, atque in duos calices aſſenſus, & negationis indices ex panno pilas quibuſdam notatas ſignis ſinguli ordine vocati demittunt; numeranturq; diligenter à Prioribus, non manu, ſed virga ad id parata, vt fraus omnis abſit ſuffragatoriæ pilæ: quæ ſi quinque & viginti numero fuerint, ille, pro quo tot ſuf

Principis creatio.

fragia numerata ſunt, declaratur Princeps. Qui poſtridie magna Patrum frequentia eminenti throno locatus in ampliſſima Palatii aula in vniuerſi populi conſpectu reſidet: poſtea in Diui Marci templum progreſſus, gratiis pie Deo actis, in eminentiorem templi ſuggeſtum cōnſcendit, ibique ex uno & quadraginta uiri ſenior ad aſtantē populum conuerſus, Principis nomen, qui ab ipſis creatus eſt, publicè enunciat; mox circumfuſa ſtipatus multitudine, præcelſa contignatione populi humeris per forum de-

latus,

latus, ingentem pecuniæ vim gratulabundus Princeps in turbam ſpargit: poſtremò in Ducarium relatus, ex editiore Palatii loco populum blando ſermone alloquitur, ſeque iuſtitiæ, pacis, vbertatisq; authorem in Principatus adminiſtratione futurum aſſerit. hinc ad Aedilium curiam Ducali ſede reponitur, nouiſſimè interiori Palatii ſacello inſigne capitis fronti aptatum à ſeniore Conſiliario accipit. Cæterùm quando hæc pauca de creatione Principis explicauimus, non ab re fuerit, hoc loco breuiter memorare, quæ ſit funerandi quoq; Principis ratio, vt Ducaria res tota abſoluatur. Poſt Ducis obitum cadauer eius exenteratum, balſamoque, & odoramentis delibutum ſub aureo amiculo ſublimi locatum pheretro triduò publicè in foro aſſeruatur, Ducaliaq; ad defuncti pedes inſignia, ſcutum, enſis, calcaria inuerſa ſpectantur: mox vero vniuerſus ciuitatis clerus infinito propè numero, ac cuncta collegia ſolemni, & religioſa pompa ſub ſuis quæque ſignis ordine præcedunt; funus ipſum Patres, cunctaq; ferè nobilitas, Principum Oratores, ac pullatorum vis ingens mœſto ſilentio ſequuntur, iuxtaque viginti quattuor patritii, purpura, & cocco culti, quorum ornatus indicat, ciuitatem, quæ libera eſt, in Principis funere luctus oportere eſſe expertem. vbi templum funebris pompa eſt ingreſſa, ſuggeſtu defunctus Princeps edito conſtituitur, quem venerabili conſeſſu purpurati illi patritii hincinde cingunt: interim defuncti memoria pro concione populi de more laudatur, abſolutiſque in hunc modum Principis exequiis, Comitia ſtatim (ut ſuperius tetigi) ad nouum Ducem creandum indicuntur. Sed ad Mauroceni nunc redeo adminiſtrationem, qui primus omnium (ut dixi) nouo electionis genere Princeps creatus fuit. ſub id igitur tempus Philippus Fontana, Rauennæ antiſtes à Gregorio Pontifice Venetias ad Senatum miſſus, petiit, vt aduerſus Eccellinum tyrannum Romanæ eccleſiæ hoſtem Veneti ſecum ſocia arma iungerent, cœleſtiſque vitæ præmia propoſuit omnibus, qui ad euertendas tyranni opes in militiam proficiſcerentur. itaque non pauci mortales Eccleſiæ dicto parentes, ad tam piam expeditionem allecti, euocatique feſtinarunt. ſed præ cæteris Venetæ opes ad infrigendas tyranni vires plurimum profuere, ſiquidem omnia, quæ ad bellum neceſſaria eſſent, Venetis ſubminiſtrantibus hoſtis uictus ceſſit. Verùm multæ, variæque prius clades vltro, citroque illatæ ſunt, primumque ex Bebiis Pontificis, Venetorumque copiæ in Patauinum agrum irrumpentes, omnia igni; ferroque vaſtarunt, qua ſuorum clade Anſedinus Eccellini ex ſorore nepos excitus, cũ aliquot cohortibus ad prohibendas populationes Corregiolam uenit, ac Brenta, Bacchilioneque fluuiis ualido militum præſidio firmatis, ad Saccenſæ oppidum obſidione leuandum citato agmine progreditur. at Philippus, Venetique ad maiora animum adiicientes, motis repente Caſtris ad Pattauium oppugnandum ire pergunt, ſignaque ad vrbem improuiſo admota hoſtem mirum in modum terruerũt: nã ad pontẽ curuũ Pontificii, Venetique milites ferociter dimicantes, Anſedinum intra vrbis munitiones repellunt; inde circa Altinatem portam prælio redintegrato multus utrinque cruor effuſus eſt. demum uicta oppidanorum pertinacia ab ea parte ciuitas expugnatur: tum deſperatis rebus Anſedinus celeri, tacitoque effugio ſalutem ſibi quæſiuit; Patauinique Ducis fuga perterriti, ſubito deditionem fecerunt. Eccellinus interea, qui Mantuam graui obſidione premebat, nuncio de Paduæ amiſſione perlato, ſtatim è Mantuano copiis abductis, Veronam magnis itineribus profectus eſt, ubi ſæuiſſimus tyrannus infanda dicitur crudelitate uſus, nam duodecim Patauinorum millia, qui in caſtris partim militantes erant; partim Veronæ, finitimiſque urbibus domo profugi uerſabantur, uariis cruciatibus in amiſſæ Paduæ ultionem ad unum necauit: quod a nullo unquam, præterquam a L. Cornelio Sylla factum legitur, qui duodecim ſimiliter Preneſtinorum millia in Marianarum partium inuidiam crudeliſſime obtruncari iuſſit. Poſt hanc cædem perpatratam, Eccellinus copiis maioribus contractis, Patauium adortus, urbem recipere tentauit. Sed Pontificius Legatus, qui ciuitatem præſidio tenebat, circumducta Patauinis mœnibus foſſa, ita eam communiuit, ut nulli Eccellini conatus amplius formidandi uiderentur. deſperata itaque Pataui recuperatione hoſtis gemens, fremenſque inde receſſit. ſequutæque ſunt poſtea hinc inde aliquot expeditiones, Legatuſque Pontificius commiſſa cruen-

Pecunia in lætitiæ ſignũ per forũ ſpargitur.

Funerãdi P. uſus.

Notandũ.

Philippus Fontana.

Bellum in Eccellinũ

Anſedinus

Patauium captum.

No. Eccel. lini crudelitatem.

Legatus Pōtificis uictus.

ta pugna uictus, captusque eſt: ad Mediolanumque hoc ſucceſſu Eccellinus conuerſus, arma repente eò tranſtulit; nam ab aduerſæ factionis hominibus euocatus, ſi paulum anniteretur, urbem præpotentem occupare ſperabat, ad Abduamque cum quinque millibus equitum progreſſus, cum hoſte (fato impellente) qui ad impediendum tranſitum ad flumen accurrerat, manus conſeruit, quo in prælio Eccellinus dum fortiter pugnat, ſagitta in crura ictus, grauiſſimum uulnus accepit, uiribusque debilitatus, fugam arripere non potuit, captiuusque factus, Suncinum perducitur, ubi poſtri die grauitate uulneris affectus, homo iam octuagenarius, pauciſſimis horis expirauit. Ferturque is, dum alto ſopore preſſus obdormitaret, ſomniaſſe aprum immenſæ feritatis in uenatione ſibi obuiam factum, dentem pedi infixiſſe, exterrefactumque ex doloris magnitudine, ingentem eiulatum emiſiſſe; ſomnioque penè conformis caſus poſtridie illi euenit. Ita Eccellino extincto, Vrbes, quas per triginta quattuor annos crudeli ſeruitio oppreſſas immaniſſimus tenuerat tyrannus, in libertatem reſtituuntur: ob egregiam autem Venetorum operam rebus Eccleſiæ in hoc bello nauatam, tradunt authores, a Pontifice Venetis conceſſum, ut Diui Marci Primicerius mytra, & paſtorali baculo cærimoniarum hora perpetuo ipſe, & poſteri uterentur. Duxque iam ſenio confectus anno regiminis ſui quarto uita deceſſit, eius corpus marmoreo tumulo in Diui Marci ædis ueſtibulo ad læuam eſt ſepultum: Mauroceno Raynerius Zenus quadragintauirali ſuffragio Princeps creatus ſubſtituitur. Ac ſub id tempus ſtatim cum Genuenſibus bellum eſt ſuſceptum, quod atrox, cruentumque ita utriuſque populi iras, ingeniaque efferauit, ut per centum & amplius annos exitialibus armis, odiiſque acerbiſſimis inter ſe pugnatum ſit. Huius autem belli origo haud parum leuis uiſa, quæ duos potentiſſimos Italiæ populos ad belligerandum inuicem funeſtiſſimis aliis ſuper alias cladibus, parua interdum reſpirandi mora conceſſa, impulerit. Nam ex quo Chriſtianorū Principum armis Hieroſolyma cum parte Syriæ recepta fuerat, Veneti Ptolomaide urbe, quæ & Accon appellata eſt, ius ſibi ex fœdere quæſitum habebant, quemadmodum & Genuenſes, & Piſani: priuum enim uicum, priuum forum ſingulæ hæ nationes ſortitæ fuerant, præter Diui Sabbæ fanum, quod omnibus erat commune: hoc tamen ſibi Genuenſes propria authoritate uendicantes Venetum impudenter excludebant. De templi itaque poſſeſſione his diſceptantibus, ad tollendam diſcordiam res ad Alexandrum Quartum Romanum Pontificem utriuſque partis conſenſu delata eſt. Cenſuit ille æquitatis, quietiſque amicus, utrorumque commune oportere eſſe templum. Hac Pontificis declaratione Lygur cōtempta, Philippi Monferratenſis fauore, qui tum urbi Gallorum nomine præſidebat, locum repente occupat, atque tumultuario opere antequam Venetus adeſſet, in arcis ſpeciem communiit. idemque Monferratenſis in Genuenſium gratiam Venetos urbe, totaque Syriæ ora expellit. Tam inſigni contumelia Venetorum animi irritati, in uindictam æſtuant; ictoque cum Manfredo Siciliæ Rege aduerſus Genuenſes fœdere, tredecim triremes, quæ per id tempus in Tyri portu ſtationem habebant, propere Venetus educit; alii eas ex Italia ſub Laurentii Theupoli, ac And. Zeni Imperio miſſas tradunt. Vbi uero ad Ptolomaidis portum Veneta claſſis aduenit, cathena ſubito impetu refracta, quæ ingreſſum occluſo aditu arcebat, Lyguſticas naues inuadit, eaſque momento temporis oppreſſas Veneti in ſuam redigunt poteſtatem: mox ſubiectis flammis ad unam incendio abſumunt, quæ numero tres & uiginti fuiſſe dicuntur: inde Diui Sabbæ templum a Lygure communitum eodem impetu adorti, capiunt, ac illud magna ex parte diruunt. Genuenſes tanta ſuorum clade audita, ut iniuriam ulciſcerentur, ingentem claſſem decernunt: Veneti quoque arma ſedulo parant, in Syriamque profecti, hoſtem medio mari ſibi obuiam factum ferociter inuadunt: pugnaque inde cruenta oritur, qua tota ferè claſſe exutus Genuenſis profligatur; & Venetus hoſte deuicto, Ptolomaidem continuo aduolat, ibique omnia Genuenſium publica, priuataque ædificia diruit. duo millia ad hæc & amplius ex his capti in uincula coniecti ſunt: nec multò pôſt tres aliæ Lygurum naues non procul a Tyro a Venetis opprimuntur, ac totidem circa Cretam. In Pontificis tamen gratiam induciis pactis captiuos Genuenſibus Veneti reſtituerunt. In hoc motu res in Syria erant, quum interim turbu-

Eccellini interitus.

Not. Somnium.

Rayn. Zenus Dux. 45. an. Do. 1252.

Accon.

Alex. Pōt. declaratio

Not. Genuenſium inſolētiã.

Not. Lygunum Cladem.

Venetorū uictoria.

turbulentior Græciam tumultus agitaret: infeſtis enim Ioannis Vatatii armis ita Cõſtantinopolitani Imperii res collapſæ, acciſæque iacebant, ut niſi Veneti quandoque in Ponticum mare auxiliari claſſe transfretaſſent, actum iam antea de Baldoini Imperio in Græcia fuiſſet: quod ipſum tamen non multò poſt euenit; ſiquidem Michael Paleologus nobiliſſimo inter Græcos genere ortus, poſt Ioannis Vatatii, & Theodori eius filii obitum, tutor ab iis relictus, liberorum, qui ſuperſtites erant, cum Principatus adminiſtrandi poteſtate, ad Imperium Conſtantinopolitanum occupandum animum adiecit: ſuſceptaque primum puerorum cura, eos ſtatim infanda cæde ſuſtulit; mox opibus ſuis firmatis Guielmum genere Gallum, Achaiæ Principem, bello aggreditur, cuius opes non fregit ſolum, ſed eum etiam illata ingenti clade captiuum, uinctumque traxit: qua uictoria elatus uir inquieti animi Baldoinum Imperatorem armis infeſtare auſus eſt. contractis igitur maximis terra, marique copiis, Paleologus ab Euxino ſoluens, Byzantium petebat, quum Baldoinus ad aduentantis hoſtis famam excitus, cum ualida militum manu urbe egreditur, ut hoſti occurreret, & M. Gradonicum cum claſſe maritimam rem aduerſus Paleologum geſturum ad Pontici maris anguſtias miſit. ſed aſſiduis bellorum ſumptibus, ad tantam Baldoinus inopiam deuenerat, ut a Burgenſibus mercatoribus mutuam accipere pecuniam coactus ſit, ac tegulas plumbeas, quibus publica ædificia tecta erant, precioſiſſimasque Diuorum reliquias incredibili impulſus egeſtate uenditas alienauit. uiribus igitur debilitatus, quum tenui tantam urbem firmaſſet præſidio, in domeſticas incidit inſidias. quidam enim Graii ſanguinis uiri Gallicum, Latinumque nomen exoſi, rati quod erat, urbem immunitam facilè occupari poſſe, cum Paleologo per fides nuncios agũt, ut intempeſta nocte tacito agmine ad urbem accederet, fore, ut in eam ſtatim receptus, ſine ullius cæde, Imperio, rerumque potiretur. Haud quidem ille tantam bene gerendæ rei occaſionem prætermiſit, uerùm, ut conſtitutum fuerat, noctis ſilentio expeditiſſimas ſecum trahens copias, ad urbem uenit, in quam proditores, repente cæſis portarum uigilibus, Paleologum cum omnibus copiis pacati admiſſere. At Baldoinus Imperator, & Panthaleo Iuſtinianus Patriarcha nocturno armorum ſtrepitu exciti, ut urbem captam ſenſere, nauim ad id paratam feſtinanter ingreſſi, uelis datis in Euboeam ſunt delati, ac per hunc maximè modum Conſtantinopolis amiſſa dicitur, anno poſtquam a Venetis, Gadiſque capta eſt, tertio & ſexageſimo. Byzantii caſus ingentem ciuitati mœſtitiam attulit, miſſique proinde ad Pontificem, & ad Ludouicum Galliæ Regem Legati, ut auxilia aduerſus fœdifragos Græcos peterent. Interim quia apparebat, tanto ſucceſſu elatum Paleologum non quieturum, aſſiduiſque infeſtaturum armis maritimam Græciæ oram; Veneti confeſtim, ne Inſulæ, & loca, quæ circa Helleſpontum, & in Aegeo, Ionioque mari tenebant, indefenſa manerent, duo de uiginti triremium claſſem inſtruxerunt, eaque ſub M. Michaelii imperio in Græciam ducta, nullam in tutandis Venetorum finibus maritima illa ora prætermiſit occaſionem, tantaque ſtrenuitate res a Veneto geſta dicitur, vt Paleologus deſperatis remediis breui fuiſſet Byzantium relicturus, niſi Genuenſes auxiliari claſſe ei opẽ tuliſſent. Ea propter Veneti, vt hoſtium conatibus firmiori præſidio reſiſterent, veteri claſſi, quam in Græciam prius miſſerant, ſeptem & triginta triremes in ſupplementum addidere: eæ autem domo profectæ circa Theſſalonicenſem ſinum ſexaginta Græcorum, Genuenſiumque naues obuias habuerunt: illis vero nihil mouentibus nec Veneti vtpote nauium numero impares, hoſtem laceſſere auſi ſunt. præteruecti igitur ſilentio, in Euboeam cum tota claſse veniunt, indeque eiecto Anfoſio Federici tertii Siciliæ regis filio (vt aiunt) ſpurio, tota inſula potiuntur. at hoſtium claſsis è Theſsalonicenſi digreſsa tres Venetas naues, quæ prædandi ſtudio in Helleſpontum vſque proceſserant, ſubito oppreſsit, ac inhumana crudelitate captiuos omnes, quos ſortiti ſunt, Genuenſes ad vnum interficiunt; reliqui a Græcis occæcati. Poſtea duo, & triginta longæ naues Venetiis ſequenti anno ſub Gilberti Danduli auſpiciis emiſſæ, cum hoſtium claſse tumultuaria pugna conflixere; Genuenſeſque quattuor amiſſis nauibus fugati ſunt. Nec multò poſt pari penè clade illata tres Venetorum onerarias commeatu onuſtas Lygur oppreſſit. In Syria quoque haud res omnino quietæ erant;

Mich. Paleologus.

Not. Baldoini egeſtatem.

Conſtantinopolis a Paleologo capta.

Veneta claſſis.

Græcorũ Claſſis.

Euboeam Veneti occupant.

Veneta claſſis.

erant,ſæpiusque inter Venetos, & Genuenſes naualibus prælijs uaria fortuna eſt dimicatum,claſsesque vtrinque plerunque emiſsæ, plerunque reuocatæ : nouiſsimè

Valida arx

quum Venetiis decem onerariæ,atque vna alia inuſitatæ magnitudinis nauis, quam vulgo validam arcem appellabant,ad negociationem exiiſent,curſumque in Aſiam intenderent,cognita per exploratores ex Adriatico ſinu earum profectione,Genuenſes ſtatim ſexdecim triremes,in inſidiis poſt ſcopulos locant : quod vbi per ſpeculatoriam nauim Veneti reſciere,nulla mora interpoſita, quando ad dimicandum imparati erant, res omnes in littus tuto loco exponunt, ac naues vacuas hoſtibus relinquunt,Cetheaque ipſa per medios hoſtes Venetos oẽs incolumes eduxit.Nec multò

Iac. Dandulus.

ĩteriecto tpis ſpacio ad reſarciẽdũ onerariarũ dãnũ,Veneti ſeptẽ triremes Iac.Dãdulo præfecto in Dalmatiã mittũt,cũ mãdatis,vt is aucta foris claſse hoſtẽ vbiq; inſectetur.Ex Iadera igitur Dãdulus tribus triremibus acceptis,totidẽq; Cretẽſi remigio adiũctis,ad fretũ uſq;Siculũ progreſſus eſt,ubi aliæ ẽt quattuor ex Euboea additę,& ex Raguſio.M.Gradonicus cũ decẽ lõgis nauibus affuit: auctaq; in hunc modũ claſſe omnem Siciliæ oram,quæ ad Ortum ſpectat, & eam ferè totam ad meridiem poſt Pachinum promontorium iacentem Venetus circumuectus, rem ibi præclare geſſit : circa autem Lylibeum treis Genuenſium triremes, quibus Lanfranchus Barbonius præerat,ſibi obuias factas,fugamque molientes opprimit.at Genuenſes hanc cladem ul-

Genuenſium claſſis.

turi duo de triginta triremes confeſtim educunt, quæ cõtinua nauigatione è Tyrheno in Siciliam delatæ ad Drepanum Venetis occurrunt,tantoque animorum ardore utrinque pugna inita eſt,vt vix Ducum Imperia audiri potuerint : ſed hinc odium, æmulatioque,inde laudum cupiditas animos accendebat,tam hi, quàm illi, certa uirtutis ſuæ ſigna hoc maritimo congreſſu in Siculorum conſpectum oſtendere nitebantur;diuque æquis uiribus dimicatum,demum Genuenſium fortuna inclinante, quũ hi mortem oppetere potius,quàm fugam arripere animati eſſent,uiginti triremibus

Lyguſti clades.

partim captis,partim combuſtis,aut alto mari depreſſis,magna clade profligantur : Nam præter multos ex deuicta claſſe captos mille, & ducenti ex Genuenſibus ferro abſumpti,fluctibuſque demerſi, aut vi alia extincti periere : nec uictoria Veneto incruenta fuit,ob multorum cædem,& ingentem ſauciorum numerum. Verùm quia ea pugna Genuenſium opes penè euerſæ uidebantur,Paleologus, qui eorum ſocietatẽ ad eam diem ſtudioſe coluerat,cum uictore Veneto in quinquennium inducias pepigit : nec ad eam tamen cladem ferox Lygur animum remiſit : ſed reparatis uiribus continuo inſurgens,nouam claſſem inſtruendam curauit.Et Veneti,ne Lyguſticis armis maritima Græciæ ora premeretur, unam,& uiginti triremes ad Methonis præſidium in Achaiam miſerunt. hoſtis verò apud Rhodum nauem Venetam precioſiſſimis mercibus onuſtam ſubito oppreſſit,mox in Cretam curſum tenuit,vbi depopulata magna Inſulæ parte Cydonem urbem,quæ nunc Canea appellatur, ſubito incurſu occupat,direptamque pene totam diruit. Dum hæc in Græcia geruntur, grauis ſeditio domi orta ciuitatem in non paruum diſcrimen adduxit.Diuturni enim belli Conſtantinopolitani,Lyguſticique onere ærarium ita exhauſtum, exinanitumque ad eã

Nouũ uectigal.

diem reddiderant,ut coacti ſint Patres ad alendam claſſem noua tributa excogitare. Quũ igitur in multuris perpetuum vectigal commenti eſſent, mandaſſentque illud præconis voce in foro publicari,tum ad ſubitam oneris impoſiti denuntiationem, furibunda plebs commota,clamoribus inconditis, minisque aſperis in curiam impetũ fecit:rei nouitate perculſis patrum animis Raynerius Princeps ad primum tumultũ cum Conſiliariis curia egreſſus in medium proceſſit, ut Ducaria authoritate ſtrepentem multitudinem a furore reuocaret,concitatosque blandiori ſermone animos deliniret.Ad primum autem Ducis conſpectum plebs indignata,amariſſimas voces tol-

Populi temeritas in principẽ.

lere cœpit,Principemque,ac patres accuſare,qui nouis,inſolitiſque tributis benemeritum populum nulla habita egentium ratione opprimerent: reque in ſeditionem verſa ingens periculum imminebat. & quum Raynerius placidis verbis exaſperatos multitudinis animos emollire tentaret, atque ad accipiendam legem, quæ neceſſaria erat, omnes hortaretur, plebs furens Ducaria maieſtate neglecta, lapides continuò in Principem, ac patres temerario auſu coniecit;parumque abfuit,

quin

Not. populi furorē.

quin ſummus in urbe magiſtratus uiolatus fuerit. ſed ceſſit ille plæbeio furori, nec imperita multitudo Principe è medio abeunte, a vi abſtinuit: per totam enim ciuitatem armis arreptis diſcurrens aliquot nobilium domos diripuit, ac minis, & terrore, nec non armorum ſtrepitu cuncta ardebant. tandem ſedato tumultu diligentiſſima inquiſitio habita eſt, qui turbata ciuitatis quiete publicam Maieſtatem tam temere uiolaſſent. capti ſunt ſontes, meritisque ſuppliciis omnes damnati, in quibus fuere Nicolaus Sochus, & Ioannes Candianus uiri ſeditioſi & turbulenti.

Not. Sochus, Ioſ. Cādianus

Per hæc quoque tempora uiæ urbis publicæ, uici, compita, lateribus ſtrata dicuntur, & pons Riualtinus inſtauratus. Poſt hæc quum Cydonis dirutæ memoria in ultionem contra Genuenſes Venetorum animos inflammaret, claſſis proinde ſub Marci Gradonici auſpiciis in eos eſt emiſſa, quæ Ptolomaidem primum profecta, Lygurem uariis cladibus affecit: pugna demum ad Tyrum cum hoſtium claſſe conſerta, quinque naues his Venetus ademit. alii octo interceptas tradunt, non apud Tyrum, ſed circa Rhodum.

Venetorū uictoria.

His domi, foriſque geſtis Zenus Princeps decimoſeptimo Ducatus ſui anno moritur, Laurentius Theupolum, Iacobi Principis filium, Zeno in Principatu ſucceſſorem ciuitas dedit:

Laur. Teupolus D. 46. ann. D. M.CC. 68.

primaque adminiſtratione quum bellum adhuc arderet inter duos potētiſſimos Italiæ populos, vulgoque crederetur, in Aſia Chriſtianam rem ex eo plurima incommoda ſubituram; Clemens Quartus Pontifex Maximus per Legatos ad pacem Venetos, Genuenſeſque uiciſſim ineundam plurimum hortatus eſt, petiitque, ad id commodius tranſigendum, vt Viterbium ad ſe vtrinque Oratores mitterentur: Galliarum quoque, & Siciliæ Reges hoc ipſum precibus contendere. Miſſi ad Pontificem legati, quorum nomina authores non ponunt; qui poſt aliquot menſes altercationibus hinc inde habitis, re infecta domum abiere. poſtmodum quum Philippus Gallorum Rex vehementer optaret, vbi ad pacem Venetos, Genuenſeſque perlicere antea non potuiſſet, ſaltem induciis eos ab armis retraheret; vtrorumque Legatos ad ſe Cremonam acciuit, vt ad inducias publico ciuitatum ſuarum nomine paciſcendas eliceret. Ac per id tempus fames ingens Venetam urbem inuaſit, frumentatione ex Sicilia, Apuliaque negociatoribus ob maximam illius anni in his regionibus ſterilitatem negata, ad vicinorum itaque opes in tanta annonæ penuria eſt recurſum.

Not. Annonæ penuriam.

miſſi Taruiſium, Patauium, Ferrariam, & ad alias vrbes finitimas, qui oblata ingenti pecuniarum vi, precibuſque additis orarent, vt ſi qua Veneti nominis meritorum in vicinos extaret memoria, cùm in alios, tum in Patauinos, quos nuper ſuis opibus Veneti ab infanda Eccellini tyrannide liberarent, uellent amicæ ciuitati in tanto diſcrimine re frumentaria, qua ipſi abundabant, pie ſuccurrere: quòd ſi naturæ humanæ vitio beneficia obliuioni mandata a grato remunerationis opere animos retrahunt, iure humanitatis ſaltem id benemerito, amicoque populo impetratum concederent.

Not. modeſtam hortationem.

Sed neque precibus, neque pecuniis ingrati vicinorum animi permoti. Negata itaque vbique frumentatio eſt. tum Veneti indignitatem rei haud ferentes, vt ſcirent omnes, quàm inhumane, quàm ingrate finitimæ ciuitates ſecum egiſſent, legem tulerunt, quæ ad hunc vſque diem tenet,

Nota legē

vt omnes, qui intra Fanaticum ſinum, & Padi fluminis oſtia negociandi cauſa vltro, citroque nauigarent, uectigal Reip. penderent; ad quod perſoluendum, & ad mercem ipſam eſtimandam, Venetias accederent. ne autem legi fraus fieret, nouus magiſtratus inſtitutus eſt, cui aliquot nauigia, quæ omnem maritimam oram accurato ſtudio perluſtrarent, aſſignata. Ad primam latè legis famam uicini populi commoti, iniquiſsimo rem tulere animo; ſed præcipuè Bononienſes, qui per id tempus maximam flamminiæ partem Imperio obtinebant; ſtatuerantque, niſi lex a Venetis abrogaretur, rem armis gerere, vt mare negociatoribus ſuis liberum, apertumque redderent. Legatique ad id miſsi Venetos conſtantes in ſeruanda lege inuenerunt. quo factum eſt, vt ſtatim ingenti armorum apparatu Bononienſes in Venetos fines irruperint; occupataque belli ſede omnia his infeſta reddebant.

Bellum Bononienſe.

Nec Veneti in ocio fuere, qui nouem triremibus celeriter inſtructis, aduerſus hoſtes ad Padi oſtium, quod Primarium vocant, progreſſi ſunt, vbi non multos poſt dies vtrinque cruento Marte pugnatum. fueruntque Bononiēſes præliis ferè omnibus ſuperiores, quippe qui copiarum magnitudine longè præſtabant; nam ad quadraginta hominum mil

lia

lia in eorum caſtris militantia, fuiſſe memoriæ proditum eſt, multaque hinc inde clades illatæ, acceptæque, multæ utrinque inſidiæ intentatæ, in tertiumque annum laborioſiſſimum bellum eſt protractus nouiſſimè: M. Gradonici auſpiciis prælio inito victor Venetus hoſtem fudit; qua aduerſa pugna Bononienſes fractis animis pacem his conditionibus acceperunt, vt diruto ad Primarium caſtello, quod in Pado belli initio erexerant, liberam nauigandi facultatem haberent, immunesque a lege de portoriis in quarundam rerum eſſent aſportatione, in reliquis legi parerent, libera autem Padi oſtia Venetis relinquerentur Anconitani. & ipſi ob hanc cauſam commoti ad arma reſpiciebant, qui apud Gregorium decimum Pontificem Maximum conqueſti, in Venetos turpi maledicentia inuehebantur. Sed purgata per legatos calumnia Anchonitani Pontificis authoritate per id tempus quieuerunt. Dum hæc in Italiæ ora geruntur, in Græcia noui bellorum motus exorti, Remp. turbarunt: nam Euboeæ reguli, qui tertiam Inſulæ partem a proxima Imperii Conſtantinopolitani inuaſione, quæ a Venetis, Galliſque facta eſt, adhuc tenebant, inuito And. Dandulo Chalcidis prætore, cum ſexdecim triremibus, eam minoris Aſiæ partem, quæ tum Paleologo parebat tumultuoſe inuadunt. qua regulorum inſolentia motus Imperator armis iniuriam ulciſci conſtituit. Comparata igitur claſſe confeſtim ab Helleſponto in Euboeam tranſgreſſus eſt, Oreumque Inſulæ oppidum obſidione cingit: illi autem vt ſuis opem ferrent, cum viginti triremibus in hoſtes illati, eos ad tentandam prælii fortunam pertraxere, ſed fuſi, fugatique a Paleologo tota pene claſſe exuti ſunt. nec ſine aliquo Venetorum detrimento, & iactura id factum aiunt, quorum non exiguus numerus in regulorum claſſe captus dicitur, omnes autem comiter appellatos, liberatoſque Apocriſariis ſuis Paleologus Venetias adducendos tradidit, mandatumque, vt in quinque proximos annos fœdus hi cum Venetis nomine ſuo renouarent. Poſt hæc Theupolus Princeps anno ſui regiminis ſexto circumacto vita deceſſit, ad Gemellorumque ædem elatus paterno conditur ſepulchro, Iacobus Contarenus in eius locum ſufſectus eſt, ſub cuius prima adminiſtratione Cethea Venetorum nauis mercibus onuſta a Lygure induciarum tempore capta, bellum prope renouauit: Placuit tamen more Maiorum per legatos res prius repetere, quibus vltro receptis, a vi temperatum. In Hiſtriæ finibus nouum deinde bellum oritur, ob Iuſtinopolis defectionẽ, quæ ciuitas quũ Veneti noĩs præter cetera maritimę illius orę oppida ſtudioſiſſima haberetur, ab Imperio alienata, in libertatẽ eiecto prætore ſe aſſerere auſa eſt: ad eã aũt in fidem retrahendã Veneti ſubito And. Baſeiũ cũ valida claſſe in Hiſtriã mittũt, qui ſtatim terra, mariq; urbẽ adortus, crebris oppugnationibus, belliciſq; operibus eã fatigabat. Iuſtinopolitani vero, vbi terra, mariq; Venetis ſe armis circũuallatos viderũt, omniaq; maris horrore obſtrepere, ad Aquileiæ Patriarchã in vicinos Carnos mittunt, orãtq; vt iure ueteris, mutuæque amicitiæ circumſeſſæ urbi ferat opem, auxiliarique manu Venetum communem hoſtem è mœnibus depellat. motus Patriarcha his precibus delectu ſtatim habito tumultuarium militem conſcribit, in prouinciamque delatus a Iuſtinopolitana obſidione Venetum multis conatibus ſtudet auertere: ſed parum externæ illis ſuppetiæ profuere, repulſis enim Carnorum ex Hiſtria copiis, vrbe ſine præſidio relicta, in fidem redire coacta eſt. Pacatiſq; rebus Raynerius Maurocenus Iuſtinopolitanæ præturæ adminiſtratione ſuſcepta in prouinciã uenit. Vixque ab Hiſtrico armorum fragrore ciuitas reſpirarat, quum aliud bellum proxime renatum exarſit, quod ab Anconitanorum arrogantia conflatum eſt. Hi enim legem de portoriis paucos ante annos latam auerſati, fraude, doloque violare omni tempore, omni loco non deſinebant: quod etiam contra Pontificis decretum impudenter agebant, ut in Concilio Lugdunenſi per Abbatem Neruoſſiæ declaratum fuerat, cui eam cauſam Pontifex Gregorius commiſſit cognoſcendam. is enim dum Anconitani nil ſatis ſolidis rationibus innituntur, Pontificis authoritate declarauit, vt Venetis cura permitteretur, oram maritimam a Sarracenis, pyratiſque ſimul cum uectigalium, portoriorumque iuribus tuendi. Sic enim Blondus Flauius in hiſtoria libro octauo ſecundæ Decadis deſcripſit. Anconitanorum igitur inſolentiam Veneti indigne ferentes, armis ad obſequium contumacem populum retrahere ſtatuerunt. itaque ſex & uiginti

trire-

Pax cum Bononienſibus

Anconitani.

Paleologi uictoria.

Iac. Contarenus D. 47. an. D. 1274.

Iuſtinopolis defectio.

Iuſtinopolis recipitur.

Not. Blondi Flauii aſſertioné.

triremes ſub Lochaſii Dauri, & Iacobi Mollini auſpiciis ſubito expediunt: hiſque adduntur aliquot onerariæ ad commeatus deuehendos. Primaque velificatione Venetus Anchonem defertur, ac ſub primum appulſum portum ſtatim oppugnare cœpit, unde telorum multitudine repulſus in altum abiit, & paulò poſt ſubita tempeſtate coorta, claſſis toto mari diſiecta proximis Appuliæ littoribus illiſa eſt, ac vi ventorū ſex triremes Senogalliæ ſcopulis impactæ omnino perierunt, reliqua claſſis immenſa æſtuantis pelagi tempeſtate ſuperata in tutum euaſit. At continuò ne bellum intermitteretur, in ſupplementum ex urbe aliæ triremes miſſæ, quarum ductor fuit Iacobus Theupolus, uel, vt alii tradunt, M. Dandulus: ſed hoſtis vafro conſilio (ut eas interciperet, vſus dicitur: nam ſuis nauibus, Veneta, quibus naufragio illo potitus fuerat, affigit inſignia, ac reliquo apparatu quàm ſagaciſſime poteſt, Venetas triremes aſſimulat. Venientibus igitur Picens procul obuiam factus, certa amicæ claſſis plauſu, gratulationeque ſigna dedit, nouaque hac arte Venetæ triremes eluſæ, inuitatæque eò proras dirigunt: cognitoque mox ſtatim errore, detectaque fraude, retro quàm velociſſimo poſſunt curſu abire feſtinant: ſed hoſtes in duas ex his proxime admotas impetu facto, in ſuam ambas redigunt poteſtatem, captaſque ingenti ciuitatis lætitia in portum pertraxere. Ob rē itaque male geſtam præfectus Venetias in nauibus reuocatus in vincula conicitur. Noua deinde claſſis parata ſub Marini Dauri, & M. Cornelii Imperio in prouinciam ire eſt iuſſa. patres enim omnino ſtabili ſententia animis propoſuerant, pertinaciſſimum hoſtem obſidione, armiſque domare. tum Anconitani verentes, ne Venetorum conſtantia in extremum rerum diſcrimen inciderent, ad Nicolaum Tertium Romanum Pontificem, qui Gregorio decimo ſucceſſerat, ſtatim Legatos mittunt, eumque maximis precibus orant, ut urbem Romanæ eccleſiæ ſtudioſiſſimam in tanta acerrimi hoſtis inſectatione deſerere nollet. erant tum Romæ Legati Veneti, ad congratulationem de nouo Pontificatu publico nomine miſſi, Marcus Baduarius, And. Zenus, & Gilbertus Dandulus. eos Pontifex ad ſe uocatos grauiſſimis verbis increpauit, quòd ciuitas Romanæ eccleſiæ ſocia, & vectigalis ita indigne Venetorum armis premeretur. Legatos autem publicam cauſam tueri volentes, redargutos, increpitoſque fari uetuit. quod Senatus ægre ferens, ſtatim per litteras Legatos ad vrbem reuocat, atque illo die, quo Venetiis illi appulerunt, octo triremes M. Michaele præfecto cæterę claſſi in ſupplementum adiectas ad Anconitanam rem infeſtādam emittit. Hoſtes interim Venetum videntes maiori conatu quàm antea bellum proſequi, fractis animis per Legatos pacem petunt, quæ his conditionibus data eſt, vt legem de Portoriis Anconitani approbantes, Venetos totius Adriatici maris legitimos poſſeſſores, & dominos, quod a prioribus Pontificibus, iam antea ſolemniter ſancitum, confirmatumque fuerat, faterētur. Quidam rem aliter narrantes, tradunt, infecta ſcilicet pace Legatos poſt longam altercationem dimiſſos fuiſſe, ac quattuordecim triremes ad priſtinum augendum numerum decretas in Prouinciam ueniſſe: quibus eductis, quum earum duæ in alto paululum vagabundæ a cæteris aberraſſent, ab hoſte in omnem occaſionem intento captæ fuerint. nec ita multò pòſt æquioribus conditionibus Picentes pacem impetrarunt. Princeps ipſe iam ſenio confectus abdicatione ſummi magiſtratus ſponte facta paulò pòſt anno circiter Ducatus ſui quarto, obiit. Ioannes Dandulus abſens, quum in Illyrico Arbenſi præeſſet Inſulæ, Dux in Contareni locum declaratus eſt, atque eo Principe nummus aureus cudi cœptus. Et cum Aquileienſi antiſtite ob Hiſtros ſub id tempus bellum Veneti geſſere, in quo varia vtrinque fortuna inconſtans, ancepſque apparuit: primumque, quum Antiſtes cerneret, ſuas opes haudquaquam Venetæ potentiæ terra, marique pares eſſe, ſine alio maiori certamine prorſus ceſſit, interim Veneti per ocium Hiſtriæ accolas, qui ad hoſtes defecerant, ad Imperium retraxere. ille vero quietus tandiu manſit, donec Goritianum Comitem fœdere coniunctum in ſuas partes pellexit. noua huius Principis ſocietate Antiſtes viribus auctus, denuo circa Hiſtriam Venetum infeſtare cœpit, oppidorumque aliquot ad eum defectio ſequuta eſt. reique indignitas, improuiſuſque motus Venetos ſtatim coegit, arma, claſſemque continuo reparare. Ferebatur vulgo ſupra triginta hominum millia in hoſtium caſtris eſſe. decernitur itaque Venetiis ingens

Claſſis Veneta.

Not. tempeſtatem

Not. Anconitanorū dolos.

Alia claſſis, alii Duces.

Legati.

Not. Venetorum in proſequendo bello conſtantiam.

Pax cum Anconitanis.

Ioan. Dandulus D. 48 ann. D. M.CC. 80.

Nummus aureus.

Bellum Hiſtricum

gens nauium numerus, delectusque multis Italiæ locis equitum, peditumque accuratiſſimè habetur, ac tota urbe ſagittarii conſcribuntur, vt parem hoſtibus exercitum Veneti obiicerent. Vbi in Prouinciam ventum eſt, leuia certamina ſingulis penè diebus ex vicinitatis occaſione inimicæ copiæ committebant, æquoque Marte prælia ſæpe dirimebantur. Veneti tandem ad Tergeſti oppugnationem conuerſi, munitiones aliquot, firmaque præſidia ad hoſtium incurſus inhibendos intra paucos dies erexere. inde bellicis machinis ad urbem admotis, diu fruſtra circa mœnia a Venetis laboratum: nam valido ciuitas munita præſidio parum hoſtiles coactus reformidare videbatur. ad continuandam autem obſidionem caſtellis, munitionibusque erectis, reliquæ copiæ a Targeſto ad alia oppida recipienda abductæ ſunt. paucis inde diebus hoſtis ferox adfuit, ſub cuius acceſſum tentata eſt munitionũ illarum oppugnatio, quas non modò ſtrenue Veneti ſunt tutati, ſed eruptione etiam in hoſtem facta, atrociter pro vallo dimicatum. multique vtrinque eo certamine ceciderunt, & in his Goritiani Principis nepos, iuuenis impiger. Interim Gardamus vir militari gloria clarus, in perfidiæ apud exercitus, claſſisque ductores ſuſpicionem venit: rumor enim percrebuerat, pecunia eum corruptum cum hoſte clandeſtina colloquia habere de tradendis munitionibus, ac præſidiis, quibus ille præerat. quæſtione adhibita, ſceleris vir perfidus conuicitur, ac poſtridie vbi primùm illuxit, ductorum iuſſu tormentali machina in hoſtium caſtra coniectus eſt, meritasque tantæ perfidiæ ſuæ pennas luit. Proditione detecta, Venetæ iterum copiæ Targeſtum terra, marique admotæ, urbem oppugnarunt. inanisque fuit omnis conatus, cum multa enim cæde a mœnibus Venetus reiectus, ſoluta obſidione, a prouincia diſceſſit. & hæc in Hiſtria toto ferè biennio parum proſpere geſta fuerunt. In Syria quoque rebus Venetorum, ac reliquorum Principum acciſis, Chriſtianum nomen Barbarus inde penitus ſuſtulit, idque milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo humanæ ſalutis anno fuit; ex quo verò Vrbani ſecundi Põtificis Maximi auſpiciis Hieroſolymam fidelium arma ſubegere, anno ſuprà centeſimum, ſexto, ac nonageſimo. His Dandulus curis agitatus decennio in Principatu vixit, ex humanis poſtmodum deceſſit, vir optimus, ac Reip. amantiſſimus: cui exequiarum pompa peracta, ſtatim tumultu exorto populi acclamatione nominatim Iacobus Theupolus Princeps ſurrogabatur. hanc vulgi temeritatem ipſe auerſatus, clandeſtine vrbe egreſſus, Marochium in Taruiſinum agrum ſe contulit, ubi tandiu latuiſſe fertur, donec ſedato tumultu, Petrus Gradonicus abſens (qui tunc Iuſtinopolis prætor erat, ex Optimatum ſentẽtia Dux fuiſſet declaratus. Cæterùm, quum Venetorum res pace, belloque ab urbe condita tacitus mecum animo euoluo, iiſque Romanas comparare ocium eſt, tantam ſimilitudinem ineſſe reperio, vt bella, quæ uterque populus toto terrarum orbe geſſerit, parem prope ſpeciem (quod et Sabellicus in libro primo quartæ Decadis refert) habere inuicem videantur. nam quòd Romani ab initio Hennicos, Equos. Volſcos, Samnites hoſtes infeſtiſſimos ſenſere; Veneti, Mauros, Dalmatas, Lyburnos, Hiſtros. grauiſſimum illis bellum Gallicis oris erumpens Brennus intulit, quibus omnia infauſta ad Alliam pugna præter Capitolium ademit; nec Pipinus in Venetos Belga mitior, quos, præter Riualtũ, tota ditione ſpoliauit. L. Catilinæ coniuratione pene Romana excidit Reſpub. Baiamontis Theupoli Veneta: formidabilia Romano Imperio Cymbrorum, Theutonum, Amdronumque arma, Gothi, Longobardi, Hunni, Pãnones, Adriæ infeſtiſſimi, hoſtem terribilem Pyrrhum Roma nacta eſt. Pipum Veneta ciuitas; Mythridates ille ferox Romanum armis diutiſſime fatigauit; nec a Venetis cum Philippo Maria Inſubrum Principe breui tempore bellatum. infenſus Latino nomini magnus ille Antiochus; Veneto Othomanus grauior: atque vt omnia pariter congruerent, Carthaginenſia, ac Genuenſia bella ſupra omnia ex omni parte ſimillima mihi videntur. Pœnos enim infenſos diu Romanum ſenſit Imperium; Genuenſes longo tempore Venetum; vtrumque populum diuiſum prudens natura remotisſimis in locis conſtituit. ecce enim illi Alpes, huic maris vaſtitas obiecta. geſtarum rerum, ac militaris diſciplina æmulatio primò illos, inde Imperii cupiditas in arma traxit; hos quoque eædem cauſæ ad bellandum inuicem accenderunt, ac per centum & amplius annos inter utrunque populum de maris Imperio

Gardami perfidia.

Not. ſupplicium.

Chriſtianorum expulſio ex Syria.

Petr. Gradonicus Dux 49. an. Domini 1290.

Not. cõparationem.

rio certatum eſt: Carthaginenſes, Romaniq; de Siciliæ poſſeſſione; Veneti, Lygureſque de Ptolomaide, & Tenedo dimicarunt. eadem quoque in utraque gente fortunæ uarietas: ſed propiores periculo Veneti, qui Lyguſticas uires penitus fregerunt; arma ab his quandoque poſita, odia vero numquam: belli exitus ſi non idem, non tamen omnino diuerſus. Romani Imperii æmula excidit Carthago illa ingens; ſuperba Genua continuis attrita cladibus amiſſa libertate victoribus Venetis perpetuò ceſſit. De his igitur bellis, maritimiſque congreſſibus dicere pergam, quæ Veneti cum Genuenſi populo deinceps vario euentu geſſere: ſed illud primum præferatur, quod annales tradunt, per id tempus Andream, Pannoniæ Regem, matre Veneta ex Maurocenorum familia nobiliſſima ortum Venetias acceſſiſſe, maternoque vſum hoſpitio, collata regali Maieſtate, priuatum in libera ciuitate plurimis diebus locum tenuiſſe; gentilitia etiam ſigna in ipſo faſtigio Rex libens uſurpaſſe dicitur, alba tantum cruce cum paruo circulo (ut hodie uiſitur) adiecta.

Regis Pannoniæ mater.

Cum Genuenſibus poſtea (ubi induciæ exierunt) cœptum eſt bellari; armaque pro Piſanorum libertate in eos Venetus induit, claſſiſque primùm ſub Rogerii Mauroceni ductu in Ponticum mare adnauigauit.

Veneta claſſis.

Sequenti poſtea anno Ioannes Superantius cum quinque & viginti triremibus priori claſſe domum reuocata, in eandem prouinciam uenit: qui magno repente auſu Caphatam vrbem in Taurica Cherſoneſo ſitam adortus, ſubita vi occupat, vbi appetente hyeme claſſe ſubducta coactus eſt hybernare; multique ex turmis immenſis regionis illius inhoſpitæ frigoribus conſumpti perierunt: nam Meotis Palus ſub Septentrionali plaga poſita, quæ non procul inde recedit, cum ipſo Cimerio Boſphoro adeò alta glacie concreſcit, ut tota hyeme prodigioſo indurata gelu inhorreſcat; equeſtreque aiunt ibi prælium inter Scythas, Tartaroſque, olim veluti in ſtabili ſolo fuiſſe commiſſum.

Ingēs Genuenſium claſſis.

At Genuenſes cum ſex ac ſexaginta triremibus Lampade Doria præfecto in altum proceſſere, ac continuata nauigatione Adriaticum ſinum tumultuoſe ingreſſi, ad Venetam uſque urbem citato curſu perueniſſent, niſi totis Imperii uiribus in unum contractis, appropinquanti itum eſſet Lyguri obuiam.

Valida Venetorū claſſis.

habuiſſe enim tunc Venetus ſuprà nonaginta triremes dicitur, quibus præerant Carolus, & Andreas Danduli, uiri impigri, & rei maritimæ ſcientia clari. Lygur autē quū Venetam claſſem ad Curzulam in Illyrico ſtationem habere per exploratores cognouiſſet, celeriter pugnandi ſtudio curſum eò deflexit: nec Venetus pugnam detrectauit: memor enim rerum priori bello geſtarum, uictoriam ſibi tacite augurabatur. ſciebat ad hæc cum eo hoſte ſibi rem futuram, quem Syrio mari inter Tyrum, & Ptolomaidem egregiè uiciſſet, nobiliſſimaq; illa ad Drepanum pugna præ oculis erat, qua Genuenſes maiori nauium numero congreſſi ſuccubuerant. contrà, Lygur indignari, quòd nonnunquàm maritimis præliis Veneto ceſſiſſet. ſtimulabat præterea ferocia gentis pectora recens clades ad Peram, & Caphatam accepta. Concurſum eſt itaq; pari vincendi animo, pugnaque anceps oritur: cadebant autem multi tum ferro cæſi, tū mari abſorpti; ſtrepituque armorum, & nautico clamore omnia circunſonabant, ingenſque, ac exitialis ubique concertatio toto inhorruerat pelago. pugnaque cū multorum cæde aliquandiu diſtracta, demum fuſis Venetis uictor Lygur haud incruento prælio abſceſſit.

Venetorū clades.

naualis huius pugnæ ſucceſſum quidam aliter memorant: aiunt enim Curzulenſi portu Genuenſes à Veneta claſſe obſeſſos, uoluiſſe incolumitate hominum ſolummodo conceſſa, naues omnes præfectis Dandulis tradere. Qua re abnegata, tum ira, indignationeque Lygurem accenſum, in certamen ferociſſime deſcendiſſe, quindecimque triremibus repente medio pugnæ ardore ex inſidiis erumpentibus, Venetam claſſem profligatam, deletamque fuiſſe.

Variatio rei geſtæ.

Aliqui non totis utrinque uiribus prælium commiſſum tradunt: ſed duas & triginta Venetorum naues non pugnaſſe aſfirmant, ſex Genuenſium, quæ omnes vi ventorum auerſæ certamen inire non potuerint; ab reliquis acerrime dimicatum, uictique Veneti ingentem cladem accepere: nā ad quattuor hominum millia capta dicuntur, cum Andrea Dandulo claſſis præfecto; qui quum Genuam captiuus traheretur, præ nimio dolore aduerſæ pugnæ, ita grauiter, totieſque triremi caput impegit, ut medio maris curſu, antequàm Genuam peruentum eſſet, expirarit. Parem alibi utriuſque partis ſtragem ea maritima pugna fuiſſe

No. Danduli præfecti caſum.

referunt,publicèque uulgatum, non minori ad Curzulam clade Lygurem, quàm Venetum affectum.huiuſq; rei certiſſimum argumentum adducunt,quòd poſt pugnam nihil a Lygure non modo in intimo ſinu,ſed ne in Dalmatia quidem, aut alibi in Venetos geſtum memoratur.At Venetis Veris initio reparata claſſe, ad præſidiũ Inſularum,quas in Ionio,& Aegeo tenebant,quinque & uiginti triremes ſub M.Baſeii Imperio inſtruxere.

Claſſis Veneta.

Hæ quoque circa Helleſpontum cum hoſte, qui parem claſſem ductabat,congreſſæ,profligantur:uictorque Lygur in Cretam curſum tenuit,ubi primo impetu,quum liberum depulſo Veneto mare haberet,Caneam vrbem occupauit. verùm in tãta fortunæ acerbitate haud quidem Venetus ille animi uigor elanguit, quin reparatis ſtatim maiori conatu uiribus uario eſt euentu cum Genuenſibus deinceps bellatum.

Not. Veneti hominis audaciam

Scriptumque reperio,hoc tempore,quattuor Venetorum triremes ſub Dominici Sclauoni ex plebe viri fortiſſimi ductu in Lyguriæ oram proceſſiſſe, eaq; fœde depopulata,Genuæ medio in portu nauim mercibus onuſtum cœpiſſe, ubi etiam pecunia à Veneto in Lyguſtici nominis contemptum ſignata, ac viuo ſuper molum ſaxo diui Marci effigies inſculpta fuiſſe dicitur. indeque ſtatim Sclauonus digreſſus, in altum abiit. Et circa Baleares, Tyrrhenumque, ac Siculum mare plurimis hoſtium nauigiis oppreſſis, victor Venetias reuerſus eſt. tandem poſt mutuas clades citro, ultroque toto mari illatas, pacem ferox uterque populus inter ſe firmauit: cuius dulcedine vix guſtata, periculoſiſſimæ ſtatim ciuium coniurationes emerſere, quibus Reſpubl. conflictata, parùm abfuit, quin exciſa, collapſaque rueri t:nam primum Marinus Bochonius honeſto genere ortus,ſed homo audax, & ad omne facinus promptus,coniuratione cum quibuſdam facinoroſis uiris inita,de cæde Principis,ac optimatum cogitare cœpit:qua perpatrata Remp. inuadere conſilium inierat.

Bochoniana coniuratio.

ad idque prorupiſſe nefas ferebatur, ut iniuriam uir nequam ulciſceretur,qua affectus eſt(ut ipſe exiſtimauit)ab ea die, qua Comitiis occluſis, Gradonico Principe authore,patritiæ dignitatis,repulſo plebeio ordine, ratio habita eſt.Publicæ igitur libertati Bochonius inſidiatus,Principem, Senatumque obtruncare ſtatuerat.adiuuabaturque ab hominibus ſuæ factionis, quos ad id præmiis ingentibus pellectos,ſceleris ſocios habebat.Sed in tanto rerum diſcrimine Diuina fauente clemẽtia,coniuratio patefacta eſt. Quæ ad Principem delata,uehementer eius turbauit animum,ſtatimque cum primoribus ciuitatis re communicata, ad coniuratos opprimendos uiri fortiſſimi mittuntur:qui paruo negocio Bochonium,& ſocios ſceleris improuiſo propriis ædibus interceptos in ſuam ad unum redigunt poteſtatem.

Coniuratorum ſupplicium.

nec mora,flagitii conuicti omnes ad geminas columnas laqueo publicè necati ſunt, atque ita nefaria coniuratio extinguitur.Poſtea cum Patauinis res nouas in ſtagnis molientibus diſcordia orta,Venetos ad diruendum locum,quem hoſtis erexerat, exciuit. tulerũtque id Patauini iniquo animo:ſed nihil in præſentia mouere auſi,uim,armaque continuerunt. Cũ Paleologo quoque Græciæ Imperatore hoc tempore bellatum,quod is grandem pecuniam ſoluere,quam Venetis multo iam tempore debebat, obſtinate recuſaſſet:qua autem ratione ea debebatur,an tributi nomine,an mutuo data,parum compertum habeo.

Claſſis.

Claſſis igitur ſeptem & triginta triremium ſub Belleti Iuſtiniani Imperio ad extorquendam armis pecuniam,quando alia ratione non potuit, ſtatim emittitur.Hæc autem in Helleſpontum ducta multas Græcorum naues inter eũdum oppreſſit,Conſtantinopolitanosque omnes(quia paucis antè annis eorum fraude Venetum nomen Byzantio eiectum fuerat,Belletus ad unum laqueo necauit.

Bellatus Iuſtinianus.

inde ad populationem conuerſus,omni maritima Græciæ ora uſque ad Argyrum, & Propontidem,ferro,ignique fœde populata,tantum hoſti terrorem iniecit,ut pecunia, quę debebatur,ſtatim reddita,pacem Paleologus penè ſupplex a Veneto impetrauit: uictricemque claſſem cum quindecim Iperperorum millibus Iuſtinianus Venetias reduxit.

Not. errorem.

Video autem hoc loco manifeſtum Sabellici errorem. qui è Græcia quindecim captiuorum millia,pro Iperperorum a Iuſtiniano cum uictrici claſſe abducta tradit. nec enim exiguo illo tempore,quo Belletus ad repetendam pecuniam miſſus, maritimam Gręciæ oram deuaſtauit,tot captiuorum millia abducere potuiſſet. quod profecto abſonum eſt,idq; multis rationibus innititur:ſed ea potiſſimum,ꝙ infrequens,

ac deſolata penè aſſiduis armorum incurſibus tunc Græciæ maritima illa orta erat. Vnde difficillimum eſt credere, tot captiuorum numerum à Veneta claſſe abductum fuiſſe. Adde, quòd ubi hoſtilia increpuerint arma, quæ fœdas maritimis oris populationes agant, in Mediterranea omnes relictis littoribus ſe recipientes, in tutum euadunt, nec expectant, ut in captiuitatem trahantur. Sed error eſt, in captiuorum illo uerbo, quod Iperperorum dici debet. Iperperia enim Græco nomine pecuniæ quoddam genus eſt, eamque Venetis à Paleologo repentibus, miſſa claſſe, quindecim Iperperorum, non captiuorum millia ab inuito hoſte expreſſa Iuſtinianus è Græcia auexit. Poſt hæc Remp. Ferrarienſis motus in maius quoddam coniecit diſcrimen: nam Accione Eſtenſi interempto, Friſcus eius filius Ferrariæ Principatum plurimis ciuibus ei fauentibus ſibi aſtruere ſtuduit, & quia per ſe id præſtare non poterat, ad Venetorum opes confugit. Interea Ferrarienſes, ut ſunt mobiles populorum uoluntates, ad Pontificis Legatum, qui tum Ferrariæ erat, Friſci partibus relictis, deficiunt, ſequutus deinde clamor eorum, qui apertè rebus Eccleſiæ, propriæque libertati fauebant, tyrannum omnino turbauit, ipſe tamen ob ſubitam nouitatem Ferrarienſibus iratus, legionibus armatis ex munitiore loco miſſis, urbem pluribus locis incendit. Tum ciues, quum parum Pontificis Legatum præſidii rebus ſuis afferre cernerent, tot malis circumuenti Venetorum fidem implorant. continuò deditione facta, Veneti urbem muniunt, mittuntque eò Ioannem Superantium prætorem. At Clemens Pontifex, qui cum tota Romana Curia in Gallia tunc reſidebat, audito Ferrariæ motu, ægerrimè ferens, urbem Romanæ Eccleſiæ uectigalem, ita indigne ſæuiſſimi tyranni armis uexatam, ac nouiſſimè Veneto Imperio adiectam, ira accenſus, continuò Venetos anathemate notatos a Chriſtiano cœtu excludit: propoſitoque edicto permiſſit, ut eos tanquàm communes hoſtes fas eſſet cuique capere, uenundare, interimere. quæ res plurimùm Veneto nomini obfuit, mercimoniis ubique terrarum eorum direptis, ac negociatoribus, nauibusque tota Europa Pontificio interdicto oppreſſis. Quare Veneti per Legatos Pontificem ſuppliciter orarunt, ut interdictum in Chriſtianiſſimam Rempublicam fulminatum abrogaret, quando Venetus nil tanta animaduerſione dignum egiſſet: quin tanquàm fortis, ac indefeſſus pugil pro pietate, & fide Chriſtiana, Hereticos, tyrannoſque debellando ſæpe ſanguinem effuderit, claſſem in ſubſidium Terræ ſanctæ toties emiſſerit, pro Romana ſede acerrime ſemper pugnarit. Sed Clemens in ſua animi perſeuerauit in clementia. Interea eius Legatus maximis copiis contractis, Ferrariam contendit, ciues ſtatim appropinquante Eccleſiaſtico exercitu a Venetis deficiunt. ipſi autem hoſte in urbem iam admiſſo intra Thealdæ arcis munitiones ſe trepide receperunt. ad eum locum oppugnandum ſtatim Legatus copias admouit, datoque ineundi prælii ſigno, Veneti, & Friſcus, ne aliquam maiorem cladem adirent, arce, quam adhuc præſidio tenebant, ultro ceſſerunt. Conſternatam his malis ciuitatem, altera coniuratio Bochoniana illa atrocior adorta eſt, eiusque infando furore penè Imperium cum libertate exciſum concidit, vix enim a primo illo motu ciuitas reſpiraret, quum Baiamons Theupolus nobili, ac illuſtri familia ortus, ſed crudeli, inimicoque in patriam animo rem Venetam in ſummum diſcrimen adduxit: hominem autem ſuapte natura arrogantem, ac nouarũ rerum cupidum ſola ambitio, ac dominandi libido ad tantum facinus impulit. Cum non paucis igitur patritii ſanguinis, eminentioriſque fortunæ viris Baiamons, velut alter Catilina, patriæ excidium machinatus, Reipub. ſtatum euertere conatus eſt, diuitiis enim prępotens, & maiorum honoribus inflatus, priuatam is uitam ducere in libera ciuitate indignabatur, animumque ad tyrannidem adiecit. in coniurationem autem ſecum hos pellexiſſe opibus, ac nobilitate inſignes viros dicitur, Marcum Quirinum, Andr. Daurum, Iacobum Barotium, Baduarium Baduario eiuſdem cognominis, ac pleroſque alios, ſed ex familia Quirina præcipue complures, quæ primaria ferè in ciuitate erat; multique Patauini, qui Venetum nomen infenſi oderant, a Baiamonte ſolicitati, hanc coniurationem ſequuti ſunt ad eoſque opportuno tempore abducendos, Baduarius vir audax Paduam clanculum ſe contu-

Iperperia

Not Ferrarienſem.

Veneti anathemate pętiti.

Veneti ferraria eiecti.

No. Baiamontis Theupoli coniurationem.

Coniuratorum capita.

lit. Feruntque inter coniuratos conueniſſe, ut hi cum parata amicorum, & clientum

No. coniurator conſilia.

manu proximi Iunii menſis Idibus in curiam omnes ſubito prorumperent, ac momẽto temporis Principe, cum patribus, ac maiori nobilitatis parte trucidata. Remp. inuaderent, rebusque Imperii inter ſe diuiſis, expilatoque ærario apertam exercerent tyrannidem. quamplurimos quoque ex infima plebe in ſocietatem ſceleris Baiamons pollicitationibus, præmiisque attraxit, exulumque magna manus, ac ſordidæ uitæ homines ad eum confluebant, quos ipſe omnes ferro armatos, pridie quàm facinus patrandum erat, quàm occultiſſimè potuit, coniuratorum ædibus abdidit, ut quum ſtatuta ſceleris dies aduenisset, eorum infando miniſterio in patriæ excidium uterentur. Sed Diuina prouidentia factum eſt, ut rem aliquanto antea Princeps, patresque, ad eos trepidiſſimè delatam præſcirent, ingentemque ſceleris atrocitas omnibus æque attulit terrorem. Ferunt autem, ubi dies illuxit, quo gerenda res erat, quaſi aer ſce-

No. prodigioſam tẽpeſtatem.

leris præſagium reddere uellet, ingentem tempeſtatem repente coortam procelloſo grandinis, imbrium, uentorum, tonitruum, fulgurum mixto ſtrepitu omnia compleſſe. coniurati autem non modò tanta cœli comminatione non territi, ſed abuſi etiam ad peragendum conceptum ſcelus prodigioſa illa tempeſtate, circa crepuſculum elatis uexillis cum uociferatione, ſtrepitu, tubarumque clangore trifariam in publicum prorumpunt: pars enim una mercatoria uia, altera è Theſſelarum ponte, tertia ad Diui Baſſi fanum in forum eſt delata. ſed prius in Riualtum coniurati irrupiſſe dicuntur, ubi publicos Quinqueuirum a pace libros combuſſerunt, horreoque frumentario direpto maximam pecuniarum quantitatem inde abſtulere. è Riualto demum in forum ſub ſignis delati, aduerſus Principem, ac optimates, qui ad uim propulſandam

Not. ciuile prælium.

ferro cincti, in Marcianam aream accurrerant, magno impetu feruntur: eorum impreſſionem fortiſſime optimatum factio ſuſtinet, oriturque fœdiſſimum inter ciues certamen, libertas in medio erat, illinc nefandiſſimi homines crudeles illi manus iniicere tentabant, hinc Princeps, & patres aut mori ſtatuerant, aut eam omnino illæſam ſeruare. luctuoſum, & miſerabile erat, cernere illuſtrium familiarum uiros armis inuicem media urbe decertare, ciuilem, cognatumque ſanguinem effundere. Diuerſoque animorum habitu res gerebatur, hi enim pro ſalute patriæ, pro libertate, parentibus, uxoribus, liberis, ac publicis, priuatisque fortunis; illi pro ambitione, pro odio, pro prædæ & Imperii cupidine pugnantes, in ferrum ruebant. Durum erat, his liber-

Nota.

tatem eripi, pro qua retinenda priſci illi Veneti, qui urbem fundarunt, ac Imperium conſtituerunt, aduerſus immaniſſimas gentes, Belgas, Hunnos, Longobardos, Sarracenos, terra, marique toties dimicaſſent. Pugnatum eſt igitur utrinque diu ferociter. Demum coniurati cum multa cede ſuperante optimatium factione, cuius Dux erat

M. Iuſtinianus.

Marcus Iuſtinianus, uir patriæ amantiſſimus, uicti, fugatique è foro repelluntur, atque in ea trepidatione Baiamons, ubi fortunam inclinare uidit, cum globo iuuenum mercatoria uia ſe proripiens armis, ſtrepituque omnia miſcebat, ad quem tumultum

Iuſtina

muliercula, Iuſtina nomine, ſpectandi ſtudio ad feneſtram accurrens, molari lapide

Signiferi cædes.

ſuperne deiecto, ſigniferum, qui equo uectus, armiſque inſignis cæteros uertice excedebat, ſupra caſſidem terribili ictu percuſſit, ipſeque ſemianimis ab equo in terram ruens ab inſequentibus confoſſus eſt, tum fugato Baiamonte, Marcus Quirinus, & Benedictus eius filius medio foro pugnanter ceciderunt, Ioannes, Mapheus, & Petrus Barotii ad Theſſelarum pontem interficiuntur, inerme quoque uulgus ferro oppreſſum iacuit. ad hæc multi ex proditorum numero in pugna, ac fuga capti Principis, ac patrum iuſſu patibulo affixi fuerunt. Sedato autem tumultu ad abolendam tam atrocis facinoris memoriam publice eſt decretum, ut Baiamontis, & omnium, qui cum eo coniuraſſent, ſigna, & nomina ubique tollerentur, ædes ad hæc eorum

No. coniuratorum ędes dirutas.

a fundamentis dirutæ, bona publicata; atque in perpetuam contumeliam ſuperba Baiamontis in Auguſtini uico domus ſolo æquatur, & Marci Quirini, quæ eſt ad Riualtum, in macellum uerſa. ex Aerario quoque ſtipendium mulieri, quæ ſigniferum ſubito ictu percuſſerat, ac poſteris perpetuo decretum, illudque adhuc quotannis ſeruatur, feſta Diui luce, qua infanda coniuratio oppreſſa eſt, uexillum ex feneſtra do-

No. inſtitutum.

mus, qua mulier molarem lapidem proiecit, extra producitur, quo ſigno illius facti memo-

memoria renouatur, eademq; Diui Lucæ quotannis ſtato die Princeps Ducalibus cultus inſignibus cum frequenti Senatu, præeunte clero, pro liberata a ſæuiſſima coniuratione patria, illius Diui, fabricato ſuper canale magnum ponte, ædem inuiſunt; gratiiſque pie illi actis, inde reuerſi omnes laute in curia epulantur. Cæterùm non deſunt, qui ſeriem coniurationis huius diuerſam memorant; traduntque, Principem coniuratione detecta, ſtatim publico nomine, M. Michaelem, Mattheum Manoleſſum, & Guidonem Canalem ad Baiamontem miſiſſe, qui eum orarent, vt poſitis armis, quæ aduerſus patriam nefarie induerat, res nouas moliri deſiſteret, nec quietum ciuitatis ſtatum tanto motu turbare vellet. Legatis autem penè uiolatis, repente a cõiuratis in publicum inſtructa acie itum aiunt; ac quibuſdam locis incendio, & rapina fœdatis, Principem, patreſque cum tota ferè nobilitate ad vim propulſandam impetum in eos feciſſe, medioque foro acriter dimicatum; demum repulſos, victoſque cõiuratos in Riualtum ſe recepiſſe, ibique fracto, reciſoque ponte ſe ſe armis tuentes aliquandiu vim ſuſtinuiſſe. Sed in hoc omnes conueniũt, Vgolini Iuſtiniani Clodiæ prætoris, ſubito acceſſu, qui ad patriæ opem ferendam inde cum magna hominum manu aduolarat, coniuratos metu territos in Principis, & patrum fidem ea conditione ueniſſe, vt omnes extra Venetias, ac urbis fines eiecti, in exilium abirent. atque ita accidit, vt nulla ferè urbs in tota Ciſalpina Gallia fuiſſe traditur, quæ ex coniuratis aliquem exulem, ac relegatum non habuerit; & Baiamontem inter reliquos vltro in exilium in Illyricum abiiſſe ferunt. nonnulli autem ſupplicii metu in Galliam aufugere, alii ſecuri percuſſi, plurimi exilio damnati ſunt, atque alii aliò ſeorſum relegati, nam Petrus Quirinus Parmam in exilium abiit, alter Petrus Quirinus Fermum; Nicolaus, & Iacobus Quirini, patrueles fratres, Cremonam, Paulus Quirinus Taruiſium, Laurentius Quirinus Anchonam, ac eiuſdem familiæ Nicolaus cognomento Durante, Brixiam; Simonetus Senogalliam, & Thomas Sibinichum, Andreas vero Daurus, & Michael Tetulus Ariminum, Nicolaus Vendilinus Comum, Franciſcus Baſeius Glemonam, Petrus Baduarius Fanum, Nicolaus Barbaro Veronam, Bartholomeus, & Ioannes Barotii Rauennam, Marinus Baſſus Vtinum, M. Venerius Mediolanum, Porcellinus Babilonius Veronam. In hac autem coniurationis oppreſſione, Antonini Danduli, Baldoini Delphini, & Vgolini Iuſtiniani uirtus plurimum enituit: captuſque eſt ab his Baduarius vnus ex coniuratis, qui è Patauio facinoroſorum hominum caterua ſtipatus Venetias ad ſceleris ſocios feſtinabat: ſtatimque is patrum iuſſu medio foro ſecuri ſubiicitur, eodemque ſupplicii genere Marinus Barotius, & Iacobus Quirinus afficiuntur. atque in hunc modum ſeditioſiſſimis viris partim necatis, partim exilio, ac carceribus damnatis, ſumma ciuitatis tranquillitas ſequuta eſt. Ferunt (nam id apud annales quoſdam ſcriptum reperio) Ioannem uigeſimum Pontificem Maximum exulum nomine per Legatos & litteras a Venetis petiiſſe, ut ii ab exilio in patriam reuocarentur, uellentque patres ciuibus ſuis parcere, qui in diuerſis Italiæ oppidis conſtituti, acerbiſſimum patiebantur exilium. Senatus autem Pontifici ita reſpondiſſe fertur, Rem dignam Beatitudinem ſuam facere, quæ Dei vices in terris gerit, procurare ea, quæ pietatis eſſent; maioreſque ſuos, ipſoſque etiam omni tempore Romanæ Eccleſiæ ueluti obſequentiſſimos filios paruiſſe: Sed dolere, Senatum pro iuſtitia, & æquitate, non poſſe in præſentia ipſius Pontificis morem gerere uoluntati: Sanctitatem itaque ſuam orare, vt tanquam verus, iuſtuſque Chriſtianorum parens, pro ſua ſapientia ſinat, hoſce omnes, qui peccarent, meritas perfidiæ ſuæ pœnas pendere: indignos enim eos eſſe, in patriam recipi, quam tanto ſcelere nefarii homines violarent. & pro hac coniuratione Decemuirale conſilium, quod ſacroſanctum eſt, inſtitutum fuiſſe publica monumenta teſtantur. in his enim hæc uerba ſcripta, annotataque reperiuntur: Anno milleſimo trecenteſimo, decimo, xvi. Iunii, quòd eligantur decem Sapientes, ſuper proditionibus, qui poſſint ligata ſoluere, & ligare ſoluta, ſi opus fuerit, pro conſeruatione Reipub. Poſt hæc Iadrenſes, hoc temporum nouitate freti (ut aſſueti erant) ab Imperio ad Pannonas ſubito defecerunt, Michaeleque Mauroceno prætore eiecto, barbaricum in urbem præſidium admiſſere. Claſſem igitur Veneti ad eam recipiendam confeſtim decernunt,

Alia de coniuratione opinio.

Vgolinus Iuſtinianus.

No. Baiamontis, & aliorum exilium.

Not. ſupplicium aliorũ cõiuratorũ.

Pont. literæ.

Senatus Reſponſum.

X uirum inſtitutio.

F 3 eique

eiq́ue præficiunt Belletum Iuſtinianum. peditum quoque, ac equitum non paruam manum contrahunt, ſub Dalmaſii Hiſpani ductoris multi nominis auſpiciis, ut terra, mariq́ue inimica urbs oppugnaretur. Quum itaque claſſis in Illyricum tranſmiſiſſet, Dalmaſius cum copiis in continentem egreſſus, caſtra ad Iaderam repente admouit; mari pariter Iuſtinianus vrbem adoriri parat. Interim Princeps Gradonicus per has Reipub. turbationes quum Ducatum ſupra duodecim annos adminiſtraſſet, diem ſuum obiit, & in Cypriani æde ad Muranum humatur. Marinus Georgius in eius locum ſucceſſit. Venetiq́ue ad Iaderæ obſidionem intenti erant, ualloq́ue, ac foſſa urbem cinctam maritimis, terreſtribusq́ue uiribus premebant: eaque breui potiti omnino fuiſſent, niſi Dalmaſius pecunia corruptus, ſubitaq́ue tranſitione in urbem ab hoſte admiſſus, non ſolum rem turbaſſet, ſed Venetum etiam in ſummum diſcrimen adduxiſſet: qui deſertoris, perfidiq́ue hominis nefarios conatus timens, ab urbe procul caſtra amouit; ipſe vero transfuga Iadera paruo nauigio digreſſus, quum in Appuliam curſum teneret, fœda ſubito tempeſtate coorta, rebus omnibus amiſſis, uix naufragium euaſit, ſeminudusq́ue in terram egreſſus, perfidiæ ſuæ nequiſſimus Hiſpanus meritas Veneto nomini pœnas luit.

Mar. Georgius Dux L. ann. D. 1313.

Dalmaſii perfidia.

PETRI

PETRI IVSTINIANI PATRICII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIA.

Liber quartus.

NEC bellum Dalmatiæ interim ciuitas omiſſit; in quo gerendo dum eſſet occupata, Georgius Dux menſe decimo ſui Principatus uita deceſſit, vir ſanctimonia, & innocentia clarus, a quo Diui Dominici fanum erectum eſt, frequensque ibi collegium Religioſorum, qui ſacris operarentur, inſtitutum: piumque ad hæc Hoſpicium Princeps optimus ſtatuit, donariisque inſtruxit, vt languentium pauperum ibi cura haberetur, uictusque ei ſubminiſtraretur per Diui Marci Procuratores, quibus hoc nomine bona ſua cuncta legauit. Ioannes Superantius huic Princeps creatus ſucceſſit, homo præter generis nobilitatem, blando, manſuetoque ingenio cuius initio Principatus ſtatim Dalmatia recepta eſt, Iadratinis, Enonēſibus, Spalatrinis, Tragurinis, Almiſſanis, Siccenſibus, in fidem redeuntibus; ac eodem fermè tempore Veneta ciuitas Clementis Pontificis interdicto pientiſſima Fr. Danduli Oratoris opera liberatur, qui cathena ferrea collo iniecta tandiu ad Pontificis menſam in morem canis proſtratus iacuit, donec placata illius ira ignominioſam patriæ notam ademerit: vnde illi poſtea canis cognomen inditum ferunt. verùm enim vero, ſi libere ea quæ animus ſentit, enunciare fas eſt, haud quidem, ut decuit, pio, Chriſtianoque more Pōtifex egiſſe videtur, qui hominem libero, ac illuſtri loco natum, tam humili, abiectoque ſtatu demiſſum iacere paſſus eſt, exemplum Saluatoris noſtri minime ſequutus, cuius ipſe in terris vicarium nomen gerebat, qui ne flagitioſiſſimo quidem latroni Rex ſummus veniam denegauit. ſed expleuit ille aduerſus clariſſimum Italiæ populum ignominioſo Legati ſtatu iram ſuam, expleuerit certè, dum huius mortales patiētiam laudent, illius ſeueritatem improbent: ille, quia potuit, infrenni naturæ motu ſuperbe egit; hic uero blando animi affectu humiliter, quia voluit: ille in excelſo ſedēs, auſteritate ſua Pontificio nomini defamationem tenebrasque effudit; hic humi procumbens, manſuetudinis alis ad ſummum gloriæ apicem euolauit. nam patria, ne ingrata uideretur, hominem, modicum poſt tempus ad Principatus, exaltataque eſt eius profunda humilitas in ſublime ampliſſimè dignitatis culmen, Liberati autem a Clemente Pontifice Veneti interdicto, maximo gaudio affecti ſunt; qui etiam mandaſſe fertur, ne vllo vnquam tempore hoc, aliove nomine illi deinceps a Romano Pontifice tam lethifero anathematis ſpiculo peterētur: quod quidem reſcripto Apoſtolico apparere nonnulli affirmant. Ac ſub id tempus quattuordecim triremes Veneti in altum eduxere, quibus Iuſtinianus eiuſdem cognominis præficitur: huic datum negocium, vt vndecim Lygurum roſtratas naues toto mari perquireret, quæ Venetorum res in quibuſdam Europæ, Aſiæque emporiis aſſiduo incurſu infeſtare dicebantur. Vbi vero in Ponticum mare Iuſtinianus cum tota claſſe aduenit, omni maritima ora ab Helleſponto, vſque in Tauricam Cherſoneſſum perluſtrata, in Genuenſium claſſem nuſquam incidit; vanosque rumores de ea diſſipatos fuiſſe intelligens, nulla benè gerendæ rei occaſione oblata, domum incolumem claſſem reduxit. & hæc foris. at domi, Nauale aliqua ex parte auctum eſt, quod hodie producta longe, lateque ædificiorum mole in tantam excreuit amplitudinem, vt eius ambitus, qui mœnibus, turri-

Ioan. Superantius. D. 51. ann. D. 1314.

Fr. Danduli pictas.

Not. mandatum de anathemate.

Iuſtinianus cum claſſe.

No. Naualis Veneti opulentiam.

turribusq́ue undique munitus eſt, inſignis cuiuſdam oppidi procul ſpectantibus ſpe-
ciem præbeat: locum ipſum non ſine ſtupore nemo perluſtrare poteſt, Armamenta-
rium potius, quàm Nauale appellandum, in quo ducentæ, & amplius triremes para-
tæ viſuntur, aliaq́ue minora nauigia, lembi, celoces, biremes, ueſserii, Parandariæ,
Hyppaga. quæ Græcæ Hippaga dicuntur, ad conuehenda maiora onera accommodata, infinito
prope numero. taceo diuerſas cuiuſcunque generis officinas, in quibus opificum vis
ingens artes ſuas affabre exercent. quid numeroſam illam armorum copiam refe-
ram? belliq́ue omnis generis apparatus? catapultas, baliſtas, ſcorpiones, Tormenta
ex ære, & ferro muralia, & currulia, maiora, minoraq́ue: ad hæc Ferrum, æs, linteum,
Not. tormẽtorum genera. ſparthum, picem, ſulphur, bitumen, tormentarium puluerem, pilasq́ue ex ferro, &
ſilice grandiores, & minutiores copia inenarrabili, lignaminum quoque omnis ge-
neris quantitas abundantisſimè hic congeſta ineſt, quercus, abies, orni, pinus, ſaly-
ces, aliaq́ue nemorum, & ſyluarum materies, ad ædificandam quamlibet opulentisſi
mam claſsem: accedit & bellicorum inſtrumentorum incredibilis apparatus, quæ in
ſpacioſa aula miro ordine diſtributa, ſtuporem ſpectantium oculis afferunt: nam om
ne armorum adeſt genus, thoraces, loricæ, ferrea corporis tegumenta, ſpicula, arcus,
pharetræ, iacula, enſes, trabes ferrei, casſides, galeæ, armillæ, ocreæ, fœmoralia,
umbones, clypei, tanta copia, vt ſupra viginti hominum millia facile armare poſ-
ſent. alia etiam parte anchoræ, remi, plutei, funes, rudentes, antennæ, mali, & uela
continentur, vbi ea mulieres præmio allectæ die, noctuq́ue noua conſuunt, & vetera,
Arſenat⁹. Patroni. laceraque reſarciunt. Tresq́ue huic loco, qui noſtra lingua Arſenatus vocatur, patritii
rerum maritimarum periti, præſident, ædesq́ue ſuas ibi unuſquiſque proprias habet,
vt naualia negocia commodius procurent, patroniq́ue hi appellantur, nocturnoque
tempore cuſtodes fideles commutatis per horarum ſpacia uigiliis, altis ſpeculis excu
Not. diligentem curam. bãt, ne quid fraudis, periculiq́ue hoſtiliter obueniat: interdiu quoque Ianitores pro
foribus excubias diligenter agunt, arcentq́ue ferè omnes ab ingreſsu, paucique om-
nino niſi Magiſtratus iuſserit, admittuntur: nullus autem vel Princeps, uel Regulus,
ad Venetam accedens ciuitatem, ab ea prius diſcedit, quàm locum ueluti toto orbe
& ſitus pulchritudine, & omnium rerum maritimarum copia celeberrimum non ma
ximopere perluſtrare ſtudeat, viſumq́ue non mirum in modum obſtupeſcat. Per hæc
Claſſis in Genuenſes. autem tempora ad oram Ionii, Aegeiq́ue maris tuendam aduerſus Genuenſes ali-
quot longæ naues ſub Iuſtiniani Imperio miſſæ ſunt: qui in Ponticum mare delatus,
circa Thracium Boſphorum non paucas Lygurum naues oppreſſit. inde ad Peræ oppu
gnationem claſſe admota, oppidanos metu territos imparata facere coegit. noua poſt
modum Cretenſium defectione excitus, in Inſulam propere uenit, cuius peroportu-
no acceſſu, Græcorum motus mira celeritate compreſſit, & hæc foris. Domi autem Pro
curatorum (vt ſex illi eſſent) numerus auctus; creatiq́ue Nicolaus Falerius, & Mari-
nus Maurocenus, his geſtis, Superantius, cuius Principatus annos ſexdecim cum di-
Fr. Didulus. D. 52. ann. D. 1330. midio habuit, ex humanis migrauit, in eius locum Franciſcus Dandulus Romana le-
gatione clarus ob abrogatum interdictum, Dux creatus eſt. qui ſtatim ut ciuitatem
magna annonæ caritate laborantem leuaret, aliquot naues onerarias, & ad earum
præſidium, plures triremes, quibus omnibus Nicolaus Falerius Procurator præfuit,
in Siciliam frumentatum miſſit, vnde ingens vis tritici paucis diebus in urbem adue
cta, populi inediam diſcuſſit. octoq́ue per id tempus Genuenſium triremes duas Ve-
netas ex Gallica negociatione redeuntes medio mari oppreſſerunt, mercibusq́ue di-
reptis, remiges, ac ſocii nauales, fuga in littus dilapſi ſunt. In Hiſtria quoque Reſpub.
bellicos motus ſenſit. nam Pollani, & Vallenſes, quos Aquileienſis Antiſtes iam an-
tea a Venetis alienauit, vltro in fidem rediere. id ille iniquo animo ferens, ad recipiẽ
da oppida confeſtim arma contrahit. at Veneti vt Hiſtros tuerentur, qui nuper ad ob
ſequium rediiſſent, ingentes ſub Iuſtiniani præfecti auſpiciis in prouinciam copias
tranſmiſſerunt, quibus modico negocio hoſtis uictus ceſſit, Hiſtriaq́ue pacata eſt.
Th. Viari Soccordia, & pœna. Eodem fermè tẽpore, maritima clades illata ciuitatem turbauit: ſex enim Lyguſticæ
triremes cum octo Venetis congreſſæ, quibus Thomas Viarus præerat, quinque ea-
rum poſt multam cædem profligant, & capiunt; reliquæ tres trepidanter Venetias re-
uerſæ

uerſæ ſunt. eam rem Ciuitas indigne tulit, edoctique patres Viari præfecti ſocordia qui maiorem nauium numerum habebat, cladem acceptam, in uincula conieccre, ubi reliquum ætatis agens, uitam cum morte infamen commutauit. Turci interea Schytica gens, Sarracenis, Mauriſque immixti, tunc primùm in Aſia claris aliquot fa cinoribus bello æditis, in lucem emergere cœperunt: ii non contenti, ex tota Syria Chriſtianos miro uictoriæ curſu eieciſſe, iam maris imperium occupare animos adie cere, claſſeque primum cõparata, quicquid aquarum, ac pelagi late patet, ſupra Cre tam, Cyprum, & Rhodum, ita infeſtum reddiderant, ut eorum incurſionibus, nihil to ta illa Pelagi uaſtitate tutum nauigantes haberent. ad Turcorum igitur conatus bel lo euertendos Veneti ſocia arma cum Ioanne uigeſimo primo Pontifice Maximo, & Carolo Galliæ rege coniunxerunt: miſſique hoc nomine Romam Legati, Philippus Bellegnus, Blaſius Zenus, & Marinus Maurocenus, expreſſumque eſt, noua fœderis formula, ut uiginti equitum millia, peditum quinquaginta ab illis communibus ex penſis armarentur, Veneti autem claſſem centum nauigiorum armis, uiriſque inſtru ctam conflarent, in quibus eſſent onerariæ naues, quæ Parandariæ uocantur, ad com meatus, machinas, militariaque alia impedimenta ad uſum belli deferenda. ſed Gal lis inerti mora ceſſantibus, paulatim belli gerendi ratio, Martiuſque apparatus re miſſus eſt, non tamen Pontifex, Venetuſque Senatus inchoatam deſeruere expe ditionem, quin ſociis ſtatim armis ille terreſtres, hic maritimas copias ingentes para rũt, quæ ſub Legati Apoſtolici, & Petri Zeni imperio, ut Turcũ bello peterent, in Aſiã tranſmiſſere. Cæterum in primis Veneta claſſis longè, lateque Barbaros toto pelago inſectata, omnem maritimam oram a Turcorum iniuria uendicauit; Smyrnamq; Pon tificis Legatus, & Zenus Venetæ claſſis ductor terra, marique adorti expugnarunt, in Mediterranea poſtea loca cum ſelecta armatorum manu progreſſi, aduerſus eam gen tem fœliciter rem Chriſtianam adminiſtrarunt: ſed quum forte ſacris feſto die in Sa cello quodam intereſſent, ſubito Turcorum incurſu: qui ex inſidiis in apertum pro ruperant, circumuenti opprimuntur; Legatusque, & Zenus nunquàm adduci potue runt, ut ſacra è templo abeuntes deſererent, ibique ab hoſte confoſſi interficiuntur.

Prima expeditio in Turcas

Legati.

Not. Fœdus in Turcas.

Et hæc in Ioniæ ora. In Italia uero pro repellenda iniuria, & Ciſalpinę Galliæ liberta te ſub id tempus Veneti aduerſus Maſtinum Scalam, Veronæ Principem, arma indue re: creuerant enim Scallanorum uſque adeò ea tempeſtate opes, & potentia, ut intra Alpes, qua longe, lateque ea Italiæ pars extenditur, nemo eſſet, qui non eorum uires reformidaret. miro etenim fortunæ arridentis ſucceſſu infra breue admodum tempo ris ſpacium Scalligeri magnam Italiæ partem armis occuparant: quo rerum ſucceſſu elati illi (ut eſt mortalium ambitio) quæ in rebus humanis ſeruare modum neſcit, Ve netos multis iniuriis afficere cœperunt, Cathenamque primùm in Pado flumine con tra antiqua pacta ad Hoſtiliam protendunt munitionemque in ſtagnis tumultuario opere erectam ualido firmant præſidio, tributiſque ad hæc, nouiſque oneribus exco gitatis rem Venetam turbare nullo unquam loco intermittunt: infeſtabant quoq; ar mis Motam, Caminum, & Buſſolletum, oppida, quæ in Venetorum poteſtate erant, aſſerentes, illa eſſe, ac ſpectare ad iuriſdictionem agri Taruiſini, & quo magis Vene tos in iram accenderunt, Caſtellum iuxta Clodiã in ſtagnis conſtrui fecere. His Scal lanorum fratrum nouitatibus Veneti commoti, priuſquàm ad arma prorumperent, tentaruut per Legatos placare eorum animos. miſſi hi igitur ad Scallanos. Veronam uenere; dataque loquendi poteſtate, expoſuerunt, quòd Senatus Venetus plurimum conquerebatur de iniuriis, quas quotidie ipſi fatres contra antiqua fœdera amico populo inferebant; rogabant inſuper eos publico nomine, ut uellent deinceps deſiſte re ab huiuſmodi nouitatibus, quæ ſunt contra iuris ordinem, & fœderum antiquo rũ formulã, paratique erant Veneti ſtare iuri. interim ipſi uellent pro Iuſtitia reuoca re, quæ facta eſſent, & præcipue demòliretur caſtellum, quod in ſtagnis conſtruere oc cœperant. Scallanorum fratrum ſuperba fuit reſponſio, qui ridentes de litteris Duca libus plumbo obſignatis dixerunt. Nos ſumus Domini Paduæ, Vincentiæ, Taruiſii, Cenetæ, Feltri, Belluni, Lucæ, Brixiæ, Parmæ, & Veronæ, eiſque ſic dominamur iu ſto, legitimoque Imperio, ut nemo poteſt impedire pace, belloque motus noſtros, &

Not. Legati & Zeni cædem.

Scallanorum ſucceſſus.

Legatorũ poſtulata.

Not. Scallanorum arrogãtiã.

ſi fœde-

ſi fœdera antiqua allegantur, dicimus, quòd nos ſumus domini liberi omnium ciuitatum, nec tenemur ullis fœderibus, pactiſque ueſtris, quia omnia extincta ſunt propter dominationẽ, liberáque Imperii noſtri ptãtem: ſuper his tamẽ maturius conſulemus, ac per Legatos reſponsũ dabimus. Sed antequàm Oratores Venetias irẽt, Petrus Maranenſis conſiliarius Scallanorum uir prudens, ac magni, altique conſilii, conatus eſt, quantum potuit, remouere animum Maſtini, qui Alberto fratre durior erat, ab inſectatione Venetorum, ad eorumque amicitiam attrahere. conuerſusque ad Maſtinum,

Not. Petri Maranenſis uerba.

Chariſſime, & dilectiſſime Domine, & filii, inquit: quæ nam inſolita hæc nauitas eſt, exponere tot, tantaſque ciuitates, quibus fœliciſſime imperas, extremis bellorum periculis? quid tibi cum littoribus Venetorum, quos maiores tui ſumma obſeruantia proſequuti ſunt, quos non ſolùm Italia, ſed totus Orbis maxime colit, & admiratur? dimitte illis ſua æſtuaria, quæ omni prorſus carent inuidia, tu urbes, imperiaq; uirtute parta moderare, noli uicinum, & præpotentem populum inimicum ex leui cã tibi reddere. ſatis, ſuperque cæteri Italię Principes te odio habent, tuumque exoptãt excidium. ſi Venetos quoque a te alienaueris, res tuæ (utinam falſus ſim uates) in ſummo erunt diſcrimine. deliniendi igitur ſunt Veneti, quorum fauore cuncta, ſi qua forte impendunt, pericula prorſus ceſſabunt. raro enim eæ actiones ex uoto ſuccedere ſolent, quæ perperam, ac minus recta ratione digeſtæ ſunt. Hæc ille amice, & fideliter locutus dicitur.

Maſtini ſuperba reſponſio.

tum Maſtinus toruo ſupercilio Petrum intuitus: Aut puſillanimus eſt, ait, qui iſta timet, aut inuidus, qui ſub cautioris conſilii ſpecie facta noſtra retardat. Petre, quæ dicas, non ſunt nobis grata; exeatque de noſtro conſilio, qui aliter ſentit.

Fede. Caballus.

Statimque Maſtini iuſſu cum potenti armatorum manu mittitur Federicus Caballus ad locum, ubi Caſtellum conſtruebatur, ut eius præſidio opus perficeretur, ſi id forte Veneti armis impedire auſi eſſent. Erat tunc Venetiis Maſtini Legatus, qui de more eius nomine in urbe reſidebat. hunc patres in curiam euocarunt, ac grauiſſimis uerbis cum eo conqueſti ſunt, de tot, tantiſque iniuriis, quas Domini ſui Venetis inferebant contra pacta, & antiqua fœdera,

No. Maſtini Legatum.

Legatus ipſe (ut erat præſenti ingenio) ad Principem conuerſus de amore, & obſeruantia, qua Scalligeri domini ſui Venetam Remp. omni tempore proſequuti fuerant, ſermonem habere cœpit: Caſtellumque illud, quod conſtruebatur, aſſerebat, ibi omni iure poſſe ædificari, ut pote in loco Patauini agri, de iuriſdictione dominorum ſuorum: Licereque unicuique in propriis finibus, rem ſuam agere, ſine ullius impedimento.

Principis uerba.

Ad hæc Princeps turbatus reſpõdit, Nullam cauſam Domini tui habent, ex qua nobis tam impudenter officere debeant, quin eos ſemper tanquàm filios dileximus, eorumque incremento, rerumque ſuarum proſperitate lætati ſumus. uerùm acerba hæc eſt, grauiſque iniuria: nam, ut cætera omittamus, caſtellum in ſtagnis noſtris Dominorum tuorum iuſſu conſtruitur, id quàm indignum, & contumelioſum ſit, quis non uidet? Proinde petimus, ut Caſtellum illud omninò deſtruatur, ſi pacem potius cum nobis, quàm bellum Maſtinus habere mallit. Reſipiſcantque tandem Domini tui, ne parua hæc ſcintilla ingens exuſcitet in Italia incendium, cum funeſta rerum ſuarum pernicie. His auditis Legatus, ut tempus traheretur ſcripturum ſe dixit, Dominis ſuis de poſtulatis Venetorum. Ad dum litteræ citro, ultroque mittuntur,

Caſtelli munitio.

Caſtelli interim munitio perficitur, cum forti uallo, triplici foſſa, altiſque aggeribus, illudque ualido militum præſidio firmatur. Legatus poſtea in curiam ad Principem uenit, ac litteras attulit, quibus Scallani uanas, ineptaſque fallacias contexentes rem trahebant. tum Princeps, Vidimus apertè, ait, Dominos ueſtros bellum quærere, & bellum dabitur, quod illis infauſtum fore ob cauſæ iniuſtitiam, ominamur, atque ita dimiſſus eſt Legatus. Conuocato igitur Senatu, Dandulus Princeps. bellum aperte cum Scallanis gerere minimè è Repub. eſſe cenſebat. quare rogatus ſententiam in hunc modum è tribunali locutus fuiſſe dicitur. Dum præſentem Reip. ſtatum Patres conſcripti, conſidero, ueſtraque egregia pace, belloq; geſta;

Danduli P. Oratio.

non poſſum, non ſummam Dei benignitatem erga nos recognoſcere, diuinæque maieſtati immortales habere gratias, quum in tantis totius Orbis bellorum incendiis, fędiſque Italiæ turbationibus, Veneti nunc ſoli ſint, qui pacate, tranquilleque agant; nec pacis ſolùm fruuntur ocio, ſed in maxima nominis exiſtimatione apud oẽs Princi

pes habentur. huius tantæ fœlicitatis, quis veſtrum non optet, perpetuum huic Reip. arridere ſucceſſum? quem ſi Scalligeri iſti in præſentia turbare inſolitis tentant nouitatibus, ad eorum refundendum impetum nouis conſiliis vti debemus. nam ſi ad arma recurrimus, omnia bellorum incendiis breuì in terra Italia ardebunt, ac tranquillus is Reip. noſtræ ſtatus perturbabitur. Adde pecuniarum profuſionem, quas bellici abſorbet fluctus, ductorum incertam fidem, mercenariorum militum ingluuiē, quibus nihil eſt auarius, leuiusque. Præterea Lyguſticis bellis, ac ciuilibus ſeditionibus à Petri Gradonici Principatu ciuitas exinanita, nondum ad priſtinam rediit opulentiam, vt ex dignitate Reip. bellum geri poſſit. Quid igitur agendum, dicet quiſpiam? multosne tot tyrannorum inſultus in Venetum nomen patiemur? nec aperto bello iniurias propulſabimus? Minimè equidem. ſed alia ratione Scallanorum improbitas caſtiganda, quam maiores noſtris ſequendam nobis relinquerunt. ea autem eſt, vt tranſitus fluminum, obiectis repagulis ad impedienda hinc inde commercia occludantur. acceſſus quoque ad loca noſtra ſubditis ſuis terra marique negetur, quod eis in tantùm damnum cedet, vt velit, nolitque Maſtinus ab iniuria abſtinebit, ad pacēque a belli ſtudio animum auertet. nobis autem patres conſcripti, nihil uſquā timendum eſt, qui liberum, apertumque mare habemus, libera Padi, Liquentiæ, Plauiſque oſtia, unde omnis rerum copia, vbertaſque nobis affluet. quid bella incontinenti tentamus. armorumq; terreſtres furores, qui nullum Reip. Venetæ fructum afferre poſſunt? Nota nam contenti maris potentia, & præſentium rerum fortuna, terreſtre Imperiū minime affectatis, maritimis vos viribus gloriamini; his Veneta fama, his Imperii fines mari propagandi. Quare Patres conſcripti cenſeo, a bello abſtinēdum: nec armis cum Scallanis ad præſens rem gerendam, ſed interdictione commerciorum hoſtes aggrediamur: qui facile ab iniuria deinceps inferenda reuocati mitius nobiſcum agēt. Illud tamen Patres ampliſſimi habetote, in quancunque partem hodie Senatuſconſultum factum erit, vigilantiſſimè nos omnia curaturos, quæ ad Veneti nominis gloriam amplificandam profutura cognouerimus. Poſtquàm Princeps perorauit, Senatorum vnus ab eo longè diſſentiens, talem habuit orationem: Scio in libera ciuitate Oratio. Princeps optime, liberam vnumquenque in publicis Conſultationibus diſſerendi habere poteſtatem, benigneque, ac attentè ex patrio more omnes audiri ſolent, qui ea, quæ ſentiunt, in pacis, bellique actionibus conſtanti, fidelique animo explicant. Hac ego ſpe adductus in medium hodie proceſſi, vt publicam cauſam ſalutari ſententia dicta in conſpectu veſtro agerem. In dubium enim venit, an ſæuiſſimi tyranni Scalligeri bello ſint à vobis petendi, à quibus tot acerbiſſimæ iniuriæ profectæ Venetum nomē indignè dehoneſtarúnt? mihi autem, ſi ingenuè fari licet, ea mens eſt, vt aperto bello iniurias illatas vlciſcamur, tyrannorumque ſuperbiam armis contūdamus. quis enim non eorum proteruiam ſtomachetur? ſiquidem non contenti hi tot Italiæ præclaras, prępotenteſque urbes ſuo adieciſſe Imperio, in noſtros etiam fines irrumpere uiolenter audent. Omitto etenim quanto armorum ſtrepitu munitiſſima oppida, Motam, Caminum, Buffolletum, circumſedētes, a noſtra ditione auellere tentarunt: reliquas prætereo veteres, nouaſque iniurias, quas vobis, ſociiſque veſtris fœderum ruptores intulere. recens autem hoc factum quàm graue, quàm tyrannicum: auſi enim ſunt, regiis opibus, fortuniſque ampliſſimis inflati, caſtellum iuxta Clodiam in ſtagnis, ac propè in uiſceribus noſtris conſtruere; idque valido firmatum præſidio, neſcio quid tremendum, atroxque in libertatem noſtram minatur. admoniti ſunt Legationibus, litteriſque, vt reſipiſcant, his ſpretis boni uiri in tyrannica prauitate obſtrinatiori animo perſeuerant, ſuiſque inſiſtentes violentiis, veſtra occupare ſtagna cogitant: & vos tantas iniurias perferre poteſtis extinguendum? Eſt, Princeps optime, tam vicinum incendium, non commerciorum interdictione, non fluminum obiicibus, ſed bello, vi, armis. Noui tua omnia facta, dictaque Princeps Illuſtris ſpectare, ad publicum huius Imperii commodum, ad decorem, ad gloriam: verùm alia præſens temporum conditio expoſcit conſilia. Bellum autem ex voto, ac ex Reip. dignitate facile conficietur, quum Dei benignitate, licèt præteritis bellorum turbinibus non parum exhauſtum ærarium fuerit, maxime tamen adhuc opes & publicæ & priuatæ ſuperſunt, quibus

quælibet,

quælibet grauiora belli onera ſuſtinere præpotens ciuitas facile poſſet, nec cum nobis ſolis Scallani bellum gerent: habebimus ſociis armis coniunctos non modo totius ferè Italiæ Principes, Florentinos, Vicecomitem, Eſtenſem, Gonzagam, ſed Ioannem quoque Bohemiæ Regem; qui omnes in tyrannos exacerbati, iniurias ſuas vlciſci miro flagrant deſiderio. has vires ſuſtinere illi poterunt? non dubito, quin tanto armorum impetu tyranni opibus ſuis euerſis, aut funditus opprimentur, aut iniquiſſimas pacis leges cum ſumma Veneti nominis gloria à nobis accipient. Bellum igitur patres conſcripti in Tyrannos decernite, bellum, inquam, neceſſarium, quo res ueſtræ ſpero ampliores, melioreſque reddentur, & ferox hoſtis edomitus deſinet tanto ſtrepitu omnia turbare. Quid enim eo uiolentius? Rubriorum eiulatus ad cœlum uſque tollitur, quibus eiectis, Parmam impii Tyranni occupauere, illi autem cum fratribus, filiis, & vxoribus patria extorres, tota Italia vagantur: ſimili Carrarium affecere iniuria: nos quoque in ſtagnis, ſuburbaniſque aquis infeſtant: quouſque tot inſultus patiemur? an expectamus, ut totius Italiæ parto Imperio, frenoque cunctis gentibus iniecto, Venetam euertant libertatem. Dii precor ueſtro numine caliginem ex mẽtibus noſtris diſcutite, vt quod Veneto, ac ſocio nomini bene vertat, hodierna die decernatur; eſtoteque nobis pace, belloque propitii, ad peruertenda hoſtium conſilia, qui, rerum humanarum immemores aliena tam ambitioſè appetunt. Vehemens huius Oratoris actio adeo Senatum omnem accendit, ad id per ſe antea ſpectantem, vt bellũ in Scalligeros miro omnium conſenſu decretum ſit, in ſocietatemque recipiuntur, Ioannes Bohemiæ Rex, Florentini, Vicecomes, Eſtenſis, & Gonzaga, quibus omnibus Scallanæ opes ſuſpectæ erant. ſed Veneti, Florentinique primas belli partes excepere: communi itaque utriuſque populi impenſa ad viginti & amplius hominum millia (alii numerum augent) à viceſimo ad ſexageſimum ætatis annum conſcripta dicuntur, ſub Petri Rubrii Parmẽſis, rei militaris peritiſſimi ductu, quem Veneti abſentem tanti exercitus Imperatorem legere: Is tum Ponteamuli grauiſſima à Maſtino obſidione premebatur: audienſque, quòd à Venetis copiarum ſibi Imperium demandatum fuiſſet, ne moram vllam traheret, per hoſtium ſtationes ignoto habitu ſilentio noctis elapſus, Florentiam primùm, inde Venetias ad accipienda militaris Imperii ſigna aduenit; quem mox magna nobilitatis frequentia in curiam comitatum læta fronte Princeps, patreſque excepere: multaque Rubrius de Scallanorum iniuria queſtus, operam ſuam in hoc bello patribus promptiſſimam pollicitus eſt, ſpemque ingentem fecit, militari Imperio rectè adminiſtrato, hoſtis ferociam in perpetuum domandi. Poſtridie ſolenni pompa publica ſigna, quod fœlix, fauſtumque Veneto, ac ſocio nomini eſſet, à Principe accepit, in bellumque ſtatim cum duobus Legatis, M. Cornelio, & Andreatio Mauroceno, viris præſtantiſſimis profectus, Mottam cum omnibus copiis contendit, atque hìc recognito, luſtratoque exercitu, ac in acies diſpoſito, ad Anaxum fluuium peruenit: Taruiſinoque agro ferro, ignique vaſtato, rem impigrè Veneti geſſere. Interim quum hoſtes nullibi apparerẽt, ad Medoacum amnem caſtris promotis Rubrius Imperator in ulteriorem fluuii ripam copias traduxit, ac vaſtare, popularique omnia cœpit: quod vbi Patauium nunciatum eſt, trepidare omnes, bellum horrere, Tyrannos deteſtari, qui metu perculſi, egredi mœnibus non auderent, Venetumque ſinerent, totam impune regionem populari, his vocibus Albertus, qui Patauium ualido tenebat præſidio, excitus, cum delecta militum manu hoſti occurſurus, vrbe ſtatim egreditur; non auſus tamen cum Veneto congredi, ab eo procul conſedit. At Rubrius pugnandi ſtudio accẽſus, in hoſtem alacri animo mouit, nihil aliud die, noctuque ab Diis immortalibus precatus, quàm poſſet veteres Scallanorum in ſe iniurias vel egregiè vlciſci, vel ſi aliter ſtatutum in fatis eſſet, fortiter pugnando occũbere. Albertus interim hoſtium viribus, atque animo impar, prælium detrectabat, ſublatiſque ſignis tuto, idoneoque loco ad montium radices caſtra poſuit. Venetus autem aperto campo ad portas Patauii adequitauit. Inde ad prædam miles conuerſus, longe, lateque omnia fœdis rapinis depopulatus eſt. Saccenſeſque armis petiti, continuò deditionem fecerunt, à quibus commeatus uictoris iuſſu exercitui abunde præbiti. Ad ſingulareque hoc in loco certamen Rubrius Maſtinum prouocaſſe dicitur: ſed

Italiæ Principes

Rubrii.

No. fœderis ſocios.

Petr. Rubrius.

M. Cornelius, And. Mauroceñus.

No. Albertu metum.

Saccenſes dedũtur.

ſed Scallanus pugnam, duellumque renuit. mox ad Bouolentam vicum Rubrius caſtra admouit, atque hic auxiliares Florentini populi, aliorumque ſociorum copiæ Venetis ſe per ocium iunxere. ex Bouolenta autem motis repente ſignis, Patauium eſt itum, atque pro portis, mœnibuſque Venetus obequitans hoſtes ad pugnam prouocabat, inque eorum ignauiam inuectus, probra addebat, vt in certamen eos traheret: ſed quum illi intra mœnia ſe tenerent, conuerſis aliò ſignis, Caputaggere oppidum petiit. inde caſtellum, quod tyrannorum iuſſu ad ſtagna conſtructum fuerat, bellicis operibus aggreditur: miſſusque eò Marcus Lauredanus, vir impiger, cum inſtructa complurium nauigiorum claſſe ad maturandam loci oppugnationem venerat. communi itaque conſilio res geri in hoſtem cœpta eſt, tentataque uoluntaria deditio, nec ea ſecuta, vi agendum Rubrius, & Lauredanus rati, atroci oppugnatione caſtellum terra, marique aggrediuntur; telaque, & miſſilia hinc inde iactata, cædem hinc inde non paruam ædunt. Spiritelluſque inter alios, qui Scallanorum nomine munitioni præerat, ſubito vulnere à ſagittariis Venetis transfixus concidit; cuius cæde conſternati reliqui, qui in præſidio erant, inducias octo dierum paciſcuntur, ad tradendum Venetis locum, niſi Maſtini auxilia aduenerint. ipſo autē admonente, vt ſaluti ſuæ milites conſulerent, facta eſt caſtelli deditio, quod receptū continuò Senatus iuſſu a fundamentis diruitur. Conaglenſes & ipſi per eos dies Scallanorum nomen exoſi, in Venetorum fidem venerunt, horum exemplo ingens à Tyrannis ſequuta eſt defectio, qui tamen vt ſuas partes firmarent, magna mercenariorum militum manum contraxerant, in quibus tria Theutonum millia ſtipendio inauctorata recēſebantur. Hi multa militari licentia in Patauinos hoſtilia feciſſe dictūur, ac rapinis, ſtupris, cędibus totam vrbem fœdarunt; atque hinc certo creditum eſt, præcipuam Patauinæ defectionis cauſam deriuatam, multique tumultus a barbarorum iniuria exorti, multi compreſſi, parumque abfuit, quin media vrbe ciues, & barbari inter ſe dimicarint. Rubrius interim ad Ateſtum aduerſus hoſtes proſpere pugnauit, trecentoſque ex Germanis captos, ademptis armis, ad conciliandam manſuetudinis famam miſſos fecit, tum Tyranni res ſuas in apertum adduci diſcrimen prima belli alea cernentes, a Ciſalpinæ Galliæ populis, & extra Italiam a Ludouico, Bauariæ Duce, auxilia per Legatos implorare cœperunt: uiribuſque reparatis, Venetorum conatibus obuiam ire quoquo modo ſtudebat. ſexagintaque Principum, ac populorum legationes (quod mirum eſt) ad agendum de pace, ac de Italiæ rebus, uno tempore Venetias acceſiſſe dicuntur. uenit & Marſilius Carrarius Scallanorum nomine, quem lapidibus in hoſtium inuidiam contra ius gentium a populo Veneto violatum pęne ferunt: arteque id factum fuiſſe aliqui interpretantur, ne tyranni illum ſuſpectum haberent, qui ea mente ad Venetos ſub Oratoris nomine acceſſerat, ut occulte cum eis de tradenda Padua ageret. adduntque Marſilium in curia Principi dixiſſe, Ecquid ſi tibi Princeps Paduam daremus. tum illum vultu hilari ſtatim reſpondiſſe, eam tibi habēdam traderemus: quod non multò pòſt ſecutum eſt. idem non à Marſilio, ſed ab ipſius Legato iampridem dictum quidam memorant, dum ille feſta Viti Martyris luce iuxta Principem lauto cōuiuio publicè diſcumberet. ſed prior opinio magis valet: conſtat enim Marſilio Patauii dominationem eo modo promiſſam. Legati autem de pace ſecreta colloquia cū Venetis diu habuere, variæque, & multæ altercationes inter eos ſæpe ſubortæ: nam Veneti Patauium, Taruiſium, Parmam, qui in poſſeſſione uictoriæ propè erant, poſtulabant, vt Scallani in priſtinam libertatem reſtituerent; Lucaque in Hetruria Florentinis traderetur, cætera ipſi (prout tenent) legitimo titulo poſſiderent. eas autem conditiones velut ignominiæ plenas Maſtino repudiāte, infecta re dimiſſi ſunt Legati. At dum hæc domi circa pacem aguntur, interim aliquot Patauini, Taruiſiniquę agri oppida, Triuille, Cittadella, Aſillum, Nigizolum, Vidorum, Sanctus Zeno, a Rubrio hoſtibus adempta, in Venetorum poteſtatem rediguntur; quibus geſtis munitiſſimum quoque oppidum Meſtram, deditione facta, Venetus occupauit: admotis inde Taruiſium caſtris, urbem Rubrius repente aggreditur, ac duas ciuitatis portas illato ingenti terrore noctis ſilētio ferro, ignique demolitas, combuſtasque diſiecit, quas eodem

Not. auxiliares copias.

M. Lauredanus.

Spiritelli interitus.

Caſtelli deditio euerſio.

Victi Germani.

Not legationum numerū.

Not. artē, in Marſilium.

Not. promiſſum Principis

Cōditiones circa pacem.

Meſtræ deditio.

temporis momento Ribaldonus prętor, Gilbertus de Foiano, Palmerius de Saxo, qui pro S callanis vrbi præſidio erant, cum valido militum manu accurrentes, cæmentitio muro obturarunt: tantus tamen nocturna illa trepidatione metus ciuibus, oppidaniſque omnibus iniectus eſt, ut multi umbra noctis tecti, per auerſa ab hoſte loca ex vrbe migrarint; ex his nonnulli media fuga capti, in quibus Caminantis fœmina illuſtris, clara nomine, ſeruili habitu oppreſſa dicitur. Interim Serrauallũ Taruiſino hoc tumultu ad Venetos a Scallanis defecit, aliaque oppida in fide titubabant. qui cognito rerum ſuarum diſcrimine, in ſummis animi anguſtiis conſtituti erant. Ad hæc accedebant noui Luchini Vicecomitis, Philippi Gonzagæ, & Regis Boemiæ motus, quorum iam armis hoſtiliter premebatur: atque ita accidit, vt vno tẽpore tribus locis in tyrannos impetus fieret: illi autem ad uim, & arma reſpicientes, prælii fortunam tentare ſtatuerunt. Venetæ autem, & ſociales copiæ hoſtium fines ingreſſæ, omnia ferro, igniq; uaſtabant: Rubriuſque ſatius eſſe exiſtimans, bellum in longum trahere, cuius onus apparebat Scallanum haud diutius laturum, a prælio pertinaciſſime abſtinuit, cedenſque hoſtilem congreſſum declinabat. Maſtinus vero quaſi acie uiciſſet, quòd Venetum cedentem, detractantemque pugnam uideret, cum tribus equitum, & peditum millibus ad confirmandos ciuium animos Patauium continuo venit: inde ad Bouolentam caſtra mouit, vbi ſubito acceſſu uiginti Venetorum nauigia, quæ circa munitiones in aquis ſtationem habebant, oppreſſit. hic ad ſummouendum loco hoſtem, Rubrius magnam uim contuſæ herbæ Gualdæ appellatæ, guſtui amariſſimæ, in fluuium proieciſſe dicitur, vt aquationem Scallanis infeſtam redderet. Dum itaque Maſtinus cum copiis circa Bouolentam ſedet, ad Rubrii conatus euertendos intentus, ecce trepide affertur, Brixiam Luchinum Vicecomitem grauiſſima obſidione fatigare: quo ille nuncio turbatus, relicto cum ualido præſidio ad Pataüii cuſtodiam fratre, citato agmine Veronam ſe contulit, ut inde Brixiæ ſubito opem ferret. Interea Marſilius Carrarius ad patriæ liberationem Maſtini opportuno receſſu erectus, quod iam antea animo conceperat, exequi parat. confeſtim igitur per occultos nuncios Rubrium cum ſuis copiis acceſſit; qui nulla mora cum lecta militum manu accurrens, patefacta repente porta, quæ ad pontem curuum eſt, intra mœnia admittitur, in forumque armatus cum peditum robore progreſſus, Scallanos, eorumque fautores perterruit: at Carraria factio, quæ in armis præſto aderat, cum magno gaudio Rubrium exceptum, patrem, liberatoremque appellat, atque in ea trepidatione quinque ex ciuibus Scallani nominis ſtudioſi interficiuntur, in quibus fuit Dominicus de Agrapatis, cauſidicus, & orator ea tempeſtate clarus. at Albertus, & Riccius Foranenſis, ac plerique ex tyrannorum neceſſariis capti ſunt, reſque eorum direptæ, Venetiaſque Albertus captiuus miſſus eſt. quingentique Germani equites, qui in victorum poteſtatem uenerunt, equis, armiſque benigne reſtitutis, a Rubrio dimittuntur, ſtatimque Venetorum nomine ciuitatis regimen miro omnium fauore Marſilio Carrario defertur. Hæc Maſtino in Cænomanis agenti nũciata maximum attulere mœrorem. Bohemi quoque per hos dies Feltrum, Bellunumque ad montana profecti occuparunt. ſequuta eſt poſtea Brixiæ, Bergomique defectio: quibus cladibus concuſſus Maſtini animus vehementer angebatur, in bello tamen ferox ille perſeuerauit, propoſitaſque eaſdem pacis conditiones, quæ antea oblatæ fuerant, prorſus reiecit, opeque a Bauariæ Duce petita, partes ſuas firmare curabat, ut quæ aduerſo Marte amiſſerat, proſperiori fortunæ aura (vt ſunt belli exitus uarii) reciperet. hac ſpe Scalliger ductus, copias reparare ſtudebat. Paduam interim tres Venetorum Legati, uiri inſignes, M. Lauredanus, Iuſtinianus Iuſtiniano, & Andreatius Maurocenus a Senatu miſſi fuerunt, vt patrum nomine Patauinæ urbis principatum Marſilio antea attributum confirmarent. his autem ſummo honore a tota ciuitate exceptis, ac in forum adductis, vocato ad concionem populo, M. Lauredanus vir facundia clarus, publico nomine Patauinis gratulatus eſt, quòd a ſæuiſſima tyrannide liberati, velut è procelloſa tempeſtate, in portum ſalutis euaſiſſent; diemque hanc lætiſſimam omnes celebrarent, qua decreto patrum Marſilio ciuitatis regimen ſe tradere, ex collegarum quoque aſenſſu pronunciauit, cuius innocentia Veneti optime, Patauinis conſultum fore ſperabant,

bant,

Taruiſinorum fuga.

Recentes in Tyrannos mot'

Rubrii conſilium

Gualda.

Patauiũ captum.

Hoſtes dimiſſi.

No. Maſtini ferocẽ animum.

Legati Veneti.

M. Lauredani uerba ad Marſiliũ.

bant: irent igitur; & quod ipſis, Venetoque nomini bene, ac proſpere uerteret, Marſilium, in Rectorem, Principemque acciperent, illius dicto pace, belloque obediens quiſque eſſet, æquitatique, ac Iuſtitiæ acquieſcerent, qui ſub tyrannide tamdiu uixiſſent. inde ad illum conuerſus, Te quoque Marſili, inquit, eniti decet, ut demandatum huius ciuitatis a Veneta munificentia Principatum rectè adminiſtres, populique tui incolumitati inſeruies, commodorumque tuorum oblitus, publicam amplectaris utilitatem, ac ſi urbis noſtræ inſtituta, moresque imitaberis, in moderandis populis, forſan non errabis. reliquum eſt, ut quum tantum beneficium hæc a nobis ciuitas acceperit, quæ intra paucos annos noſtris armis bis ſeruitutis iugum excuſſit, aſſueſcas cum ea ad Venetam amicitiam colendam. potuimus enim tam illuſtrem ciuitatem iura belli noſtris rebus adiungere, ſed a terreſtris Imperii cupidine alieni, tibi eam habendam permiſimus: quod libentèr a nobis factum eſt, vt omnes intelligant, aliena nos non appetere, uicinique, ac cognati populi ſalutem charam habere. Vt veriſſima, ita omnibus, ac in primis Marſilio grata fuit Lauredani oratio: tum ille uenerabundus aſſurgens, Veneto nomini ingentes gratias egit, ſeque ſtudio curaturum affirmauit, vt ſuæ nunquam adminiſtrationis ne vnum quidem ciuem pœniteret; daturumque ad hæc operam, vt gratiſſimum, ac tanti beneficii memorem ſe perpetuo Veneto nomini exhiberet, nec erga munificentiſſimum Senatum ullo unquam tempore conſeneſcet uis grati animi, a quo ſumma Patauini principatus dignitate ornatus ipſe fuiſſet, nullis ſuis meritis, ſed innata, peculiarique Patrum optimorum benignitate, quos ipſe, Carrariaque omnis domus, velut vnicos in terris moderatores, & dominos beneficentiſſimos, ſemper excoleret, & obſeruaret, Principatumque, reliquumque fortunarum Veneto nomini poſt Deum perpetuo acceptum eſſet relaturus. Veſtræque, ait, vrbis Clariſſimi oratores, indolem ſecuti, moderatione, benignitate, iuſtitia, ita contendemus, ut omnes ſentient, Venetos ſuum in Marſilio officium optimè collocaſſe: hæc ille. quæ circumfuſa multitudo ingenti plauſu excepit, gratulationesque inde mutuæ ſequutæ, Venetorum omnes laudare munificentiam, Legatorum induſtriam, Marſilii virtutem, totaque ciuitas ingenti gaudio exultare. ſed præſentis lætitiæ feſtiuitas Rubriorum fratrum continuatis propè funeribus eſt deformata. Padua namque recepta, ad Monſilicem Petrus oppugnandum ſub ſignis profectus, inito certamine, dum rem impigre circa mœnia optimus Imperator gereret, lethiferum uulnus lanceæ ictu accepit: inde ad curandam plagam Patauium relatus, ingenti omnium luctu pauciſſimis diebus expirauit; periitque ætate florentiſſima, quum annum vitæ ageret ſextum ac triceſimum: & paulò pòſt Marſilius eius frater natu maior febri conflictatus moritur, ambo armorum peritia clari, ac a militibus unice dilecti, eoſque pullatus exercitus ob rectè militare geſtum Imperium diu luxit. His autē defunctis, Rolando fratri, qui tum abſens in Hetruria Lucam graui bello premebat, omnium copiarum Imperium delatum eſt: qui ſtatim ad Monſilicem in caſtra uenit, & ne circa mœnia incaſſum tempus tereret, cum robore exercitus in Veronenſem agrum populabundus irrupit, hoſtiumque finibus ferro & igni ad portas vſque vrbis uaſtatis, in caſtra cum ingenti præda reuerſus eſt. Maſtinuſque ex altera parte Monticulum obſidebat; in quem Rolandus cum parte copiarum inuectus, ab oppido eum fuſum, fugatumque reiecit. Marſilius Carrarius interim Patauii medio ardore belli è uita migrauit, decedenſque ſine liberis Vbertinum propinquum ſuum ſucceſſorem inſtituit, ac centum aureorum nummum millia ab eo relicta, ut ædes Venetiis Diuæ Mariæ Seruorum dicata, in ea parte urbis, quæ Iudaica dicitur, conſtrueretur, quæ nunc magnifico apparatu erecta, Carrarii Principis Legato multa prędia in ſacrarum rerum cultum poſſidet. Poſt hæc Vbertinus ad Monſelicem recipiendum intentus, corrupto pecunia præſidio, partem oppidi occupauit, arcem quoque munitiſſimam paucis interiectis diebus deditione a Floreno loci præfecto facta, Venetus recepit. Tentauit interim Maſtinus Mõtagnanam proditione occupare, negociumque Spinetæ Marchioni, & Guidoni Foranenſi quadringentorum equitum ductoribus datum, ut hi quàm cautius poſſent, ad locum profecti, rem tranſigerent. Idque Venetos exploratorum ſtudio non latuit, quare locata circa Ateſtum quingentorum equitum

Marſilii Reſpõſio.

Petr. Rubrii interitus.

Rolandus.

Marſilii Carrarii interitus.

ala Duce Andreatio Mauroceno Veneto Patririo, viro impigro hoſtes inexplorato ducentes, inſidiis repente excepti ſunt: qui ad primum clamorem exterriti, abiectis ſtatim armis, in fugam turpiter uertuntur. ex his autem non pauci cæſi, ſed multo plures capti, in quibus Guido, & Gilbertus eius frater fuere, atque cum his equites ferme ducenti in Venetorum poteſtatem veniſſe dicuntur. cæteri male habiti, ad Maſtinum in caſtra rediere. at Andreatius Maurocenus, cuius egregia virtus in ea expeditione maximè enituit, equeſtri eſt dignitate decoratus. nec Rolandus in ocio fuit, qui cum tota mole exercitus è Patauino agro profectus, Vincentiam contendit, factoque in urbem impetu, per portam, quæ Feliciana dicitur, in ſuburbana tecta irrupit, direptisque ædibus, ex propinquo hoſtes fatigabat. Maſtinusque undique tot malis circumuentus, quum inire non poſſet rationem, qua Vincentiam obſidione leuaret, tandem ad pacem eius animus inclinauit, quam his ille conditionibus gemens, frendenſque accepit, ut Feltrum, Bellunnum, Cenetam, Boemo Regi relinqueret; Bergomum ac Brixiam Vicecomiti; Taruiſium, Caſtrumbaldum, & Baſſanum cum ſuis Finibus Veneti haberent; & quòd nauigatio per Atheſim Venetis negociatoribus libera, tutaque eſſet; Florentini & ipſi quattuor Lucenſis agri oppida retinerent: hique præſentem pacem iniquo animo tulere, quippe qui Lucam urbem finitimam Imperio ſuo adiungi in primis uolebant, cautum quoque ſociis omnibus, ac Regulis, qui Venetos hoc bello ſequuti erant. Albertus, & captiui omnes hinc inde reſtituti, atque ita Maſtinus magis neceſſariam, quàm honeſtam amplexatus pacem, grauiſſimo bello finē impoſuit: quòd ſi in Veneta amicitia perſeueraſſet, non utique tot malis circumuentus, a priſtina fortuna excidiſſet. pace compoſita, Vbertino Carrario Caſtrumbaldum, & Baſſanum Veneti dono dederunt, ex quo manifeſte patet, continentis cura abiecta, ad rerum maritimarum ſtudium Venetos cogitatus ſuos omnes ſemper direxiſſe: ad bellumque hoc cum Scallanis gerendum nulla alia cauſa eos traxit, quàm Italicæ quietis ratio, atque ut ſuperbiſſimi hoſtis ferocia retunderetur: quod ita prorſus euenit. his igitur Dandulo Principe domi, foriſque fœliciter geſtis, anno ipſe Ducatus ſui circiter undecimo obiit, Minoritanæque ædis cœnobio ſitus iacet, qui hoc Scallano bello uigilantiſſimam operam præſtitit, arteque, & ingenio uſus, nullo loco deerat, ut hoſti aliquo modo obeſſet; militariſque diſciplinæ peritis in cubiculum quotidie ferè ad ſe accitis, de ratione belli cum eis aſſidue diſſerebat: tabellasque in Palatii aula, quas ad id effingi curauit, diligenter contemplabatur, vbi in membranis ſitus urbium, collium, ſyluarum, fluminum, deſignati erant; qua ſolertia uſus, plurimum in bello adminiſtrando Reip. profuit; moriensque magnum deſiderium ſui reliquit. Bartholomeus Gradonicus illi ſurrogatur, cuius Ducis tempore ampliſſimum illud conclaue, vbi octauo quoque die omnis ferè patritius ordo ad creandos magiſtratus ſedet, conſtructum fuiſſe dicitur. id nos multò antea inchoatum. & erectum iudicamus, ac ſub id tempus Popiliam, Peleſtrinam, Methamaucum, Torcellum, in ſtagnis, littoribusque oppida decreto patrum prætores ex urbe miſſi. aquarumque poſtea excreſcentia ciuitatem penè totam inundauit. ſuborta enim noctu ſubita tempeſtate, diuina ope ſupremum urbis excidium diſcuſſum eſt, piſcatore miraculū diuulgante: is. n. quū tēpeſtatē inſtare uidiſſet, cymbam, quam ſutilem & ſemifractam ductabat, ad ripam Diui Marci in tutū appulerat, tū omnia fluctu, imbre, uētoque miſcentibus, ad illum tres ſub humana forma uiri ueniſſe dicuntur; qui cùm rogare cœperunt, ueluti urgentiſſimi negocii cauſa, ut ad Diui Nicolai ædem, quæ eſt in littore, quàmprimum eos uellet traiicere, quod piſcator magnitudine tempeſtatis deterritus, ſeniliique ætate diffiſus, pernegauit ſe facturum, tum ii quaſi per ſe ituri, confeſtim in cymbam, piſcatore muſſante, conſcendunt, remisque innixi inoffenſo curſu per aſperos, turbatosque maris fluctus ad littoralem ædem peruenere: vnde ad portus fauces conuerſi nauem Cacodemonum plenam Seni oſtenderunt, qui tātam tempeſtatem ciebant; ſtatimque eorum iuſſu nauis in profundum fluctuanti pelago demerſa eſt, ad quod ſubita maris tranquillitate orta, vis illa procelloſæ, horrendæque tempeſtatis prorſus ceſſauit. tum rei nouitate piſcator attonitus, quidnam id eſſet, cogitabundus diu hæſit, naulum tamen petere non dubitauit. cui ex his vnus: Ibis, inquit,

Not. hoſtium clades.

And. Maurocenus.

Pax, & eius conditiones.

Venetorū liberalitas.

Bart. Gradonicus. D. 53. ann. D. 1332.

Not. miraculum.

inquit, ad Principem, & patres, à quibus mercedem vel cumulatiſſimam habebis, nunciabisque noſtra opera ciuitatem hac nocte infernali diluuio liberatam. Haud mihi credet, ait Senex. Tum Diuus ille annulum, quem in digito habebat ei tradidit, vt eo pignore fides præſtaretur. Et ne quid erres, ſubdidit, ſcias, me Marcum Euangeliſtam eſſe, veſtræ vrbis parentem, & protectorem, Diuus alter, Nicolaus, tertius Sanctus eſt Georgius. hisque dictis, ex illius oculis euanuit. Tum Senex rei miraculo diu ſtetit elinguis, poſtmodum eo pignore confirmatus, vbi primùm illuxit, in curiam aſcendit; in Principisque, ac patrum conſpectum admiſſus, rem omnem ſumma cum audientiũ admiratione ordine narrauit, inde in eorum, quæ dixerat, fidem annulum ſibi ab Euãgeliſta traditum è ſinu protulit: quo viſo, omnes, qui aderant, in admirationem verſi, miraculi magnitudinem vbique celebrarunt: Cœlitibusque ipſis circa templa gratiæ actæ, quorum numine ciuitas à tanto periculo liberata fuiſſet, ac ſeni ſtipendium ex ærario decretum; tempeſtatemque hanc eueniſſe memoriæ proditum eſt, ob Ludi magiſtri immane ſcelus, qui dæmonum ſe poteſtati permittens, dirisque furiis agitatus, ſe ipſum domi laqueo ſuſpenderat; atque hinc damnati hominis manes tantam Veneta in vrbe tempeſtatem exciuiſſe creditum eſt. Oratoremque per id tempus Odoardus Britanniæ Rex, Epiſcopum Biſſanienſem nomine Ricardum Venetias ad Senatum miſit, qui maritima auxilia peteret, aduerſus Philippum Galliæ Regem, cui Genuenſes Venetorum æmuli fauebant: multaque Regis ſui nomine patribus pollicitus eſt, in Gallorumque ſuperbiam inuectus, qui magnam Anglici regni partem in Aquitania, in Morinis, iniuſtis armis occupaſſent: Venetos orabat, ut quadraginta longarum nauium claſſe ad repetenda amiſſa regem nauali indigẽtem ope iuuarent: quicquid auri in ea inſtruenda Venetus expenderet, Anglus ſoluere paratus erat. Regio Legato ex Senatus decreto ita reſpondiſſe Princeps fertur, maximo Patres affici dolore, ob ſummam in ambas Regias maieſtates obſeruantiam, de utrorumque Principum diſcordia, Deumque optimum maximum ſummis precibus orare, vt ſua clementia ſedatis animis ad pacis ſtudia regias voluntates ab armis auertat: quoad claſſem petitam, dolere patres, in hac re maieſtati ſuæ ſatisfacere non poſſe, quum à Turcorum incurſibus maris Imperium aſſiduè infeſtetur, ad quorum impetus coercẽdos valida claſſe opus eſſe: & niſi maritimas vires Veneti his obiicerent, Chriſtianorum res in fœdas ſæpe clades incidiſſent. ſua igitur maieſtas Venetos his cauſis excuſatos habeat; in reliquis fortunas publicas, & priuatas Senatum ſincera obſeruantia Anglico nomini offerre. atque ita dimiſſus Legatus Italia exceſſit. Cretenſes poſtea quidã Reguli nouis rebus ſtudentes, à Venetis defecerunt: ad eorum itaque motus reprimẽdos vis ingens peditum ſub trium Legatorum, Nic. Falerii, Iuſt. Iuſtiniani, & Andr. Mauroceni Imperio, miſſa eſt. Hi uerò vbi in Inſulam uenere, tripartito in hoſtes mouerunt: eorumque conatus vbique repreſſi, arcesque, & caſtella non pauca a rebelliũ poteſtate adempta ſunt; ex quibus intra paucos dies partim fugatis, partim capitali ſupplicio affectis, Inſula breui pacata ad Imperium rediit. Legatique, Nicolao Falerio vno ex collegis vita functo, in patriam reuertũtur. & Gradonicus, quum toto eius Principatu, qui quattuor annos non exceſſerat, ingens annonæ caritas in vrbe fuiſſet, diem ſuum obiit, ſepulchrumque eius marmoreum in Aureæ ædis veſtibulo locatum eſt. And. Dandulus ei ſucceſſit, vir ſingulari doctrina, & eloquentia clarus, qui Venetorum geſta eleganti ſtylo conſcripſit, comisque ad hæc, atque natura adeò affabilis, vt Comiſini cognomen traxerit. Vnde cum tota ciuitas admirata, florenti adhuc ætate ad ſublimia honorum faſtigia euexit, & quod maius eſt, ſextum ac triceſimum ſuitæ agenti annum, Principatus demandatur, quum alioqui non niſi patrum Seniores eam dignitatem ſortiri conſueuiſſent. Sub primam verò huius adminiſtrationem Aegyptia nauigatio inſtituta dicitur, ob idque Nicolaus Zanius ad Sultanum Babyloniæ Regem publico nomine eſt miſſus, qui cum eo ageret, vt Venetis triremibus commerciorum cauſa Alexandriam petentibus, tutus in Aegyptum nauigationis curſus pateret. impetrauitque Legatus à Barbaro rege, quod publico nomine petierat. Aegyptiacæque huius negociationis à Romano Pontifice Veneti confirmationem habere cupientes, quum Chriſtiana profeſſione infidelium commercia prohibita eſſe viderentur,

Not. Diuorũ nomina.
D M. annulus.
Nota.
Legatus regis Britanniæ.
Venetorũ reſpõſum
And. Dandulus D. 54. an. D. 1336.
Aegypti, nauigatio

tur,ſtatuere huius rei cauſa Romam ad Pontificem Oratores mittere. Marino Falerio

Legati Romam miſſi.

equiti,& And. Cornelio hæc Legatio a Senatu demandatur, qui à Pontifice impetrarunt,vt per quinquennium Venetis liceret,cum ſex triremibus, circa Alexandriam, Aegyptique littora negociari. duæ itaque maiores naues primò in eam mercaturam exiuere,quibus Superantius eiuſdem cognominis præfuit,ac Petrus Iuſtinianus conſul cum his miſſus,vt Alexandriæ apud Sultanum Venetis negociatoribus in iuridicũdo præeſſet. biennio poſt Syriæ nauigatio inſtituta, idque a Pontifice per Oratorem

Syriæ nauigatio.

publico nomine eſt impetratum, Venetique ab eo tempore Aegyptia,Syriacaque, negociatione plurimùm ditati, tum primum ex Oriente in Italiam aromata, ſericum, gemmas,vniones,detulerunt,cum máximo publicarum, priuatarumque rerum lucro,& incremento. Iadrenſeſque hoc tempore iam ſepties a Veneto defecere Imperio,Ludouicumque regem in Dalmatiam euocantes,in urbem admiſſerunt: qui mox

Iaderæ defectio.

relicto ibi ualido militum præſidio,in Regnum reuerſus eſt. Patres uerò hanc defectionem inultam,impunitamque minimè perferre uolentes,claſſem cum ſtipendiariis in eam impoſitis ingentem decernunt,cui M. Iuſtinianus præficitur. is ſtatim Petro Canali cum quinque triremibus præmiſſo, in Dalmatiam uenit, ad Pagumque primò itum,quem locum dedentibus ſe oppidanis,Canalis ſtatim recepit; eoque deinde præſidiis firmato, multiſque hoſtium nauigiis toto maris illo tractu interceptis,

M. Iuſtinianus.

ad Iaderam tranſgreſſus eſt,ubi M. Iuſtinianus cum terreſtribus copiis ad Fõtem vrbi propinquum conſederat,vt terra, marique, rebellis ciuitas oppugnaretur; quæ iam bellicis operibus ab ea parte circumuallata, Venetorum arma vix ſuſtinebat: mari quoque Iadrenſes infeſta claſſe vexabantur. ſocii enim nauales vrbem adorti,pontes ex triremium tabulatis in muros demittere cœperunt, in propugnatorumque globũ illati, cominus rem gerebant : à continenti quoque vineæ, arietes, aliaque bellica opera mœnibus admouebantur: ſed vtrobique res parum proſpere mota: reiectis enim terra, marique Venetis,vrbs oppidanorum virtute ſtetit incolumis. Erãtque in

And. Maurocenus. Sym. Dandulus.

hoc ſtatu Dalmatiæ res,quum And. Maurocenus, & Symeon Dandulus, Principis frater,Legati in prouinciam,ad ea,quæ è Repub. eſſent curanda,venere,in caſtraque delati,rem communi conſilio cum Iuſtiniano, cæteriſque ductoribus adminiſtrabant. placuitque iterum Iaderam terra,marique oppugnare. acceperant hi (credo) Regem cùm ingentibùs copiis ad ſubſidium ferendum è Pannonia aduentare: ea propter ante eius aduentum armis oppidum debellare ſtudebant. vno itaque tempore magno terra,marique certamine Iadera iterum armìs tentata,quam Regii, Iadratinique immixti,poſt atrocem oppugnationem egregiè tutati ſunt. Nautis igitur, militibuſque, hoſtium rebus fortuna arridente,datum eſt ſignum receptui. poſt hæc durante obſi-

Not. ingẽtem Pannonum exercitum.

dione,Ludouicus Rex cum centum,& uiginti millibus armatorum (vt quidam annales tradunt) ad Iaderæ fines tumultuoſè conſedit, qui vt vrbem Pannonici nominis ſtudioſiſſimam obſidione leuaret,confeſtim explicata acie in Veneta caſtra impetum fecit: datoque pugnæ ſigno,undique Barbari coorti, Venetum vallum inuadunt: Iadrenſes quoque & ipſi eruptione facta regios adiuuant, contractoque momento temporis ingenti certamine, Veneti hoſtium multitudine opprimebantur. Interim qui in nauibus erant,audito armorum ſtrepitu,militumque clamore,rati,quod erat,ſuos impreſſione hoſtium vrgeri,confeſtim quicunque arma ferre poterant, relictis nauibus in littus deſiliunt,ac denſo agmine in Barbaros feruntur: è Caſtrorum quoq; mu-

atrox prælium.

nitione impetu facto atrox ſtatim pro vallo oritur certamen, fœdiſſimaque ſimul per aliquot horas dubio Marte vtrinque cædes: ſed Barbarus, qui ſub primum Venetorum acceſſum trepidanti acie fugam circumſpectare cœperat, vt noſtrorum ferocitate rem inclinatam vidit, victus, profligatuſque ingenti accepta clade penè deletur:

Pannonũ clades.

pulſuſque Rex in Pannoniam fugienti ſimilis abiit. Vix equidem (vt ingenuè fatear) credere poſſum,tãtum exercitum Ludouicum in Dalmatiam ſequutum, a paucis vinci potuiſſe: ſed in numero a librariis erratum exiſtimo,propiusque fidei eſt, credere, viginti ea hominum millia fuiſſe,quæ Rex in Dalmatiam aduerſus Venetos duxerit. Poſt hãc pugnam Iadrenſes obſidionis incommodis fatigati, vrbem impetrata venia

Iadera recipitur.

Venetis dedunt,& Iuſtinianus prætor ciuitati datus, Dalmataſque defectionis authores

res

res ex Senatoſconſulto procul domo ablegauit, ex qua tenui irrogata pœna facile cognoſci poteſt, quanta ſemper in Venetis clementia, manſuetudoque animi fuerit, qui ciuitatem toties rebellem paucorum ciuium exilio mulctandam cenſuerint, quũ pro delicti magnitudine, atque iteratis rebellionibus, ingratiſſima urbs, grauiori multò affici animaduerſione digna eſſet. Hæc foris. At domi, tres ſub id tempus publico decreto Auditores creati ſunt, Veteres appellati, qui in prouocationibus: quid iuris forenſes haberent cauſæ, diligenti examine inſpiciebant: has triumuiri Aduocatores audire conſueuerant: ſed quum parum commode ob ingentem gerendarum rerum curam operam ſuam præſtarent, nouus hìc Magiſtratus inſtitutus eſt, ad quem prouocationes iudiciariæ deferebantur: alias quoque ſanctiones, a Iacobi Theupoli principatu approbatas in vnum volumen Dandulus Princeps redegit, capitibuſque ſuo indice ordine notatis, patriarum ſanctionum ſextum inſcripſit: ciuiliaque ad hæc acta perſcrutatus, magna diligentia cuncta ſummi Concilii decreta, ſub vno quoque authore annotanda curauit. Ingens deinde annonæ caritas ciuitatem inuaſit, ad quam leuandam cum aliquot triremibus, M. Iuſtinianus in Appuliam, & Siciliam uſque frumentatum miſſus eſt: cuius diligentia ingens tritici copia coacta ciuitatis penuriam ſubleuauit. eo malo ſublato, alia calamitas ſubſecuta: nã ſubito motu terræ feſta Cõuerſi Pauli luce circiter uiceſimam diei horam ita uehementer ciuitas concuſſa eſt, vt ædificia multa, tam publica, quàm priuata, ingentem traxerint ruinam: ſacrarum enim ędium multę turres vehementi motu deiectæ, aut corruerunt, aut terribili ſpecie acclinarũt. Naturalium rerum perſcrutatores tremorem hunc terrę cauſari exiſtimant, à ventorum turbinibus, qui in ſubterraneis cauernis conditi, ex abyſſi uiſceribus erumpere tentant; quorundam ui ſyderum nonnulli id accidere aiunt. aerio alii improportionabili, condenſoque uapore motum terræ generari arbitrati ſunt. Attonita autem in magna omnium trepidatione ciuitas fuiſſe dicitur: per quindecim enim circiter dies continuos terra intremuit, quo factum eſt, ut nulla ferè pregnans mulier fuerit, quæ tanti motus agitatione perterrita abortum non fecerit. nec multò pòſt, grauiſſima peſtilentia ſequuta, ingenti clade ciuitatem deformauit, ex Schytia ea pernicioſa lues primùm orta dicitur, in Pontumque tranſgreſſa, Thraciam, Myſſiam, Cõſtantinopolimque corripuit. per totumque ferè Orbem crudelitas euagata, infinita mortalium millia abſumpſit. Sed Veneta præcipuè ciuitas eam ſenſit calamitatem. nã ex omni languentium numero centeſimus quiſque mortem euaſiſſe traditur, aut ſex, ſeptemve ad ſummum. cadebant miſeri mortales alii ſuper alios procumbentes, deſerebant parentes filios, frater germanum, maritum uxor, non medicus ullus, non remedia aderant, funera, lamentationes, ploratus, paſſim audiebantur. tribuſque menſibus ea uis morbi ſæuiſſime graſſata eſt, quæ urbem mirum in modum populo exhauſit, & quia uaſtitas, infrequentiaque habitantium ingens in ciuitate facta erat, ad reparandam ſolitudinem lata lex eſt, ut quicunque Venetias habitandi cauſa per id tẽpus migraret, fuiſſetque ibi totum biennium, pro ciue admiſſus haberetur. Veriti interea patres, ne ea peſtilentiæ clade allectus, Ludouicus Pannoniæ Rex, Dalmatiam improuiſo inuaderet, qui per id tempus in Italiam aduerſus Ioannam Neapolis reginam cum ualido exercitu uenerat, tres ad eum Legatos miſſerunt, M. Iuſtinianum, And. Maurocenum, & Nico. Gradonicum, qui cum Rege publico nomine in decem annos inducias pepigere, Poſtmodum Iuſtinopolitanis ab Imperio deficientibus, bellum in Hiſtria repente exarſit: quod & ſi alieno, aduerſoque Reip. tempore inciderit, armorum tamen cura non eſt omiſſa: ſtatimque claſſem Veneti expediunt, cui Pancratius Iuſtinianus pręficitur. ipſe autem traiecta in prouinciam claſſe, paruo negocio Hiſtros ad Imperium retraxit: defectioniſque Principes Venetias ſunt ducti, ubi tantiſper manere iuſſi, quoad de his patres ſtatuiſſent: capitaliſque dicta erat illis pœna, ſi eorum iniuſſu abiiſsent. in Albertum quoque Croatiorum regulum per hæc tempora mota ſunt arma, qui Hiſtriæ fines excurſionibus infeſtabant. miſſique a Senatu duo patritii cum ualidis copiis communi conſilio bellum adminiſtrarunt: ſed nõ diu cum eo armis diſceptatum. ad primos enim ferè motus. territus Barbarus Legatorum fidem implorauit, a quibus permiſſum eſt, ut ſi ſibi conſultum eſſe uellet, Principem,

Auditorũ ueterum creatio.

M. Iuſtinianus

Not. terre motum.

Terremotus cauſæ.

Not. peſtilẽtiæ uim

Legati in Pannoniã

Pancr. Iuſtinianus.

cipem, Senatumque adiret, ex Veneta autem benignitate uenia illi data, bellum ſoluitur. Vix ab his motibus Republic. reſpirante, noua eam bellicæ rei turbatio excepit.

Genuẽſiũ motus.

Genuenſes enim, qui in Venetos inimiciſſimo ſemper ex antiqua Imperii æmulatione fuere animo, quum maritima quædam in Pontici maris ora oppida tenerent, rem nouam moliri auſi ſunt. Nam inde ex quo Veneti, Gallique Byzantio a Paleologo eiecti fuerant, cogitare nunquàm deſtitere, qua ui, quave arte Pontici totius maris, excluſis Venetis, ſibi Imperium uendicarent. claſſe itaque parata, cuncta maria ab Helleſponti faucibus vſque in Peloponeſſum infeſtare cœperunt, ac circa Prothoſparum in Thraciæ tractu oppidum, Cretenſes, Venetasque naues oppreſſere: in Caphatinumque hæ portum retractæ, precioſis mercibus ſpoliatæ ſunt. Repetitis itaque per Legatos rebus, nec redditis, ualidiſſimam Veneti in Genuenſes quinque & triginta triremium claſſem ad demẽdam ignominiam decernunt, cui M. Ruccinius, uir nauali arte clarus, Imperator datus eſt.

Claſſis Veneta. M. Ruccinius.

Is autem in Græciam celeri nauigatione profectus, Euboeamque circumuectus, quattuordecim Lygurum triremes mercibus onuſtas, ad Cariſtium portum ſtationem habere cognouit. in eaſque ſtatim illatus, ſuos ad pugnam expediri iubet, ne tanta præda è manibus elaberetur: tum impigre omnes arma capiunt, directiſque in Lygurem proris a fronte, a latere omnem exitum occludunt. at hoſtis locum uadoſum nactus, quem Venetus inſidere auſus non fuerat, ob uicinos ſcopulos, è portu ab ea parte erumpere tentauit: obſeruatoque tempore, dum mare alte intumeſceret, uelis, remiſque innixus apertam fugam molitur. & iam quattuor triremes una poſt aliam è loco dilapſæ eua ſerant, quum

M. Maurocenus.

M. Maurocenus Adriatici ſinus præfectus uir impiger indignitate rei motus, naui longa, qua uehebatur, in hoſtem repente uadit, ac quintam Genuenſium triremem aliarum curſum ſequutam ex tranſuerſo irruens, roſtro ferit: qua ſubitò oppreſſa, reliquæ nouem, quæ proximè ſequebantur, conſternatæ, viciniſque littoribus impactæ, paruo negocio capiuntur. & quia circa eas prædæ cupidine retardati remiges, ſociique nauales, inſequendi fugientes triremes curam abiecerant, procul que abire patiebantur,

No. Ruccinii conſilium.

tum Ruccinius tantæ uictoriæ occaſionem ſuorum auaritia è manibus elabi iniquo animo ferens, quinque hoſtium ex captarum numero triremes iuſſit incendi, ut ſpe potiundæ prædæ ablata, nauales ſocii ad hoſtem inſequendum nulla mora interpoſita, compellerentur. Verùm dum tempus ad imperata facienda teritur, quattuor interim Genuenſium illæ triremes quàm longiſſimè abierant, quinque tamen incendio abſumptis, totidem roſtratæ hoſtium naues cum præfecto claſſis, & ſeptuaginta nobilibus Genuenſibus præter alium infinitum propè captiuorum numerum in Venetorum poteſtatem venere:

Genuẽſiũ captiui.

ex his mille in Chalcidem abducti, in cuſtodiam traduntur; reliqui, qui quadringenti circiter fuiſſe dicuntur, in Cretam miſſi, in uinculis & ipſi habiti. Ea uictoria ingenti lætitia ciuitatem affecit, dieſque, quo ad Caryſtium Lygur uictus eſt, in Ioannis Baptiſtæ decollationis lucem incidit: iſque ſolemnis, religioſuſque exinde in hunc uſque diem habetur. Nec Venetus circa Euboeam diu moratus, ad Peræ oppugnationem ire pergit. ſed fruſtra oppidum tentatum, quum illud valido a Lygure communitum eſſet præſidio. uerùm intra paucos dies circa Boſphorum, complures Lyguſticas naues oppreſſit. Interea quattuor illæ Genuenſium triremes, quæ è Caryſtio portu effugerant, ſex aliis, quas Philippus Doria nuper Genua eductas habebat, cunctæ, audito Venetæ claſſis è Græcia diſceſſu, ad recipiendos captiuos, qui Chalcide aſſeruabantur, in Euboeam contenderunt:

Phil. Doria.

ad oppidique oppugnationem couerſus Lygurrem fœliciter geſſit. nam terra, marique improuiſo mœnia ad ortus, tantum terrorem iniecit, ut ſine alio maiori certamine oppido potitur, captiuiſque omnibus receptis, turbaque alia ingenti ciuium a Lygure abducta, urbe incenſa eſt: atque in hunc modum uindicata Caryſtia clade lætus Doria è Chalcide celeriter abiit, Venetorum euitans occurſum, quos ſciebat, uindictæ cupidos haud diutius ocium laturos. Verùm claſſem Ruccinius cum præda quadringentis nummum millibus æſtimata, domum incolumem reduxit. Sæuienteque inter utrunque populum bello, Veneti, ut ſuas partes firmarent, cum Arragonum Rege ſocia aduerſus Genuenſes arma iunxerunt, ad quem hoc nomine Michael Stennus Legatus

No. fœd.

miſ-

miſſus eſt.cum Paleologo quoque Græciæ Imperatore fœdus ictum, Conſtantinopolimque ad id ineundum Ioannem Delphinum Oratorem patres deſtinarunt. tantorum autem Principum ſocietate Veneti ad maioris alicuius rei gerendæ ſpem erecti, ingentem claſſem decernunt,eiuſque Imperium Nicolai Piſoni demandatur.

Mich Stenus. Io. Delfinus. Nic. Piſo.

is cum Pancratio Iuſtiniano,Adriatici ſinus præfecto,triginta triremium, aliarumque nauium claſſem ducens,in Siciliam curſum tenuit,ut circa Inſulam Hiſpanæ claſsi, quæ iam aduentare dicebatur,ſe iungeret.nec multò pòſt Pontius Arragonii Regis præfectus cum quattuor & uiginti triremibus aduenit.

Pontius.

duabuſque hìc claſsibus coniunctis,ex Sicilia ſtatim diſceſſum eſt.medio autem maris curſu fœda tempeſtas orta, totam ferè claſſem huc,illuc diiiecit, atque ex triremibus vna undis abſorpta omnino periit;ac pleræque male habitę proximis littoribus impactę ſunt. triſtique hoc omine confœderatis Principibus aduerſa prenunciari,non defuere,qui interpretarentur. remittente demum tempeſtate,ad Methonem in Gręciam uentum. At Genuenſes audita horum potentatuum ſocietate,ad res ſuas tutandas, & maris Imperium retinendum,ualidisſimam ſexaginta triremium claſſem decernunt,cuius Paganum Doriam uirum naualis artis peritisſimum ductorem,pręfectumque conſtituunt.

Ingens Genuēſiū claſſis. Pag. Doria.

is uero celeriter Lyguſtico emenſo pelago,pugnandi ſtudio cum tota claſſe in Gręciam uenit: inEuboeamque delatus,Chalcidem adoriri ſtatuit.oppidum autem Veneti ualido pręſidio munierant,ne ut antea,incuſtoditum hoſtis occuparet.Lygur interim ferox admota claſſe oppidum aggreditur, initoque certamine, cum multorum cede Veneto ſtrenue rem gerente,a mœnibus cum ignominia reiectus eſt.mille enim & quingenti ex Genuenſibus in ea oppugnatione deſiderati ceciderunt.è Chalcide Paganus digreſſus,Phitoleum oppidum in Inſula expugnauit, expugnatumque euertit.

Genuēſiū cædes ad Chalcidē.

progreſſaque triremis una Lyguſtica ſpeculatum,Venetæ longę naui forte occurrit, cui Ioannes Memmus pręerat:paribuſque animis aliquandiu pugnatum. demum Venetus eo certamine uictus cum ipſa naui in hoſtium poteſtatem uenit.

Io. Memmus

& hęc toto hyemis tempore geſta.ad prima autem Veris ſigna,inſtructa armis,& commeatu claſſe, Arragonius,& Venetus in hoſtem denuo mouerunt, adiunctaque haud procul à Propontide Græcorum claſſe,ad prælium capeſcendum utraque pars(impellente fato)progreditur.circa igitur Thracium Boſphorum concurſum ferunt, quas maris anguſtias ideo Lygur præoccupaſſe dicebatur,ut ſi aperto mari contractum fuiſſet certamen, aduerſus tres ualidiſſimas claſſes vno,eodemque tempore velut in orbem pugnare cum maximo rerum ſuarum diſcrimine cogeretur,uiſum eſt ei iccirco tutius, Venetum, Hiſpanumque a fronte excipere,è quidem loco anguſto,vbi tanta uis nauium hoſtilium vno tempore prælium capeſsere non poſſet,a latere uero irruentem Græcum modico negocio ſuſtinere Lygur ſperabat.his conſiliis commiſſum circa Boſphorum certamen eſt, ac duabus fermè horis pugnatum, præliumque alto iam die præter Piſonis Imperatoris conſilium initum fuerat. indefeſſis tamen vtrinque animis iam ſole ad occaſum uergente,in nocturna pugna perſeueratum: fœdiſſimaque cæco Marte oritur cædes,maiorque omnino fuiſſet,niſi ſubito uis uentorum coorta, plurimas ex utraque claſſe triremes a præſenti certamine auerſas, aliò curſum tenere coegiſſet.

Noct. præliū atrox.

At ne id quoque prælium diremit, quod per ſe ſatis crudele & atrox, ſuperuenientes tenebræ, terribilius reddidere: nam armorum ſtrepitus, atque horrendi morientium uariis caſibus gemitus opacæ noctis caligine ad cœlum ibant. ferroque, ac aquis fortiſſimi utrinque epibatæ cadebant, totaque nocte uſque ad inſequentem lucem pugnatum eſt: qua aduentante Græca claſſis uix tentata prælii fortuna hoſti turpiter ceſſit:at Venetus, Hiſpanuſque militaris decoris non obliti, in ſuo ueſtigio pugnantes permanſere. demum cadente Pontio Regiæ claſſis præfecto, Arragoniiſque amiſſo Duce cedentibus, Veneti & ipſi ultimo loco depulſi, quia plus non poterant, haud incruentam uictoriam Lyguri relinquerunt: contentuſque hoſtis ſibi loco deceſſum,quaſſata claſſe in ſuam ſe ſtationem ad Peram recepit,multi autem vtrinque fortisſimi uiri pugnando cecidere.

Not. Cladis uirorū cædem

nam præter Arragonenſem Pōtium,ex Venetis Pancratius Iuſtinianus,Thomas Gradonicus, Stephanus Contarenus,Ioannes Stenus, & Benenatus Bembus, uiri Patritii interfecti ſunt.& nequid fictum

No. de Fr. Petrarcha

ctum uideatur, in huius Boſphoranæ pugnæ narratione, ecce Franciſcus Petrarchæ uiri eloquentiſſimi teſtimonium adeſt, qui ita memoratum reliquit. Viciſtis inquit ille ad Genuenſes ſcribens, quieſcite, ne quis vos veſtrorum motum putet oblitos, Venetorum hoſtium cruore ſpumantem Boſphorum vidimus, quando ad veſperam violẽtiſſimo ſperante auſtro inter Conſtantinopolim, & Chalcedonem trium ualidiſſimarum claſſium in vos eſt factus incurſus: vobis vero contra hoſtes, contra uentum, contra mare, pugnantibus. & cætera hæc ille. Poſt conflictum autem Piſo in Cretam cum Veneta, & Regia claſſe conceſſit: hic ſubductus triremes aliquot per ocium reſarcit, cum quibus poſtmodum in hoſtem uadens, ad pugnam eum rurſus prouocauit. ſed ille congreſſu euitato, ab inſeſſo loco diſcedere non eſt auſus. Aduerſæ pugnæ nuncius Venetias perlatus, ingenti mœſtitia patres affecit, quorum animos non magis mœror, quàm pudor conficiebat. nec enim Venetus ſecunda fortuna aſſuetus, æquo animo pati poterat cladem acceptam, ac Genuenſem, qui viribus inferior ſuccumbere debuiſset, uictoria potitum. Vt igitur in poſterum maturiori conſilio res naualis adminiſtraretur, placuit, quattuor Legatos in maritimam prouinciam mittere, qui cum claſsis Imperatore, omnia, quæ è Rep. eſsent, communi conſilio prouiderent. Legati autem fuere Principes ferè Senatus, Ioan. Delphinus, M. Cornelius, Marinus Grimanus, & Marinus Falerius eques. claſsem quoque patres ſtudio reparant, in cuius ſupplementum Paulus Lauredanus cum nouem triremibus ad Piſonem Imperatorem uenit. nec multò pòſt Ioannes Sanutus octo alias longas naues optime inſtructas adduxit. interim quattuor Lygurum triremes Adriaticum ſinum ingreſſæ, in hiſtriam uſque prædabundæ proceſſere, ad quas opprimendas confeſtim quinque naues roſtratæ ſub M. Michaelii auſpiciis in altum eductæ ſunt. hoſtis autem Veneto non expectato ſinu trepide exceſſit, uariique hinc inde armorum conatus fuere, ac multa Venetus Genuenſium nauigia inter Helleſpontum, & Peram intercepit, in quibus Cetheæ duæ fuiſſe dicuntur, merce precioſa refertæ. prædaque inter nauales ſocios æqua portione diuiſa eſt. His proſpero curſu confectis, quum Piſo per exploratores intellexiſſet, Genuenſes ingenti claſſe parata, propediem in expeditionem aduerſus Arragonenſem, Venetumque exituros; confeſtim relicta Græcia, in Sardiniam cum tota claſſe uenit, ubi quàm occultiſſime potuit, Hiſpanæ claſſi uiginti longarum nauium, & Cethearum trium ſe adiunxit, quibus Gerardus Caprarius uir bello acer præerat. Obſidebatque per id tempus regius ductor Algerium, Inſulæ oppidum, ibi coniunctis claſſibus ambo Imperatores in Caralitanum ſinum proceſſere, expectantes, quid nam hoſtis moliretur, qui Boſphoranæ pugnæ memoria ferox iam cum tribus & quadraginta longis nauibus è Genua profectus, ſub Antonii Grimaldi ductu, in Venetam, Arragonenſemque claſſem dimicandi ſtudio ferebatur. excepitque circa Cyrnum Sardoo in Mari irruentem Lygurem ferox Hiſpanus, qui in prima fronte locatus erat, cœptumque utrinque acerrime pugnari. ſed ut Veneti in prælium prodeuntes, ſigna in puppibus erexere, claſſicumque a Veneto tubicine inſonuit; his conſpectis, tantus Genuenſes terror inuaſit, nondum enim eos Lygur in Sardiniam aduéniſſe crediderat, ut haud a uicto ille procul abeſſet, fugamque repente arripuiſſet, niſi Veneti iniectis harpagonibus, ac iunctis tenaci nexu nauibus, omnem ſpem fugæ Lyguri ademiſſent: apparuitque uel ex hoc uno, quo animo Veneti, ſociique eo die confligerint: quippe qui cathenatis nauibus prælium cientes, aut delere uincendo Boſphoranam ignominiam ſtatuerunt, aut omni ſpe effugii prærepta fortiter occumbere. Sunt, qui dicant, Ioannem Sanutum cum decem triremibus Piſonis iuſſu a reliqua claſſe diſiunctum, medio pugnæ ardore ex tranſuerſo Lygurem inuaſiſſe: quod ita impigre ab eo factum eſt, ut a fronte, a latere hoſtis grauatus, inſignem eo die uictoriam Veneto, ſocioque nomini reliquerit. nam dux, & triginta triremes (alii numerum augent) captę ſunt, quas in ſuam poteſtatem redactas, cum totis turmis, bellatoribusque ad Lyguſticum nomen abolendum mediis fluctibus Veneti, Hiſpanique implacabili odio merſiſſe dicuntur. Sed uix ego adduci poſſum, vt credam, tanta ſæuitia illos in Lygurem uſos, quum de maris Imperio, non de uita inter utrunque populum demicatio eſſet, nec ullo unquàm antea bello acciderat, ut armis ſubactos tam

No. Legatos maritimos.

Paul. Lauredanus. Io. Sanut⁹

Gerardus Caprari⁹.

Genuẽſiũ claſſis.

Genuẽſiũ metus.

Io. Sanuti ſtrenuitas

No. Genuenſiũ cladem.

Claſſis hoſtilis demerſio.

tam inhumane uictor necarit: hæc autem ſanioribus ingeniis æſtimanda relinquimus. Grimaldus hoſtium Imperator uix triremi ſua prætoria ex ipſa colliſarum, captarumque nauium ſtrage reuulſa, Genuã ſe trepide recepit, uulgataque per urbem inſigni clade, maxima ab omnibus comploratio facta eſt. At uictor Venetus unà cum Regia claſſe Sardiniam circumuectus, duo oppida ui capta Lyguri ademit, inde hoſte ſupero, inferoque mari depulſo, Venetus, Hiſpanuſque diuerſi, cum uictrici claſſe domum abierunt. Interim Genuenſes una aduerſa pugna, & ea ſane atrociſſima fracti, quia rebus ſuis acciſis, uires per ſe reparare amplius non poterant, ad alienas opes cõfugerunt, & quum alii Regem Gallorum, nonnulli Germanos Principes, quidam Cõſtantinopolitanum Imperatorem ad tradendum Genuæ dominium euocarent, eorumque auxilia expeterent, uicit tamen ſententia, mittendi Legatos ad Ioannem Vicecomitem Mediolani Archiepiſcopum, virum iuſtitia, & pietate inſignem, cui Genuæ Imperium publico nomine Legati traderent. orationis autem, quæ apud eum habita eſt, hæc ferè ſumma fuiſſe dicitur, ut Lygur deplorando diceret, Genuenſium opes ita vno aduerſo nauali prælio euerſas, vt quæ antea florentes, ac præualidæ in Italiæ ora fuiſſent, modò depreſſæ, collapſæque fortunæ impetu iacerent; uerùm multis bellis fœliciter per tot annos contra potentiſſimum populum geſtis, Genuenſes inuiolatam libertatem uſque ad id tempus retinuiſſe; ſed quamuis ſua omnia uno fortunæ ictu concidiſſent, odium tamen in Venetos non modò non remiſſum, ſed implacabilis iræ facibus quodammodo recruduiſſe, malle itaque ſe dulciſſimum antiquæ libertatis nomen amittere, quàm uiribus inimiciſſimi populi rerum deſperatione cedere; acciperet proinde ille, quod fœlix, ſalutareque ei, Inſubrumque nomini eſſet, Genuam urbem ampliſſimam, cum fortunis omnibus publicis, ac priuatis, in eiuſque fidem, & poteſtatem, Genuenſem populum cuncta tam diuina, quàm humana libere tradere; ipſe uero Lyguſticum nomen præſenti ope, ab armis, ac iniuria Venetorum tueri uellet, pergeretque volens, rei Genuenſis ita curam deinceps ſuſcipere, ut omnes intelligerent, non fruſtra Genuenſem populum Vicecomitis præſidium, fidemque in aduerſis rebus ſuis imploraſſe. Ad hæc Inſuber pauca ſubiecit, Legatoſque benigne complexus, affatuſque, iubet, eos bono animo eſſe, omnem operam, ſtudiumque ſe enixe adhibiturum, ut Lyguſtica res Vicecomitum fortuna incolumi a quacũque iniuria ſalua redderetur, curaturumque, ne ullo unquam tempore Genuenſem præſentis conſilii pœniteret, qui ſponte ad eius obſequium uenerit. irent igitur, nec dubitarent, præſidium potentiſſimę Vicecomitum familiæ pace, belloque, Lyguri, quem libens ipſe in fidem ſuam recepiſſet, unquam defuturum. atque cum his Legati dimiſſi. Cæterùm hoc in loco non poſſum non mirari, ac quodammodo non dolere, quod & Sabellicus deplorat, præpotentem poſt Venetos Italiæ populum, ac in armis bellicoſum, rerumque geſtarum gloria terra, marique clariſſimum, tam turpiter, ne dicam ſtulte, amiſſa libertate, alieno Imperio ſe ſubieciſſe. ſed ita profecto eſt ut Philoſophus ait, cęteros affectus hominis mentem trahere, ſolam iram, ratione poſthabita, pręcipitare. Factionibus quoque populus agitatus, in reparandiſque uiribus diſcors & impotens, his conſiliis acquieuit. Vbi autem deditionis Genuenſium fama Venetias eſt perlata, quia apparebat, cum Vicecomite magnum inſtare bellum, ad finitimos Principes, Carrarium, Scallanum, Gonzagam, Veneti & ipſi Legatos mittentes, cum his fœdus inierunt. At Genuenſes Vicecomitis opibus, armiſque adiuti, cum quattuor triremibus Adriaticum ſinum ingreſſi, Pharum, & Curzulam, in Illyrico oppida, expugnant, atque incendio abſumunt. qua rei indignitate patres moti, quattuordecim triremes expediri iubent, decemque aliis non multò pòſt priori numero adiectis, quattuor & uiginti longarum nauium claſſis expletur, cui tertiùm Nicolaus Piſo præfuit; iuſſuſque confeſtim in hoſtem mouere, Lygur interea reparatis uiribus quinque & uiginti triremes in altum ſub Pagani Doria Imperio eduxit. iſque plurima Venetis damna inferens, haud procul a Veneta vrbe in Hiſtriæ ora conſedit, ubi Parentio occupato, ac direpto, non minus Venetiis trepidatum eſt, quàm ſi Lygur minitabundus in conſpectu fuiſſet: & quia robur claſſis procul domo aberat, ne ciuitas in aliquod diſcrimen hoſti

Not Genuenſiũ deſperationem.

Legati Genuẽſis uerba.

Archiepiſcopi reſponſum.

Nota.

Fœdus cũ finitimis.

Veneta Claſſis.

Genuen. Claſſis.

li impetu incideret, vigiliæ, ac ſtationes per vrbem diſpoſitæ, peculatoriæ ſcaphæ ad præſentiendos hoſtium motus paſſim dimiſſæ.

Ciuitatis metus.

Verùm cognito eorum diſceſſu, trepidari deſitum. Paganus verò ex Hiſtria profectus, Cetheam unam, & non multò pòſt tres alias longas naues Venetorum intercepit, nihilque hoſtium incurſu mari tutum erat. Hinc patres indignè ferentes, Lygurem tributarium, vectigalemque parum a priſtina ferocitate remiſiſſe, vicinoque mari mercenaria claſſe peruagari; Piſoni mandant, vt confeſtim hoſtium res claſſe inſtructa, auctaque, quàm acerrimè poſſit, vbiq; infeſtet; &, vt Viccecomitem, cuius opibus Lygur maritimum bellum alebat, aliquo domeſtico incommodo implicarent, cum Carolo Bohemiæ rege aduerſus Inſubrem fœdus renouarunt.

Fœdus cū Boemiæ Rege.

Interim Dandulus poſt annos duodecim, quibus Reip. præfuit, florenti, & integra adhuc ætate ex humanis deceſſit, ad Baptiſmique lauacrum in Diui Marci æde præclarum ſortitus eſt tumultum. eo defuncto, Marinus Falerius, uir opibus affluens, quum Oratorem nomine publico Romæ ageret, Dux declaratur, maximiſque aduerſis eo Principe iactata eſt Reſp.

Mari. Falerius Dux. 55. an. D. 1354.

quod infauſtus eius in vrbem ingreſſus præſagiuit, quum is ſub obſcuram noctem per geminas columnas, vbi reis capitale irrogatur ſupplicium, ex Clodienſi cymba in terram deſiliens, in Ducarium perexerit: quæ res infauſtam adminiſtrationem, triſtemque eius caſum denunciauit:

Nota.

nam præter varias clades maritimis acceptas congreſſibus, fame quoque & peſtilentia, multiſque prodigiis, ciuitas conflictata eſt, ac nouiſſimè parum abfuit, quin publica libertas nefaria illius conſpiratione amiſſa opprimeretur. initio enim Falerii Principatus res parum proſperæ foris fuere: nam præter aliquot negociatorum nauigia a Lygure intra ſinum intercepta, Peloponeſſiacam quoque cladem luctuoſam, acerbāque ciuitas adiit.

No. aduerſa.

Piſo enim dum ad Sapientiam Inſulam iuxta Methonem cum tota claſſe conſediſſet, ſedulam operam præſtabat, ne quid detrimenti ab hoſte Reſp. pateretur, intentuſque in omnem occaſionem in Portum Longum ſe recepit, ibiq; ſpeculatoria triremi, cui Nic. Quirinus præerat, ad cuſtodiam portus locata, ſtationem ſatis tutam habebat, neque egredi in apertum cum claſſe ſtatuerat, Ducalibus parens mandatis. ſiquidem patres non ignari de hoſtium inopia, & rei frumentariæ, & ſtipendiorum anguſtia, Piſoni per litteras mandarant, vt prælio cum Lygure omnino abſtineret, congreſſuque euitato, quantum in ſe eſſet, tuto loco claſſem teneret.

No Ducalia mādata.

ipſe igitur patrum impetrata facturus, ad Sphagiæ Inſulam in Peloponneſi ora portu ſe cùm tota continebat claſſe, At Paganus hoſtium Dux cum ſex & triginta triremibus reuertendi Genuam conſilio, quum huc fortè curſum direxiſſet, per exploratores ad id ſcapha præmiſſos, certior factus eſt, Venetam claſſem paruo negocio deleri poſſe, portu libero & aperto ſedentem, in quem facilis pateret aditus. Paganus autem non omittendam tantam occaſionem ratus, inſtructa continuò ad pugnam claſſe, in Venetum vadit, portumque tacitè ingreſſus, ſine cæde, ſine ſanguine, memorabilem & inexpectatam victoriam obtinuit: nam præter triremem vnam, quæ in ea trepidatione ſubito elapſa eſt, tota claſſe Lygur poſitus, maritimis eo die Venetum viribus, armiſque ſpoliauit, Piſoque Imperator cum quinque hominum millibus in hoſtium poteſtatem venit, cuius præcipuè ignauia tantum Reip. uulnus inflictum eſt, quum vir is alioqui prudentia, ac belli artibus clarus haberetur, multiſque victoriis mari partis, ſingularem ſibi gloriam parauiſſet.

Ingēs Venetorum clades.

Ferunt autem pridie quàm Veneti tantam cladē accepiſſent, manifeſtiſſima prodigia eam prænunciaſſe: coruorum enim vis ingens ſupra claſſem horriſono crocitamine cōflixiſſe dicitur, plumiſque, roſtro, ac vnguibus inter ſe alto æthere auulſis, labentes cruoris guttæ in Venetas triremes deciderunt, Remigemque ad id ex ſua naui in proximam medio pelago tranſilientem, inter natandum ab immani piſce deuoratum aiunt.

No. prodigia.

Tantę cladis nuncio ciuitas perculſa, ingēti mœrore affecta eſt, nunquàm aliàs fœdiorem cladem acceptam omnes prædicare, vulgo actum de Imperio Veneto credere, ſi uictor Lygur mari libero, & aperto, ad urbem recenti clade conſternatam adnauigaſſet, ubi maritimæ uires? ubi arma? ubi copiæ paratæ eſſent, quæ illum a faucibus portus, a furibunda irruptione arcere poſſent? ingenſque omnino clades ſubeunda erat, niſi quod ſæpe Romanorum, aliarumque gentium bellis euenit, hoſtis neſciens vti victoria, aliò curſum flexiſſet: quod

Ciuitatis querelæ.

ita

ità ſanè accidit. nam Paganus, qui egregiè viciſſet, quum ſolus vniuerſo late mari imperitaret, nullibique Venetus appareret, præſenti tamen ſucceſſu contentus, Genuã cum tota claſſe abiit, vbi maximo populi plauſu exceptus, opulentiſſima præda ærarium ditauit. At Veneti, vt mira gentis eſt in aduerſis rebus conſtantia, minimè ocio, deſidiaque obtorpuere: ſiquidem continuò ad armorum reparationem conuerſi, quattuor triremes intra paucos dies ad præſidium maris priuatis ſumptibus eduxerunt, quarum ductores ex populari, plæbeioque ordine fuere, Marinus Fradello, Brati Vido, Petrus Nani, & Conſtantinus Zucholus: ipſi autem impigrè rem gerentes, in Siciliam, & Sardiniam, inde in Tyrrhenum mare delati, hoſtiũ fines depopulati ſunt.

Triremiũ præfecti.

multaque nauigia hoc curſu intercepta, Venetus oppreſſit: nec Lygur in ocio fuit, qui in Peloponeſſi ora Venetam longam nauim, è Sapientiana clade elapſam cepit: mox verò aliam, atque aliam Cretico mari. creſcente inde ex proſperis rebus audacia, Gradum uſque triremis illa Lyguſtica impauido curſu populabunda decurrit. Ad arcendum autem è finibus tam uicinum hoſtem, ſtatim cum tribus roſtratis nauibus Nicol. Iuſtinianus in Hiſtriæ oram miſſus eſt, cui negocium datum, vt omnia ex propinquo tuta redderet.

Nic. Iuſtinianus.

Falerius interim Princeps quum iam nouem menſes his belli turbationibus Remp. adminiſtraſſet, execrabili inductus ſpiritu ad opprimendam patriæ libertatem, ut ſolus regnaret, nefarius homo animum adiecit: beneficiorum namque oblitus, quæ in maiores ſuos, & in ipſum ciuitas contulerat, crudele & atrox facinus machinatus eſt.

Not. Falerii Principis impiũ ſcelus.

ſtatuerat ille immenſa regnandi ambitione tractus, optimatibus cæſis, Remp. inuadere, mutatiſque pro arbitrio magiſtratibus, apertam tyrannidem exercere: ad quod etiam ſcelus (ut ſcriptum reperio) eum impuliſſe dicitur leuis cauſa ab adoleſcentulis quibuſdam patritiis profecta, circa uxoris parum pudicæ famam, in quos leni admodum pœna a triumuiris Aduocatoribus animaduerſum fuerat. Atque ut facilius ille conceptum facinus exequi poſſet, multos ex infima plebe ſibi ſocios ſceleris adiunxit, quos nobilitati infeſtos eſſe ſciebat, in quibus fuit, Bertutius Iſraelo, primus coniurationis author. accidit enim, ut is, qui inter nautas honeſtum locum habebat, a Ioanne Dandulo uero patritio ad Armamentum remigum expendiedorum locum colaphò percuſſus fuerat: quo facto Bertutius ira accenſus, percuſſorem interficere cogitabat, ſtipatuſque facinoroſorum hominum manu publico loco Danduli uitæ inſidiabatur: nam per forum deambulando ponè Satellitum armatorum caterua inſequente, conceptum ſcelus exequi omnino uolebat.

Ioan. Dandulus.

At Dandulus hæc timens, Principem, & Patres de Bertutii inſolentia admonitos orat, ut inſidiatorem a ui inferenda publico loco amoueant, qui cædem ſibi comminatur, perturbatque peſſimo exemplo quietum Ciuitatis ſtatum: ipſeque ob id intra Armamenti parietes occluſus inde egredi non audet. comprimant itaque patres Bertutii uim uel minis, uel imperio. His auditis ſtatim Princeps, Conſiliariique acciri in curiam Bertutium iubent; quem ad Tribunal progreſſum Falerius Princeps ſimulate amariſſimis uerbis continuo increpare cœpit, quòd ad eam temeritatem, impudentiamq́; is proruperit, ut publica contempta maieſtate, nautarum, ganeonumq́; turba ſtipatus, uim in patritium uirum pararet.

Falerii P. uerba ad Bertutiũ.

iret igitur, ac continuo arma deponeret, quòd ſi forte a Dandulo iniuria aliqua affectus fuiſſet, ordinariis iudiciis reum conueniret, qui iuxta leges dignas crimine ſuo pœnas lueret, abſtineretque interim a ui, quæ in libera ciuitate intollerabilis eſſet. His a Principe dictis, Bertutius e curia indignans diſceſſit. eodem autem die ſub noctis umbra a Falerio in Ducarium ſecrete ille euocatus, ad eius conſpectum uenit: habitoq́; inter ſe ſummotis arbitris colloquio, ſuum princeps odium in optimates acerbo ſermone aperuit, in quos liberiori ore inuectus, nefandam cum eo coniurationem iniit, ut ſcilicet ſtatuto die, coacta facinoroſorum hominum colluuione, nobilitas omnis trucidaretur.

Falerii P. coniuratio.

negociumque patrandæ cædis ſexdecim audaciſſimis hominibus plebeis communi conſilio datum: quorum ſinguli ſexaginta ſub ſe armatos haberent; & quum ſignum campanæ datum fuiſſet, ſub ſimulato Lyguſticæ claſſis aduentantis metu, continuo ſuis ſedibus exciti, diuerſis itineribus in curiam armati prorumperent, atque liminibus inſeſſis obuium vnumquenque ex patritio

ordine trucidarent, quo extirpato tum demum Falerius non Princeps amplius, ſed Dominus ſalutaretur. Interim ad augendum in optimates plebis odium, noua res a coniuratis excogitata dicitur. nam profunda nocte per urbem ex his aliqui diſcurrebant, qui in plebeios homines cõiurationis ignaros altis uocibus conuicia iactabant;

Not. coniuratorũ artem.

eorumq; uxores, & filiæ ad ſtuprum turpibus uerbis euocabantur; datoque poſtea ſibili ſigno, cachinantes inter ſe cognomine nobilium familiarum enunciabant, ut hæc illi audientes, in Patritios, quos hæc dicere credebant, excandeſcerent. & ſanè per id tempus in maximo diſcrimine Veneta libertas conſtituta erat: oppreſſaq; proculdubio interiiſſet, niſi diuina prouidentia factum eſſet, ut ſcelus, per eum detegeretur, qui facinoris particeps, alienum a Reip. ſalute animum habere uidebatur. uerùm enimuero Ariſtocratia Veneta, in qua optimates ſumma concordia habent im-

Ariſtocratia.

perium, Deo optimo maximo gratiſſima, cùm ſæpe aliàs, tum illa præcipue tempeſtate eius clementia, & pietate euidentiſſime ſeruata eſt, nã Beltrandus unus ex coniu-

Beltrãdus index.

rationis principibus pridie illius diei, qui cædi deſtinatus erat, pœnitentia tanti ſcelerius ductus, ſuo inditio patriæ perituræ attulit ſalutem. Is enim ad ædes Nicolai

Nic. Leonus.

Leoni Patritii uiri clandeſtine primis tenebris accedens, eum in ſecretum adduxit locum, precatusq;, ut patrocinium ſuum præſtaret, ne in uitę ipſe diſcrimen incideret: rem pandit, Falerium Principem, coniurationis authorem, aliosq; tanti ſceleris ſocios nominat, atque ſe patriæ charitate impulſum, in tanto eius diſcrimine ſilentium tenere non potuiſſe. Obſtupuit Leonus, atque aliquantiſper ſceleris nouitate ſtetit defixus: ſed mentem poſt modum, animumq; reuocans, ac publici, priuatique periculi memor, continuò domo egreditur, ac ſeniores patrum adiit, coactoque occulte ad Saluatoris ædem Decemuirum conſilio, nefaria coniuratio propalatur, quã etiam M. Niger unus ex coniuratis per Iacobum Contarenum cognomento Lõgum, indicauit. detecto itaque ſcelere, conſtitit inter omnes, eadem hora publicos mittendos lictores, qui cõiurationis principes in poteſtatem redigerent. Habebatq; tum Falerius Princeps in Conſiliariatu iuxta ſe aſſeſſores Ioannem Mocenicum, Hermolaum Venerium, Thomam Viarum Ioannem Sanutum, Petrum Triuiſanum, & Pan-

Not conſiliarios.

thaleonem Barbum; erantq; triumuiri Aduocatores Zusfreus Maurocenus, Aurius Baſqualicus, & Nic. Falerius; Decemuiralis autem conſilii præſides, Ioannes Mar-

Aduocatores.

cellus, Thomas Sanutus, & Michaletus Delphinus: reliquosq; ad explendum Decemuirum numerum hos fuiſſe accepi, Lucam Leggium, Petrum Muſtium, M. Pollanum, Marinum Venerium, Landum Lambartum, Nic. Triuiſanum, M. Falerium.

Decẽuiri.

Decretumq; eſt, ut uiginti ex patrum primoribus, qui cõſilio, & prudentia in ciuitate eminerent, his adderentur, qui fuere M. Iuſtinianus, And. Eritius, M. Superantius, Ganzanus Marcellus, Raynerius Muſtius, And. Contarenus, Ioannes Lauredanus, Nicolaus Vulpius, M. Diedus, Ioannes Gradonicus, Symeon Dandulus, Bar. Iuſtinianus, And. Cornelius, Nic. Leonus, Marinus Maurocenus, Stephanus Bellegnus, Philippus Aurius, Iac. Bragadinus, M. Triuiſanus, & Ioannes Foſcarenus. atque ab illa die decemuiralis additio inſtituta dicitur, in qua nunc quindecim tantùm quotannis ex Senatus primoribus in comitiis eligi ſolent. Abeuntibusq. ex conſilio duobus Faleriis, qui de principis familia erant, reliquorum iuſſu ſtatim fortiſſimi Patritii, ac ciues uocantur, qui armati patribus adſint, ſi quid coniurati in eos mouerent: miraq; celeritate adhibita, ſexdecim ea nocte coniuratorum principes ca-

Not. coniuratorũ ſuppliciũ.

piuntur, qui ad unum omnes ſtatim ſuſpendio necati ſunt, reſte ex ipſis columnis ſuperiori parte curiæ dimiſſi. Hi autem fuere, ut perpetua infamiæ nota taxentur, Bertutius Iſraelo, M. Torellus, Stephanelus Triuiſano, Nicolaus Zucholus, Philip-

Coniuratorum nomina.

pus Calendario, ſtatuarius & architectus inſignis, Nicoletus Brazadoro, Antonius Bindi, M. Polinius, Nicolaus Roſa, Ioannes Corſus, M. Muda, Iacobus Dogollinus, Nicoletus Blondo, & Ioannella Bruno, atque alii, quorum memoria non extat. Falerius etiam ipſe Princeps, quum Ducarium ab armatis hominibus cuſtoditum tota ea nocte fuiſſet, ſummo mane iuſſu patrum ſuper marmorea Palatii ſcala, du-

Falerii. P. ſuppliciũ.

calibus exutus inſignibus, capitali ſupplicio eſt affectus; eius cadauer loculo ſtatim ita truncum impoſitum ad Gemellorum ædem parua cymba elatum eſt, ibiq; effoſſa

humi

humi conditum. multi alii quoque uario ſupplicii genere necantur. ad quadringentosq; ſupra inter octo dies, ſceleris conuictos ferunt, quorum maior pars exulatum abiit, in quibus fuere, Victor Niger, Chriſtophorus Fontana, Iacobellus Blondo, & Franciſcus Belliſari, uiri nequiſſimi, qui fuga elapſi, uoluntario exilio ſe ſe ultimi ſupplicii periculo ſubtraxere. at Beltrando coniurationis indici non ſolùm uenia data, ſed annuum mille aureorum nummum ſtipendiũ ex ærario perpetuò decretum; priuatæ quoque Falerii Principis ædes ad Apoſtolorum fanum conceſſæ: & quod maximum eſt, ad Patritium ordinem traducitur. uerùm ille adhuc impio, hoſtiliq; in Remp. animo, quaſi parua pro fidei magnitudine accepiſſet, aperte patres ingratitudinis accuſare, eorum famæ, publicoq; homini nullo loco, nullo tempore parcere, palamq; probra, conuiciaque iactare: tum impudentia hominis commoti, parum abfuit, quin deleta recentis beneficii memoria, ſeueriſſimã pœnam irrogarint. Raguſium tamen adempto omni publico emolumento in decem annos relegatus eſt. inde poſtea contra præſcriptum uir inquieti animi degreſſus, quum ad Pannonias iter intenderet, periiſſe dicitur. talem exitum Faleriana habuit coniuratio, multique in ea honeſtæ conditionis viri, aut publice necati periere, aut in exilium acti ſunt: plerique etiam non omnino culpæ expertes, adeo infames habiti, ut diu conſpectu hominum euitato, in publicum exire erubuerint. mirumque eſt, qua Falerius ſpe adductus, quum iam ſenio confectus, haud procul ab extremo uitæ die, fatalique hora abeſſet, in tantum facinus proruperit: nam antequam ad Ducatũ eueheretur, in maxima apud omnes exiſtimatione erat, habebaturque uir, ac Senator prudentiſſimus, multasque legationes, & preturas ſumma cum laude geſſerat. ſed imperſcrutabiles ſunt hominum ſenſus, uariiſque aſſidue motibus, ut mare, efferueſcens, agitantur; cæcique mortalium animi, ita ambitione æſtuant, ut a rationis trami te ſæpe aberrant, ac prope inſaniunt. quid enim immanius, quàm patriam nefaria tyrannide opprimere? libertatemque, ac ius uiolare? qui autem id agunt, tetra mentis caligine obcæcati ſunt, offuſcatiſque ſenſibus delirant, deoſque immortales aduerſos habent, quos ſceleribus ſuis irritarunt, dicente Propheta, Iram Domini portabo, quia peccaui ei. ita forſan in Falerio euenit, cui Dii irati fatuam, irrationabilemque mentem reddidere: præuaricauitque homo, ſuperbe & impie in patriam agens; quo ſcelere, & infame ſubiit ſupplicium, & familiæ alioqui illuſtri, quæ tot præclaros urbis Principes, maris Imperatores, uiros pace, belloque inſignes genuit, magnas offudit tenebras. diſcant minores hoc exemplo admoniti, pio patriam amplecti affectu, cuius uiolatores diuinam ad uindictam indignationem, iramque prouocant: omnes enim patriæ debemus, pro qua uita effundenda eſt; & eam qui iuuerint, auxerint, defenderint, ut Cicero ait, certum eſt, in cœlo diffinitum eſſe locum, ubi beati æuo ſempiterno fruantur. atque hæc dicta ſufficiunt. Patres autem, vt pernitioſiſſimi Principis memoria, nomenque perpetuò deleretur, eius imagine in comitiis ſub tecti aurei conuexura, ablata, ubi ex maiorum inſtituto, uiuo ore omnium Principum figuratæ locis ſuis ordine imagines repræſentantur, thronum uacuum nigro uelo opertum relinquerunt, ea ſolùm inſcriptione poſita, Hic eſt locus Marini Falerii decapitati, pro criminibus. Marcus Cornelius ex Senatorum numero uir clariſſimus, quoad ciuitas in ea conſternatione fuit, pro Princeps Remp. adminiſtrauit, armatiſque ſeptus, quia adhuc in coniuratione periculum erat, comitia habuit. inde Ioannes Gradonicus, Naſonus cognomento, Dux eſt declaratus, ac ſtatim ſeptem triremes, quibus Bernardus Iuſtinianus præfuit, in altum eductæ, Lyguſticas res toto mari diu euagatæ infeſtarunt: maioraque adhuc damna hoſti intuliſſent, niſi opportuna poſt bellum quinquennale pax ſequuta eſſet. nec mari tantùm, ſed terra quoque cum Bernaboue, & Galeatio arma depoſita, reſtitutique hinc inde captiui; ex quibus Genuenſes interciſa Diuæ Magdalenæ luce, qua uinculis ſoluti fuerant, ad illius ædem in Canaregium urbis partem longo agmine acceſſerunt, gratiiſque Diuæ actis, omnes, qui ad duo millia fuiſſe dicuntur, ſalui, incolumeſque domum rediere, atque inter feſtos dies illa exinde habita eſt. Pace autem terra, marique parta, continuo ciuitas ad mercaturam conuerſa, in Aegyptum, Syriam, ac Cyprum naues quàmplurimas emiſit, & ne

No. indicis præmia.

Not. indicis improbitatem.

No. de Falerii p. moribus.

Micheas propheta.

Ciceronis uerba.

M. Cornelius proprinceps.

Io Gradonicus D. 66. an. D. 1356.

No. captiuos Genuenſes

H 2 aliquo

aliquo barbarorum incurſu, res Veneta inter nauigandum infeſtaretur, ſex triremes ad earum præſidium miſſæ ſunt, quæ Ber. Iuſtinianum præfectum ſecũdo habuere. Is quum mercatorias naues tutis ſtatuiſſet littoribus, ſubito in Dalmatiam rediit, vbi aliqui rebellionis motus ſuborti dicebantur: Rebus autem prouinciæ conſtitutis, a Senatu Iuſtinianus Venetias cum claſſe reuocatus eſt. Ac ſub id tempus Ioannes Baduarius in Vallem Marinam, quæ Veneto Imperio Falerii Principis morte ceſſerat, primus prætor mittitur, nec multò pòſt duo Legati, M. Cornelius, & Marinus Grimanus in Pannoniam ad Regem venerunt, cum quo inducias in octo annos pacti ſunt. bellumque Dalmaticum, quod atrox, & cruentum paulò pòſt ſequutum eſt, extingui inter Regem, & Venetos potuiſſet, ſi annuum equi albi cenſum publico nomine Oratores Regi ſe daturos polliciti fuiſſent: quod ne fieret, Senatuſconſulto cautum erat. Abeunte igitur induciarum tempore ſine alia belli denunciatione, cum barbarica equitum, peditumque ingenti multitudine Dalmatiam ille tumultuoſe inuaſit, atque uno tempore Iaderam, Siccum, Spalatrum, Tragurium, Enonamque obſidione cinxit: & quum nullum ad eam diem Veneti præſidium in prouinciam miſiſſent, circumſeſſa oppida parum tuta a Pannonum armis erant. feſtinanter tamen, ne indefenſus prouinciæ ſtatus relinqueretur, arma comparant, claſſem, militem, commeatum expediunt, ualidoque urbes firmant præſidio: ſed Barbarus, vt Venetum pluribus locis bello occupatum teneret, fœdere cum Franciſco Carrario occulte inito, in Italiam cum maximis copiis tranſgreſſus, Cunianum, Saciliumque primo impetu occupauit: inde ad Taruiſium caſtra admota ſunt. urbem autem Veneti miſſis eo tribus Legatis, uiris fortiſſimis, M. Iuſtiniano, Ioanne Delphino, & Paulo Lauredano, cum ualida militum manu egregie muniuere. Interim Collatini comites, aliique plerique reguli ſubito ad Barbarum deficientes, Taruiſinum agrum depopulantur, regiaque ſecuti ſigna, Venetis ubique infeſti erant. At Gradonicus belli curis anxius, quum menſes quattuordecim Reip. prefuiſſet, è uita deceſſit: in eius locum Ioãnes Delphinus Princeps creatur, qui tum Taruiſina fungebatur legatione. ipſe uero armatorum cuneo ſeptus, inuitis regiis, qui circa mœnia ſedebant, auerſa porta urbis Venetias ad principatum abiit. at hoſtis bellicis operibus admotis Taruiſium acri oppugnatione aggreditur. multique utrinque cæſi, oppreſſique periere, inter quos regius fuit ductor, propinquitate ſanguinis Ludouico coniunctus, qui cum multis aliis ex Pannonica cohorte ſub ipſis mœnibus, dum fortiſſime pugnaret, occubuit. ſtrenueque urbs a Veneto defenſa eſt. Spe igitur potiundæ urbis Rex in præſentia deſtitutus, ne tam cito inglorius inde copias amoueret, iis ad continuandam obſidionem relictis, in Pannoniam abiit; & Veneti ſuas partes firmantes, ingentem ex Germaniæ oris militarem manum contraxere. ea autem ad Medonci ripam inexplorato progreſſa, ſubito hoſtium aduentu, fuſa, magnaque ex parte cæſa eſt. Nec ita multò pòſt induciæ cum Rege in quinque menſes ab Legatis And. Contareno, Michaele Falerio, & Bonintendio ſcriba ſunt pactæ, quum pacem hi fruſtra petiiſſent. Induciis interim exeuntibus, Serrauallum, munitiſſimum oppidum in hoſtium poteſtatem uenit: ſed in Dalmatia maior omnino clades accepta. tota namque belli mole in Italiam inclinante, præcipua copiarum pars Senatus decreto è prouincia reuocata fuerat: ſtatimque militari præſidio abducto, Spalatrum, Siccum, Tragurium, ac pleraque alia oppida ad Regem defecerunt: at Enona, quam Ioannes Iuſtinianus uir conſtantis animi præſidio tenebat, hoſtium conatus diu remorata eſt, nec in eorum poteſtatem unquàm ueniſſet, niſi fames, extremum humanæ uitæ malum, urbem inuaſiſſet, qua inualeſcente tanta rerum omnium inopia ciuitas laborauit, ut a nullo obſcœno cibo miles, oppidanuſque abſtinuerit. fame igitur, non armis domita, æternum inuiolatæ fidei exemplum Enona, quia plus non potuit, hoſti ceſſit. Iadera quoque arce incolumi, neſcio quid minante Veneto fortuna Imperio, a barbaro furtim inita eſt. Deſperatis itaque Dalmatiæ rebus, fluctuanteq; in Italia Taruiſina ditione, placuit iterum ad Regem Legatos mittere, qui pacẽ cum eo honeſta aliqua conditione publico nomine componerent, temporique cederent. In Pannoniam igitur Legati profecti, Petrus Triuiſanus, Ioannes Gradonicus, & Bonintendius ſcriba pacem his conditionibus a Rege acceperunt, vt quicquid a Fanati-

Ber. Iuſtinianus.
Ioan. Baduarius.
Bel'ũ Pannonicum
Tes Legati.
Ioan. Delphinus D.57. anno D. 1358.
Legati.
Not. oppidorum defectioné ad Pannonas:
Iadera amiſſa.
Legati.

co

Pacis conditiones.

eo ſinu, qui hodie Quarnarius vocatur, Dyrrhachium uſque Veneti ad eam diem poſſediſſent, Ludouicus Rex haberet, cederentque Veneti Dalmatiæ Imperio, reliquum vero terrarum, inſularumque quod circa ſinum, citraque eſſet, dimidium Veneti retinerent; præterea Rex reſtitueret quicquid in Taruiſino, Ceneteníique agro eo bello Venetis ademiſſet; pollicitus adhæc, Dalmatiæ ſe oram a Pyratarum incurſibus tutam præſtare. coacti ſunt Veneti tunc Principes ex hac pace magis neceſſaria, quàm ſpecioſa, Dalmatiæ titulum deponere, quum ſupra ferè trecentos annos a prima Dalmatiæ receptione eo uſi fuiſſent. Pace cum Pannone firmata, treis Legatos, M. Cornelium, Ioannem Gradonicum, & Laurentium Celſum, ad Carolum Imperatorem in Germaniam patres miſerũt, Celſoque apud Carolum relicto, reliqui duo domum repetituri: quum per Germaniam iter facerent, a barbaro regulo contra ius gentium intercepti ſunt, atque in æditam arcem abducti. poſtea Auſtriæ Ducis iuſſu liberati in patriam rediere. Celſus quoque auerſo itinere, Seniam ad mare abiit, aſcenſoque nauigio, domum incolumis reuerſus eſt. Atque ea æſtate poſt quintum Principatus ſui annum Delphinus moritur, aduerſaque diu valitudine laborauit, captuſque luminibus, vitæ tædio fatalem horam libenter tulit, cui Laurentiũ Celſum abſentem, quòd is tum Adriatici ſinus præfecturam gereret, patres ſurrogarunt, falſoque uictoria nũciata, quam a Lygure fama incerta attulerat, Celſum reportaſſe, ſupremo honore ille, dum quadraginta ſex annos natus eſſet, a Patribus decoratur, quem nullo modo adeptus fuiſſet, ſed fatis agimur, & quod ſtatutum eſt ab æterno, id neceſſe eſt (ni fallor) omnino eueniat. Cõfeſtim autem ad eum officii gratia duodecim patritii, qui publico nomine demandatum illi principatum congratularentur, miſſi ſunt; atque hi, ut accepi, fuere, Fr. Venerius, M. Marcellus, Pet. Gabriel, M. Georgius, Iac. Marangus, Marinus Foſcarenus, Honofrius Minotus, M. Dãdulus, And. Paradiſus, Iac. Legius, Geor. Baffus, & Landus Lambardus: eumque urbi applicantem Senatus ferè omnis obuiam progreſſus, Bucentauro excepit, & Victor Piſanus ad Imperium maris in Celſi locum mittitur. Ferunt, aliquandiu noui Principis patrem tum in humanis agentem ab ſalutationis officio publice abſtinuiſſe, ne filium pater nudo capite adiret, quaſi id nefas, ac Indicorum eſſet: ſed ne rerum humanarum, ciuiliſque diſciplinæ adeo ignarus ille fuit, ut non intelligeret, id officium non filio præſtari, ſed Maieſtati publicæ, cui omnis reuerentia, cultuſque debetur? quod Fabius conſul ille Romanus optime intellexit, qui patrem Q. Fabium Maximum ex equo deſcendere miſſis littoribus iuſſit, vt ampliſſimum magiſtratum gerenti debitum filio pater honorem deferret. Vnde ille, ut Liuius prodit, Experiri, ait, fili volui, an ſatis ſcires, conſulem te gerere. Verùm prudenti conſilio Celſus Princeps vſus, crucem paruam auream Ducali Inſulæ in frontiſpicio appoſuit; vt ſi quando pater filium in eo faſtigio publice nudo capite adiret, non ſibi, ſed crucis ſigno honorem ille exhibere videretur. Interim ſub id tempus Auſtriæ Dux Venetias venit, nulla alia adductus cauſa, niſi, vt vrbem, quam mediis aquis diuinitus audierat fundatam inſpiceret. Princeps cum maiori parte Senatus illum venientem Bucentauro honorificentiſſime excepit, deduxitque in Cornelias ædes, ad Lucæ Fanum: eumque poſt aliquot dies in Germaniam abeuntem mox ſequutus eſt Cyprius Rex, publico & ipſe exceptus hoſpicio. Ciuitasque tum pace terra, mariquе parta, ocio fruebatur, atque unde minime ſuſpicio erat, inimico naturæ humanæ operãte, ciuilis rebellio in Creta, bellumque ingẽs exarſit, cuius origo a Venetis colonis emanauit, ex inſita hominum leuitate. porrò hi delitiis, ocioq; ex Inſulæ opulentia affluentes, deuoluti erant in luxum, a luxu in Venerem & ſuperbiam, deſciſcentesque a ueteri Imperio, transferre a Veneta potentia dominiũ Inſulę in ſemetipſos inaudita temeritate annixi ſunt. Tanti autem motus cauſa hæc fuiſſe dicitur: nouum patres vectigal ad reparationem portus, & moli Candidæ inſtituerant, quod coloni ſoluere omnino recuſarũt: neglectoque Senatuſconſulto, omnes ferè nobiles, & populares, ducibus Leon. Gradonico, & T. Venerio, in forum cum ingenti armatorum manu aduolant, indeque in palatium properantes, clauſas fores inueniunt, eaſq; ui tentant euertere. at Dux Leon. Dandulus, cum conſiliariis Stephano Gradonico, & Iacobo Diedo, comiter illis appellatis, tumultũ aliquo meliori mõ ſedare

Legati in Germaniam.

Laur. Celſus, D. 58. anno D. 1366.

XII. Patritii Celſo obuiam miſſi.

No. de Fabio.

Not. P. factum.

Not Cretenſium colono defecti nem

Leon. Dãdulus.

dare tentat, iubetque fores reſerari, tum ſeditioſi magno furore irrumpentes, in Dandulum Ducem minaciter ruunt, armisque, & vocibus obſtrepunt, ſed ante alios T. Venerius conuerſus ad Ducem, minatur ſtricto gladio, exclamatque Morieris proditor.

And. Cornarius Mich. Falc.

ſed And. Cornarius, & Mich. Falerius, vim repellentes, Ducem, & Conſiliarios è tumultuantium manibus eripiũt, hique in priuatis ciuium cuſtodiis traduntur, iuſtamque habere cauſam tumultuandi rebelles allegantes, dicebant, non debuiſſe a Senatu Veneto eis imponi vlla tributa, uigore conceſſionis factæ ſuis progenitoribus, quo tempore illi uenerunt, ad hanc Inſulam incolendam ſed ſi de iure diſceptandum eſt, ſatis liquet ex formula priuilegiorum, & conceſſionum, Venetos pleno iure retinuiſſe penes ſe uerum, liberumque totius Inſulæ imperium. alii trahebant in contumeliam uerba prolata publice ab altero conſiliario, in deſtinandis ex colonorum parte uiginti ſapientibus, Venetias ad Ducale dominium, conſiliariusque ad eos conuerſus, Ec quis nam dixit, ex vobis ſapiens? ſed hæ priuatæ iniuriæ, læuiſſimæque cauſæ Reip. officere minime debuere, nec tantum concire motum in parua offenſa uaniſſimos homines decuit. primùm autem Victore Piſone prætore eiecto Canea rebellat, Rethimum quoque a Venetis defecit, conſtituitur ad hæc ex colonis M. Gradonicus Inſulæ Gubernator, adduntur que quattuor conſiliarii, Fr. Mudacius, M. Fradellus, And. Panthaleus, & Bartholomeus Grimaldus: hi autem in magiſtratu conſtituti, ad captandam Græcorum beneuolentiam, & fauorem uulgi, decernunt, quòd ritus Græcanicus in cærimoniis Eccleſiaſticis, catholico prorſus ritu abolito, ab omnibus ſeruetur. conſultantibus poſtea ex rebellium primoribus, an uexillum ſolitum Sancti Marci eleuari, attollique publice deberet, fit maximus populi in forum concurſus, cum ingenti omnium uociferatione, exclamantium, Viuat Sanctus Titus. decretum eſt igitur, ut Diui illius figura terra, marique publicè eleuaretur, atque ipſa eadem hora nõ ſine infauſto rebellium omine, dum vexillum Sancti Titi proclamante vulgo ſupra turrim ſublatum eſſet, pedes figuræ Sancti Supino capite apparuerũt ſuperiores: quo oſtento multi ex rebellibus territi ſunt. Præſidentes hi tamen publicæ adminiſtrationi, contra leges, & æquitatem, prorogant tempus debitoribus, remittunt mulctas pecuniarias, abſoluunt homicidas, fures, latrones, & quoslibet alios, qui enormia cuiuſcunque gēneris facinora perpatraſſent, cum hoc tamen, quòd per ſex mẽſes hi omnes gratuitam operam bello præſtarent. Interim Iacobus Mudacius vir frugi, ac fideliſſimus, aſcendens palatium, uidit Franciſcum fratrem ſuum ſedentem pro tribunali penes M. Gradonicum electum Gubernatorem per rebelles, in quem acerbisſimis verbis inuectus, Rebellaſti, inquit, contra patriam, & ſanguinem tuum, perpetuæque infamiæ tenebris denigraſti & nos, & poſteritatem. abi de loco iſto, teque non conſiliarium, ſed parricidam appello. Talia ueridice affatus, expellitur de palatio, ipſe autem per urbem incedens, hortabatur omnes, vt redirent ad priſtinam fidelitatem, & obedientiam Venetorum: & poſt dies aliquot Georgius eius filius adoleſcens optimus in uia publica clam interficitur, nec cædis author unquam repertus eſt. Senatus poſtea recepta Inſula quingenta Iperperia Iacobo patri quotannis donec viueret, Quæſtores de fiſco ſoluere iusſit.

Not. Conſiliarii Dictũ.

M. Gradonicus Gubernator. Cõſiliarii.

Not. miraculum.

Iac. Mudatii fides.

Geor. Mudatii cædes.

PETRI

PETRI IVSTINIANI
PATRICII VENETI, ALOY. F.
SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.
AB VRBE CONDITA
DE VENETIS REBVS HISTORIA.
Liber quintus.

Legati in Cretam.

VENETI Clariſſimæ inſulę alienatione audita, ægerrime tulerunt, nobiliſſimam Coloniam, quam infinitis beneficiis obſtrinxerant, a ſe tanta ingratitudine defeciſſe; decernuntq́;, omnia experiri, priuſquam armis rem gerāt,eleguntur q́; ſtatim ex primoribus patrum quinque legati viri eloquentiſſimi, And. Contarenus, Petrus Zanius, Franc. Bembus,Ioan. Gradonicus, & Laur. Dandulus : qui Cretam cum ſex triremibus proficiſcantur,hortenturq́;,& moneant rebelles publico nomine paternis verbis, ut redeant ad fidelitatem . Legati igitur emenſo paucis diebus tanto maris ſpacio ad Inſulam applicuerunt, dataq́; fide publica a rebellium magiſtratu deſcendunt è triremibus, & intrant ciuitatem. nouitateque rei non parum commouentur , offendunt enim inter eundum Rugam magiſtrata ita appellatā, quæ ducit ad Palatium, hominibus ſtipatam armatis, ac inerme vulgus,& populum ſuper tecta domorum altis, ac uariis clamoribus obſtrepentem: ipſi uero graui greſſu incedentes, ad tribunal proditorum peruenere, atque ex his Legatorum unus, qui fuit And. Contarenus vir eloquentia, & iuris peritia inſignis, in magiſtratum conuerſus, talem habuit orationē :

And. Contareni Legati oratio.

Niſi ueſtra omnium ſalus, & incolumitas, Veneto Senatui cordi fuiſſet, non utique ad uos huc inermes, togatique acceſſiſſemus, ad priſtinam redintegrandam gratiam miſſi; quum Veneti patres priuſquā ad arma prorumpant, ex ueteri maiorum inſtituto,benignitate,blanditiisq́; emolliri iratos animos conſueuere : & licèt ꝓfecto hæc ueſtra defectio infamis,deteſtabilisq́; habeatur, Venetumq́; nomen grauiſſime læſerit, hoſtem tamen humanæ naturæ potius accuſare libet, qui mortale genus variis tentare agitationibus, inſanisq́; furiis nunquam deſinit, proinde minus a uobis erratum, ſi naturæ fragilitate hæc ſequuta eſt rebellio. exurgendum igitur a peccato, in quod prolabi, humanum eſt: nullaq́; ſanè fuit iniuria in uos a Venetis profecta, quæ irritare, & tradere animos ueſtros in hanc debuit inconſultam defectionem. ſemper enim Reip. noſtræ benignitatem experti eſtis, huius vos in omni tempore mite, iuſtumque imperium ſenſiſtis, hæc uos benigne ſemper aluit, hæc inuictis ꝓtexit armis; immunitatibus, honoribusq́; ornauit,an nouū id uectigal ad reparationem portus ueſtræ ciuitatis a Senatu inſtitutum,rebellionē concire debuerat, a meritiſſimoq́; imperio deſciſcendo tantū excitare incendium?quo profecto miſere conflagrabitis,ſi alienos a pacis & fidei ſtudio diu animos ueſtros habebitis. nec in externorum principum auxiliis ſpem reponite,qui nunquàm pro uobis aduerſus Venetos arma induent .reuerſi igitur ad priſtinam Ducalis potentiæ obedientiā, in eius piiſſimum gremium tanquam filii ad parentes, recurrite,vt caro ſuæ carni, oſſaque ſuis oſſibus adhereant. Ducalis enim benignitas,ſi ad ſanitatem redieritis, uos clementer amplexabitur, remiſiſque omnibus iniuriis,in gratiam ſuam paterna ſuſcipiet affectione, His paucis a Contareno dictis, irritati, non pacati ſunt rebellium animi,in perfidiaque ſua obſtinata inſiſtentes,Legatos ſuperbo reſponſo dimittunt, dicentes,velle libertatem Inſulæ defendere,nec conceſſa priuilegia nullo modo pati,vt Senatus infringat;tuncque patuit,Legatos in ciuitatem fuiſſe admiſſos a rebellibus,

bus, nullam aliam ob cauſam, niſi ut ſubiiceretur oculis eorum tot armatarum gentium fulgidus apparatus, ac fauor uulgi, ut credi poſſet, ad defendendum Inſulæ ſtatum, in omnibus unam, eandemque eſſe mentem.

Rebelliũ claſſis.

Mox ſtatim a rebellibus inſtruuntur quattuor triremes, & octo Gripparię, metu triremium Legatorum: eliguntur quoque ex ciuitate, & ſuburbiis ducenti populares, quorum centum cõſtituuntur in foro ad cuſtodiam ciuitatis, quinquaginta ad portam maritimam, & reliqui circa turrim moli. Veneti vero patres, vt exploratum habuere, in reditu Legatorum, rebelles in ſua perfidia obduratos, ſtatim decernunt: contra eos terra, marique rem armis gerere: ſcribuntq́; Vrbano V. ſummo Pontifici, in Galliam, ubi Romana tunc curia reſidebat, Carolo.III. Romanorum Imperatori, Philippo Francorum Regi,

Lřæ ad Reges.

Ludouico Regi Hungariæ, Ioannæ Reginæ Siciliæ, Regi Cypri, cæteriſq́; ducibus, ac Principibus Italis, externiſq́;, ſignificantes perfidiam, ac rebellionem Inſulæ, & Coloniæ ſuæ Cretæ, quæ immemor beneficiorum, incredibili ingratitudine ab ipſis defecerat; rogaruntq́ue, ne perfidis Colonis opem, auxiliumq́; præſtarent, quod regali iuſtitia ſua dignum erit, & gratum Venetæ Reip. in perpetuum foret. ab omnibus benigne reſponſum auxiliaque oblata, ut perfidi inſulani ad imperium retraherentur.

Proſcriptio rebellium.

Sed Veneti primo rebelliũ capita, & defectionis authores, M. Gradonicum, T. Venerium, Geor. Barbum, Leon. Gradonicum, Bart. Grimaldum, & Zanachium Rizum ſtatim proſcribunt. conſultante poſtea Senatu de delectu gentium, & ad quã primùm inſulæ partem claſſis, exercituſque admouẽdus eſſet, aliqui ex primoribus patrum conſulebant, armari tantùm decem triremes, quibus Cretenſes arcerentur a maris commercio, ut annonę penuria laborantes facilius ad deditionem compellerentur. nonnulli Caneam primò expugnandam cenſebant, oppidum littorale. alii alia ſuadebant. Celſus princeps totis viribus Candidæ vrbis tentare expugnationem

Opinionũ diuerſitas.

hortabatur; quæ ſicut inclinauit ad rebellandum cætera inſulæ oppida, ita expugnata, & deuicta facilius cuncta amiſſa in integrum reſtitueret. Principis itaque ſentẽtia magno Senatus conſenſu approbatur, fitq́; propere effuſiſſimo ſtipendio gentium

Luchinus Vermius.

militarium per totam Italiam delectus, & creatur Luchinus Vermius Veronenſis, vir bellicæ artis peritiſſimus Imperator exercitus: armantur quoque tres & triginta triremes, ex quibus decem & octo corpulentiores fuere, ad equos, machinas, aliaq́;

Not Claſſem. Dom. Michael.

militaria impedimenta deuehenda. parantur etiam naues duodecim onerariæ, præficiturque huic Claſſi Dominicus Michael vir nauali bello acer, cum quinque Legatis, ut communi conſilio bellum adminiſtraretur: Legati autem fuerunt, Pet. Triuiſanus, Ioannes Mocenicus, M. & Boetius Quirini, & Nicolaus Iuſtinianus.

Quinque Legati.

Cuius tanti belli apparatus fama in Orientem perlata, terror ingens rebelles inuaſit, uerùm ex defectionis authoribus, Fr. Mudatius, And. Cornarius, Geor. Mollinus, & Mich. Falerius, aduentantium Venetarum terra, mariq́; formidine copiarum reſipiſcentes, adiungunt ſe cum Fr. Carauello, Bampano Quirino, Ioanne Abramo, &

No. Leon. Gradonici ſcelus.

Don. Dandulo, viris fidelibus: ſed Leonardus Gradonicus vnus ex proſcriptis, omnium nequiſſimus, qui a fide Catholica deſciſcens, cum Græca conſenſerat, immane facinus aggreditur: conſilioque cum Mileto Calogiero viro nequam inito, omnes Latinos Veneti nominis ſtudioſos, in diuerſis inſulæ locis interficiendos curauit. cædeſq́; eorum ingens ædita eſt.

Mileti ſupplicium.

Miletus poſtea dignas ſceleribus ſuis pœnas dedit, qui in odium omnium incurrens, ob cædem Latinorum, ſubito populi furore Cãdidæ ex ſummitate Palatii in præceps deiectus, ſtrictiſque exceptus gladiis, fędiſſimæ periit. Rebelles autem ſublata ſpe poſſe viribus ſuis reſiſtere potentię Venetorum, ſtatuunt, inſulæ imperium per Legatos Genuenſibus offerre; ſperabantq́; propter ueterem æmulationem, & mutuas utriuſque populi diſcordias, quòd bello inter eos conflato, Lyguſticis armis è poſſeſſione nobiliſſimæ inſulæ Veneti in perpetuum eiicerentur: &

Rebelliũ Legati.

ad hoc eligunt decem viros, quos uocant Sapientes: ex quibus Fr. Mudatius, & M. Gradonicus, cognita Veneti Senatus lenitate, ſuadebant potius implorari gratiam, & miſericordiam Venetorum, quàm externæ ciuitatem ſubiicere dominationi, & ad hoc impetrandum, M. Gradonicus ſe offerebat transferre Venetias, ad Principẽ, & patres, quos ſciebat ad ueniam dandam promptiſſimos futuros. Tum Leon. Gradoni-

donicus, qui in conſilio aderat, conuerſus ad illum: Ergo, proditor ait, tu uis, & conſulis exterminium totius familiæ noſtræ? Minisque in eum, & acerbiſſimis verbis inuectus, è conſilio diſceſſit: nec multos poſt dies Marcus domi fœde iugulatur, ſtatimque inſtruitur una triremis, præfecto Zanachio Rizo, cum qua duo Leonardi Gradonici, alter cognominatus Calogiero, alter Baiardo, Oratores Genuam ſe contulerunt, ad exequendum iniunctum Legationis munus. De hac re per Geor. Mollinum, Epiſcopum Coronenſem Veneti præmoniti, confeſtim legationem in Lyguriam decernũt, per quam Genuenſes admonentur, ne aliquo modo Cretenſi rei ſe immiſceant, ſed obſeruent pacem, ac ſancita inter utrunque populum fœdera, ne bellum oriatur. His nunciatis Genuenſes rem in Senatu diſcutiunt, ſtatuuntque, a Cretenſibus rebus ſe abſtinere, ac pacem, quam cum Venetis antea ſolemni ſtipulatione firmarant, inuiolatam ſeruare. Rebellium igitur Oratoribus ita a Genuẽſibus reſponſum, dolere grauiter Senatum Genuenſem, ſalua publica fide, nõ poſſe, nobiliſſimam Inſulam aliqua ope iuuare, cupereque Cretenſis populi cauſa omnia agere, quæ illi ſalutaria ſint; ſed fœdera obſtare, quæ cum Veneto paulò antè percuſſa erant, quominus quicquam, ſalua Senatus Genuenſis dignitate immutari liceat, ita dimiſſi rebellium Oratores, recedunt ſua opinione fruſtrati. Veneti uerò ad bellum Cretenſibus inferendum accenſi, claſſem triginta triremium, & duodecim nauium onerariarum cum terreſtribus copiis in ea ad ſex millia equitum, peditumque Duce Luchino Vernio, ut ſupra memorauimus, quàm citius potuere, expediunt. tranſmiſſoque ſecundo curſu paucis diebus Adriatico, Aegeoque mari, ad portum Fraſchiæ a Candida ſeptem millibus paſſuum diſtantem Veneta claſſis applicuit. Iacet autem inter urbem, & hunc locum mons arduus, nomine Strombolus, cui alii duo montes tam proximè contigui adhærent, ut non tres, ſed vnus fallacis ſimilitudinis errore procul ſpectantibus appareat: ab Oriente in latere huius montis eſt quidam trames anguſtus, per quem vix duo milites capacem tranſitum habere poſſent: locaque hinc inde prærupta aſſurgunt, miræque undique aſperitatis; quibus inſeſſis, quencunque infinitæ multitudinis impetum quàmpauciſſimi facile remorari poſſent. ex ſubterranea uero ſpecu, quæ eſt penes radicem montis, ſalſarum uis ingens aquarum præcipiti lapſu erumpit, accolæque hunc locum a ſalſedine patria lingua Armiron appellant: ipſæque aquæ, quæ a mari proximo per occultiſſimos meatus eò fluunt, ob torrentium inundationem è proximis decurrẽtium montibus hyeme dulciores fieri creduntur. elabiturque hinc haud procul fluuius molis aliquot deſeruiens, accolis, uiciniæque admodum commodus, qui per mille paſſus intra continentem curſu velociſſimo elapſus, ad Aquilonem in mare euoluitur. ab oſtio fluminis ad urbem propter arenarum cumulos, & latentes cautes, tota maris ora importuoſa eſt. Hìc igitur terreſtres copiæ, dum è nauibus ingẽti armorum ſtrepitu, diſſoniſque turmarum, militumque clamoribus, atque equorum hinnitibus exponuntur, ad centum milites prædæ auidi temerè ad molas progreſſi, ab hoſte, qui ibi in inſidiis locati erant, ad vnum omnes trucidantur, quorum genitalia, & linguæ a Græcis abſciſſæ, illa dentibus, hæ naribus, contumelioſiſſime inſerta ſunt. cuius rei fœditas plurimum Venetorum animos exaſperauit. Expoſitis itaque in continentem copiis, Luchinus Imperator terra, mari autem Michael cum claſſe ad urbem obſidendam ire pergunt: rebelles quoque ex altera parte Fr. Mudatium virum acrem, & bello aſſuetum, cum exercitu non contemnendo ex urbe contra Venetos emittunt. Sed Luchinus, antequàm caſtra in hoſtes moueret, concione aduocata, ut militum ſuorum animos excitaret, ita eos dicitur allocutus: Virtus veſtra abundè mihi cognita uiri fortiſſimi, ne vos longiori oratione teneam, me ſuadet, nec illud præfari, admonereque uos opere precium videtur, cur per tam longa maris ſpacia relictis patriis ſedibus vecti, in hanc Inſulam a Venetis miſſi ſimus, quum clare pateat, huc ex Italia curſum nos direxiſſe, vt nobiliſſimam Coloniam rebellem & infidam, armis (quando alia ratione non potuit) Veneto Imperio receptam ſubiiceremus. Defecerunt impiiſſimi Coloni abſque vlla iuſta cauſa a clementiſſimo Imperio, armiſque rem gerere auſi, tot fideles nobiles, conciueſque ſuos inaudita crudelitate obtruncarunt. has tãtas vlturi iniurias huc commilitones aduenimus, & quò rebellium cauſa

M. Gradonici cędes Leonardi Gradonici.

Genuẽſiũ reſpõſum legatis cretenſiũ.

Topographia.

Armiron.

Fr Mudatius.

Luchini oratio.

cauſa eſt iniuſtior, eò fortius nos niti decet, vt meritam, celeremq́ue de perfidiſſimis hoſtibus victoriam conſequemur; quæ profectò certa, & indubitata erit, cùm propter militarem peritiam, & virtutem veſtram, tum propter imbelles hoſtium vires, quippe qui neque natura bellicoſi ſunt, neque armis expertes. degenerauere enim Græci, & qui hac ſtirpe, & genere ſunt orti, & ſub hoc cœlo nati, a Græca priſca illa indole, vt nihil penitus præter nomẽ in poſteris ſuis relictum, intueri liceat. Adde, q fortiſſime pugnandi neceſſariam cauſam habemus, in loco, quo conſtituti ſumus: undiq́ue enim mari cinctis effugii nulla nobis ſpes relicta: amica claſſis aliò curſum direxit, ad vrbemq́ue oppugnandam admota, longe a nobis abeſt. itaque aut intra hoſtile littus, & hos montes cadendum, aut cum uictoria ad urbem perueniendum, ut claſſi denuò pulſis hoſtibus iungamur. Adhortari quoque, & inflammare nos iure debet ad rem benè gerendam opulentiſſima Inſula, ex qua victa præda ingens, & diuitiarum affluentia parabitur, cum maxima veſtra laude, & emolumẽto. Eſt pręterea, fuitq́ue ſemper Senatus Venetus in ſtrenuos, & benemeritos de Rep. viros, gratiſſimus:

Nota.

dabit is vobis ampliſſima præmia, virtutis veſtræ memor, largoq́ue, & cumulato ſtipendio (ſi veſtris armis victos hoſtes domabitis) & nunc, & in perpetuum uos, veſtroſq́ue liberos ditabit. Quod ad me attinet, paratus ſum, in hoc militari Imperio, quo me ampliſſimus Senatus decorandum cenſuit, aut uincere, aut mori: idem exemplo noſtro fortiſſimi commilitones pro anteactæ, & præſentis militiæ gloria agendum eſt uobis, ut vel inſigni victoria, uel (quando aliter fieri non poteſt) glorioſa morte noſtrum nomen, & Italicum decus vbique terrarum perpetuò celebretur. Tali hortatione ad milites vſus Vermius, eorum corporibus curatis, ſigna cānere iubet, quadratoq́ue agmine prælio intentus, in hoſtem vadit.

Signa in hoſtem.

Græci interim locorum peritia freti, intra montium anguſtias ſe continebant, mox longioris impatientes moræ, commeatusq́ue penuria adacti, in æquum deſcendunt, explicataq́ue acie in aduerſas Venetorum copias ferociter inuehuntur. excepit Luchinus irruentem Græcum pari audacia, ordineſq́ue circumuectus, in prælium ſuos accendit. Primo autem congreſſu ferox Italus, in mediam illatus aciem, hoſtem turbat, & eodem ferè momento magna ædita cæde profligat. multi præcipiti fuga ad montes proximos delati, ſeruantur; ſed maior pars in prælio pugnando occubuit. nec mora, victor Venetus hoſte deleto, ad vrbem infeſtis ſignis properans, omnia tumultu replet, ſuburbiaq́ue prædæ exponit, magno oppidanorum terrore, ac agreſtium fuga.

Venetorũ uictoria.

Qua clade territi Cādacenſes, quum ſpem nullam aliam domeſtici, externiq́ue auxilii haberent, cernerentq́ue ſe undiq́ue, terra mariq́ue hoſtium armis circumſeſſos, continuò in Veneta confiſi clementia, ad deditionem ſpectare cœperunt. mittitur itaque ex conſenſu publico And. Cornarius, ad claſſis Imperatorem, & Legatos, qui Venetis urbem cum clauibus reddat. deploranſq́ue is miſerabili oratione ciuitatis ſtatum, culpamq́ue defectionis, in paucorum temeritatem referens, ſupplex orabat, ut miſeris ciuibus parceretur, incolumemq́ue urbem ſeruarent uictores, quæ iam multum, ſatiſq́ue pœnarum dederat, tot interemptis ciuibus, agris deuaſtatis, incenſis domibus, exinanitis opibus: nec negare poſſe, rebellem vrbem grauiſſimi delicti ream eſſe, quæ iniuſte, ingrateq́ue defecerat a ſanctiſſimo Imperio: ſed in Veneta lenitate & clementia Cretenſes omnem ſpem ſuam conieciſſe, aduolutoſq́ue genibus orare, vt poſt tantas ærumnas Ducalis benignitas urbem, coniuges, liberos, fortunaſq́ue ſuas, quæ paucæ omnino iam ſupererant, ſeruet incolumes.

Andr. Cornarii uerba, & deditio.

Imperator, Legatiq́ue, in Cornarium conuerſi, rebellium perfidiā grauiſſime deteſtati ſunt, dignoſq́ue omni ſupplicio Candacenſes, Inſulanoſq́ue eſſe dixerunt, qui defectione ſua Venetos tam graui implicauerant bello. Cæterùm quando veniam implorantes, uoluntaria deditione urbem reddidiſſent, paucorum ipſi ſupplicio contenti, reliquis ex Veneta benignitate ueniam dabant.

Not. reſpõſum.

Inde cum tota claſſe Michael præfectus, & Luchinus Imperator ex altera parte cum exercitu ſub ſignis eodem tempore vrbem ingrediuntur. prædæ autem milites, nautæq́ue auidi ciuitatem ingenti tumultu diripere auſi ſunt, conabanturq́ue poſthabito utriuſque Ducis imperio, id omnino exequi; parumq́ue abfuit, quin in caſtris ſeditionis ingens flamma accenderetur. nec factioſorum deerant ſtimuli, Vermium, & Michaelem præfectos crimi-

Not. tumultum militaré.

Io. Viceco mes. Mart. Ariminenſis. No. Luchi ni factum

criminantium, inter quos erat Ioannes Vicecomes, nobili Mediolani ortus genere, Martinus Ariminenſis, ambo bellicis artibus inſignes: ſed ſeditionum turbinibus furentes, & inquieti. Cæterùm Luchinus uiſo motu cum fidis militibus in medium tumultuantis turbæ aduolans, increpat ſeditioſos, periuriiq́ue eos arguit, qui tantum motum in Remp. concirent; iubensq́ue propere eleuari uexillum Sancti Marci, conuocat ſub illud, qui fidem, iuſiurandum, & honorem militarem ſaluum eſſe uelint, cupiantq́; promereri gratiã, & beneuolentiã Venetorũ. hoc facto ſeditioſi in momento deſeruntur, tumultuq́ue compreſſo, Martinus Ariminenſis ſeditionis author multis uulneribus confoſſus cadit: Ioannes uerò Vicecomes captus, Ducum, & Legatorum mandato ſecure medio foro percutitur. Inde ad placandam multitudinem duplex exercitui ſtipendium datum, motusq́ue is omnis militaris huiuſcemodi largitione cõpreſſus eſt: atque vt rebellionis quoque authores merito ſupplicio punirentur, conquiſiti hi omnes, & in poteſtatem redacti, capitali pœna affecti ſunt: primusq; ex his M. Gradonicus Gubernator fuit, vir turbulentus, infenſique in Remp. animi, & M. Fradellus, & Gabriel Labudus: in quos ultimo ſupplicio medio Candacis foro cæſa ceruice animaduerſum eſt.

Seditioſorum ſupplicium. Rebelliũ ſupplicijũ.

Receptoque per deditionem Rethymo, Paulus Quirinus ibi pro rebellibus Rector, in poteſtatem redactus, ſecuri & ipſe ſubiicitur: præter hos Leonardus Gradonico uocatus Calogiero, & alter eiuſdem nominis, uocatus Baiardo nequiſſimi omnium, qui è Lyguſtica ora ex legatione remearant, ex Inſula Gaidaroniſſa, quò profugerant, abſtracti, perductiq́ue Candidam, capite ibi detruncato necantur. item Ioannes, & Petrus Gradonico uiri & ipſi factioſi errantes per loca Siuritorum apud quendam fontem a ruſticis interficiuntur. at T. Venerius primarius rebellionis author, & qui Venetos magno proſequebatur odio, cum Theodorello fratre ſuo fuga elapſus, in Stimboli caſtrum ad Ioannem Calergum ſe cõtulit: Frãciſcus quoque Mudatius uocatus Comari, Barth. Grimaldus cum duobus filiis, T. Gradonicus, M. Sagredus, And. Mollinus, & Thomas Fradello, omnes proſcripti, & Reip. hoſtes iudicati; primò Rhodum, inde Chium profugere, ne in manus Venetorum inciderent.

Fuga rebelium.

Habita hac tanta intra breue temporis ſpacium de rebelli Colonia uictoria, Duces, & Legati protinus triremem unam expediunt, per quam litteris exaratis, fœlices claſſis, exercituſque ſucceſſus, uictos, fugatoſque hoſtes, & receptam mira celeritate urbem Candidam cum tota Inſula patribus nunciarunt. triremiſque Veneto littori appulſa lætum ſpectaculum ciuitati præbuit: nam tota frondibus ornata uirentibus triremis erat, tubæque, & litui bellicum quid reſonabant: nautæ quoque coronati, feſtum clamorem, plauſumque reddebant: nec non ſigna de puppi in contumeliam deuictæ gentis per mare trahebantur, intonantibuſque horriſono boatu crebris bombardarum ictibus portum triumphalis triremis ſubiit, magnoque populi concurſu litteræ in curiam ad Principem, & Patres allatæ ſunt, quibus uictoria de receptione clariſſimæ Inſulæ nunciata ingentem patribus, totæque ciuitati lætitiam attulit, ſtatimq; ſupplicationibus triduo habitis gratiæ Deo optimo maximo circa Diuorum templa actæ, quod incolumi Rep. fœlix tranſmarino bello finis eſſet impoſitus: multiſque deinde in cauſas pias ex ærario erogatis largitionibus, ludi publici magnificentiſſimo apparatu celebrati ſunt.

Triremis uictoriæ nuncia. Ludi pro uictoria.

pro aurea enim Diui Marci æde nobiles adoleſcentes in adeptæ uictoriæ memoriam aurigationes, & haſtarum certamina per aliquot dies ædidere: concurſusque ex uicinis populis ingens ad hoc ſpectaculum in Venetam ciuitatem factus eſt: ſpectauitque Princeps cum toto Senatu ex eminentiori ſuggeſtu: affuit & Cypri Rex, & ex Italia Illuſtres aliquot uiri, decertauitque haſta cum Luchini Vermii nato adoleſcente impigro Cyprius rex equo & armis inſignis, parique concertatione utrique conſpecti, collaudatique ſunt. Ferunt autem penes Paſqualinum Minotum Venetum omne certaminis decus fuiſſe, aureamque coronam trecentorum, ſexaginta aureorum nummum unanimi ſpectantium fauore, præmium tuliſſe. Extat autem de hac victoria, & ludorum celebritate inſignis, elegansq; Franciſci Petrarchæ epiſtola, qui Venetiis tunc aderat: eamq; hic apponere placuit, ut eruditiſſimi hominis teſtimonio, ueraciq́ue deſcriptione, res, uti acta eſt, apertius cognoſcatur,

Paſqualinus Minotus. Fr. Petrarchæ epiſtola.

Fr. Petrarcha ad Petrum Bononienſem. Et ſi præſens animo, corporeque proximus, pene

pene auribus ſtrepitum, plauſumque, pene oculis fumũ, pulueremq; haurias ludorũ: & ſi quid notitiæ defuerit, nocte, dieque commeantium uiua uox ſuppleat. Credo tamen te cupide meis litteris percepturum, quæ cupidius ſpectaturus fueris, niſi hanc tibi pulcherrimam voluptatem morbus corporis inuidiſſet. nam quod, oro te, pulchrius, ſiue quod iuſtius ſpectaculum fingi poteſt? quàm iuſtiſſimam ciuitatem non de vicinorum iniuriis, non de ſimultatibus ciuium, aut rapinis (ut reliquas) ſed de ſola iuſtitia, gaudentem cernere? auguſtiſſima Venetorum urbs, quæ vna hodie libertatis, ac pacis, & Iuſtitiæ domus eſt, unum bonorum refugium, unus portus, quem bene uiuere cupientium tyrannicis undique, ac bellicis tempeſtatibus quaſſæ rates

Venatorũ laudes.

petunt, urbs auri diues, ſed ditior fama; potens opibus, ſed uirtute potentior, ſolidis fundata marmoribus, ſed ſolidiore etiam fundamento ciuilis concordiæ ſtabilita, ſalſis cincta fluctibus, ſed ſalſioribus tuta conſiliis; nolim credas, de recepta Cretæ Inſula, quæ uetuſtate nominis ingens, licet tamen ingentibus animis parua res eſt, & parua præter uirtutem omnia quàmuis maxima uideantur; ſed de euentu, qualem eſſe decuit, hoc eſt, non de ſua, ſed de iuſtitiæ uictoria gloriatur, & gaudet: nam quid magnum uiris fortibus hac potentia, & hoc Duce, atque his terra, marique militiæ magiſtris, viciſſe inermes Græculos, & nequitiam fugitiuam? longum, neque occupati, atq; humilis ſtyli eſt, totam ſacræ ſeriem lætitiæ uerbis amplecti. rerum ſummam accipe; Cum ad duo nonas Iunii anni huius, M.CCC.LXIIII. hora fermè diei ſexta forte ad

M.ccc.64.

feneſtram ſtarem, maria alta proſpectans, eſſetque unà frater olim meus, nunc pater

Archiepiſcopus patracenſis.

amantiſſimus, Patracenſis Archiepiſcopus, qui autumni principio ad ſedem propriã tranſiturus, propter immotam Fortunæ fauoribus charitatem, hìc in domo ſua, quæ mea dicitur, hanc egit æſtatem, ſubito longarum unà nauium, quas Galeas uocant, ramis circumfulta frondentibus portus oſtia remis ſubit, inopino proſpectu colloquiũ noſtrum interrumpens: illicet augurium cœpimus, læti aliquid rumoris illam vehere, ſic tonſis vada frangebant, velis nautæ alacres, & frondibus coronati iuuenes læto uultu, uexilliſque ſuper verticem agitatis, è prora ipſa uictricem, ſed adhuc ignarã rei patriam ſalutabant: iam peregrinæ nauis aduentum ſigno dato ſummæ turris excubitor nunciarat: itaque nullius imperio, ſed noſcendi deſiderio ad littus è tota vrbe concurſum erat: quum verò iam propior facta, & ſubiecta oculis res eſſet, aduertimus ſigna hoſtium de puppe pendentia, nihilque tum dubii ſupererat, quin victoriæ nuncia nauis eſſet, nec dum tam belli, ſed prælii cuiuſpiam, aut captæ vrbis alicuius victoriam ſperabamus. neque quod erat, capiebant animi. at vbi in terram egreſſi nuncii verba in conſilio fecere, ſupra ſpem, ſupraque fidem læta omnia. victi enim, cæſi, capti, & fugati hoſtes, ciues vinculis eruti, vrbes ad obſequium reuerſæ, reimpoſitum Cretæ iugum, poſita arma victricia, peractum denique ſine cæde bellum,

Celſi. P. Laudes.

& pax parta cum gloria: quibus cognitis Dux Laurentius vere Celſus, vir (niſi me forſitan amor fallit) & magnitudine animi, & ſuauitate morum, & virtutis ſtudio, ſuperque omnia, ſingulari pietate, atque amore patriæ memorandus, ſciens nil rite, nilque fœliciter fieri, niſi ſumptum fuerit a religione principium, in laudes Dei, & gratiarum actiones toto cum populo ſe conuertit; perque vrbem omnem, ſed conſpectius in Baſilica beati Marci Euangeliſtæ, qua nulla, ut reor, vſquam pulchrior, factum eſt, quantum fieri per hominem Deo poteſt, ſacris celeberrimis, & proceſſione inſigni ante, & circa templum habita, vbi non ſolùm populus, clerusque omnis affuit, ſed prælati etiam externi, quos hìc vel caſus aliquis, vel videndi amor, vel vulgata deuotio detinebat. peractis eximiè, quæ ad rem diuinam pertinebant, in ludos ac ſpectacula verſi omnes. operoſum fuerit enarrare quot ludorum ſpecies, quæ formæ, qui ſum-

No. Ludorum celebritatem.

ptus, quæ ſolemnitas, quis ordo, vt quid in re tali rarum valde, & mirabile: nullus vſquàm tumultus, nulla confuſio, nullus ranchor, ſed omnia plena lætitiæ, plena gratiæ, plena concordiæ, atque amoris; & ſic magnificentia regnum ſuum tenuit, ne inde modeſtia, & ſobrietas exularent, ſed in ſua illam vrbe, & in ſua ciuitate regnantem regerent, frenarentque. multos quidem feſtos dies vario apparatu celebritas hæc deduxit, duobus tandem tota res ludis clauditur, quibus ego nunc propria nomina Latina

Diſcurſus Cõcurſus.

non habeo, dicam tamen vt intelligas, alter nempe diſcurſus, alter concurſus, vt arbi-

tror

tror,dici poteſt,in altero enim recto calle decurrunt ſinguli,in altero ſinguli ſingulis hinc inde concurrunt,vterque ludus equeſter,ſed inermis primus, niſi quòd haſtis , & clypeis decurrentes,ſericis exuuiis vento effuſis,quandam bellici actus imaginem repræſentant:at ſecundus,armatus,& duelli ſpecies quædam . itaque in illo quidem elegantiæ plurimum,periculi minimum ; in hoc autem,artificio par diſcrimen , vnde non ſat proprie,haſtiludium Galli vocant,quod nomen primo magis conuenit : illo enim verè luditur,hoc certatur;cæterùm in vtroque, quod narranti alteri vix me credulum præbuiſſem,ſed nunc oculis meis credo,magna & mira prorſus induſtria,non vt mundo perſuaſum eſt,nauticæ,atque æquoreæ,ſed militaris,ac Martiæ gentis eminuit,ea equitandi,tractandorumque ars armorum,ea demum æſtus , & laborum patientia,quæ quibuſuis acerrimis terræ bellatoribus ſatis eſſet , vterq; ludus in platea illa,cui neſcio,an terrarũ orbis parẽ habeat , ante ipſam marmoreã,atque aureã tẽpli faciem exhibitus: & priori quidem ludo nemo externus interfuit,quattuor & viginti nobiles adoleſcentes , forma , habitu , & ætate conſpicui , hanc ſibi partem lætitiæ delegere , accerſito Ferraria Thoma Bambaſio , qui vt poſteris notus fiat , ſi quid ego apud illos aut notitiæ ſum habiturus , aut fidei , talis eſt hodie in vniuerſa Venetia,qualis quondam Romæ Roſcius: mihi vero tam charus , tamque familiaris, quàm Tullio ille fuit.cæterùm huius ductu,& conſilio ludus hic actus,& peractus tanto eſt ordine,vt non homines currere,ſed volare Angelos iudicares. mirum ſpectaculum tot ephœbos oſtro,atque auro veſtitos cernere,tot æripedes, ac fulgentes phaleris equos,ſic regentes frenis,ſic urgentes ſtimulis , vt vix terram pedibus tangere viderentur,atque ita ſui Ducis edictum præſentibus animis obſeruantes,vt hoc ad terminum propinquante,ille clauſtris erumperet,ille autem ſe curſui prepararet,qui alternatione hac,& ſumma omnium paritate in circulos re digeſta , vnus , iſque perpetuus curſus erat,dum vnius finis,principium eſſet alterius ; & deſinente vltimo , rurſum primus inciperet,ita,vt quum multi tota luce currerent,ſero vnum diceres concurriſſe: & viciſſim nunc haſtarum fragmina cœlo volitantia,nunc vento crepitantia cerneres ſigna purpurea,nec dictu facilè,nec credibile eſt auditu.quę nam ibi in dies hominum frequentia?nullus ſexus,nulla ætas,nullus ſtatus defuit.iam Dux ipſe cum immenſo procerum comitatu frontem templi ſupra veſtibulum occuparat,vnde marmoreo a ſuggeſtu ei ſent cuncta ſub pedibus.locus eſt,vbi quattuor illi ænei & aurati equi ſtant,antiqui operis,ac pręclari,quiſquis ille fuit,artificis, ex alto penè viuis adimentes,ac pedibus obſtrepentes:neve æſtiuus Sol pronus ad veſperam , aut calore offenderet,aut fulgore,diuerſi coloris aulæis vſquequaque pendẽtibus prouiſum erat. illic ego rogatus,quæ crebra dignatio Ducis eſt,ad dexteram eius ſedi : verùm bidui ſpectaculo contentus,de reliquo occupationem nulli incognitam excuſaui. infra vero nihil vacui,non(vt aiunt)millii granum in terram cadere potuiſſet. platea ingens, templum ipſum,turres,tecta,porticus,feneſtræ non tantùm plenæ, ſed conferta omnia,& condenſa,inæſtimabilis,atque incredibilis populi multitudo terræ faciem tegebat,& ſubiecta oculis vrbis florentiſſimæ numeroſa ſimul,& culta fœcunditas, feſti lætitiam geminabat, vt nihil penitus plebi eſſet , in tanta iucunditate ſui ipſius aſpectu , & contemplatione iucundius . erat ad dexteram ingentis in morem pulpiti contextum trabibus ſolarium,ob id ipſum tumultuario opere erectum , vbi ex omni flore nobilitatis honeſtiſſimæ electæ quadringentæ nurus,inſignes ſpecie,atque ornatu,& ſpectaculis meridianum,& quotidianis quoque conuiuiis matutinum, ac Serotinum ornamentum conſeſſu ſidereo præbuere . Interuenere præterea, quod debere ſilentio tegi negat,in has terras caſu nuper aduecti,è Britanniæ partibus nobiliſſimi quidam viri,comitesque,& conſanguinei Regis ſui,quos recenti victoria exultantes peregrinatio huc tranſmarina contraxerat,quique ſeſe interim labori æquoreo vegetabunt.hunc multorum dierum equeſtris illa decurſio finem habuit , cuius præmium ſolus honos fuit,iſque tam ex æquo vnus omnibus,vt quum victor quiſque, nemo victus merito dici poſſet. Alteri autem ludo,quòd neque tam pari euentu , & periculo maiori agitandus,& in partem venturi aduenæ erant,alia ſtatuta ſunt præmia , corona magni ponderis puro ex auro,gemmiſque fulgentibus, uictoris decus: dehinc Bal

Not. Venetæ iuuentutis laudem in armis.

No. curſu.

Dux in ſuggeſtu.

No. ingẽtẽ populi multitudinem.

Not. premium uictoribus.

theus argenteus præclari operis,quo ſe munere ſolaretur,qui ſecundum locum gloriæ meruiſſet: iam edictum militari quidem,ac vulgari ſtylo ſcriptum , ſed Ducalis Bullæ teſtimonio inſigne,per finitimas,diſtanteſque Prouincias miſſum erat,quo acciti ad equeſtrem illum,quem concurſum,dixi,omnes,qui talis gloriæ ſtudio traherentur.conuenere autem multi,non diuerſarum modò vrbium,ſed linguarum, quibus & militiæ diſciplina,& virtutis fiducia eſſet,& ſpes laudum:qumque iam ludi alterius finis eſſet,hic ad duas nonas Auguſti cœptus, quattuor diebus continuis actus eſt,tanta celebritate,vt poſt hanc vrbem conditam,nihil tale memoria hominum repetatur.ad extremum,& Ducis, & procerum , & externorum militarium virorum, nominatim illius, qui Dux belli fuerat, victoriæque poſt Deum, ac lætitiæ author erat, concordi iudicio primus honor ciui obtigit, ſecundus aduenæ Ferraria profecto.hic ludis,ſed nõ gaudiis proſperiſque ſucceſsibus. Hic & epiſtolæ finis eſt, qua id nitor,vt qđ morbus eripuit, oculis tuis, auribuſq; reſtituã,& vt noris ex ordine, quid apud nos geritur, vtque intelligas,inter maritimos etiam viros conſtare militiam, & magnificentiam,& excelſos animos,contemptumque auri,& glorię appetitum. Vale, Venetiis,quarto Idus Auguſti.Petrarchę hanc pulcherrimam Epiſtolam ex ſcriptam hic appoſui,vt Venetę gentis glòria veris laudibus innixa,quæ ex præſtantiſsimi viri ore emanarunt,in totius Orbis lucem effundatur.Sed ad Cretenſem rem redeo.poſt hęc Senatus decreuit,vt cuncti de prole Gradonica,& Veneria proſcriberentur: & ad imminuendam colonorum nimiam poteſtatem,ſancitum eſt,quòd conſilia in Inſula,& camerarii feudatorum cum quibuſdam aliis magiſtratibus abolerentur. atque his mature peractis,pacataque iam Inſula,& ad Imperium,obſequiumque viribus,ac armis retracta , claſsis cum victore exercitu Venetias eſt reducta . Poſt modum fœdere cum Cypri Rege icto,noua claſsis inſtruitur,eaque in Aegyptum profecta , Alexandriam in Regis gratiam expugnauit. Interim Celſus Princeps anno ſui Ducatus circiter quarto,vita exceſſit,in Cœleſtinaque ędè honorifico conditur ſepulchro,cui Marcus Cornelius vir autoritate,& ingenio clarus, ac ætatis annorũ LXXX. ſurrogatus eſt: vnuſque illi in auferenda Principatus dignitate Ioannes Darpinus apud electores(vt accepi)plurimum aduerſatus fuerat,ſenectutem, paupertatemque, ac vxoris ſtemma,quæ ex populari ordine eſſet,homini obiiciens. at Cornelius aduocata concione,ita de ætate ſua,de cenſus tenuitate, de matrimonii iure, ac natalium genere,magno,elatoq;animo diſſeruit,vt omnibus penè ſuffragiis Dux declaratus ſit.

Præmia diſtributa. — *Proſcriptio rebellium.* — *M. Cornelius.D.59. ann. D. 1367.* — *Ioannes Darpinus.*

Paucis autem menſibus interiectis, noua Cretenſium defectio repentino ciuium furore emerſit.nam Ioannes, Alexius, & Georgius,Calergi fratres,Veneto nomini infenſi,tantiſper quieuere,donec terreſtres, maritimæque copiæ ex Creta abductæ eſſent:iis autem ex Inſulà in Italiam translatis,tum illi maiorum ſuorum veſtigia minime ſequuti,qui Venetæ Reip.fidiſſimi,atque amantiſſimi fuere,res nouas moliri cœperunt,nec prius ſtatum Inſulæ recenti bello vix reſpirãtem turbare deſtitere, quàm aperta vi eorum impulſu in Venetos arma ſumpta ſint;defectioniſque huius ſocii extemplo multi alii prodeuntes Calergis ſe ſe adiunxere, in quis fuerunt.T. & Theodorellus fratres ex Veneria familia,& Fr.& Antonius ex Gradonica, Ioannes Mollinus & M.Auonalus, qui captata occaſione, vbi Venetorum præſidia haud ſatis valida in Inſula videre,aſportatis in Italiam,vt dictum eſt,firmioribus copiis, nonnulla caſalia,militibus,armiſque muniunt, ad quæ tutos ſcelerum ſuorum haberent acceſſus, & confugia. His ſequutis,Ioães Calergi Græcanici Imperii ſignis arreptis,cum ingenti turba,prædicans ſe pro libertate Græcorum arma ſumpſiſſe,inuadit Caſale vocatum Argiomiri,ibique And.Panthaleonem, præfectum caſtri cum tribus aliis feudatis in vincula coniicit: eodemque die aggreditur Caſtrum Maluicini, interfectoque Nicolao Dandulo arcis cuſtode,& præda ingenti acta, in ſuburbiis multas ædes incendit.caſtro autem ſtrenue defenſo,Nic.Iuſtinianus Legatus,& Dominicus Mollinus conſiliarius ad Calergi conatus inhibendos celeriter cum valida equitum, peditumque manu ex vrbe profecti, aliquot loca Inſulanis rebellibus adempta, ferro, igniique deuaſtãt: rebelleſque par pari referentes,in vicos Caſtrinoui hoſtiliter irruerunt,comburuntque domos feudatorum,& interficiunt Iudæos, atque in agrum Rethimnen-

Cretenſiũ motus. — *Calergi.* — *Ioannes Calergi.* — *Nic. Iuſtinianus.*

thimnenſem profecti, ingentem vaſtitatem ædidere. Interim Dux, & Legati ex Lycia, Charia, ac ex tota Ionia, equitum ingentem manum ſtipendio acceerſunt, peditatum quoque ſub ſignis cogunt. variique vtriuſque partis in Inſula hyeme illa motus fuere, ac nunquam ab armis ceſſatum. Reparantibus inſita ferocitate vires ſuas nouo gentium delectu hoſtibus, alii poſtea Legati Iac. Bragadinus, Paulus Lauredanus, Pet. Mocenicus, Laur. Dandulus, & And. Zenus, in Inſulam venerunt, qui nouo ſupplemento militum ex Thracia copiis veteribus auctis, in hoſtes feruntur, in quos ſæpe proſpere pugnatum eſt, ſub And. Zeni Legati auſpiciis: alio poſtea leui prælio, dũ is increpita commilitonum ignauia ante alios cominus obuios ferit, lapſo in anguſtis & tortuoſis locis equo, ab hoſte interficitur: eo cadente, ſui ſtatim fuga arrepta ceſſere.

Noui Legati.

And. Zeni cædes.

Alii ſuperuenerunt poſtea ex Italia quamplurimi pedites tribus onerariis aduecti, vt maiori vi hoſtes adorti omnino delerentur. Multa itaque diuerſis Inſulæ locis a Legatis in rebelles geſta, ſed parum memoriâ digna, quãdo cum fugaciſſimo hoſte rem Venetus gereret, populationibusque, & incendiis, duntaxat vtrinque diu bellatum. quo factum eſt, vt deuaſtatis, direptiſque frugibus, ingens frumẽti, rerumque omnium penuria ſecuta fuerit. ſed in tanta annonæ caritate longe maiori ab Inſulanis, quàm a Venetis fame laboratum: nam aperto mari non deerant Veneto commeatus, ac rei frumentariæ affluens copia. Fame itaque adacti Laſythani Ioanne Siurino authore, deditionem faciunt. alii quoque rebelles in fidem redeuntes, oppida antea occupata reſtituunt, & ad aucupandam Venetorum gratiam tradunt in Ducis & Legatorum poteſtatem, colonorum omnium peſſimos, Fr. & Ant. Gradonico Fratres, Theodorellum Venerium, M. Auonalum, nonnulloſque alios rebelles, qui implacabili odio Venetum ſemper nomen inſectati fuerant. de his cõtinuò publice ſumptum eſt ſupplicium.

Laſythani deduntur

Laſythanorum autem hæc defectio ita rebellium fregit animos, ut quicquid Inſulæ a Strombolo monte ad Oriẽtem ſpectat, breuì in Venetorum fidem redierit, cęteraque omnia tunc facile ad priſtinum obſequium retracta eſſent, niſi Calergi fratres, & T. Venerius, viri turbulentiſſimi, qui adhuc in rebellium partibus erant, & eorum amentiæ fauebant, impedimento fuiſſent.

Rebelles capti, & interfecti.

Cæterùm Iuſtinianus curſum victoriæ ſequens, cum quadringentis equitibus, peditibuſque, viris ſtrenuis, profectus, in Siuritos, expugnauit eorum munitiones, caſtellaque diſiecit, quæ illi in arcis ſpeciem alta macerie ſepſerant. nec minus fœliciter ad Milopotamum ſub Creſi Mollini auſpiciis, qui And. Zeno cadente, in illius locum ſurrogatus, in Inſulam nuper venerat, bellatum eſt: nam is Lepternium in deditionẽ recepit, captiuoſque Alexium Calergi, & Zanachium Mollinum, viros perfidos & ſceleſtos Candacem miſit ad ſupplicium.

Creſus Mollinus.

Poſtremò fractis rebellium opibus, Iuſtinianus, & Triuiſanus Legati, vt finem bello tandem imponerent, coniunctis copiis ad Anopolim oppidum caſtra metati ſunt. erat autem locus & militum præſidio, & natura, ſituque munitiſſimus, arduaque aſperitate penè inacceſſibilis, vnaque tantùm via facilem expugnationem oſtendebat, ſi collem oppido imminentem Venetus occupaſſet: quod quum non multò pòſt impigre factum eſſet, paucis diebus Veneti oppido potiti ſunt.

Anopolis.

Nec procul inde Ioannes, & Geor. Calergi, & T. Venerius latitantes in ſpelunca, quò dilapſi fuga peruenerant, a ruſticis Veneto produntur, & in poteſtatem Legatorum veni. Funterunt, Georgio è ſpeluncæ rimula in hoſtem proximum ſagittam dirigente, Ioannem fratrem, qui cum eo erat, arcum illius abreptum fregiſſe, ad eumque conuerſus: Stultum eſt, inquit, frater eum irritare, in cuius poteſtate paulò pòſt ambo futuri ſumus.

Rebelles capti.

& illud non inurbanum, quod in T. Venerium vnum ex principibus defectionis captum, à gregario milite reſponſum fertur. Tradũt, illum, quum Candacem ad ſupplicium miles ſub cuſtodia traheret, petiiſſe, ſibi vulnus, quod ſecundum aurem acceperat, obligari, & medellam adhiberi: tum non infacete, militem, qui illi hærebat, dixiſſe, ipſius vulnus non medico indigere, neque vlla alia ope: quod ad ſontis hominis ſupplicium alluſit, idque paulò pòſt euenit.

Not. dicta

nam ambo ipſi T. Venerius, & Ioannes Calergi Candidam perducti ſecuri ſubiiciuntur, & in Georgium quoque fratrem Canecę ceſis ceruicibus a Nic. Triuiſano Legato animaduerſum eſt. Sublatiſque vndique rebellionis authoribus, pax Cretenſibus redditur. Patres vero pacata Inſula, quin-

No. in ſontes ſupplicium.

que alios Legatos ad recognoſcendum eius ſtatum, & res componendas, in Cretam ſubito cum duabus triremibus expediunt, Ioan. Dandulum, Paulum Lauredanum, Petrum Mocenicum, Ioannem Foſcarenum, & Thadeum Iuſtinianum. Hi aliis, legibus antiquatis, aliis noua conſtitutione ſancitis, locorum etiam munitorum quibuſdam euerſis, nonnullis inſtauratis, immutatiſque ædificiis; Anopolim, quod oppidum receptaculum omni rebellionis tempore Inſulanis, ac Reip. hoſtibus fuerat, iuſſis colonis aliò migrare, euerſum, deſolatumque reddidere, propoſito edicto, vt capitale eſſet, quicunque eò incolendi cauſa rediiſſet; cautum etiam, vt Laſythis nemo habitaret, ad extirpandas ſedes, latebraſque facinoroſorum hominum. poſtremò rebellium multis, qui ſparſim Inſulam incolebant, partim capitali ſupplicio affectis, partim exilio damnatis, nonnullis etiam, qui ad ſanitatem redierant, præmiis & honoribus excultis, antiquum ocium Inſulæ reſtituere, ita, vt poſt hac nulla ſeditio, nulla nouitas, nullus tumultus rem Cretenſem unquàm amplius agitarit, fœliciſſimeque Inſula ad hæc uſque tempora nullo motu amplius ſequuto ſub Ducalis umbra floret Imperii. Legati autem Venetias reuerſi, ut patribus Inſulæ ſtatum notum redderent, uocato Senatu, Paulus Lauredanus Legatorum vnus, vir eloquentia inſignis, permittentibus collegis, tali oratione uſus eſt: Deorum benignitate, Princeps optime, & patres ampliſſimi, tandem factum eſt, ut grauiſſimo bello fine impoſito, cum illuſtri ueſtra laude poſſeſſionem nobiliſſimæ Inſulæ a uobis retentam hodie omnes gentes audiant, in qua tuenda, & ſuperioribus annis, & præſenti tempore maximas opes effudimus, infinitos labores pertulimus, pericula, ærumnas, clades, terra, marique paſſi ſumus: hæc tamen bellorum incommoda in tantæ uictoriæ fructum conuerſa, ſummę nobis iucunditati eſſe debent: nam rebellis Inſula ueſtris in perpetuum armis edomita, in tranquillo nunc ſtatu hanc Remp. collocabit, externorumque Principum, qui Veneto nomini infeſti ſunt, inſultus, furoreſq; comprimētur. Optabant hi, ſummiſque expetebant uotis, ut res ueſtræ in Græcia depreſſæ, exterminatæque ruerent, auulſamque ab Imperio non ſolùm Cretam, ſed quicquid terrarum in Aegeo, Ionio, Pamphilioque mari uobis paret, bello amitteretis: ſed ſecus res euenit: Diis enim bene iuuantibus hoſtem rebellantem, & fœdifragum terra, marique deuicimus, firmataque valido Inſula præſidio, rebus ueſtris incrementum, gloriaque adiecta eſt. tantæque ueſtræ fœlicitati profectò gratulandum, quum bellum ingens, atroxque ex dignitate publica confeciſtis: hoſtis enim erat acerrimus, inimiciſſimoque in nos animo; qui non contentus propriis uiribus res ueſtras oppugnare, exteros quoque potentatus, Genuenſem, Cathelanum, Conſtantinopolitanum non deſinebat in uos aſſiduis ſtimulis irritare: quorum apertos, occultoſque conatus non repreſiſtis ſolùm, ſed ut euentus docuit, fregiſtis etiam: neque id tamen ſine maximis laboribus, periculis, & expēſis fieri potuit: nam patrum, & noſtra memoria per centum, & amplius annos tranſmiſſis in Inſulam claſſibus, & exercitibus, ſub diuerſis Ducibus, ac Legatis in domando Gręcorum faſtu plurimùm elaboratum eſt: in initio que rebellionum pleriſque inſignes pace, belloque uiri in Cretam à uobis miſſi, Rempu. egregiè adminiſtrarunt. His deinde aliis ſuffectis, poſt utrinque illatas, acceptaſque clades ſub eorum auſpiciis clariſſima tandem uictoria parta eſt, cuius non ſolùm vos Patres Ampliſſimi, ſed etiam populi, qui ueſtro parent Imperio, fructum nunc ſuauiſſime ſentiunt, atque ut omnia ex Reip. dignitate fierent, pacata Inſula, & extirpatis rebellionis reſiduis, nouiſſimè nos eò cum poteſtate magna, & Imperio, ad ſtatum Inſulæ recognoſcendum miſiſtis, mandatiſque ueſtris, ut decet, nos obtemperantes, media hyemis aſperitate iuimus, ac pro noſtra in patriam charitate, & fide nihil prætermiſimus, quod ad Inſulanorum quietem, & pacem opportunum fore iudicauimus: ex Anopoli, Laſythiſque colonis abductis, utraque oppida iuſſu noſtro deſolata ſunt, ne factioſis, & rerum nouarum cupidis amplius receptacula, latebrarumq; præberent confugia: inſidi, rebelleſque aliquot iuxta eorum crimina, partim capite pœnas luerent, partim exilio damnati; bene de Repub. meriti pręmiis & honoribus decorati ſunt. omniaque a nobis diligentiſſimo prouiſa ſtudio Inſulam in pacifico ſtatu collocarunt. Reliquum eſt, ut meo, collegarumque nomine, Princeps optime, & Patres

Legati.

Anopolis euerſio

Pauli Lauredani oratio.

Exteri potentatus.

No. centū annorum labores, in domandis Græcis.

tres ampliſſimi uos orem, & obteſter, ut ſi quid in hoc publico Legationis munere ab erratum ſit, in bonam partem pro ueſtra benignitate accipiatis: nos profectò omni ſtudio annixi ſumus, ea maturo conſilio agere, quæ in tantis fortunæ fluctibus ſalutaria eſſent, magniſque noſtris laboribus, curiſque animi Inſula ad tranquillitatem redacta, lætam terra, marique pacem parauimus; quæ vt perpetua ſit, Deus optimus maximus ſua pietate annuet.

Peroratio

His a Lauredano dictis, Princeps è ſuggeſtu collaudatis Legatis, qui rei Cretenſi prudentiſſime conſuluiſſent, amplexatus ſingulos, comiterque appellatos dimiſit. Nec multo pòſt tempore, quum Cornelius Princeps annos duos, ac menſes octo Remp. adminiſtraſſet, humanæ neceſſitati conceſſit, & in Gemellorũ æde poſt ſolennem exequiarum pompam ad aram maximam ſitus fuit. In demortui autem Cornelii locum Andream Contarenum patres legere, qui in libera ciuitate priuata uita contentus, delatam dignitatem diu recuſauit.

And. Contarenus. Dux 60. an. Dom. 1368

Credo etiam, quòd quadam tacita animi diuinatione uir prudens futura Reip. mala, infortuniaque augurabatur, quæ illi a Barbaro quopiam Aruſpice, ſiue præſtigiatore in longinquas oras negociandi cauſa olim profecto denunciata fuerant: nam is prædixerat, ut ſuæ ciuitatis Princeps ille futurus eſſet, multaq; aduerſa ſubiret. conceſſeratque ob id ipſum Contarenus ad fundum, quem in Patauino agro mercatus habebat, tam diu ibi moram acturus, quoad nouus Princeps crearetur: ſed ciuitas nemini alteri Principatum demãdare ſtatuerat, miſitque Senatus ad eum officii gratia ſexdecim hos patritios, Laurẽ. Dandulum, Lucam Carauellum, Iac. Leggium, Ioan. Triuiſanum, Triadanum Grittum, Iac. Zenum, Vict. Piſonem, Aloyſium Lauredanum, Ioan. Natalem, Iaco. Pollanum, Ioan. Ciuranum, Nic. Contarenum, Nic. Falerium, M. Capellum, And. Baſiliũ, & Nic. Delphinum, quorum precibus, ac ſuaſionibus inuitus, coactusque ipſe ad dignitatem capeſſendam in vrbem rediit.

Not. patritios miſſos ad P.

multa autem (ut prænunciatum extitit) hoc Principe aduerſa euenere. Deletaque propè hoſtium armis Veneta extinguitur libertas. Tergeſtinorum defectio primùm ſequuta eſt: obtruncato enim ab his triremis unius præfecto, quæ in Hiſtria ad cuſtodiam vectigalium conſtituta erat, Venetiſque ſignis publicæ diſtractis, & ad imum deiectis, rebellis populus apertè ab Imperio defecit: in quem ſtatim bello indicto, maritimæ, terreſtresque copiæ contrahuntur, ſub duobus Legatis, Dominico Michaele, & Creſo Mollino, quorum ille claſſi pręficitur, hic terreſtri exercitui: urbsque his uiribus terra, marique oppugnata, ſtrenue tamen ab oppidanis, Carniſque, qui ibi in præſidio erant, defenſa eſt: dimicatumque ſæpius utrobique ab obſeſſis, & obſidentibus, uario euentu:

Tergeſti defectio.

Dom. Michael, Creſus Mollinus.

mox maiori conatu Veneti bello incumbentes, nouos milites in ſupplementum in caſtra miſerunt. Legati quoque alii creati, Paulus Lauredanus, & Thadeus Iuſtinianus, viri impigri, quorum aduentu compreſſus eſt hoſtium impetus; qui antea crebris eruptionibus Venetos circa mœnia fatigabant: illi autem cernentes urbis periculum, ad Auſtriæ Ducis opes confugerunt: isque cum decem millibus equitum, ac florenti peditatu Tergeſtinis ſuppetias laturus, in Italiam deſcendit, vrbique appropinquans, Veneta continuò caſtra aggreditur tanto impetu, vt momento temporis vallum ferociter occupauit, in fugamque Veneti verſi pene erant, inſignemque omnino cladem à Barbaris accepiſſent, niſi audito clamore ſocii nauales, Thadeo Iuſtiniano Duce adhortante, ſuis laborantibus operã continuò tuliſſent: ſub eorum aduentum hoſtis ferocitas aliquantum remiſſa eſt, creſcenteque certamina barbarum Venetus fœda illata clade profligauit, vna aduerſa pugna Auſtrius fractus, quum cerneret, circa Tergeſtum ſedendo inanem operam ſociis præſtare, Veneto ferociter ubique occurrente, inuitus inde copiarum reliquias in Germaniam abduxit. eius diſceſſu Tergeſtini territi uenia implorata Imperium recépere, victorque Venetus ualido præſidio urbe firmata è prouincia diſceſſit.

Pau. Lau. & Thom. Iuſt.

Venetorũ uictoria.

Tergeſtũ recipitur.

Nouum deinde bellum cum Franciſco Carrario, Patauii Principe, ortum eſt, iniuriaque ab eo profecta multorum malorum originem in Italia præbuit. nam is circa paludes, ac ſtagna ſoli aliquid ſemper adimens, Veneto nomini nouas quotidie offenſas addebat. tentataque eſt per finitimos Principes inter utranque partem reconciliatio, quum patres multis iniuriis adacti, ad arma reſpicerent: prius tamen quàm in apertũ bellum itum, duorum menſium pactis induciis, dederunt Veneti quinque uiros, ac

Bellum cum Carrario.

totidem Carrarius: qui ad locum proficiſcentes de finibus coram agerent. atq; ex Venetis hi fuiſſe dicuntur, Iac. Maurus, Laur. Dandulus, Thad. Iuſtinianus, Iac. Priolus, & Panthaleo Barbus: ex Patauinis Aloyſius Forzata, Argentinus de Agreſendis, Iacobus Caſſa, Ioannes de Horologio, & Frecellinus Caodeuaccha. ſed re per maximas Legatorum altercationes iactata, nil confici potuit.

Quinque uiri pro parte.

Patauinus autem acerrimus Venetorum hoſtis, atrox facinus machinatus eſt: nam quoſdam ſicarios homines ſceleſtos ſubornauit, qui Venetias occulte irent, ac captata occaſione aliquot ex Senatorio ordine viros obtruncarent. puteos quoque ad perdendam ciuitatem veneno infici curauit.

Not. Carrarii. P. inſidias.

Re autem ad patres delata diligens cura adhibita eſt, ut facinoroſi homines tota vrbe perquiſiti, in poteſtatem redigerentur: ex his multi apud plebeiam fœminam cognomēto Gobbam comprehenſi ſunt, in quis fuere Gratarius quidam nomine ex Meſtra oppido, & Nicolaus Tignoſius; qui ſtatim patrum iuſſu per urbem equis diſtracti, ac in quattuor partes ad geminas columnas diſſecti, meritas infandi criminis pœnas luerunt.

Sicariorũ ſupplicii.

ille verò qui percuſſorum oculis Senatores cædendos ſubiecturus fuerat, laqueo necatus: & ne in occultas tyranni inſidias patrum aliqui inciderent, qui ſe Carrario inuiſos ſciebant, armatos penes ſe uiros habebant, a quibus ex domo in curiam tuto comitati deducerentur. Alius quoq; terror ciuitatem inceſſit, ac noua iudicia oborta, eſſe ex Senatorio ordine quoſdam, qui patrum conſilia, & decreta clam Carrario ſignificarent. hi ſtatim Senatu, publicisque muneribus ſummoti, in exilium acti ſunt: quidam etiam perpetuò carcere damnati.

Not. ciuiũ facinus.

ſed Veneti, quum bellum iam prope inſtaret, copias contrahunt, eiſque Raynerium Vaſcum ex Hetruria accitum bellica diſciplina virum ea tempeſtate inſignem præficiunt, mittunturque cum eo in caſtra duo Legati, And. Zenus, & Thad. Iuſtinianus.

Andr. Zenus Tha Iuſt.

ex Meſtra autem Raynerius cum copiis profectus, Medoacum amnem iniecto ponte ſuperauit, Patauinoſque fines ingreſſus, tumultu, & terrore omnia impleuit: inde ad Aponi Balnea caſtra poſita, furibundumque agmen tota regione quicquid illi dextra, leuaque adiacet, uſque ad Patauii mœnia depopulatur. Inde ad Brentulam cum copiis uentum: deficienteque ibi commeatu oritur inter Raynerium, & Legatos diſcordia, ille autem ſubiratus fugienti ſimilis, in Meſtrinum ſe agrum recepit: Imperioque ſe tum abdicaſſe fertur, Deum, hominesque teſtatus, Legatorum pertinacia bene gerendæ rei occaſionem ſibi è manibus extorqueri.

Rainerius Vaſcus ſe imperio abdicat.

veneruntque in ſuſpicionem Legati taciti cuiuſdam in Raynerium odii. re tamen fœliciter geſta, hoſtium oppida occuparunt, in eosque aliquoties proſpere pugnarunt: ratus autem Carrarius ſine externa ope Veneta arma diutiùs haud ſe laturum, Ludouici Pannoniæ Regis, in cuius fide erat, opem implorare cœpit. is verò ſocii, fœderatique Principis periculo motus, terra, marique bellum in Venetos moliebatur. patres & ipſi præter terreſtres copias validam aduerſus Pannonas, & Dalmatas claſſem decernunt, cui Michaelem Delphinum Ducem declaratum præficere, cum duobus Legatis, Petro Iuſtiniano, & Petro Cornelio, qui communi conſilio bellum adminiſtrarent.

Pannonũ motus.

Mich. Delphinus.

Claſſis igitur in altum educta littora, & maria tutiſſima aduerſus hoſtiles motus reddidit. Interim Barbarorum uis ingens ex Pannonia ſubitò in Taruiſinos fines irrupit, atque omnia incendio, cæde, & rapinis deuaſtans, maximum uicinis populis incuſſit terrorem, fugaque paſſim agreſtium fieri cœpta, barbaricusque cuncta proterebat furor. Sed ad euertendos hoſtium conatus, Thadeus Iuſtinianus Legatus cum ſelecta equitum, peditumque manu intrepide eis ad Anaxum fluuium occurrit, prælioque ſtatim circa amnis ripam commiſſo, primò congreſſu Pannon fuſus eſt, tum eum cedentem uictor Venetus alacri clamore inſequitur, multoſque cœdit. poſtea nouo hoſtium equitatu mira celeritate accurrente in ſuorum ſubſidium prælium redintegratur, ac atrocius quàm antea utrinque eſt dimicatum.

Prælio cũ Pannone.

Hinc Veneto, illinc Pannone ad uictoriam anhelantibus, tandem poſt longum certamen barbarus ſuperior fuit, Venetoſque magna clade deuicit. plures enim cæſi in acie occubuere, & Iuſtinianus Legatus, atque una Gerardus Caminenſis magni nominis ductor, capti ſunt: fuſique exercitus reliquiæ confeſtim abductæ Taruiſium metu hoſtiũ conceſſere, Pannonque in Carnorum fines abiit, mox per Bellunenſes, & Feltrinos ducens, ad Baſſanum oppidum citato agmine conſedit, præmiſſaque leui armatura Ve-

Venetorũ clades.

Venetum ad pugnam laceſſebat: ſed quum is intra caſtra ſe teneret, ſublatis ſignis barbarus inde receſſit. Veneti interim ad Lupam Patauini agri locum leuioribus nauigiis Michaele Delphino præfecto illuc accedente, qui è maritima expeditione domũ redierat, præſidinm erexerant, vt ex propinquo hoſtem fatigarent, copiarum quoq; Imperium Alberto Corrigienſi uiro militari diſciplina in Italia claro a patribus datum, treſque ei in belli adminiſtratione Legati additi, Leonardus, & Andreas Danduli, & Petrus Fontana, viri pace, belloque inſignes: ac per eos dies in ſtagnis aduerſus Patauinum res parum proſpere geſta eſt. quum enim locus ad rem gerendam opportuniſſimus a Venetis vallo, foſſaque muniretur, ex improuiſo Carrarius cum valida militum manu eos operi intentos adortus, fudit, ac fugauit, cecideruntque ipſo primò hoſtium incurſu aliquot patritii ſanguinis uiri, & ſagittarii complures, ad naueſque reliqui præcipiti fuga compulſi ſunt: diſſipataque hoc loco tota acies inde ceſſit. At circa caſtra fœliciter poſtea a Venetis dimicatum: nam Stephanus Trãſyluanus Pannonici equitatus ductor, vt præclarum aliquod pugnando facinus ederet, ſtructa acie in prælium proceſſit, Venetumque in caſtra ferociter illatus urgebat: inprouocantem autem barbarum Legatis adhortantibus Albertus Imperator copias intrepide eduxit, iniectoque ſtatim certamine arma magno fragore hinc inde miſcẽtur: ac primo in mediam Venetorum aciem cum fortiſſimorum equitum ala Tranſyluanus incurrit. tum animaduerſo periculo, priuſquàm hoſtium vires inualeſcerent, Corregianus continuò edicit, vt deſilientes ab equis Cataphracti pedeſtre prælium capeſſerent; ipſeque ante alios fulgentibus armis tectus, obeundo aciem, hortatur, iubetque ſuos fortiter pugnare. Legati quoque ſtimulos pugnantibus addunt. tantaq; ſtrenuitate concitatus miles Venetus in Pannonas dimicauit, ut his ſtatim fuſis, fugatiſque, præclaram eo die uictoriam ſit adeptus: nam præter multos ex barbaris in acie cæſos, Tranſyluanus Imperator hoſtium, Bonifaciuſque, & Antonius Lupii Patauini; ac plerique alii Italici nominis uiri Illuſtres capiuntur; ſigna quoque militaria Pannonica, & Carrarienſia in acie diſiecta in Venetorum poteſtatem uenere. ad hæc, baliſtæ, Scorpiones, Arcus, Tentoria, phaleratique equi magno numero intercepti: qua ſuorum clade audita Ludouicus Rex, ad Carrarium, qui bellum iam ferox reparabat, ſcripſiſſe dicitur, vt pacem a Veneto quibus poſſet conditionibus habere curaret: non eſſe, cur a ſe è Pannonia, regnoque ſuo amplius auxilia vlla ſperaret. Hac denunciatione Carrarius permotus, quum etiam Marſilius frater, ac ciues omnes eum occulto odio proſequerentur, pacem inuitus petiit, quam his conditionibus per Legatos impetrauit, ut Veneti quinque uiros crearent, qui fines (de quibus controuerſia vertebatur, ſuo arbitrio adiudicarent, quòd Carrarius in præſentia Venetis quadraginta quattuor aureorum nummum millia perſolueret. Inde per quindecim ſubſequentes annos quattuordecim millia quotannis; tribus millibus paſſuũ ab oſtiis fluuiorum non ædificaret; turris Currania cum finibus Venetorum eſſet; caſtrum nouum, & munitiones haud procul a ſtagnis erectæ diruerentur, captiuos hinc inde utraque pars redderet, ac quotannis ad Aram Diui Marci trecentos nummos aureos tributi nomine Carrarius exoluendos mitteret. Ad hanc pacem his conditionibus ſanciendam Nouellus, Franciſci filius, Venetias acceſſit, atque in Diui Marci ædem primum, inde ad Principis, ac patrum conſpectum in curiam ductus, ſuo, ac genitoris nomine, per ſacras aras, quibus in templo fuerat admotus, iurauit, ſe quæcunque pacta eſſent, inuiolabiliter ſeruaturum. His in hunc modum firmatis, poſt triennium Auſtrium ſecutum eſt bellum: nam Liopoldus, Patauino (ut creditur, inſtigante, Venetis arma inferens, Taruiſinum agrum cum quattuor millibus equitum tumultuoſe inuaſit; ulteriuſq; progreſſus, ac armis ſibi uiã faciẽs, nõ ſine maximo oppidanorum terrore, ad vrbem conſedit. Patres repentino hoſtium incurſu ad vim repellendam conuerſi, copias tumultuario delectu contrahunt, Eſtenſiumque iũctis armis in hoſtes eſt itum. Barbarus ad aduentantis Veneti exercitus famam territus, ſublatis repente ſignis in Carnos abiit, populatuſq; ſociorum agros, magno rem Venetam affecit detrimento: quare Senatus conſulto Germani negociatores, qui in vrbe de more mercaturam exercebant, repente comprehenſi eorum rebus in publicum

Tres Legati.

Veneti uicti.

Stephanus Tranſyluanus.

Albertus

Venetorũ uictoria.

Pax cum Carrario, & eius cõditionib.

Nouellus Carrarius

Bellũ Auſtrium.

Germani negociatores detẽti.

Iac.Caballus.

cum redactis, in uincula coniiciuntur. euocaturque Iacobus Caballus Veronenſis uir militaris diſciplinæ peritiſſimus, cui patres totius exercitus Imperium demandarunt. Is vbi Taruiſium uenit, inſtructo agmine urbe egreditur, atque in hoſtium fines delatus, ad Vnigum caſtra admouit: ibique acri prælio cum barbaris congreſſus eſt, quibus fuſis, ac fugatis, ad Victorias Pilas in Feltrenſi agro locum proceſſit. ibi autem iacet anguſta admodum uallis, per quam Anaxus fluuius præcipiti, uiolentoque labi

Deſcriptio.

tur curſu, ac dextera parte, qua ille impetuoſus, furenſque defluit, ita mõtana ad Feltrum perſtringit, ut peruium ſoli ſpacium, & quaſi uadum quoddam relinquat. dirupto igitur montis latere ad ripam uſque Plauis fluminis vetuſtiſſimus murus anguſtas locorum claudit aſperitates: hinc quoque deiecto, fugatoque hoſte ad Victorium oppidum Venetus quadrato agmine peruenit: quod bellicis machinis, operibuſque ſtatim adortus, paruo temporis momento expugnauit, atque hic ualido militum præſidio relicto, Feltrum poſtea acri oppugnatione tentatum, fœdaque circa urbem populatio facta eſt. ſed audito Feltrenſium periculo Liopoldus, ne ſociorum res aliquod detrimentum paterentur, cum ingentibus copiis ad eos obſidione leuandos accurrit. Venetuſque barbaros non expectandos ratus, demolitis, incenſiſque proximis urbi tectis, depopulatiſque circum agris, in Taruiſinos fines ſe recepit. prærepta mque ſibi pugnandi occaſionem Liopoldus ægre ferens, inſequi Venetos cum armatis legionibus properabat. ſed nouum oblata fortuna conſilium præuertit: cohortem enim medio itinere aggreſſus, quam Caballus ad Baldinæ turris præſidium miſerat, incautam fere omnem trucidauit, multi quoque uiui capti. ſæuientibuſque utrinque armis, Ludouici Pannoniæ Regis interuentu, cum Auſtrio Duce, & Veneto Senatu in-

Pax cum Liopaldo

duciæ in biennium pactæ ſunt, mox & pax firmata, Leon. Danduli, & Petri Cornelii Legatorum opera. Aſciuitque hoc tempore Vrbanus Sextus Pontifex Maximus ſupremo Cardinalium ordini Ioannem Amadeum ciuem Venetum doctrina, & uitæ ſanctimonia uirum inſignem. nec ita multò pôſt Ludouicus Pannoniæ Rex, Aquileienſis Antiſtes, Carrarius Princeps, & Genuenſes fœdus in Venetos percuſſerunt, ac

No.fœdus in Venetos.

terra, mariq́ue, communes vires inter ſe iungentes grauiſſimum bellum in Remp. ad eius ſtatum euertendum parabant. Huius autem belli origo emanauit, quòd Veneti Tenedum Inſulam, Caloioanne Græciæ Imperatore permittente, occuparant. At An

Caloioannes. Andronicus.

dronicus filius non ſolùm Venetos, ſed patrem quoque Caloioannem odio habens, cum Genuenſium fretus opibus deturbare Imperio nitebatur: quod ſenex ueritus, fertur, florentibus Græciæ rebus ſub ſacramenti uinculo Tenedenſibus mandaſſe, ut ſi, quod nollet, aliquid aduerſi, ut ſunt res humanæ inſtabiles & fallaces, Imperio cõtingeret, nulli gentium, præterquam Venetis, Inſulam traderent. Venerat igitur per id tempus in Græciam M. Iuſtinianus Adriatici ſinus præfectus, cum aliquot triremi

M. Iuſtin.

bus; ac Helleſponti parte remenſa, Tenedo, ut aduerſus Genuenſes Inſulam tueretur applicuit. Hic inſulanos periculi admonitos, quod a Genuenſibus, & Andronico imminebat, in fidem recepit, atque ita Tenedus Caloioannis Imperatoris conſenſu Ve

Tenedum Veneti occupant. Don Tronus.

neto acceſſit Imperio: præſidioq́ue arci impoſito, Donatus Tronus, uir impiger, Inſulę preficitur, & Iuſtinianus cum tota claſſe Venetias reuerſus eſt. At audita Tenedi alienatione Genuenſes indignati, quòd nobiliſſima Inſula in Venetorum poteſtatem ueniſſet, cum Andronico ſtatim ſocia arma iunxere, ad Tenedumque oppugnandum Lygur, Gręcuſque cum claſſe profecti, oppidum ferociter aggrediuntur. Miſerant autem Veneti cum duabus triremibus Antonium Venerium ad Inſulę preſidium, ac Donati Troni loco Carolus Zenus, uir bellicis artibus admodum clarus ſurrogatus,

Ant.Venerius. Carolus Zenus. Genuéſiũ claſſis.

Tenedenſem rem adminiſtrabat. aderant & milites ex Italia miſſi. Hoſtes igitur cum tribus & uiginti triremibus, ac duabus onerariis Tenedum inuadunt, reſque armis vtrinque geri cœpta eſt. Verùm Zenus non ſolùm a mœnibus Lygurem, Græcumque reiecit, ſed eruptione ſubito facta ingentem eorum cædem ædidit: quare abducta inde claſſe hoſtes trepide abierunt. Dum hæc in Græcia geruntur, Carrarius Princeps, & Aquileienſis Antiſtes uno tempore in Italia aduerſus Venetos arma inferunt, in Taruiſinumque agrum eorum exercitus progreſſi, omnia terrore, & uaſtitate complent. At patres quum bellum terra, marique moliri in eos quattuor potentiſſimos

Principes inito inter ſe fœdere conſpicerent, & iam armis res gereret, ut uim ui repellerent, confeſtim uiginti triremium claſſem ſub Victoris Piſani imperio eduxere, cui publica in Diui Marci æde Princeps dedit hæc uerba, quæ in Imperatorio uexillo tradendo enunciari ſolent, de more affatus, Elegit te Deus, ut dextera tua fines noſtros late circumtueri ualeas, turbanteſque rerum noſtrarum ſecuram, & iuſtitia partam quietem, diuina uirtute repellas: quapropter hoc formidatum hoſtibus uexillum tibi creditum Victor, ſoſpes, & incolumis, patriæ redde fœliciter. Duo quoque Legati creantur, Panthaleo Barbus, & Ludouicus Lauredanus, qui pari poteſtate cum Imperatore maritimum bellum adminiſtrarent.

Claſſis Veneta. Victor Piſanus Imperator. Verba P. in tradendo uexillo

Claſſe itaque portu educta, ad hoſtem Piſanus in Lyguſticam oram adnauigauit: qua peruagata, plurima Genuenſi damna intulit, nauibus, hominibuſque in captiuitatem abductis. excitique hoc Venetorum motu Genuenſes decem triremes celeriter urbe ſub Ludouici Feſcii imperio emittunt. Piſanus autem apud Antium in maritima Latii ora ſtationem habebat: qui audito hoſtium aduentu claſſem ſubito ad pugnam inſtruxit, ſuiſque corpora curare iuſſis, in hoſtem uadit. nec Feſcius prelium detractauit, concurſumque utrinque alto mari animis furore accenſis, ac medio conflictu ſubito tempeſtate coorta, cæco, uarioque Marte dimicatum, nouemque tantùm ex Veneta claſſe triremes, totidemque ex Lyguſtica prælium inierunt, in quo poſt longum & atrox certamen, obſtrepentibus, uento, pluuia, grandine, Lygures uicti profligantur, ſexcentique ex his cæſi, ac octingenti cum Feſcio claſſis præfecto capti ſunt.

Lud Feſcius.

Hac Piſanus potitus uictoria in Euboenam uenit: inde in Tyrrhenum delatus, Lyguſtica littora populabundus adiit: reuerſus poſtea in Adriaticum Senatus iuſſa in Hiſtriæ ora præſtolabatur. Nec hoſtes interim in ocio fuere, qui Cypri Regem Venetorum ſocium bello aggreſſi, Famaguſtam Inſulæ urbem & emporium nobiliſſimum ſubita ui occuparunt; iniuriæque illatæ cauſa inde orta dicitur, quòd quum Petrini Regis ſolemni conuiuio in coronationis die Venetus Bailus Genuenſi prælatus fuiſſet, ſtimulante inuidia, Lygur in Regem, ac Cyprios, qui Venetis fauebant, arma ſtatim induit.

Genuẽſiũ clades. Not. belli cauſam.

Tenente itaque Famaguſtam Lygure, accidit, ut Vicecomes Inſubrum Princeps filiam adoleſcenti Regi in matrimonium locaret: & quum eam ſtatuiſſet in Cyprum ad uirum tranſmittere, a Venetis per Legatos petiit, ut ſex triremes publicè inſtruerentur, quibus puella in Inſulam aducta regias nuptias celebraret: ipſe uerò ob id mille & octingentos equites ad Genuenſium res infeſtandas ſuo ſtipendio armare in treis proximos menſes pollicitus eſt. His pactis puella incolumis honorifico comitatu in Cyprum uenit, exceptaq; eſt a Rege magnificentiſſimo apparatu ad Ceruniam Inſulæ oppidum: & quum recipiendæ Famaguſtæ ingens cupido Regis animum inceſſiſſet, Venetos ipſe ſummis precibus orauit, ut uellent, ſociis armis urbem oppugnare.

Fœdus cũ Cypri Rege.

Habebant autem Veneti ſex lõgas naues, quibus puellam in Cyprum uexerant; Rex alias quinque his adiecerat, militeſque in his non pauci inerant, uiri fortiſſimi. Ad oppugnandam igitur urbem Veneti, Cypriique accenſi, portum primò aggrediuntur, magnoque impetu Lygure repulſo portum occupant; ubi tribus hoſtium onerariis nauibus captis, mœnia propius ſubeunt; admotiſque pluribus locis ſcalis, remiges, ſociique nauales per tela, per ſaxa unus poſt alium intrepide in ſummum euadunt. At Genuenſes, Famaguſtanique impetu in ſubeuntes facto, eos cum multa cæde a muris penè occupatis deturbant, unde plerique in præceps deiecti, deuolutique perierunt. cæterùm creditum eſt, ſi Regii eo ardore, quo Veneti dimicaſſent, urbs facilè recipi potuiſſet.

Famaguſtæ oppugnatio.

Re itaque parum fœliciter tentata, Venetæ triremes ſex numero, quorum ſingulis Ioan. Emilianus, Fr. Bocholus, Petrus Quirinus, Fr. Foſcolus, Ioan. Barbus, & Fr. Mocenicus pręerant, inde profecti, in Syriam curſum tenuerunt: multaſque ea nauigatione clades Lyguri intulere: ac poſt Cetheam, Spinaregiam nomine, quæ precioſiſſima merce onuſta erat, captam, in Adriaticum ſinum reuerſæ, ſe ſe maiori claſſi circa Iaderam coniunxere.

Triremiũ præfecti.

Itaque cùm duo de triginta roſtratis nauibus ad Catharum oppugnandum, quod olim Aſcriuium appellabatur, in intima Illyrici maris parte ſitum, Piſanus Imperator tranſcendit, erat tum id oppidum in Ludouici Pannoniæ Regis poteſtate, eiuſque ualido præſidio firmatum, tentatique primo oppidanorum animi, qui ferociter minis,

Aſcriuiũ.

nis, probriſque additis, ſuperbum reſponſum dederunt. Ira ob id accenſus Piſanus, admota claſſe, expoſitiſque in terram copiis, urbem ſtatim aggreditur, tantaque ſtrenuitate a Venetis dimicatum, ut momento temporis urbs occupatur; ars quoque in deditionem uenit, prædaque ingens parta, militem, naualemque turmam ditauit.

Cathari expugnatio, a Venetis.

Catharo expugnato, eoq; ualido militum firmato præſidio, Piſanus cum quinque & uiginti triremibus ex Illyrico in Calabriam tranſiit, ac circa Tarentum nauigans, Lyguſticam claſſem, quæ per eos dies Genua egreſſa, in hæc maria uenerat, offendit: vt eam autem ad certamen compelleret, Venetus ad Lacinium promontorium haud procul a Tarento conſedit; & hoſtes prælium detrectantes, ſe ſe in altum proripuere: inſtatque continuo fugienti Piſanus pugnæ auidus, aſſimulanſque Lygur naualem cum Veneto congreſſum, nouo aſtu claſſem diſponit, arma parat, ſigna erigit, quod Piſanus conſpicatus, & ipſe curſum ſiſtit, ad pugnam ſe, ſuoſque præparans. hoc temporis ſpacio, & mora facta, Genuenſes ſtatim uelis, remiſque innixi, fugam arripiunt, Venetumque inſequentem triremium ſuarum agilitate, nunc huc, nunc illuc volitantes, eludũt.

Hoſtium fuga.

Abiit itaque hoſtis per ocium, in Dalmatiamque incolumis profectus, ad Iaderam conſedit. Piſanus, quia nullus in ea terra locus Venetis patebat, ad leuam in Appulum littus curſum tenuit, miſſæque ſunt ab urbe in ſupplementum ad claſſem augendam quinque longæ naues, quæ tres Lyguſticas triremes diu inſequutæ, in Iaderæ vſque portum fugarunt. Inde Venetus omiſſo hoſte, Brunduſium conceſſit, ob Lyguſticæ claſſis metum, quæ haud procul aberat. Piſanus autem cognito ſuorum periculo, confeſtim cum tota claſſe in hoſtem mouit, adiunctiſque illis quinque nauibus longis, triginta triremes præter alia minora nauigia ſub ſuo habuit imperio: quibus viribus fretus, formidabilem toto mari claſſem ductabat. Genuenſeſque ob id Venetorum cõgreſſum euitantes, Tragurium ſe ſe celeri curſu contulerunt. Dum autem hæc mari geruntur, circa continentem Carrarius Princeps Pannonum, Carnorumque opibus comparato ſupra ſexdecim armatorum millia exercitu, Meſtram oppidum obſidione cingit.

No. Hoſtium copias.

Veneti autem ad eius loci præſidium validam trecentorum militum manum, ſub Nicolao Gallianico, Lucenſi, & Hirco Piſano Ducibus, viris fortiſſimis, mittentes, oppidum egregie munierunt. Bellicis tamen operibus Carrarius Meſtrinos adortus, ad deditionem compellere tentauit, multaque prælia circa uallum commiſſa. in Laurentianumque ſuburbium hoſtes irrumpentes, maximum oppidanis terrorem incuſſere. poſt multos tandem conatus, militum uirtute, ac Fr. Delphini oppidi præfecti ſtrenuitate non ſolùm mœnia ſunt præſidio retenta, ſed hoſtis cum ignominia, & cæde eſt repulſus, atque paucos poſt dies obſidionem inde motis repente caſtris ſoluere coactus.

Meſtra obſidione liberatur.

In mari vero Piſanus cum ſeptem & triginta triremibus in Dalmatiam tranſgreſſus, Siccum terreſtri, maritimaque oppugnatione inuadit: ſed primùm tentati ſunt oppidanorum animi, quorum ſuperbo reſponſo permotus Piſanus armis Siccenſes aggreditur, tantuſque fuit ab initio naualium, terreſtriumque militum in Imperatoris conſpectu ardor, & ſcalis pluribus locis mœnibus admotis, perfoſſoque magno uinearum, arietumque impetu muro, vt oppidum momento temporis captum Veneti occuparint, ab irrumpentibuſque cædes ciuium ingens facta eſt; in arcemq; reliqui ſe recipientes, quæ in ſummo cliuo iacet, uictoribus ceſſerũt, quã tamẽ Piſanus cõſulto oppugnare deſiit, ne Genuenſes, qui haud ꝓcul cũ inſtructa claſſe aberãt, improuiſã aliquã inferrẽt cladẽ.

Siccum capitur.

Itaque munitiſſimi oppidi expugnatione contentus eo direpto, ac incẽſo, Piſanus cũ tota claſſe inde abiit, prędaq; ingẽs Siccẽſiũ ad naues relata, turmas ditauit. Ad Traguriũ poſtea itũ, qđ oppidũ fruſtra Venetus tẽtauit: nã Dalmatarum, ac Genuenſium armis reiectus non mediocri clade affectus eſt. multi enim viri fortes ſub mœnibus pugnando cecidere, & in his Lucas Vallareſſus patritius naual i ſtudio clarus. Dimiſſo poſtea Tragurio, cuius difficilis oppugnatio videbatur, Arbam Inſulam Venetus adortus occupauit, ubi impoſito militum, ac ſagittariorum ſub Franciſcini Contareni ductu firmo præſidio, iterum Tragurium armis tentaturus adiit. verùm irriti (ut antea) Venetorum fuere conatus. Abſceſſitque infecta re Piſanus, cum tota claſſe in Hiſtriam ſe contulit, vbi Senatus iuſſu hybernans, inclementia hyemis naualem penè omnem turmam amiſſit: nam

plu-

plurimis fame, ac frigore in horas decedentibus, ad eam remigum, turmarumque infrequentiam ventum eſt, vt vix ex triginta & amplius triremibus, bis ſenæ legitimè inſtrui potuerint. Sed ad prima Veris ſigna, vndecim longæ naues nouo apparatu eductę, in prouinciam ex vrbe ad Piſanum mittuntur. Interim duodecim Lyguſticæ triremes in Adriaticum ſinum delatæ, duas onerarias Venetorum naues Anchonitano portu Picentum perfidia, intercepere, quarum una ſubiecto igni in conſpectu vrbis à Lygure combuſta eſt. Veneta autem claſſis in Appuliam proceſſerat, ac inter nauigandum quindecim hoſtium triremes obuias alto habuit. Piſanus ad primum eorum conſpectum tormenta bellica, & miſſilia, ſtatim per naues pugnandi conſilio diſponi iubet: idem Genuenſes faciunt: atque vbi ad iactum teli ventum eſt, procul bellicis machinis, catapultis, baliſtis, uariiſque miſſilium generibus vtraque claſſis ſe inceſſebat, ceciditque ea tumultuaria pugna Lyguſticæ claſſis præfectus, nomen eius Veneti, exterique annales non habent. Piſanus quoque ſagitta ictus eſt, mox dirempto certamine, Lygur, Venetusque hic in Hiſtriam, ille Iaderam in Illyricum ſe recepit. atque eodem tempore Patres quinque longas naues optime inſtructas ſub Caroli Zeni auſpiciis ad Genuenſia littora infeſtanda in inferum mare emiſſerunt. multęque ab his clades in Lyguſtica illa ora hoſti illatæ ſunt. At Piſanus, qui Polæ cum triremibus vna & viginti ſubſederat, è portu exiens, Genuenſium quattuordecim longas naues inſequebatur: illi autem, quum per eos dies decem aliæ è Genua in ſupplementum veteris claſſis aduenissent, quarum clandeſtinus aduentus Venetis ignotus fuerat, eas poſt promontorium Polæ propinquum in inſidiis locarunt. itaque ut Piſanum ad pugnam prouocarent, gladiis vibrantibus cum quattuordecim tantùm triremibus Genuenſes ſubito apparuerunt. Piſanus verò ex ſuis quinque triremes in terram attrahi iuſſerat, vt palmigatione facta agiliores eæ in pugna redderentur; aliquid tamen inſidiarum hoſtili in claſſe vir naualis diſciplinæ callentiſſimus ineſſe ſuſpicans, prælium detrectabat: ſed ductorum quorundam importunis vocibus inſtigatus, qui meticuloſum illum vocitabant, pugnam inuitus iniit, primusque (ne timoris argueretur) in hoſtem vadens, eum ferociter alto mari aggreditur, excepitque Lygur irruentem Venetum pari audacia, pugnatumque eſt aliquandiu ab utraque claſſe ancipiti prælio; interim prætoria Piſani longa nauis præfecti Lyguris triremem infeſto curſu inuadit, quam Lucianus Doria ductabat, totius Lyguſticæ claſſis Imperator, ambæque prætoriæ naues congreſſæ, cruentam inuicem ædebant medio mari pugnam. Venetusque Genuenſem armis grauiter premebat, & iam Lucianus Doria hoſtium Imperator, Donati Zeni lancea transfixus ceciderat, triremiſque ipſa prætoria, Venetis ſuper eã intrepide inſilientibus, occiſo Duce momento temporis capitur. Cæterùm Lygur, ſæuiente utrinque Marte, diſſimulato metu ſenſim, vt Venetum ad inſidiarum locum pertraheret, retrò cedere cœpit: vbi vero cò uentum eſt, tum hoſtes confeſtim ex inſidiis coorti, cum decem triremibus Venetos nil tale opinantes inuadunt, nouaque pugna repente enata Venetos turbauit: excepit tamen Piſanus fortiter recentium hoſtium impreſſionem, pugnatumque acerrime aliquandiu: verùm Lygure integris viribus in prælium ruente, ingens Veneto metus incutitur, & iam quinque illæ triremes quæ ab initio in Polenſe littus palmigandi cauſa attractæ ſuis opem ferre debuerant, fugam circumſpectabant. reliquæ quoque Venetorum triremes trepidare cœperunt: tum hoſtes cum clamore, & ſtrepitu coorti, Venetos urgent, quorum res iam perdita, deplorataque erat, Piſone Imperatore necquicquam pugnam redintegrare conante. Profligantur itaque momento temporis a Genuenſibus Veneti, ac quindecim eorum triremes cum ductoribus, turmiſque in hoſtium poteſtatem uenere, & ſupra duo millia hominum ea pugna capta, cæſaque dicuntur. Piſanus verò Imperator medio certamine ægre reuulſus, cum Michaele Stenno, & Ioanne Triuiſano trepido curſu Venetias verſus ſe recepit, ſexque tantùm ex viginti vna triremes euaſere: qua clade omne ferè maritimi apud Venetos belli robur amiſſum eſt: nam præter multorum cædem, capti ſunt hi viri patritii, Marinus Capellus, Donatus Zenus, Ioannes Michael, Nico. Bragadenus, Ioannes Vidorus, Paulus Bembus, Peratius Maripetrus, Nic. Superãtius Petrus Zenus, Ber. Vallareſſus, M. Superantius, Donatus Donato, & Petrus Vido, qui ſingu-

Mo claſſis iacturam.

Pugna eminus inter claſſes.

Genuẽſiũ inſidiæ.

Preliũ cũ Genuenſibus.

Luciani Doria interitus.

Venetorũ clades.

Captiua nobiles.

ſingulis triremibus præfuerant, Genuamque captiui omnes abducti ſunt. Hac uerò clade ciuitas affecta in metum de ſumma rerum incidit: hoſte enim feroci, acerrimoque imminente, publicè hoc incommodo mari accepto Venetis ad alteram claſſem inſtruendam uires deerant: poſtmodum ob rem malè geſtam Patrum iuſſu, Piſanus, Stennus, & Triuiſanus, in vincula coniiciuntur. Lygur interim tanta potitus uictoria, captiuas Venetorum triremes Iaderam perduxit, easque uiris, ac armis inſtructas cæteræ claſſi ſuæ adiunxit; itaque ſupra quadraginta longæ naues mira celeritate ab hoſte contrahuntur: & cum his Lygur in Hiſtriam reuerſus, paruo negocio finitima vrbi oppida, Humagum, Gradum, & Caprulas occupauit, ac onerariam vnam alto inſequutus, quam Thomas Mocenicus ductabat, captam, direptamque in conſpectu totius ciuitatis combuſſit: inde metu, ac ſtupore Venetorum animos occupante, hoſtis acer Peleſtrinam inuaſit, quo loco direpto, & incenſo, recta Clodiam profectus eſt, vrbis finitimæ occupandæ ſtudio cum octo igitur. & quadraginta triremibus, aliiſq; leuioribus nauigiis, Petro Doria Duce Genuenſes Clodiam aggreſſi ſunt, & paulo poſt Carrarius Princeps cum paratiſſimis copiis ſe Lyguſticæ claſſi coniunxit, oppidumque & terra, & mari continuò cœptum eſt oppugnari.

Piſanus et alii in uincula conjecti

Not. Genuenſium claſſem.

Clodiæ ſitus.

Sedet Clodia Venetæ ferè urbis inſtar ab Oriente, meridie, & Septentrione aquis cincta: ea autem pars, quæ ad Occaſum ſpectat, continenti ita cohæret, ut exiguo ponte in eam tranſitus pateat: ibique per quingentos fermè paſſus, longe, lateque, uineta, prædiola, hortique admodū feraces, accolarum ſtudio, & induſtria uiſuntur: nec Salinæ, piſcationeſque, & aucupia deſunt, ex quibus ingēs quæſtus comparatur, Oppidi forma oblonga eſt, ac introrſus nauigabiles riui. portus autem latiſſimo oſtio ad mille paſſus a Clodia diſtat: Caſtellumque ibi conſtitutum portus fauces, & littora munit proxima, per quæ comentitiæ caſæ, tuguriaque paſſim diſpoſita pulcherrimo & amœniſſimo ſitu ſpectantur, lintreſque per interiectos toto illo ſolo riuulos, & lacunas, citro, vltroque commeāt. Veneti hoſtium timentes incurſum, paucis ante diebus Clodiam firmò militum præſidio, armis, ac commeatu munierant: nam præter oppidanos, tria millia armatorum ſub quattuor fortiſſimis centurionibus, Baldo Gallutio, Nicolao Darſerio, Hirco Piſano, & Nicolao Gallianico inerant: vrbis præturam gerebat Petrus Hemus cum duobus Legatis Nic. Contareno, & Ioanne Mocenico. Hoſtes autem ex quatuor nationibus, Genuenſes, Pannones, Patauini, & Carni, ſupra uiginti millia, cum quadraginta octo triremium claſſe, aliiſque minoribus nauigiis, Clodiam terra, mariq; circumſedentes, duabus acerrimis oppugnationibus inuadunt, priore, & ſi atroci, & horribili, quippe quæ ab aurora ad veſperam vſque per ingentem utrinque cædem protracta eſt, ſalua tamen ciuitas permanſit: altera verò reiectis maiori conatu propugnatoribus, hoſtis in mediam vrbem irrupit, obtruncatiſque paſſim militibus, & oppidanis, ingens cædes ędita eſt. Petrus Hemus prætor, Nicolaus Gallianicus, & Baldus Gallutius Centuriones capiuntur. Hemus tribus millibus aureorum nummum perſolutis ſe redemit, Gallianicus autem, & Gallucius a Carrario capitali ſupplicio ſunt affecti. eaque Clodiæ expugnatione ad ſex hominum millia cecidiſſe dicuntur, quorum pars maxima Oppidani, Venetique fuere.

Centuriones, Petr. Hemus. Nic. Côt. Io. Moce.

Not. Gen. ter. & ma. copias.

Clodiæ expugnatio.

Vrbe capta Genuenſium ſigna, Ludouici Regis, ac Carrarii Principis ædito ſunt loco præfixa. Inde Bebiæ, Lauretum, ac caputaggere deditione facta in hoſtium poteſtatem uenere. In magno itaque res Veneta diſcrimine conſtituta, fluctuabat, hoſtiumque propinquitate ad arma tota ciuitate ſubito eſt conclamatum, multitudoque populi ingens in forum armata accurrens, quicquid areæ ante curiam, & Diui Marci ædem iacet, compleuit, nulliuſque Ducis imperio regebatur, quum attoniti, ſtupenteſque omnes trepidarent. Accedebat ad hæc, mulierum fletus, & ciuium lamentatio, complorantium tum publicam, tum priuatam fortunam, dolere omnes, manus ad cœlum tendere, libertatem, ſalutemque dubiam animos omnium afficere: alii aurum, gemmaſque, & precioſa quæque, aut ad hoſpites in ſuburbana loca tranſmittebant, aut in ſacris ædibus, antiquiſve monumētis occultabant: factaque plerique de more Chriſtiano confeſſione, ueluti in extremę uitæ hora poſiti, Euchariſtiam ſumpſerant. omnia enim luctus, & pauoris erant plena, quum uulgo quisque crederet, Genuenſem uictorem breui cum tota claſſe affuturum,

Not. in urbe Veneta metum

rum,

rum,qui trucidatis omnibus, Venetum Imperium,nomenque deleret. Crediderunt multi,ſi in ea trepidatione Lygur claſſem continuò ad urbem admouiſſet,quòd Carrarius Princeps ſæpe (Genuenſes vt facerent) monuiſſe dicitur, Venetam urbem eo die aut capi,aut in ſummum diſcrimen libertatem adduci potuiſſe. Sed mortalium animi in proſperis rebus plerunque oblucinantur: multiq́ue reperti ſunt, qui egregie norunt uincere,ſed uictoria(teſte illo Maharbale)uti neſcierunt. Clodia capta, finitimis circa ſtagna oppidis amiſſis,marique ab hoſte undique infeſſo, annona & rerum omnium inopia ciuitas laborare cœpit, quibus rerum anguſtiis Veneta gens plurimùm torquebatur,uulgo omnes fremere,ac palam dolere;neminem eſſe,qui in tanta fortunæ acerbitate publicam ciuitatis curam ſuſciperet, impendentibusque præſenti aliqua ope malis occurreret;unum eſſe dicere Piſonem,qui præter uigorem animi,& rei naualis peritiam,multum gratia,authoritate,& conſilio ualeret; hunc certe fore,qui maritimo Imperio ſuſcepto,ſaluam patriam reddere poſſet. Verùm illum ipſum paucorum inuidia in vinculis eſſe, cui ſi priſtina libertas, & dignitas redderetur,res Veneta facile in meliorem ſtatum erecta reſpiraret. Hæ uulgi uoces de Piſone in curiam allatę,Patrum animos uehementer accenderunt,ad eum è cuſtodia educendum.Itaque vocato ſtatim Senatu,totius ampliſſimi ordinis conſenſu Piſanus in priſtinam non ſolùm libertatem è carcere ereptus reſtituitur, ſed paulò pòſt etiam naua li dignitate,& maris Imperio ornatur,factoq́ue ingenti populi concurſu ſummo mane è carcere eductus,in curiam aſcendit,vbi Principem, & patres hilari fronte ſalutauit;ad eum autem Princeps conuerſus,Fuit tempus(inquit) Victor, quo a Iuſtitiæ tramite nulla unquàm ratione diuertere conſueuimus,nunc cum gratiarum etiam actione erratis venia danda cenſuimus;te ob cladem in Hiſtriæ ora acceptam more maiorum carceris pœna damnari, nunc te è cuſtodia liberandum duximus, ut patriam, quæ te genuit, atque aluit, defendas: tu illam obliterata iniuriæ publicæ memoria, ſuſcipe,atque ea,qua vales,animi præſtantia,iacentem erigere feſtina: in virtute ſiquidem tua conſeruandæ in perpetuum Reip.ſpes omnes ſuas ciuitas coniecit. Ad ea Piſanus,Scio(inquit)Princeps optime,quicquid in me publico decreto, antea ſtatutũ fuit,iuſto dolore proceſſiſſe,atque ego (ut probum decet ciuem) ueſtris parui libens mandatis,carcerisq́ue damnationem patienter tuli:id iure,an iniuria factum ſit, Dii immortales norunt: illud tamen affirmare debeo, ſapientiſſime omnia fieri, quæ è Rep.fiunt. Cæterùm quando pientiſſimo veſtro decreto me hodie è cuſtodia liberandum duxiſtis,animam,uitamq́ue hãc patriæ deuoueo. Atque utinam is ſim, qui in tãto diſcrimine eam labantem ſuſtineam:quòd ſi bellico illo uigore carebo, quem præſens temporis conditio expoſcit,præcipuam certè charitatem ſcio, ad procurandam cum aliis ciuitatis huius ſalutem mihi non defuturam. His a Piſone grauiter dictis, Princeps,Patresq́ue eum amplexati,domum dimiſerunt: tum vidiſſes vniuerſum fermè populum ſubſequentem applaudare, exultare, congratulari, fauſtaque illi , ac Reipubl.ominari: & quia res dilationem non patiebatur, poſtridie Piſanus militari ſagulo cinctus,cum ingenti armatorum manu in forum deſcendit ; inde in littus, ad vrbis portum tranſgreſſus,copias contrahit,ac in aciem diſponit, vt ſi hoſtis aliquid ea parte moueret, aduerſa arma experiretur. poſtea ad munitionem portus conuerſus,murum ampliſſimum conſtruendum curauit,qui dierum quindecim ſpacio ſumma eius diligentia,milite,remigeq́ue operante, erectus fuit: cathena ad hæc craſſiſſima ad Iudaicam prætenta, conſtitutæ præterea paſſim nocturnæ ſtationes, ac per ſex vrbis regiones, quibus ciuitas diuiſa eſt, viginti armatæ cymbæ diſpoſitę, ſinguliq́ue Patritii uiri fortes dati, qui eas regerent, ita vt bis denæ cymbæ ſingulis regionibus ad earum cuſtodiam attribuerentur, circuirentq́ue die, noctuque attentiſſima cura ciuitatem,ne ea aliquo hoſtium clandeſtino incurſu, inopinaque clade afficeretur. Dum hæc in vrbe a Piſone maturæ curantur, miſere Patres ad Carrarium Principem,qui eum publico nomine rogarent, vt arma aduerſus vicinum populum deponeret,nec Venetam tam atroci bello libertatem in diſcrimen adduci pateretur, pacemq́ue amicæ ciuitati daret,quæ Patauini nominis ſemper ſtudioſa fuit. Ad ea autẽ Carrarius,ſuperbo ſermone pauca hæc reſpõdens,Nũquàm cũ uobis, ait, Veneti de pace

Nota de Carrario.

Not. ciuitatis iudicium de Piſano.

Piſanus è carcere liberatur.

P. uerba ad Piſanũ.

Piſani Reſponſum.

No. urbis munimina.

Not. Carrarii ſuperbum reſponſum.

acturi ſumus, niſi prius equorum, qui infrenes ſuper Diui Marci templo poſiti ſunt, habenis, loriſque ora conſtringamus. Genuenſes interim cum tribus, & triginta triremibus, inſeſſis internis aquis, ad Methamaûcum uſq; proceſſere. his Thad. Iuſtinianus, q ad almi Spiritus fanũ cũ quinq; triremib. ac minorib. aliis nauigiis ſtationẽ habebat, occurrens, rem impigre gerebat: nec interim pauci quotidianis armorum congreſſibus ex vtraque claſſe cadebant: in littoribus quoque nonnunquam uario euentu dimicatum. copiiſque Venetis præerat Iacobus Caballus Veronenſis vir militaris rei peritiſſimus, ac fide in Remp. ſingulari, qui toto belli tempore militare Imperium ſtrenue adminiſtrauit ſubito poſtea acceſſu Carolo. Ludouici Pannoniæ Regis filio, cum decem barbarorum millibus ad Taruiſium aſſidente, tres Legati, Nic. Maurocenus, Ioannes Gradonicus, & Zacharias Contarenus eò regia in caſtra a Veneto Senatu miſſi ſunt, qui apud Carolum publicam cauſam agerent: nam is a patre miſſus in Italiam ea de cauſa veniſſe vulgo ferebatur, vt pacem, ſi fieri poſſet, auditis partium Oratoribus, ex regia dignitate componeret. ſub eius igitur aduentum, legationes confœderatorum Principum, & Veneti Senatus, in Taruiſinum agrum conuenere. habitaque inuicem ſuper pace longa diſputatione, re infecta Carolo arbitro diſceſſum eſt: nam iniquiſſima, ac impudentiſſima hoſtium poſtulata erant, ad quæ Venetorum animi nullo modo demitti potuerunt, quin ſatius duxerunt patres, publicum decus reſpicientes, extrema omnia pati, quàm Venetum nomen iniquiſſimæ pacis conditionibus deformare. Itaque dolore ex hoſtili inſolentia in iram verſo, Senatuſconſulto iubentur Legati depoſita pacis actione, confeſtim domum redire, bellumque ſummis conatibus reparatur, itumque eſt, quarta noctis vigilia cum quinquaginta paruis nauigiis, Duce Ioanne Barbadico, ad oppugnandum hoſtium præſidium circa Albani Foſſam, vbi triremis una Lyguſtica, cui Bartholomeus Vzerius ex Sauona oriundus, præerat, ſtationem habebat: hanc Venetus ſubitò adortus, ſagittarum multitudine petitam, oppreſſamque capit: & quia refluxu aquarum triremis ægre in tutum reduci poterat, ibidem ſtatim a Veneto iniectis flammis, incenſa eſt. capiuntur & alia duo nauigia minora, ex quibus centum, & quinquaginta Genuenſes in poteſtatem redacti ſub cuſtodia in urbem miſſi ſunt. Hoc proſpero ſucceſſu ciuitas plurimum lætata, in ſpem melioris fortunæ erigitur: etenim antea aſſiduæ clades ita eam concuſſerant, vt res Veneta prorſus videretur omnibus deplorata: nouaque lux hac uictoria in tot tenebris quodammodo oriri viſa. inde paſſim totius populi iactari cœptæ ſunt uoces, indignantis, tam deſidem factam ciuitatem, ut in apertam cum hoſte dimicationem ignauo eo quodam timore correpta exire non auderet; degeneres Venetos factos eſſe, ab illa maiorum ſuorum indole, qui toties terra, marique uiribus longe inferiores Lygurem deuiciſſent, nunc vno fortunæ ictu concidiſſe Venetam illam animi generoſitatem: prodeundum igitur eſſe in aciem, ac ferro rem agendam, quum omnes animati ſint, aut uincere, ſi cum hoſte manus conſeruerint, aut ſi fata obſtabunt, mortem pro libertate fortiter oppetere. Huiuſcemodi ſermonibus in curiam delatis, ne in tanto animorum omnium conſenſu, patres Reip. deeſſent, fit ſtatim Senatuſconſultum, ut primo quoque tempore triremes quadraginta ab bellum inſtructæ in Genuenſes armentur, quarum Imperium Contarenus Princeps haberet, duoque ei Legati additi, uiri arte nauali clari, Victor Piſanus, & Dominicus Michael: declarati quoque ſingularum nauium præfecti; hi autem fuere, Petr. Mocenicus, Mich. Stenus, Al. Maurocenus, Her. Venerius, Pet. Iuſtitianus, Al. Lauredanus, Laur. Gradonicus, Ioan. Triuiſanus, Leon. Dandulus, Vitalis Landus, Gaſpar Maurocenus, Iacobus Mollinus, And. Donatus, Ioan. Emilianus, Federicus Cornelius, Dard. Georgius, Laur. Bembus, Leon. Maurocenus, M. Falerius, Philippus Mollinus, Paulus Quirinus, Fant. Arimondus, Tho. Minotus, Leon. Bragadinus, Paulus Falerius, Laur. Contarenus, Don. Barbarus, Iac. Surianus, & Ioannes Penzinus, uiri omnes claro ſanguine orti, & maritimis rebus aſſueti, tantoque ſtudio a cunctis ciuitatis ordinibus res naualis curata eſt, ut intra paucos dies quattuor & triginta triremium numero expleto hoſtium incurſus nequaquam amplius timeretur: reliquæ ex nautarum, remigumque paucitate armari non potuerunt: aliæ quoque duodecim longæ naues partim

tim

Iac. Caballus.

Car. Lud. Regis filius.

Legati.

No. Patrũ cõſtantia.

Triremis hoſtium capta.

Not populi querelas.

No. Senatuſconſultum de armanda claſſe.

Triremiũ præfecti.

Quatuor, & triginta triremes.

tim ſub Victoris Piſani, partim ſub Thadei Iuſtiniani Imperio in armis erant, remque in hoſtes circa ſtagna impigre gerebant: quattuordecim item triremes foris Carolum Zenum uirum pacis, bellique artibus inſignem ſequebantur, quibus ille egregia in hoſtes toto mari facinora edidit. Bichignonemque illam nauim ad Rhodum opulentiſsimam cepit, in qua oppugnanda ſagitta uolitans ei ſiniſtrum oculum effodit, atque eodem temporis momento ferreum iaculum ex nauis altiori parte demiſſum, in eius pedem infixum eſt.

XII. triremes. XIIII. triremes. Bichignona nauis capta. Car. Zeni uulnera.

Interea Contarenus Princeps ad exercendas remo nauales turmas, qui ferè omnes opifices in noua claſſe erant, a Iudaica regione uſque ad littorale Diui Nicolai fanum urbanis aquis quotidie claſſem agebat. conuocatoque ſæpe concilio aliqui cenſebant, in præſentia cum hoſte confligere: nonnulli pugnam in Zeni aduentum trahere ſatius ducebant, ut maiori nauium, bellatorumque numero tutior congreſſus foret. Interim exhauſto ærario, ac Reip. opibus belli cladibus exinanitis, decreto patrum propoſitum eſt edictum, ut quicunque è populo, in maritima claſſe, littoralibusque iuuandis copiis operam ſuam gratis præſtarent, fore, vt confecto bello, triginta ex eorum numero in patriciatam dignitatem aſſumerentur, quæ perpetuò illis, poſterisque ſtabili Senatus decreto maneret: reliquis, qui patritio ordini aſcripti non fuiſſent, quinque aureorum nummum millia quinquennii ſpacio viritim diuiſa annumerarentur. Multi charitate patriæ moti, pecuniam, commeatus, remigem, militemve, Reip. gratis obtulerunt. hisque uiribus, priuatorumque opibus, defenſum eo tempore Venetum ſtetit Imperium. nam ſupra ſexaginta familiæ ciuium repertæ ſunt, quæ gratiſſimo animo Remp. adiuuarunt.

No. edictũ. Not. ciuiũ in patriã charitatẽ.

At Genuenſes audito nouæ claſſis apud Venetos apparatu, admirati, quonam modo tantam claſſem deuicta, ac prope debellata gens tam breui temporis ſpacio reparaſſet. rebus ſuis timentes, Methamauco, Popeliaque funditus penè euerſis, Clodiam in tutum abeũt: inde paucos poſt dies Lygur cum tribus triremibus Salinam turrim aggreſſus, quod vnum in ſtagnis præſidium Veneto, cunctis aliis ſubactis, incolume ſteterat, occupare nitebatur. Contrà Piſanus trecenta ferè minora nauigia ducens, Genuenſem territabat, turrique ſubſidio erat: fugatoque demum hoſte, Clodiam vſque eum inſequutus eſt, illatusque prope in urbem ipſam, circa Marianam portam, ingentem intulit hoſtibus terrorem; & iam in ipſis canalibus pugna cõtracta, res hoſtium inclinabat, quum ſubitò tres illæ triremes alia uia circumactæ ſuis affuere. Hic Lygure a frõte, a tergo, a lateribus acerrime incurſante, coactus eſt Venetus, fugam capeſſere. ceciditque ea pugna Antonius Gradonicus, Contareni Principis gener, iuuenis uirtute, nobilitateque inſignis: alii etiam non pauci occubuere, atque octo nauigia ab hoſte intercepta, ſignaque aliquot militaria amiſſa.

Venetus parũ proſpere pugnat. Ant. Gradonici interitus.

Re Piſanus parum fœliciter geſta, ad ſolitam ſtationem cum reliquis nauigiis ſe recepit: hoſtes verò maiorem metuentes Venetæ gentis conatum, ſtatuunt Clodiam communire. æquatis igitur ſolo ædificiis, quæ Salinis, mœnibusque hærebant, urbem propugnaculis firmant, occluſisque vndique cæmentitio muro uiis ad aquam ferentibus ligneas turres armatis plenas idoneis locis diſponunt, commeatum ad hæc multiplicem parant, certi, quòd aduentante Carolo Zeno, Veneti coniunctis claſſibus propere Clodiam terra, marique obſeſſuri erant:

Clodia a Lygure munitur.

ſed quia illius reditus incertus, dubiusque ferebatur, ne in maius aliquod diſcrimen lunga cunctatione Reſp. incideret, omnibus ſententiis confligendi conſilio abiecto, ad obſidionem Clodiæ cum tota claſſe itum eſt. media itaque bruma Contarenus Princeps cum quattuor & uiginti longis nauibus optime inſtructis, aliiſque onerariis, & minoribus nauigiis non paucis, quæ commeatum, milites, armaque ferebant, ſilentio noctis urbe profectus, ſub primam lucem Clodiæ portum inſedit, aliquandiu tamen mari erratum, quòd denſior orta nebula totius pelagi faciem, ac proximum littus tetra caligine obtexerat: eaque adueniente die depulſa, ſtatim mercenarius miles, ſub Hirci Piſani centurionis fortiſſimi ductu, in terram expoſitus, proxime ad urbem pugnandi ſtudio progreditur; in eum eruptione repente facta hoſtium phalanx impetum fecit: ſuſtinetque fortiter Venetus irruentem Lygurem, atroxque diu, & cruentum certamen fuit: ſed ſuperante hoſtium multitudine, quæ continuò ſuis opem ferens ex urbe prodibat, fuſus eſt Venetus, & ad naues uſque cum ingenti cæde fugatus,

Contarenus. P. cũ claſſe ad Clodiæ obſidionem.

Hirci centurionis interitus.

tus. Hircus Centurio fortiſſimus dum ultimus è pugna ſcapham conſcendere feſtinat, lapſo pede mari demergitur. ea uictoria elatus hoſtis, cõſcenſis propere nauigiis, cetheas duas Venetorum eadem hora facto impetu occupat, iniectoque igne comburit: quod ipſum Lyguri male uertit; nam eas Venetus ita ambuſtas lapidibus ſubitò oppleuit, portuque medio demerſit, aliç etiam duæ eodem loco poſtridie ſunt depreſſæ, quibus Clodiæ portus Lyguri pœnitus occluditur.

Lygur obſidetur.

Ad Brondulum quoque non ſine ingenti certamine Lyguri depreſſis aliquot nauigiis exitus eſt obſtruſus: quod ne fieret, aliquandiu ſummo conatu hoſtes obſtiterunt. ceciditque ex Venetis Georgius Caballus, Iacobi filius, adoleſcens ſupra ætatem pugnax: verùm eximia Victoris Piſani, Federici Cornelii, & Thadei Iuſtiniani uirtute, ac militum, nautarumque fortitudine Genuenſes cum multa cede reiecti, uictique in hac parte ceſſerunt.

Atrox pugna ad Brōdulū.

Pugnatum quoque eſt ad alterum Brondulani portus latus, tanta utrinque pertinacia, ut mori potius in ueſtigio, quàm cedere uſquam utraque pars malluerit: quo factum eſt, ut unum, eundemque portum Lygur, Venetusque eodem tempore armis retinentes poſſederint. Aſſidua inde, ac ẽcrutiſſima certamina erant, tormentis bellicis, miſſilibus, telisque, citro, vltroque die ac noctu Veneto, Lygureque ſe ſe inceſſentibus.

Bernabos

Dum hæc circa Clodiam geruntur, Bernabouis, Mediolani Principis, aliquæ ſub Aſture Duce cohortes, vt Venetum fœdere coniunctum aliquo modo belli onere leuarent, in Lyguriam irrumpentes, rapinis, ac cæde omnia fœdarunt, ad mœniaque ſæpius Genuæ adequitantes, ſubita ex urbe eruptione facta fuſæ, fugatæque ſunt.

Caloioannes.

Caloioannes quoque Byzantii Imperator rem Venetam, ut bonus & fidelis ſocius, aliquoties adiuuit: ſed parum & Itala, & Græca auxilia profuere, quum ea infirma & inualida: tenuem præſtarent opem; ſtetitque non externis, ſed propriis ſolùm uiribus incolume Imperium. & ad Clodiam redeo, ubi tota belli uis incubuerat: nam Genuenſis omnes prope exitus urbis terra, marique occluſos a Veneto reſpiciens, duo de uiginti triremes Brondulum uſque pertraxit, ut in apertum mare egrederetur. contrà Venetus, ne impune Lygur abiret, die, noctuque, pro portu in armis erat, conabaturque hoſtem a concepto curſu auertere: ipſe uerò telorum multitudine, bellicis machinis, ac tormentis Venetas triremes tam grauiter inceſſebat, ut remiges in deſperationem uerſi, uno ore clamarent, abeundum illico eſſe, ſoluendamque omnino obſidionem, niſi ad unum omnes ad internicionem extingui uellent.

No. Venetorū in caſtris deſperationem.

par deſperatio in his, qui in littore præſidium tenebant, cernebatur, efflagitabantque hi importunis uocibus, inde, dirutis munitionibus, in tutum abduci; hortari omnes Piſanus blando ſermone, perferendumque adhuc paucis diebus, dicere, fore, ut breuì Carolus Zenus cum recenti claſſe adeſſet, qui adauctis uiribus præſentem Lyguris audaciam comprimeret. Idem animorum habitus in maiori claſſe apud Contarenum Principem erat, ad fugamque omnes potius, quàm ad arma reſpiciebant. ſuſtinebat tamen tumultuantem turbam Principis præſentia, humaniſſimæque adhortationes: ſed rerum anguſtiæ in eam neceſſitatem bellantium conſilia adduxerant, ut biduo pòſt hoſtes relinquendi, & obſidio ſoluenda eſſet.

Venetorū conſilia timore plena.

fuereque nonnulli, uariantibus propter rei difficultatem ſententiis, qui Byzantium, Cretamue, aut Euboeam diuertendum cenſebant; nec urbem repetere tutum exiſtimabant, quando extrema in ea omnis rerum uictui neceſſariarum inopia erat; fameque ciuitas adacta, atque omni auxilio deſtituta, non diu hoſtium arma pertuliſſet. His in claſſe agitatis, Zenus opportune cum quattuordecim triremibus tertia diei hora ſuis diuinitus opem laturus, ex alto apparuit, tantaque omnes eius aduentu lætitia affecti ſunt, ut lachrymis præ gaudio obortis, ueluti parta inſigni uictoria exultarent; abeundique conſilio omiſſo, in obſidione permanendum cenſuerint.

Car. Zeni cū claſſe aduentus.

Carolus autem ad Principis conſpectum ueniens, ut erat facundia inſignis, de rebus a ſe foris præclare geſtis, ſumma aſtantium admiratione diſſeruit. ſeptuaginta enim hoſtium uarii generis nauigia ab eo demerſa, captaque fuiſſe conſtabat.

Not. Zeni geſta.

Bichigno namque illam cetheam nobiliſſimam deuictam, in qua trecentorum millia nummum præda facta, deuaſtatam oram Lyguriæ, fugatam hoſtium claſſem, reſtitutum in Imperium Caloioannem, ac multa alia egregia, & præclara facinora ædita commemorauit. Carolo autem a Principe collaudato in ore omnium eius

uirtus

uirtus erat: cœptaque eſt deinde arctiori Clodia obſidione premi, mittiturque confeſtim Zenus cum duodecim triremibus Brundulum, ad Piſani ſtationem, ut communi conſilio in ea parte ambo rem bellicam adminiſtrarent: ſed ſubita tempeſtate coorta naufragio penè omnes triremes periere: earum una procellarum vi abrepta, cui Ioannes Emilianus præerat, in hoſtium poteſtatem uenit; altera, quam Zenus ipſe ductabat, ægre ſeruata eſt. Quum in Brundulanum portum fractis vi tempeſtatis retinaculis, illata a Lygure telorum multitudine horribili, ac nocturno prælio diu oppugnaretur, in quo grauiſſimo Zenus uulnere gutturi illato, penè occubuit, ut in eius uita, quam Iacobus Zenus Epiſcopus Feltrenſis elegantiſſime deſcripſit, legitur: nam arcu ab hoſte eminus ſagitta excuſſa, collo eius ad eo alte infixa eſt, ut amiſſis ſenſibus corpus deſtitutum collaberetur, & mox per omnium ora ſermo emanaret, Zenum expiraſſe: ægre autem auulſa cum tota ferri acie è gutture harundine, parum abfuit, quin ille animam efflarit: nam magna ui ſanguinis a uulnere profluente, intercepta voce, exanimis penè redditus eſt. adhibitis tamen actutum medicamentis, diſcrimen euaſit, incolumiſque præter omnium ſpem conualuit. Elatus eo ſucceſſu hoſtis, ſtatuit tentare nouam iterum eruptionem: armis itaque arreptis in Venetos duplici loco, & ad Lupam, & ad Brundulum pugnandi ſtudio mouet. conſertaque pugna vtrobique atrociter dimicatum, Lygurque Veneto ſtrenue rem gerente cum ingenti cæde eſt repulſus, depreſſiſque anguſto portus exitu, quo egreſſus hoſti patebat, duobus aliis nauigiis, quinque longæ naues ſub Fr. Bocholi auſpiciis conſtituuntur. nec inde procul Carolus Zenus, & victor Piſanus cum inſtructis triremibus aberant, vt ſi quid hoſtis forte mouiſſet, cõtinuò ſuis opem ferre poſſent. Interim Lauretum oppidum Venetus acri oppugnatione adortus, paucis diebus recepit: turrimque inde circumſiſtens, quæ ad Virginum eſt, dum bellicis machinis fatigat, tormenti ictu mœnia concuſſa ingentem traxere ruinam, qua Petrus Doria Lyguſticæ claſſis prefectus, vir militari diſciplina clarus interiit. Inimica autem caſtra proximo inter ſe loco conſtituta, mutua ſe ſe clade quotidie affligebant. Ferunt enim nullum fuiſſe diem, quo præter uarii generis tela, ſupra quingenti grandiores lapides proiecti, excuſſique in alterutra caſtra ingentem non ediderint ſtragem. bellumque utrinque acerrimum ardebat, ad quod Patres intenti, vt ex dignitate Reipubl. conficeretur, in ſupplementum copiarum, quas circa Clodiam habebant, quinq; millia peditum largo ſtipendio accerſunt, eiſque Ioannes Aguntus, natione Anglus, uir bellica arte inſignis, abſens præficitur. Genuenſes & ipſi Carrario milites ſubminiſtrante, ſtatuunt nouiſſime experiri, an claſſem, quæ Brunduli portu ſubſederat, in altum, quando aperta ui nequirent, aſtu emittere poſſent. foſſam igitur profundam ex tranſuerſo ad littus, vnde in mare exitus pateſcit, magno labore ducunt, ac uiginti triremes ad eruptionem parant: quibus eductis uenit in ſpem certam Lygur, vt inuito Veneto facile Clodiæ obſidio ſolui poſſet. ſed hoſtium conſilio detecto, continuò fortiſſima militum manu parata Genuenſium conatibus Zenus obuiam ire pergit. Interim copiis in vnum coeuntibus ingens ſeditio in Venetis caſtris ad paleſtrinum littus inter Italos, Barbaroſque orta eſt, multique cæco tumultu cæſi periere; fuiſſetq; cum magna hominum pernicie dimicatum, niſi Ducis præſentia, qui eò illico occurrerat, rixa illa caſtrenſis ſedata eſſet. Foſſam autem hoſte perducere maturante, Venetus, ne cunctando aliquam cladem acciperet, non expectato Ioanne Agunto, cui abſenti omnium terreſtrium copiarum Imperium antea decretum fuerat, Carolum Zenum eius loco Patres ſubſtituunt. habebatur enim uir ille non minus maritimæ, quàm terreſtris diſciplinæ bellicæ peritiſſimus: quippe qui ab adoleſcentia in militiam profectus, belli artem egregie didicerat. nam Ioannem Galeatium, Mediolani Ducem, ſequutus, res pro eo egregias armorum ſtudiis geſſit: in Cyprum poſtea nauigans, Petrini Regis copiis militari imperio aduerſus Genuenſes præfuit; belliique artibus, ac aſſidua armorum exercitatione ita profecit, ut nullius ſummi Ducis militari ſcientia inferior tota penè Europa haberetur. Coactis itaque Zenus copiis, quadrato agmine in hoſtes ferociter mouit: in quos priuſquàm aciem explicaret, talem apud milites cohortandi eos cauſa habuit orationem: Lætum hunc Reip. mihique diem eſſe

Ingens ad Brunduli tempeſtas

Not. Zeni uulnus, & uitæ periculum.

Portus Brunduli occluditur.

Pet. Doria interitus.

Io. Aguntus.

Not. Genuẽſes conatus.

Io. Aguntus.

Carol. Zenus exercitus Imperator.

Zeni uirtus bellica.

auguror,in quo prælii fortuna ſub meis auſpiciis tentanda eſt, fortiſſimi commilitones,atque vt maritimis congreſſibus ex hoſte uictoriam ſæpe reportaui, ita de terreſtri hodierna pugna minime dubitare debeo,qua impius hoſtis Lygur tantorum malorum in Italia author Deo uindice cadet. Octauo iam menſe Clodia armis hoſtium oppreſſa tenetur,ad quam recipiendam totas Imperii uires Patres intenderunt, hìc Princeps,hìc Senatus,nobilitasque fermè omnis terra,marique adeſt,relictisque patriis ſedibus ad finitimam urbem recipiendam properarunt,circa eam labores, pericula,incommoda,ac acerbiſſimas paſſi ſunt ærumnas, cæſi, vulneratique tot bellatores pro patria occubuere,& nos emenſo uaſtiſſimi maris Tyrrheni, Adriaticique ſpacio ad ſubleuandas Reip.calamitates,uindictæ cupidi, huc curſum direximus; claſſē uictricem,paratamque adduximus,vt eandem fortunam cum cæteris ſubeuntes, aut illatas iniurias egregie ulciſcamur,aut fortiſſime pugnando haud inulti mortem oppetamus.ecce enim quattuor inimiciſſimi potentatus,Pannonicus,Lyguſticus, Aquileianus,Carrarienſis,infando inito inter ſe fœdere,in Venetam Remp. arma,terra,

Not. præpotentiũ principũ fœdus.

marique mouerunt,& legitimi hanc ſedem Imperii,domicilium libertatis,fidei propugnaculum delere,excindere,proculcare tentant: vos ad eius defenſionem largo ſtipendio acciuimus.itaque in ueſtris dexteris publica repoſita eſt huius ciuitatis ſalus; nolite ſtrenui commilitones fidei ueſtræ deeſſe, qua ipſe innixus hodiernum prælium intrepide depoſco:nec uereor,quòd ſi parem uirtuti ueſtræ animum habebitis, quin hoſtium copias deleatis.uideo enim fortisſimam alam equitum, plenam animorum,ac roboris,peditatum uictoriarum partarum laude inſignem;ueteranos, tyronesque acerrimos milites,ex Anglia,Hiſpania,Gallia,in hæc caſtra delatos,ſtipendiisque noſtris inauthoratos,qui ſolùm ſpe gloriæ adducti, ex ultimis terris in Italiam profecti,Veneta ſigna ſequuti ſunt.vos defenſores igitur huius Imperii appello, expergeſcimini,& capesſite Remp.libertas hodie,ſalus,dignitas, & anima noſtra in dubio eſt.Ferox hoſtis omnia terra,marique occupauit, relictum eſt nobis hoc penè littus nudum,quo prælium hodie committendum, ex eo quoq; nos depellere armis Lygur tentat,prædæ,& dominandi cæca cupidine tractus:nos pro uita,pro libertate, pro Imperio dimicamus. Inferte igitur in hoſtem ſigna, & me Duce,aduerſam aciem perrumpite:pugna erit cum ignauo,rudi,eneruі,& bellicarum rerum inexperto milite,qui victus facile profligabitur,& fortuna nobis poſt tot aduerſa lætior arridebit. neque enim res humanæ uno,eodemque ſemper curſu fluunt, in his multa eſt uarietas,multa inconſtantia,nec fuit unquàm tam turbida tempeſtas, quòd non poſt eam

Nota

aliquando tranquilla ſerenitas illuxerit. Illud autem uobis in primis viri fortiſſimi pro iure Imperii præcipio,Ducis ueſtri mandata diligēter in acie obſeruate, ordines tenete,ſigna ſequimini,ac curate omnia,quæ pro militari ſacramento in victoria paranda a uobis præſtari debent.Perorante Carolo fauorabiles militum voces extolluntur,pugnam poſcentium,pollicentiumque fidelem & promptam operam : Itaque

Turris

ſublatis repente ſignis,ne quid à tergo relictus hoſtis officere poſſet,ſtatuit Zenus,antequàm pugnam iniret,turrim medio littore poſitam oppugnare, ubi Lygur firmum præſidium habebat. Vixque turrim Venetæ copiæ circumſteterant,quum Genuéſes, qui ad Brundulum erant,inſtructo agmine, Zenum inuadere ab ea parte approperarunt ex his enim ad mille.& quingenti Brundulo eruperunt,ex Clodia verò circiter

Not. hoſtiũ copias

octo armatorum millia media pugna Venetos à frente aggredi conſilium inierant, ita vt a tergo,a fronte circumuentus Venetus ad hoſtium ſatietatem cæderetur.Conſpectis itaque Venetis ſignis Clodiana acies cum clamore,ac armorum ſtrepitu, quaſi ex inſidiis coorta in Venetos ferociter inuecta eſt. excepit pari ferocia irruentem hoſtem Zenus,pugnaque oritur ſtatim atrociſſima,primoque concurſu tanta telorum

No. atrox prælium.

uis utrinque effuſa,ut aer ueluti quadam obſcura miſſilium nebula ſubito obtegeretur:plurimique ex vtraque parte lethali ictu confoſſi, exanimes cecidere , cominus poſtea res geri cœpta, pugnabantque viri fortiſſimi fulgentibus armis tecti, criſtatiſque galeis,ac lunatis peltis,horribilem conſpectum reddentes: diuque immota ſtetit utrinque acies.at equo uectus Zenus Imperator parma,ac caſſidis iuba inſignis,alacri

Zeni uirtus.

uoce milites hortabatur,in pugnamque inflammabat. erumpunt interim ex Brundu-

lo ſub ſignis hoſtium copiæ, ac veluti torrens rapaciſſimo curſu cum impetu Lygur in Venetum præſenti pugna occupatum effertur: in hos quoque Zenus, qui vbique aderat, conuerſus, Britannica ueteranorum eximiæ fortitudinis phalange ſtipatus, violẽtam ſuſtinet impreſſionem; cogebaturque iam duobus lateribus pugnare. ſperauitq; Lygur Venetum duplici prælio laborantem facilè delere poſſe: ſed non ſolùm ille vim hoſtium ſuſtinuit, verùm etiam Brundulanam aciem loco ſummotam in fœdiſſimam fugam coniecit. cædesque hoſtium in hac parte plurima ædita eſt: nam immiſſus equitatus præcipitem Lygurem uſq; ad Catharinæ fanum egit, iuxta quod riuus ſatis profundus labitur, ibique multi in aquas præcipitati, aut nandi imperitia, aut armorum pondere perierunt: curſumque uictoriæ Venetus proſequens, omnem impetum in recentem hoſtium aciem, quæ ex Clodia proruperat, vertit. Lygur autem fuga ſuorum inſpecta, ac Zeno Duce impigre rem gerente, loco primùm moueri cœpit, ac ſenſim pedem referre; in quem Venetus fortiſſime incurrens, diſſipatis ordinibus, magnam ædidit ſtragem. demum fortuna inclinante, fugam quiſque apertam, trepidantemque arripit; properantesque ad pontem, qui ſuper profundum Euripum poſitus tranſitum ad alteram ripam præbebat, ſuis, qui in ſubſidium feſtinabãt, occurrũt, præpeditique, ac immixti fugientibus, pontem ingenti armatorum conſtipatione oneratum occupant, nec alter alteri præ turba loco cedens, clamorem, tumultumque ingentem excitat, cæduntúrque hoſtium terga extrema in acie conſiſtentium: ex his alii trepide fugiunt, alii animoſe reſiſtunt, conglobati equites, peditesque pontem tenent, clamoreque, & armorum ſtrepitu cuncta reſonant: Itaque dum alter alterum urget, pons armatorum hominum pondere preſſus, mediusque repente fractus concidit, ingentemque trahens ruinam, infinitam bellatorum multitudinem in ſubiectas aquas præcipitatum ſubito caſu oppreſſit. magnaq; affecti Lygures clade ad tria millia partim ferro, partim aquis periiſſe dicuntur, captique ſupra ſexcenti, è latebris eruti, quibus paſſim errabundi ſe ſe occultabant. Creditum eſt, niſi pons abruptus procidiſſet, ea die immixtos Venetos Lyguribus Clodiam occupare potuiſſe, ceciditque ruina pontis oppreſſus, Thomas Guanus, apud Genuenſes uir illuſtris. tantusque terror eorum animos ex hac clade inceſſit, ut omnes in fugam uerſi, latebras, & diuerticula, quibus cęlarentur, tremebundi quæritarent. plurimique inuẽti ſunt, quia aſperrima pugnatum eſt hyeme, frigore & gelu extincti, iacebantque paſſim rigentia corpora, arido ſolo proſtrata, ac ſemiuiui aliqui palpitabant. Hac tãta clade accepta, Genuenſes, nocte, quæ diem pugnæ ſecuta eſt, triremibus ad Brundulum incenſis, ne his Venetus potiretur, Clodiam ſe omnes trepide recceperũt. Piſanus, qui ibi excubabat, cognita hoſtium fuga, ex duodecim hoſtium triremibus, duas ab incendio celeriter accurrens, eripuit, ac poſtero die Piſanus alias decem longas naues in omnem occaſionem intentus ad molas, nautis, remigibusque nudatas cœpit. At Zenus, ne fortunæ arridenti deeſſet, coactis ſtatim copiis ante portum Clodiæ, qua Brundulum itur, ad Franciſci Fanum caſtra locauit, & ne forte hoſtis aliqua improuiſa eruptione afficeret, profundam foſſam militari opere ductam Lyguri obiecit, quem non oppugnatione, ſed fame domare ſtatuerat: ad idque Zenus omni cura intentus, Clodiam continẽti, aquisque circumuallatam, obſeſſamque tenebat, nihilque in urbem importabatur: itaque intra paucos dies deficiente commeatu, fames, inediaque in urbe inualuit. & Lygur, quum ſe arctiori obſidione premi cerneret, ac extremum uitæ malum famem timeret, rerumque penuriam, ad leuandam multitudinem, pueros, mulieres, ac imbellem aliam turbam urbe eiecit, quam, pietate motus Contarenus Princeps, Venetias (ne inedia immeritum uulgus periret, traducendam curauit. interim Genuenſes, ſociique, ut ſuos Clodienſi obſidione leuarent, nouam claſſem, terreſtresque copias parabant: Maruffusque Doria Genuæ maritimus Imperator declaratur. Veneti autem, quãdo non tam cito circa Clodiam debellatum iri hoſtium pertinacia exiſtimabant, ne (ut antea) Veneta urbs annona laboraret, Thadeum Iuſtinianum cum ſex triremibus, ac aliquot nauibus onerariis, frumentatum in Appuliam miſſere. Is uerò ſubito in Hiſtriam tranſcendens, Gradum oppidum Carnorum armis occupatum recepit, proſpera inde nauigatione uſus, Sipontum tenuit, ubi quotquot potuit nauigia

frumento

Brũdulana acies fugata.

Pons

Pontis ruina.

Lygurum clades.

Genuẽſiũ triremes incenſæ, & captæ.

Clodia obſidetur.

Maruffus Doria.

Th. Iuſti. Gradus recipitur.

frumento onerata domum celeriter remiſſit, ipſe poſtea Appulo littore ſoluens, Venetias uerſus mouet, incolumiq́ue eò perueniſſet, niſi fœda tempeſtas protinus ſuborta, iuſtis uotis obſtitiſſet: nam curſum retro auertere Iuſtinianus compulſus, Lyguſticam claſſem, cui Maruffus præerat, obuiam habuit, ſed declinato uelociter medio mari oc curſu, Siponti portum ingreditur, demerſisq́ue triremibus, ne hoſtis illis potiretur, Maruffum, qui Venetos inſequutus fuerat, portus aditu armis ſummouere parabat. ſub primùm igitur hoſtium appulſum, acre prælium eſt commiſſum, multiq́ue utrinque cecidere. tum Lygur parte ſuorum in littus expoſita, Venetum quaſi in orbem pugnare coegit, ſic quoque aliquandiu Iuſtinianus hoſtium uim ſuſtinuit. Verùm ſuperante multitudine uerſus in fugam profligatur, & capitur, centumq́ue alii cum eo in hoſtium poteſtatem uenere, plurimosq́ue proxima urbs ſeruauit: turmæ autem nauales, quæ Sipontinam cladem effugerant, terreſtri itinere Veneta littora incolumes tenuere. Pugnatumq́ue eſt deinde in ſtagnis aduerſus hoſtes uario euentu, ceciditq́ue Ludouici Lauredani filius, rara indole iuuenis. poſtea a Venetis octuaginta nauigia capta ſunt, quæ Carrarius inſtruxerat, ut ſociis Clodia obſeſſis opem ferret. his igitur captis Lygur exitium ſuum præſagiens, magno dolore affectus eſt: non deſinebat tamē Patauinus noua auxilia contrahere: idē Pannon, Carnusq; ſocii agebant. & ſub Maruffi Doria Imperio tres & uiginti lōgæ naues Lyguſticæ in altū euectæ, Clodiæ ad mille paſſus appropinquarunt, pugnâq; conuitio hoſtes efflagitabāt. ſed Venetus neq; terra ex Zenicis caſtris, neq; mari ex ipſa nauiū ſtatione, quicquam mouens ſtabat vtrobique vigilantiſſima cura ad omnem hoſtium motum excipiendum paratus. Lygur inde cum tota claſſe ad Foſſiones ſe recepit: poſtea ad priſtinum locum, vnde diſceſſerat, reuerſus, Venetos ad pugnam quotidie prouocabat. perſiſtebant nihilominus Contarenus, & cæteri Ductores in propoſito, prælio abſtinentes: hoſtium demum importunitate, ac inſolentia, Piſanus, permittente Principe, quinque & uiginti triremes Clodienſi portu continuò educit, atque in altum prouectus, confligendi animo in Lygurem proras repente dirigit: ille vero irruentem Venetum expectare non auſus, confeſtim ſubducta claſſe Anchonam verſus profugit: eum abeuntem longius perſequi Piſanus noluit, ſatis actum eſſe iudicans, quòd infenſiſſimum hoſtem fugam capeſſere coegiſſet. Per hos quoque dies tentata eſt, a Genuenſibus, qui Clodiæ obſeſſi erant, noua eruptio: nam eos fames, ac rerum omnium inopia vrgebant. centum igitur paruis nauigiis ex ædificiorum materia celeri ſtudio fabricatis, per internas aquas ingens hominum multitudo Duce Granello Perenſe ſub noctis opacæ ſilentio littus, mareq́ue petebat, vbi conſcenſis Maruffi triremibus, tutam ſibi fugam parare ſperauerat. ſed Veneti id conſpicati, continuo celerrima nauigia expediunt; quæ in hoſtem fugitiuum inuecta, acceſſum ad mare inhibuere: & Zenus ex altera parte cum ſelecta militum manu per profundas paludes, ac limoſas voragines, tranſuerſis itineribus in Lygures illatus, quinquaginta eorum nauigia oppreſſit. Granelluſq́ue ipſius eruptionis author captus in vincula coniicitur, cum octuaginta circiter aliis captiuis; reliqui trepide in proximam vrbem abiere, in qua iam adeo tam acerba fames, eſuriesq́ue inualuerat, vt ab obſcenis cibis miles, oppidanusq́ue ſe ſe, ne inedia perirent, abſtinere nequirent: nam ad herbarum uſque radices, amara gramina, & olera, deficientibus cuiuſcunque generis obſoniis, ventum eſt, ac canes, mures, felesq́ue comeſti, tanta tamen Lygures conſtantia fuere, vt extrema omnia prius pati, quàm deditionem facere ſtatuerent: ac noua conſilia pro ſalute adipiſcenda agitantes, Legatos ad præfectos, & Tribunos, qui in Zenicis caſtris ordines ducebant, clam mittunt, eoſque orant, oblato ingenti auri pondere, vt tutos ſe ab iniuria Venetorum reddant, ipſiq́ue, excluſo Veneto, omnes fortunas ſuas, armaq́ue habeant. quod ipſum Zenus, vt reſciit, conſtanter auerſatus eſt, omnesq́ue alii ductores, fide in Remp. clari, hoſtium poſtulata reiiciebant, præter vnum Rubertum ex Piceno militaribus factis inſignem, qui Genuenſium conditiones amplexatus, non exiguam in caſtris ſeditionem apud milites nouarum rerum cupidos exciuerat. ſed is ad Zeni præſentiam accerſitus, in vincula ſtatim coniectus eſt, ac Venetias miſſus, patrum iuſſu inter geminas columnas laqueo necatur. Ad Principem demum Legati in claſſem miſſi flebili oratio-

Triremes Sipōti portu demerſæ.

Iuſtin. captus.

Maruffi claſſis.

Genuēſiū fuga.

Lyguriū clades. Granell' captus.

No. Famē in Clodia

Ruberti ſupplicium.

oratione ad illius pedes proſtrati, vſi ſunt, atque ex his Tiſius Cibbo ſuppliciter orare cœpit, vt præſentis fortunæ Venetus miſereretur, fateri, Genuenſes multa hoſtiliter terra, mariq́ue pro (vt Martis furor impellit) in Venetum geſſiſſe, ſed de Imperio, & gloria, non de vita cum eis dimicatum; nunc non tam armis, quàm fame domitos, Genuenſes victas manus dare, non aurum, non argentum, non militaria ornamenta, ac reliquas fortunas depoſcere, ſed vitam dumtaxat, quam inermi, ac ſupplici denegare, inhumanum ac turpe habetur; in Venetæ igitur clementiæ ſinum Genuenſes omnem ſpem ſuam reponere, aduolutiq́ue omnes genibus, lachrymas precibus addiderũt. A Contareno Principe paucis ita reſponſum, ſupra hoſtiles animos in hoc bello Genuenſes arma in Venetos exercuiſſe, æquum igitur Senatui videri, in tenebris, in ſeruitute, in ſqualore eos eſſe, qui dum odium, implacabilemq́ue iram ferino animo ſequuntur, in has vitæ anguſtias inciderint. Dimiſſi legati triſte ſuis reſpõſum referunt: totaq́ue urbe ingenti terrore concutitur. verùm urgente fame, conſumptoq́ue omni commeatu, placuit potius deditione in victoris poteſtatem redigi, quàm inedia extingui. Patefactis igitur repente portis, Zenus prætoria cohorte ſtipatus, vrbem ingreſsus eſt; prædamq́ue omnem primùm inter milites, ſociosq́ue nauales diuiſurus, vnum in locum cogendam curauit, quæ biduo ſub haſta Venetis licitantibus publicè uenijt. ſic Clodiam poſt decimum menſem magnis terra, mariq́ue laboribus Veneti receperunt, vbi quattuor millia hominum capta in poteſtatem venere, quorum horridus pallor, & exanguis macies, ob diuturnæ inediæ acerbitatem, ora, corporaq́ue fœdauerat: ex his ad tria millia Genuenſiũ fuiſſe dicuntur, reliqui Patauini, Pannones, Carni, Dalmatæ, ac Græci, qui omnes Venetias ſub cuſtodiam adducti, publicis carceribus occluſi ſunt, vndeuiginti quoque hoſtium triremibus, cum aliquot onerariis, ac vi ſalis immodica Veneti potiuntur. relictoq́ue Clodiæ Sarraceno Dandulo uiro impigro prætore, inde claſſe abducta Contarenus Princeps in vrbem triumphanti ſimilis reuerſus eſt. Continuoq́ue ad Bebias expugnandas Venetus profectus: diu ibi obſidionem tenuit, poſtremò deditione ab Ambroſio Doria facta locus a noſtris recipitur. Lyguſtica interim claſſis, Clodia amiſſa, in Hiſtriam traiecit, ad cuius appulſum Tergeſtum oppidanorum perfidia ad Aquileienſem Antiſtitem a Venetis ſubitò defecit: nam quum pauci milites vrbem præſidio tenerent, eam Tergeſtini Lyguſticæ claſſis freti auxilio, Donato Trono prætore primùm in vincula coniecto, occupant; arceq́ue in poteſtatem redacta, hoſtes vrbem valido militum firmant præſidio. Iuſtinopolis quoque aliquorum ciuium proditione Lyguſticis armis ab Imperio alienatur. ſtetit tamen Criſpolini Azonii Centurionis virtute arx incolumis. Duarum finitimarum vrbium caſus ciuitatem non mediocri mœrore affecit, apparebatq́ue, niſi parata claſſe, celeriter hoſti iretur obuiam, fore, vt omni maritima Hiſtriæ ora Lygur breuì potiretur. Continuo igitur maris Imperio Piſoni tertiùm decreto, claſſis in altum educta eſt. Interim hoſtes Peranum atroci oppugnatione adoriuntur: verùm oppidum non ſolùm defenſum, ſed cum cæde, & ignominia Lyguria mœnibus eſt repulſus. inde Parentium tentatum, ſed hìc quoque re male geſta, hoſtis ceſſit. ad Polam poſtea Lyguſtica claſſis admota, quam vrbem armis occupatum ferox hoſtis diripuit, & incendit. Rei indignitate Veneti commoti, cum validiſſima claſſe ſeptem & quadraginta triremium in Genuenſem mouere. ipſe verò tanto nauali apparatu perterritus, celeri fuga ex Hiſtria in Dalmatiam tranſiit, ad Iaderamq́ue reſidens Illyricum mare armis obſeſſum tenebat. At Piſanus cum tota claſſe Iuſtinopolim profectus, arma ad eam vrbem recipiendam hoſti intulit. duas igitur triremes, quarum alterã Michael Delphinus regebat, alteram Peratius Maripetrus, ad explorandum vrbis ſtatum miſit, Ii primis ſe tenebris intendentibus profecti, pontem, qui vrbem continenti iungit, ſubito reſcindunt, ne hoſtes, circumſedente terra, mariq́ue Veneto, auxilia aliunde ſperarẽt. Hoc facto reliqua claſſis ſuperuenit, magnoq́ue impetu ciuitas oppugnatur, crebræ quoque Criſpolini uiri ſtrenuiſſimi ex arce eruptiones Iuſtinopolitanos fatigarunt: quibus incommodis factum eſt, vt continuò ad deditionem faciendam compulſi oppidani urbem Venetis ſponte redderent: ibique quadringenti Foroiuliani capti ſunt, & in his Nicolaus Spilimbergius, vrbis prætor, &

Symeon

Tiſii Cibbo oratio, ad P.

Principis reſponſũ.

Clodia recipitur.

No. captiuorũ numerum.

Triremes Genuẽſiũ captæ.

Sarracen' Dandulus

Tergeſti defectio.

Iuſtinopolis ab hoſte capta.

Polæ direptio.

No. ingentem Venet. claſſẽ.

Mich. Delfinus, Per. Maripetrus.

Iuſtinopolis recipitur.

Symeõ Pamperginus, viri ambo in Carnis illuſtres. Iuſtinopoli recepta poſt aliquot dies Piſanus claſsem ad Polam admouit, & ex altera parte Lygur Arbam in Illyrico Inſulam armis occupauit, vbi Ludouicus Contarenus captus eſt. Inde Genuenſes tribus longis nauibus ad Inſulæ præſidium relictis, metu Venetorum claſsem continuò abduxere. Nec mari, nec terra, ab armis ocium erat; Taruiſium Carrario Principe bellicis operibus circumſedente: nam duobus pontibus Sili fluuio impoſitis, urbem Patauinus aſſiduis excurſionibus ad portas vſque premebat: & quia ui, armiſque tam munitam ciuitatem expugnare difficillimum uidebatur, fame eam domare ferox hoſtis ſtudebat. nouam itaque turrim propinquiore vrbi loco tumultuario opere erexit, vbi eximiæ fortitudinis cohors impoſita, ad prohibendum, ne ab ea parte commeatus in vrbem importaretur. Silis quoque fluuius triplici palorum ſerie ad Muſeſtrum obſtruſus eſt, vt inſeſſis, terra, aquaque itineribus, ciuitas ad extremam annonæ penuriam reducta, deditionem facere cogeretur. Id Veneti ſub timentes, confeſtim dant operam, ut flumine armis aperto, commeatus obſeſſis ſubueherentur: eductis itaque quattuor & uiginti nauigiis, quæ Ganzariolæ appellantur, Marinus Carauellus homo impiger cum his patrum iuſsu in hoſtes celeriter mouit: terreſtres quoque copiæ Sarraceno Dandulo Duce, ſuper ripam fluminis conſtitutæ aderant. cœptumque eſt a Veneto admotis nauigiis palos euelli, ut curſus fluminis aperiretur. Cõtrà Patauinus ſub Gerardi Caminenſis Ducis auſpiciis fortiter obſtare: eratque ob eam cauſam acerrimum cum hoſte aquis, terraque certamen: ſagittæ, pila, & omnia telorum genera citro, ultroque uolitabant, cadebantque hinc inde multi, ac in primis tormentorum hoſtilium ictibus claſſis affligebatur: ea propter infecta re nauigia inde Carauellus in tutum abduxit. Dandulus quoque qui copiis præerat, quarta noctis vigilia, motis caſtris ad Meſtram contendit, vt terreſtri itinere, quando fluminis nauigatio Carrariis armis obſepta erat, Taruiſinis laborantibus frumentaria inuectione opem ferret. Sed dum hæc Dandulus curaret, in grauem morbum incidit, cui domum decedenti Petrus Hemus iuſsu patrum ad militare Imperium adminiſtrandum ſucceſſit. hoſtis uerò Veneto exercitu imminente a Taruiſio recedens, ad Noale oppidum caſtra tranſtulit, ubi Carrario milite cum cæde a mœnibus reiecto, locus egregie ſeruatus eſt. demum hoſtium copiæ, necquicquam Taruiſio, & Noalo oppugnationibus tentatis, in hyberna Patauinum in agrum cõceſsere, qua occaſione uſus Venetus, ſtatim Taruiſinos ad ſummam uictus neceſſitatem redactos frumento inuecto adiuuit. tanta autem per id tempus in ea urbe annonæ caritas inualuerat, ut triticum ad ſtarii menſuram quattuor nummis aureis ueniiſse dicatur. Interim Piſanus, cum tota claſse ex Hiſtria profectus, in Dalmatiam tranſiit, Iaderamque triremibus aliquot inſtructiſſimis admotis, portum oppugnare cœperat: quod dum intentiſſima cura agit, per ſpeculatorias ſcaphas cognouit, duodecim Lygurum triremes paucis horis inde profectas in Appuliam frumentatũ conceſiſse. ea re Piſanus audita, quàm quàm graui febre correptus decubuerat, ne tamen rem tantam omitteret, pergit ex Iadera celeriter ad hoſtes ire; quem nocte, dieque nauigans, in Peligna ora adipiſcitur, ac ſub primum occurſum tumultuaria pugna commiſſa Catharinus Corberius Venetæ claſſis Admiraldus ab hoſte interficitur; Lygurem tamen fugatum Piſone per totum diem proſequente ſuperuenientes tenebræ è conſpectu abſtulere. amiſſo hoſte, Veneta claſſis Sipontum ſe recepit, vbi Piſanus intra paucos dies grauante morbo, vir omnium naualis artis peritiſſimus, è vita deceſſit, cuius corpus occluſo loculo domum delatum, frequenti populo Principem ac Senatum concomitante, magnifico funeris apparatu, ad Antonii ædem conditum eſt, viſiturque adhuc eius ſepulchrum, circa aram maximam Imperatoria ipſius ſtatua auro fulgente conſpicuum: nullius autem vnquam funus maiori omnium luctu Veneta in vrbe elatum fuit, ita cunctis ciuitatis ordinibus uiuus, mortuuſque Piſanus charus extitit. eius loco Aloyſius Lauredanus tamdiu claſſis Imperium tenuit, quo ad nouus Imperator a patribus crearetur. Is fuit Carolus Zenus, uir pace, belloque, ac rebus terra, marique clariſſime geſtis, inſignis; qui ſtatim duabus triremibus Venetiis digreſſus, in prouinciam uenit: ſed ante eius acceſſum Lauredani ductu Veneta claſſis in Lyburniæ oram profecta,

Taruiſii obſidio.

Silis fluuii munitio.

Mar. Carauellus.

Sarr. Dandulus.

Pet. Hem'

Hoſtis è Taruiſio receſſus.

Piſanus Genuẽſiũ claſſem inſequitur.

Cath Corberii interitus.

Piſani mors.

Not. populi in Piſanum ſtudium.

Carol. Zenus claſſis Imperator.

fecta, Breſcam, Seniamque illatam occupauit, ac diripuit: correcta quoque deditione ab Inſulæ antiſtite facta, Venetus potitur: inde ad Bocharim appulſum, oppidoque capto, ac incendio penè abſumpto, cum tota claſſe Parentium Lauredanus venit, quò paucis poſt diebus Zenus applicuit, ubi claſſis Imperio a Lauredano recepto, magno turmarum gaudio exceptus eſt: erat enim præter uigorem animi, præſtantiſſimasque alias animi dotes poſt Piſonem, maxime omnibus charus, ſtatimque cum tribus triremibus optime inſtructis M. Falerium ad tuendam Flaminiæ, & Piceni agri oram Patrum iuſſu dimiſſit. is in prouinciam continuo profectus, hoſtium audaciam, qui circa Anconem aſſiduis latrociniis mare infeſtabant, compreſſit, Zenus interim cum claſſe citro, ultroque per ipſam Hiſtriæ & Dalmatiæ oram diſcurrens, fugaciſſimum hoſtem Lygurem, cum quo nauali prælio congredi maxime optabat, nuſquam inuenit. itaque inhorreſcēte hyeme, claſſem nulla re memorabili geſta, domum reduxit. Nec ita multò pòſt ex Senatus decreto, Carolus cum trecentis leuioribus nauigiis ad Marani oppugnationem ire eſt iuſſus: qui celeriter mouens, licèt, vti uir bellicæ rei ſcientiſſimus, improſperum expeditionis exitum prædixerat, oppidum ad mare poſitum, paludibusque vndique cinctum ferociter aggreditur, ipſeque inter primos gregariis militibus immixtus mœnia ſubiit, hortandoque ſingulos ad rem impigre gerendam, in hoſtem inflammabat. ſed dum propius ad muros armatus ſuccedit, ſaxum ſuperne deiectum Caroli galeam uiolento adeo ictu percuſſit, ut præceps ipſe in ſubiectam foſſam deuolutus, ſemianimis procideret; inde ſtatim a ſuis abductus, curatusque priſtinas uires recepit. demum quum oppidi ſitus inexpugnabilis ob circumadiacentes paludes eſſet, magnisque operibus hoſtis ſe intus communiſſet, ne maiorem aliquam cladem, locum inexpugnabilem tentando, adiret, Zenus inde copias abduxit. In Taruiſino autem Imperii rebus fluctuantibus, ingens clades accepta eſt. nam Caſtrumfranchum oppidum, quia plures menſes ſtipendium militibus, qui in præſidio erant, a Veneto datum non fuiſſet, And. Paradiſio prætore eiecto, Carrario Principi traditur: huius oppidi alienatione ingens aliorum locorum defectio orta eſt. Aſilum enim Noale, Sacillium, Serrauallum, Motta, deditione facta, in hoſtium poteſtatem uenere. Coneglanum quoque propemodum proditione amittitur. ad hæc, mille & amplius equites ex Meſtrinis caſtris ad hoſtem tranſiere. Periclitantibus itaque in hunc modum tota continentis ora Venetis rebus, in ſæuiſſimi tyranni Carrarienſis inuidiam ſtatuerunt Patres, legatione in Germaniam miſſa, Taruiſium cum ſuis finibus, ne Carrarius prior eam urbem rebus ſuis adiungeret, Liopoldo Auſtriæ Duci publico nomine tradere. ſic enim Reip. melius conſultum eſſe uidebatur, hoſte infenſiſſimo Patauino a ſpe uictoriæ depulſo, qui dominandi libidine accenſus, omnia in Italia turbabat. Miſſus eſt itaque Panthaleo Barbus ad Liopoldum Ducem in Germaniam Legatus, cum mandatis, ad dedendam ei ciuitatem Senatus nomine. Iſque ad conſpectum Ducis ſtatim admiſſus, Vetus, inquit, Veneta in Auſtrios Principes obſeruantia, patrum animos impulit, ut oblato tibi Dux Liopolde Illuſtris ampliſſimo munere, Venetum in Auſtrium nomen ſtudium expreſſius declararetur: nam bello acerrimo terra, marique uexati, quantum potuimus, ferociſſimorum hoſtium uiribus reſtitimus; reſque eò adducta eſt, ut Carrariis armis Taruiſina ora penè omnis occupata, noua nos conſilia agitare coegit; ſatiusque eſſe duximus, quando in eam neceſſitatem nos fortuna adduxit, tibi Dux Liopolde veteri ſocio & amico, clariſſimā vrbem Taruiſium cum ſuis finibus libere tradere, quàm pati, vt eam ſæuiſſimus hoſtis Carrarius tyrannice occupet: proinde quod tibi, Auſtrioque nomini fœlix, fauſtumque ſit, accipe clariſſimæ vrbis Imperium, cuncta eius iura, ditionem, finesque Venetus Senatus tibi ſponte tradit, & cedit. ſuſcipe Dux Liopolde illam ciuitatem, ac inuictis armis tuis Patauinum hoſtem, qui eam obſeſſam tamdiu tenet, repelle. nec enim dubitandum eſt, quum primùm tua ſigna hoſtes in Italia conſpexerint, fore, vt continuo è finibus abſcedant, noſtroque munere tam illuſtris urbis Imperium fœliciter obtinebis, ac voto ſuo tyrannus ille defraudatus Spiritus tantos deponet, quibus inflatus, ad totius Ciſalpinæ Galliæ Imperium aſpirare videtur: ſed perfidiæ ſuæ meritas citò dabit pœnas, & nos iuſtitiæ noſtræ conſcii Deos immortales fautores, propitiosque

Lauredani geſta.

M. Falerius.

Marani oppugnatio.

No. oppida amiſſa.

No. de taruiſio tradendo.

Pant Barbi ad Liopoldum oratio.

tioſque habebimus, interea Liopolde Dux magnanime, contractis, quanto celeriùs potes, copiis, in Italiam deſcende, noſtrumque munus amplexatus, fortunam, quæ tibi ad Italiæ Imperium adipiſcendum viam aperit, fœliciſſime ſequere. His a Pantha

Liopoldi reſpõſum.

leone dictis, Liopoldus ad eum cõuerſus, benigne Veneto Senatui gratias egit, quòd tanta erga ſe munificentia patres uſi eſſent, illius vrbis imperium ſponte ſibi tradendo, quæ ſitus opportunitate, ſplendore, magnificentia, in Italia primaria haberetur; accipere igitur ſe libentiſſimo animo oblatum munus, daturumque enixe operam, vt tanti beneficii memoria retenta Auſtriani regiminis nullo unquàm tempore Taruiſinum populum pœnitebit. Sed dum Liopoldus copias contrahit, in Italiam ad deſtinatam prouinciam profecturus,

Taruiſii tumultus

Tar. Rectores.

Taruiſii a militibus, qui in præſidio erant, tumultuatum eſt: nam multorum menſium ob ærarii inopiam ſtipendio non ſoluto, in urbis præſides, Leon. Dandulum, M. Zenum, & And. Venerium vis penè illata: verùm Boratii Malaſpinæ armorum Ductoris authoritate tumultu ſedato, fœnore contracta pecunia, ſtipendium militi fideliter perſolutum eſt. nec multò pòſt urbis rectoribus abeuntibus, miſſæ ſunt a Liopoldo pedeſtres, equeſtreſque Taruiſium copiæ, quæ urbem aduerſus Carrarii conatus tuerentur:

Archuan⁹ Buzacharinus.

nam hoſtes ſub Archuani Buzacharini auſpiciis rẽ impigre gerebant; quotidieq; ad portas urbis adequitantes, fœde omnia depopulabantur: qua indignitate Liopoldus motus, celeriter è Germania profectus cũ decem millibus lectorum equitum, peditumque ad Coneglanum tumultuoſe conſedit. Archuanus audito barbari aduentu, ne aliquam maiorem cladem adiret, magnis itineribus fugienti ſimilis abiit.

Commeatus a Liopoldo Taruiſium inuectus.

Liopoldus uerò tranſmiſſo Anaxo fluuio, cum multis illuſtribus uiris Taruiſium ingreſſus eſt, in urbemque magna ui tritici, uini, ac rerum omnium ſubitò inuecta, uno, eodemque tempore, & bello & fame ciuitas leuata, vtroque periculo, in quo diu uerſata fuit, liberatur.

PETRI

PETRI IVSTINIANI PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE.

Liber ſextus.

AMISSO Veneti Taruiſio, poſt tertium & quadrageſimum Scallani belli annum, quo ea urbe potiti ſunt, tanta tamen animi magnitudine & conſtantia, in cælando huius cladis dolore, uti potuere, ut Legatos etiam ad Liopoldum miſſerint, qui illi fœlicem acceſſum, nouumque Taruiſii principatum Senatus nomine gratularentur, Iac. Delphinus, Pet. Hemus, Ber. Bragadenus, M. Memmus, & Albertus Contarenus Legati fuere, quos magnis honoribus Liopoldus excepit: ualido poſtea in urbe militum præſidio relicto, in Germaniam reuerſus eſt. Zenus interea naualis Imperator claſſem in hoſtem agens, maritimum bellum egregie adminiſtrabat: nam directo in Græciam nauigationis curſu, ad duodecim Illyrici nominis nauigia in Dalmatiæ ora cepit, ſublatiſque rebus, ac remigibus eductis, ea incendio abſumpſit. nec multò pòſt circa Peloponeſſum cetheam Lyguſticam medio mari aggreſſus, oppreſſit. inde ad Maleam promontorium conſedens, Simonetum Michaelem ex Creta cũ decem triremibus venientem obuium habuit, quibus cæteræ claſſi adiunctis, vnius & triginta triremium numerus eſt expletus: harum decem ad præſidium urbis miſſis, ipſe cum reliquis in hoſtes vadit, ad Iuncumque Lyguſticam vnius & viginti longarum nauium claſſem Zenus adeptus, quam per uaſtum maris ſpacium toto die fruſtra inſequutus eſt: nam ad veſperam iam ſe tenebris intendentibus, velis, remiſque innixus Lygur ex oculis euanuit. indignatus Venetus aliò curſum flectens, ad hoſtium fines deuaſtandos ire conſtituit. omni itaque Adriatici, Aegei, Ionii, Tyrrheniq́ue maris tractu proſpere emenſo, in Lyguriæ oram impetum fecit, qua longe, lateq́ue deuaſtata, ſex longas hoſtium naues intuitus, aliquandiu perſequutus eſt: illis autem celeri curſu fugam arripientibus, ad Veneris portum Venetus ſe recepit, ut turmas in remigando, peruigilioque defeſſas recrearet: ibique quattuor & uiginti Genuenſium triremes: Duce Iſnardo Guarco, è Dalmatia nuper tacito acceſſu profectę, in inſidiis, latitabant, vt Zenum inopinantem aggrederetur: parumque abfuit, quin Venetus ab hoſte interceptus, claſſe tota exutus fuerit: famaq́ue totam Italiam impleuit, Lygurem Venetam claſſem oppreſſam, captamq́ue deleuiſſe. quare è Genuenſibus, qui Piſis negociabantur, victoria falsò uulgata, maxima uanæ lætitiæ ſigna ea in urbe ædita ſunt. Zenus autem incolumi claſſe in Peloponeſſum reuerſus, quinque triremium ſupplementum a Senatu accepit, quas Ludouicus Lauredanus uir impiger duxerat. Claſſe itaq; aucta, in oram inferi maris denuo Carolus aliquod egregium facinus in hoſtes edēdi cupidus, ire pergit: ſummo enim vir acerrimus deſiderio flagrabat cum Lygure dimicare: nec ille, dum hæc Venetus parat, omnino in ocio fuit: nam ſeptem & viginti triremibus contractis, in Adriaticum ſinum irrumpens, Iuſtinopolim iterum cepit, fœdeque vrbem direptam, ac incenſam magna clade affecit: ea poſtea dimiſſa, ad Zeni conatus inhibendos, in Lyguriam reuertitur. Et quum per ſex & amplius annos Veneti cum Genuenſibus, & ſociis Principibus grauiſſimum bellum varia fortuna geſiſſent, diuino tandem nutu factum eſt, vt Aymon, Allobrogum Dux, componendæ pacis inter utramque partem curam ſuſciperet, miſitq́ue ob id Vene-

Venetorũ animi magnitudo.

Legati ad Liopoldũ

No. nauigia, Ze- [illegible] pta. [illegible] Michael.

Zenus claſſem hoſtium fugat.

Genuẽſiũ claſſis.

Not. Zeni periculum

Lud. Lauredanus.

Not. Aymonis de pace ſtudium.

tias ad patres Torcellanum Antiſtitem natione Gallum, qui ad illum in Allobrogas Oratores a Senatu mitti peteret; Legatos quoque hoſtium, Aymonem ad ſe accerſiſſe aiebat, ſperare proinde, auditis hincinde partium iuribus, pacem poſſe componere. Tres igitur Legati uiri in Rep. authoritate primarii, Michael Maurocenus, Zach. Contarenus, & Ioan. Gradonicus, ad Aymonem miſſi ſunt. uenere & a Rege Pannoniæ Oratores, Valentinus quinque Eccleſiæ, & Paulus Zagabriæ, Epiſcopi, & a Marquardo Patriarcha Aquileiæ, Georgius a Tortis, Iuriſconſultus, Federicus Saurognanus,

Not. partium Legatus.

& Nicolaus Gambini: Legati Genuenſium fuere, Leo de Montaldo, Franc. Embriatus, Neapolio Lomellinus, & Math. Maruffo: pro Carrario autem Principe legatione hos functos fuiſſe accepi, Thadeum de Azagudis equeſtris ordinis, Ant. de Zachis, & Iac. Turchetum, ambos Iureconſultus. Dum pax ab Oratoribus in Allobrogis agitur, inhumanum facinus Lygures in Venetos captiuos Genuæ perpetrarunt: namque iis adeò maligne victus ſuppeditatus fuiſſe dicitur, ut ad trecenti & amplius ſqualore,

Not. Genuenſium impietaté

inediaque perierint: nec defuerunt, qui crederent, cibaria a crudele hoſte ueneno infecta captiuos miſerabiliter enecaſſe, quorum corpora in mare etiam ſæuus hoſtis proiecit. Ad eam famam adeò ciuitas ira æſtuans commota eſt, ut cõtinuo in Terram nouam publici carceris locum a populo ſit concurſum, ac refractis portis, uix ab iniuria in Genuenſes, qui in uinculis erant, temperatum: ſed in ultionem paruus panis cum modica aqua in cibum cœptus eſt dari: mulierumque miniſterium adimitur, quæ piè illis ad uitæ commoda operam ſuam præſtabant. nec diu tamen in hac auſteritate ciuitas perſeuerare potuit, quin ad priſtinam clementiam recurrens, omnia illis priora commoda reſtituit. Ac per eos dies, tres Lyguſticæ triremes Iaderæ è portu

Gen. ſucceſſus.

erumpentes, quattuordecim Venetorum nauigia vino onuſta circa Piſaurum oppreſſere: combuſtiſque illis, Lygur inde profectus, quicquid littoris a Piſauro Clodiam uſque protenditur, in prædam uertit. hinc ſtatim, ne Venetis armis medio mari opprimeretur, Iaderam regreſſus, in tutum abiit: & quia allatum erat, Lyguſticam claſſem iam vere appetente, ſupplemento vehementer auctam, Genua intra paucos dies exituram, eſſetque interim Zenus cum claſſis robore in hoſtium finibus, procul a domo ueriti patres, ne quis ſubitus Lygurum incurſus nouæ claſſis aduentu in urbem fieret, dant ſedulo operam, ut circa portum pro urbis tutela munitiones ualidiſſimè erigerentur:

Munitio portus.

conſtituunt quoque ad Nicolai fanum peditum, ac equitum aliquot centurias, cum octo longis nauibus optime inſtructis, quibus Nic. Michael præerat. Factumque eſt, vt vno eodemque tempore & Venetus, & Genuẽſis, ille Lyguſtica, hic Adriatica littora naualibus armis hoſtiliter infeſtaret: erantque utriuſque populi res ad il-

No. fortunæ æqualis uarietatem.

lam uſque diem bello propè pares: nam hinc inde clades illatæ, & acceptæ fortunam æqualem reddebant. Genuenſes ad Antium uicti, Veneti ad Polam, illi Clodiam, hi Catharum expugnarunt; ad Sipontum cladem Venetus non paruam accepit, Lygur ad Brundulum, ruina pontis, ac ferro, ad internitionem prope deletus; a claſse Veneta Tyrrhenum, Lyguſticumque mare obſeſſum, nec Adriaticus ſinus Genuenſium armorum expers; Polenſi victoria inſolens hoſtis, Clodiæ receptione alacer Venetus; Iuſtinopolis bis amiſſa, bis recepta; Tergeſtina defectio Venetis aduerſa, Tenedi Genuenſibus; iis circa Hiſtriam res proſperæ, in Taruiſinis aduerſæ; Auſtrium nomen hoſti formidoloſum, Pannonicum Veneto; hoſtilium armorum fragor circa urbem ſæpe auditus, nec Lyguriæ ore Veneto incurſu tuta. Aequali itaq; Marte fortuna, Venetorum, Lygurum, & ſociorum ad pacem Aymonis hortatu facile animi inclinarunt, quæ his conditionibus ſequuta eſt: vt captiui vtrinque reſtituerentur, Patauinus Princeps Caputaggere, & Morentianum oppida, Veneto redderet; is turrim Corraniam

Not. pacé, & eius cõditiones.

Carrario; & è Tenedo militari præſidio abducto, Inſulam Dux Allobrogum ſuis armis biennium cuſtodiret; militique, a Veneto, & Lygure ſtipendium ſolueretur, biennio exacto, arx dirueretur, ne amplius Venetus, aut Lygur Inſulam occuparet; ad Tanaimque interdicta vtrique nauigatio, qui locus ex veteri æmulatione rixarum inter

Florentini uades.

ipſos ſæpe fomes fuerat. Florentinique ob id ducentis millibus vadati. Additumque his conditionibus quidam fuiſſe tradunt, ut decimo quoque anno ſeptem aureorum nummum millia Veneti Ludouico Regi ſoluerent, illeq́. ob id Dalmatiæ oram a Py-

ratarum

ratarum incurſibus tutam redderet. Chinatium autem Taruiſinum, qui hoc bellum diligentiſſimè ſcripſit, Sabellicus ait, nullam prorſus de pecunia a Venetis Regi ſoluenda mentionem feciſſe: in pacis quoque conditionibus declaratum eſt, ut Targeſtum Patriarcha Aquileienſis, licèt proditione amiſſum fuerat, retineret, & Veneti Catharum, quam vrbem uera uirtute, & armis occupaſſent. hunc finem habuit bellum hoc grauiſſimum Genuenſe, vtriuſque partis cladibus terra, marique nobilitatum: nam ſupputatione facta eo bello ſupra octo millia Lyguſtici nominis periiſſe dicuntur, Venetorum autem paulò minus, atque ex quattuor millibus hoſtium, qui Clodia recepta, captiui in carcerem Venetias miſſi ſunt, duo millia, & quingenti diuturni carceris fœtore & tædio periere, reliqui, qui ſuperſtites fuerant, abeuntibus, quia ſeminudi è cuſtodia exibant, Venetæ matronæ collata pecunia indumenta omnibus præbuerunt, uiaticum ad hæc, ne longo itinere mendicare cogerentur, benigne datum. Pace firmata, Zenus, qui è Peloponeſſo in oram inferi maris nouiſſimè nauigarat, publicis litteris domum reuocatur, iubeturque a ui in poſterum abſtinere: is verò gemens, fremensque ex ipſa penè hoſtium ceruice reuulſus, claſſem in urbem reduxit. uerumenimuero, ſi quis diligenter animaduertat, pares ſanè in hoc bello utriuſque populi animos, fortunamque duarum maximarum ciuitatum propè æqualem Martis ſtudiis inueniet: nam utraque naualibus armis clara, Imperii eadem magnitudo, ſimilis regendæ Reip. forma, uiri apud Venetos, Lyguresque pace, belloque eximii: in his Lucianus, & Petrus Doria, in illis Victor Piſo, & Thadeus Iuſtinianus, magni nominis Duces; ſed longe omnium Carolus Zenus terra, marique Imperator maximus, ac vir prudentia, & fortitudine nemini ſecundus. Pace autem inter Venetos, & Lygures firmata, diſſimiles ſtatim caſus vtrunque populum excipere. Veneti enim bellum cum finitimis Principibus gerentes, captis ſubactiſque eorum ciuitatibus, fines Imperii propagarunt, & ſui nominis gloria maximis terra, marique rebus geſtis, toto terrarum orbe illuxit. Lygures contrà rebus eorum in deterius labentibus, è priſtina fortuna excidentes, Gallorum armis ſubacti ſunt, libertateque amiſſa, in hunc vſque diem aliena imperia patiuntur. At Veneti tanto defuncto bello, ne fidei publicæ deeſſent, conſiliariis Paulo Mauroceno, Luca Gradonico, And. Donato, Nic. Michaele, Fr. Bocholo, Ioanne Barbo, vnaque rerum capitalium triumuiris, Ioãne Gradonico, And. Mauroceno, & Blancho Hemo, legem ferentibus, ad triginta ciues, qui medio ardore belli Remp. priuatis opibus pie iuuerant, ad patritium ordinem traduxere: reliquis pecunia viritim diuiſa ſatisfactum. Cæterùm Tenedi reſtitutio, Ioannis Mudatii præfecti pertinacia rem Venetam aliquandiu ſolicitam habuit. is enim a Panthaleone Barbo ad id miſſo Senatus nomine admonitus, vt arce excederet, eamque Aymonis Allebrogum Ducis nuncio, iuxta pacis conditiones quamprimùm traderet, ſpretis Ducalibus mandatis, is Inſulæ ſuis auſpiciis defendendæ contra qualiſcunque belli minas curam ſuſcipere auſus eſt: miſſa quoque alia legatione inexorabilis hominis animus nequaquam flecti potuit. Itaque rem armis gerere patres ſtatuerunt, hoſteque patriæ Mudatio iudicato, in eum ſtatim claſſis decernitur, cuius imperium Fantino Georgio, uiro impigro datum eſt. iſque celeriter mouẽs, ubi Tenedum uenit, expoſitis in terram militibus, oppidum acri oppugnatione aggreditur, multique utrinque telis, machiniſque bellicis lacerati periere. tum manifeſte apparuit, nõ publicam, quod Genuenſes ſuſpicati fuerant, ſed priuatam Mudatii præfecti, in retinenda Inſula, culpam eſſe, cuius unius temeritas hunc motum exciuerat. & quum per ſeptem & amplius menſes Tenedenſes obſeſſi, deficiente commeatu in maximam rerum omnium inopiam incidiſſent, deditio tandem ab his facta eſt. Mudatioque, & qui cum eo fuiſſent, uenia data, atque omnia ex fœdere præſtita. Nec ita multò pòſt Ludouicus, Pannoniæ Rex, Venetorum hoſtis acerrimus vita deceſſit. & Carrarius Princeps, qui adhuc aduerſus Liopoldum Auſtriæ Ducem in armis erat, Taruiſinam rem infeſtare non deſinebat, maiorique aliquanto quàm antea conatu bellum gerens, tot, tantiſque cladibus barbarum afflixit, ut rerum deſperatione Liopoldus adactus, quòd ex Germania ægre auxilia ſubmittebat, Taruiſium cum ſuis finibus Carrarienſi certis conditionibus ceſſerit. Interim Contarenus Princeps quartodecimo

No. occiſorũ numerum.

No. matronarum Venet. pietatem.

No. de Venet. & Gen. ſucceſſibus.

Cõſiliarii

XXX. ciues in patritium ordinem adſcripti.

No. Mudatii pertinaciam.

Tenedus reſtituitur

Lud. Pannoniæ Regis interitus.

Taruiſiũ Carrarius occupat.

cimo Ducatus ſui anno per uarios bellorum caſus circumacto, diem extremum obiit, in Prothomartyriſque æde funebri oratione laudatus, tumulatuſque eſt, erectaque ei ſtatua in comitiis auro fulgens, cum alati Leonis effigie, ac Tullii, Boetiique elogiis marmore loco conſpicuo inciſis. Michael Maurocenus Principatum magno pa-
Mic. Maurocenus Dux 61. ann. Do. 1352.
trum conſenſu poſt Contarenum aſſequitur, & Leon. Dandulus, vir ampliſſimus, ſed ſenio, ætateque iam grauis repulſam tulit. legem autem de ſiccariis eo Principe latam aiunt, vt qui hominem occidiſſent, ſecuri ſubiicerentur, quum ad eam diem laqueo pœnas darent: ciuitatemque ipſe optimis ſanè ornaſſet Maurocenus inſtitutis, niſi morte intra quattuor menſes ſublatus, publica vti adminiſtratione diu potuiſſet. in Gemellorum æde marmoreo tumulo ſitus eſt. Ant. Venerium tum Cretæ præfe-
Ant. Venerius. D. 62. an. D. 1352.
cturam gerentem patres illi ſurrogarunt, ſingulari uirum prudentia, & generis nobilitate clarum. De ipſo autem res multorum ſermone memoratu digna uulgatur: nam quum Venerius ex ſuorum litteris ſe Principem creatum eſſe cognouiſſet, ad Ducham collegam ſuum, vnum ex aulicis miſit, qui eum ad ſe in Palatium acciret: quod
Nota, de Venerio.
ille facere neglexit, quum honoris prærogatiua Venerio præcederet. qui ſtatim eodem nuncio remiſſo, iuſſit, vt non ad Cretæ præfectum, ſed ad Venetiarum Principem ille accederet: tum re cognita, ad Venerium ipſum Ducha, cum quo ſimultas antea quædam tacita inerat, celerrime in palatium ſe contulit, eumque nudo capite ſalutauit, & ueneratus eſt: complexique ſe ſe ſtatim illi inuicem, in priſtinam gratiam rediere. Venerio poſtea urbem intranti frequens Senatus prodiuit illi obuiam, miraque omnium lætitia eius aduentus celebratus: nam ſeptennio Reip. cauſa domo abfuerat, egregiiſque terra, mariique rebus geſtis, nominis ſui fama ciuitatem totam impleat. Meritò igitur ad Principatum Venerio euecto, poſt paucorum annorum ſpacium, bellum in Italia ingens inter Scallanum, & Carrarium Principes exarſit: iiſque vario Marte inuicem decertantibus, Ioannes Galeatius, cuius in Inſubribus Imperium amplum, præpotenſque erat, Veronæ ſubigendæ cupidine accenſus, Scallanum bello aggredi ſtatuit, coactiſque ſtatim copiis, in eius fines irrumpit, nec diu ille Galeatii uiribus reſiſtere potuit: armis enim uictus Principatum amiſſit. Inde, vt ſunt im-
Io. Galeatii gesta.
moderati mortalium affectus, ac inſatiabiles, effreneſque cupiditates, non contentus Vicecomes, Scallanum Principatu eieciſſe, Carrarium quoque belo aggreditur. Veterum igitur Venetus memor iniuriarum, cum Galeatio in Patauinum tyrannum ſocia arma iunxit: inſtruuntur quadraginta, & amplius leuiora nauigia ad bellum a-
Iac. Delphinus.
quis in hoſtem gerendum percommoda, hiſque Iacobus Delphinus præficitur, qui ſtatim nauali illa manu mouens, omnia fermè oppida, & loca, quæ in ſtagnis, & ad fluuiorum oſtia Carrarius habebat, ſubito acceſſu occupauit: & ex altera parte Galeatius intra continentem maximis hoſti illatis cladibus, poſt oppida circumiecta partim expugnata, partim ſponte dedita, Patauium tandem cœpit, ac Franciſcum Senio-
Fr. Carrarius capt⁹. Taruiſiũ Veneti recipiunt.
rem in ſuam poteſtatem redactum, Medocciæ ſub cuſtodia aſſeruandum in Inſubriã miſit. Taruiſium quoque ſubactum Venetis ex fœdere traditur. ita Carrarii opibus euerſis, paternoque amiſſo Principatu, Nouellus filius mediã trepidatione elapſus, in Germaniam ad Rubertum Bauariæ Ducem confugit, ab eoque benigne exceptus eſt. Poſt modum, ita res humanas fortuna euoluente, quum Galeatius Bononiẽſibus, & Florentinis arma intuliſſet, cœpere Italiæ populi eius conatus non parum ſuſpectos habere: itaque ne malum latius ſerperet, Veneti, Florentini, Bononienſes, Eſten-
Fœdus in Galeatiũ.
ſes, Gõzaga, Malateſta, ſociis armis, fœdus in Vicecomitem percuſſere. ipſe verò magno animo bellum ſuſcipiens, ingentem contrahit exercitum: nam quadraginta hominum millia in caſtris habuiſſe dicitur; Mantuamque Gonzago nomini infeſtus, terra, & aquis adortus, obſidione cingit. At Veneti ſociæ urbi opem ferentes, ingentem vim nauium ſubito comparant, in Mintiumque amnem claſſis progreſſa, ferociſſimi hoſtis audaciam compreſſit, multaque cæde Inſuber ab vrbe repulſus, obſidionem
Galeatii clades.
ſoluere coactus eſt. Nec ita multò pòſt contracto ad Gouernolum uicum certamine, Galeatii copiæ a Carolo Malateſta ſociorum exercitus Imperatore profligantur: qua clade Patauium, Veronaque vrbes deficientes, ad veteres dominos Scallanum, Carrariumque rediere, nam Nouellus ignoto habitu in Italiam reuerſus, auxiliari Baua-

Nouellus Patauium recipit.

riæ Ducis manu, ac Venetis aperte fauentibus, Patauium ingreſſus, urbe potitur. Veronenſes & ipſi nouarum rerum cupidi, ad arma concurrunt, accerſitoque ex Hetruria Antonio Scala, Galeatii præſidium ex urbe expellunt: ſed ille paucis antè diebus è uita exceſſerat. In magno itaque periculo ciuitas conſtituta ob ſubitam defectionem, Galeatii fidem implorat, qui copiis celeriter ſub Vgoloti Blanchardi Imperio Veronam miſſis, vrbem recepit, eamque miles prædæ auidus, tumultuoſe ingreſſus, hoſtilem in modum diripuit: multaque alia ardentiſſimo bello geſta dicuntur: ſed quia illa ipſa parum ad noſtram hiſtoriam pertinere video, prætermittenda duxi. Pax verò poſt varios bellorum motus, in decem annos ſequuta, afflictis Italiæ rebus non magis opportuna, quàm ſalutaris fuit. Venitque per id tempus Venetias Auſtriæ Dux, & paulò pòſt Galliæ regis nepos, proficiſcendi in Syriam cauſa, ad Chriſti Regis noſtri ſepulchrum viſendum, adorandumque: quibus a patribus itum eſt obuiam, magnique publice exhibiti honores, duabusque eorum nomine inſtructis triremibus, in Syriam vterque nauigauit. Vrbe interim pacis ocio fruente, publica quædam ædificia magnificentiſſimo opere conſtructa ſunt, & ad Riualtum area quadrato lapide inſtrata, & illa, quæ ante auream ædem late ſpaciatur, lateribus exculta. Magnaque & inſolita hoc tempore Vrbanus VI. Pontifex Maximus impietate uſus eſt, qui ſeptem Cardinales, nullo Deorum metu habito, Genuam nauigans, ſaccis inuolutos medio pelago demergi iuſſit, ea prætenſa cauſa, quòd ii coniurationem aduerſus ſe cum Neapolitano Rege Carolo, & pſeudo Pontifice iniiſſet: nam diro tum ſchiſmate Dei Eccleſia laborabat, ob Cardinalium ex Gallica gente factionem. Interim Venerius Princeps, quum decem & octo annos Reip. præfuiſſet, ſenio confectus, fatali hora extinguitur, magnamque ex eo tulit laudem, quòd Aloyſium filium damnandum cenſuerit, ea de cauſa, quòd patritiæ matronæ pudiciſſimæ, cuius amore adoleſcens deperibat, ædes in mariti inuidiam cornu ad ianuam affixo contaminaſſet: ita Venerius ſeruato legum, iuriſque ordine, auctoque Imperio, magnis uiuens, defunctuſque laudibus concelebratus eſt: erigiturque ei in Gemellorum templo ſublime ſub Horologio monumentum. In demortui Venerii locum Mich. Stenus ſuffectus, ducalem adminiſtrationem ſuſcepit; multaque in illius gratiam, ſpectacula, ludique publici æditi ſunt a populo. At nõ expectata maris clades non parum ciuium gaudia turbauit: nam ſex triremes Aegypria, Syriacaque merce onuſtæ Leon. Triuiſano præfecto, ad Hirenem in Aegeo mari procelloſa ſubito tempeſtate actæ naufragium fecerunt, magnoque damno ciuitas affecta eſt. Ac ſub id tempus Rubertus Imperator cum uxore Venetias ex Germania ueniſſe dicitur, vbi a patribus maximis honoribus exceptus, maritimæ urbis ſitum, nouum, ſtupendumque eſt admiratus. Is poſtea a Galeatio in Cremonenſi agro victus, Tridentum ſe trepide recepit: inde omnibus ferè exutus copiis, in Germaniam abiit. At nouus Genuenſium motus rem Venetam non parum turbarunt. ſtruxerant illi Gallorum Regis opibus (ſub cuius ditione erant) unã & uiginti triremes, cetheaſque aliquot naues, quarum Imperium Bucicaldo natione Gallo viro fortiſſimo demandarant. Iſque ſimulans, Genuenſes claſſem in Cypri regem comparaſſe, ex Tyrrheno in Pamphilium mare nauigauit, & ad Scandelorum Ciliciæ oppidum orta ingenti tempeſtate, adeo tota claſſis concuſſa eſt, vt ex una & viginti triremibus duodecim tantùm euaſerint, reliquæ male habitæ ad unam periere. Hinc poſtea profectus Bucicaldus animo in Venetos infeſto, in Syriam curſum tenuit: Beritumque vrbem maritimam ſubito incurſu inuadens, armis occupat, ac fœdere uiolato, Venetas naues, quæ tum forte in portu erant, hoſtiliter diripit. ex Syria inde præda onuſtus, in Peloponeſſum venit, vbi Carolus Zenus cum vndecim triremibus ſtationem habebat. qui Bucicaldi inſultus iniquo animo ferens, modico interuallo eum toto mari inſequebatur, ad dimicandumque paratus nullo loco deerat, licèt inuitus ad confligendum cum eo traheretur, ne pacem abrumperet. Lygur quoque omnia circumſpicere. Ita Bucicaldus, & Zenus, ille inſidiis intẽtus, hic ad eas præcauendas erectus, maria prælustrabant. Nec diu tamen Venetus hoſtis arrogantiam ferre potuit: eius enim iniuriis adactus, prælium capeſſere non dubitauit: datoque ſigno, in Lyguſticam claſſem, quæ ad Iuncum conſederat, confligendi ſtudio eſt prope

Verona diripitur. Pax decennalis.

No. Pontificis crudelitatem.

No. Venerii P. iuſtitiam.

Mich. Stenus D. 63. ann. D. 1400.

Claſſis Genuẽſis. Bucicaldi inſolẽtia.

Car. Zen.

Not. præliũ atrox.

ratum,ac ſub ipſum Zeni acceſſum,acre prælium committitur,circundantque ſtatim Bucicaldi iuſſu prætoriam Zeni triremem tres longæ Genuenſium naues: harum tamen impetum fortiter ille ſuſtinuit, in maximo licèt periculo diu verſatus ſit, quum ad dextrum,ſiniſtrumque latus,& ad proram cum Lygure in fronte pugnaret, inpar enim vnius triremis cum tribus certamen erat,nec miſſilibus, & ſagittis modò, ſed manu,atque mucrone gerebatur res,adnitebanturque hoſtes, enixius ex omni parte Caroli triremem,quæ ſola a tribus oppugnabatur,conſcendere: Venetus contrà ferociter obſtare,Ducis præſentia animatus,Gallorum autem,quorum ingens numerus,

No.Gallorũ ferocitatem.

& pugnaciſſimorum quidem Lyguſticæ inerat claſſi, ferocior erat pugna, Carolumque illi perquirebant,proprio nomine illum truci voce compellantes,ſummiſque conatibus ad eum,quem Imperatoriis inſignibus ornatum uidebant,ſi qua poſſent, penetrare moliebantur:in tanta autem omni ex parte difficultate rerum, tamque atroci & pernicioſo pugnæ diſcrimine, neque deiecto animo conſternatus Carolus, neque conſilio,militarive aſtu deſtitutus eſt.ut enim diſcrimen imminens agnouit, ad

Not. Zeni naualis rei peritiã.

id euadendum,admirabili arte vſus eſt:ſiquidem ſigno dato,quotquot vel remiges, vel nautæ,vel milites triremi circumſeſſæ inerant ſuæ, ad alterum eiuſdem triremis latus vno impetu omnes properanter confluere, pendentemque ab ea parte reddere triremem iubet.id vbi ab omnibus obſequenter factum eſt,tum hominum, & armorum pondere ab uno latere depreſſa,ab altero elata triremis conſtituitur: quo facto omni ſtatim periculum diſcuſſum fuiſſe apparuit: nam ea ſubito commotione Gallus,Lygurque qui pugnæ initio in Caroli triremem ex ſuis proſiluerant, corporum mole,armorumque pondere prægrauati,ſe ſe continere recto pedum ueſtigio non ualuere,ſed præcipiti proruentes lapſu proſternuntur: horum autem pars ad dextrum triremis latus,quo ea declinauerat,prouoluti, uehementiori procidentes motu, in ſub iectum mare collapſi ſunt:pars in remos,& tranſtra impacti,terribiles adegerunt toto corpore ictus;& quum annixi aliqui ſe ſe erigere conarentur, rurſum præcipites ruebant,horum magna cædes ædita eſt,perterritiſque iam hoſtibus nec fugæ, nec mi

Not Zeni ſtrenuitatem.

ſerationi locus permittebatur, & ipſe Zenus in conſpectu omnium armatus aderat, hortabaturque ſuos,eo quo eminebat animi uigore, huc & illuc per prætoriam triremem curſitans,multiſque telorum ictibus ſcuto transfixo, ferociter pugnabat: alia quoque parte in hoſtes acerrime a Venetis triremibus dimicabatur;ſuſtinebat tamen adhuc earum impetum fortiter Bucicaldus: eoque penè profligato, ſuperuenere ex

Her.Lombardus.

Syriæ negociatione redeuntes,Duce Hermolao Lombardo, duæ maiores triremes. Quarum aduentu Zenus pugnam ferocius inſtaurat, facinuſque in hoc conflictu a noſtris æditum legitur memorabile: nam dũ acerrime vtrinque pugnatur, Veneta oneraria nauis,cui Marinus Piſanus præerat,in hoſtilem triremem,Saulam nomine,plenis velis impetum fecit,ſingularique arte noſtri vſi, vela ſtatim inciſis funibus ab al-

Not Marini Piſani artem.

to demiſere, eaque ſuper hoſtium triremem cadentia remiges,nautaſque totos operiunt, iiſque inextricabili tegumento inuolutis,implicitiſque,veluti irretita auis,triremis capitur:quattuor tamen horis cruento Marte vtrinque pugnatum eſt. demum

Bucicald' profligatur.

Bucicaldo multum indignante victi Lygures,tribus longis nauibus demerſis,ac totidem captis,turpiter ceſſere,quingentique ex his partem ferro, partim flammis, undiſque,periiſſe dicuntur,ac octingenti capti,in quibus fuere,Paulus Saulus Lygur,ac

Captiui Genueſes

Caſtermorantius gente Gallus,viri ambo inſignes. Veneti quoque haud incruenta victoria potiti ſunt,quippe qui ſupra centum,& quadraginta ex omni numero occu-

Genueſiũ clades.

buere: Zenusque Imperator ſaucius è pugna exceſſit: atque eius admiraldi Aegidii Nigri in ea pugna virtus maxime enituit,Genuenſes ſex amiſſis triremibus cum reliquis domum ſe mœſti receperunt:Zenus quoque uictricem claſſem in patriam reduxit,captiuique in uincula publica cuſtodia coniiciuntur, inter quos quidam Gallus genere,quum tedio carceris ira accenſus palàm dixiſſet,ſperare ſe quandoque fore, vt Veneto ſibi ſanguine manus ablueret, dirum barbari omen patres execrati; uno ordine Gallum ad geminas columnas laqueo necandum cenſuerint. De hac uictoria extat epiſtola doctiſſimi uiri Petri Pauli Vergerii Iuſtinopolitani ad ipſum Carolum Zenum, quam hìc exſcriptam poſuimus, vt præſtantiſſimi uiri bellica

ca

ca uirtus alienis etiam ſcriptis magis comprobetur.

Si ego te certius coram uiſurus oculis fuiſſem, quàm abſens animo uideo, aut ſi ipſe te non undique procul ingenti nominis tui fulgore ſpectandum præberes; nihil eſſem moratus, quin ad primum reditus tui nuncium uiſurus te protinus ueniſſem. uerum quoniam minimam eſſe acceſſionem in amicitiæ fructum iudico, & te nominis tui gloria domi, foriſque parta, etiam ad eos, quibus nuſquam es uiſus, longe, lateque præſentem refert; facile mihi permiſi, ne loco nunc mouerer, neu te uenientem ſalutaturus, intra primos adirem: illud uero imperare mihi non potui, ut tacerem, quum enim undique tuum nomen concelebrari audio, ſi ſolus ipſe ex omnibus ſileam, uereor, ne pro magnitudine tuæ uirtutis, & pro ea neceſſitudine familiaritatis, quæ tecum mihi eſt, iniurius uidear, aut certe ignarus: neque enim eſt nunc quicquam illuſtrius, in ore hominum, quod in primis æque feratur, uti naualis pugna, quam nuper ſummo labore, ingenti periculo, eximia cum uirtute tua, ac tuorum militum, Deoque ante omnia fautore, uiciſti: ac ne quis te parum forſitan egiſſe arbitretur, quòd utrinque non magno nauium numero pugna confecta eſt, ſciat, eam rem non magnopere ad claritudinem attinere: neque enim multitudine exercitus, aut claſſium numero res bello geſtæ magnę iudicantur; ſed induſtria, ac uirtute Ducis, fortitudine, ac probitate militum, niſi quum Romani intra decimum lapidem bella gererent, deque uictis hoſtibus triumphos agerent, non fuerunt eius temporis res geſtæ præclare; aut Ducas earum illuſtres: ergo rebus prudenter, fortiter, magnificeque geſtis gloria quæritur, non copijs immenſis, aut infinito exercitus numero. quum autem glorioſum ſit, uincere urbes, ſubiugare exercitus, populos in ditionem accipere: tum uero maxime, quod ad unius hominis gloriam attinet, claros bello Duces ſuperaſſe decorum eſt: nam ut uictoris exercitus magna pars laudis ad Ducem pertinet, ita uicti Dux alioquin clarus, magna laus eſt uictoris: eſt enim in re bellica, ut ipſe in primis noſti, maximum in Duce momentum: ſolum ipſum ſæpe Ducis nomen, quum eſt illuſtre, parua ui maxima bella confecit. hinc recte Habrius poſt naualem in Naxo pugnam dicere ſolebat, terribiliorem eſſe exercitum ceruorum ductore Leone, quàm Leonum ceruo ductore. tu igitur eum nunc Ducem uiciſti, qui in Gallia primùm, totoque Occidente rei bellicæ fama clariſſimus habebatur; qui Saladinum laceſſere auſus eſt, qui Syriam inuaſit, qui Berytum deleuit, qui ſpolijs onuſtus, & gloria, uictricia ſigna referebat: his enim ille fœlicitatibus clarus, nullo indicto bello tuarum nauium claſſem, quæ pacata ſequebatur: adortus eſt expugnare: tu uero quum minime decreuiſſes, neceſſitatem pugnæ ſubijſti; & quum minime id ſpectares, coactus es defendendo uincere, quos offendere nolebas: itaque ut uim repelleres, uictoriam retuliſti, & quos pacatos abire uolebas, ne abſte iniuriæ cauſa, aut belli initium ortum uideretur, inuitus pene uiciſti: non fuit tamen facilis, aut incruenta uictoria, immo uerò milites tui plures uulnera ex pugna retulerunt: tu autem utriuſque & ſummi Ducis & ſtrenui militis in hac pugna partes obijſti, nunc multa arte imperando alijs, nunc ipſe acriter pugnando, atque ut tuo ductu, ita & per tuum ſanguinem uictoria parta eſt. Fregiſti itaque Ducem illum tam clarum, partem cepiſti nauium, purgaſti mare, uictoriam reportaſti, unde renouatur memoria rerum antea per te geſtarum, & ex recentibus uulneribus, ueterum, quæ olim pro tua Rep. pertuliſti, frequens recordatio multa cum laude uocibus hominum celebratur, quæ ſunt totidem tibi monumenta ad æternitatem famæ, omniſque futuri æui memoriam. No Epiſt. Not Habrii dictū.

Vale.

Delectique ſunt hoc tempore. ab Innocentio VII. Pont. Maximo, tres Cardinales, Angelus Corrarius Venetus, Petrus Philargi Cretenſis, & Oddo Columna Romanus: qui omnes unus ferè poſt alium ad Pontificatum euecti, Apoſtolicæ Sedi magna cum laude diu præfuere: & paulò poſt Franciſco Carrario iuniore Paduæ Principatum Tres Cardinales. Bellū cū Carrario.

tum tenente, nouum bellum inter eum, & Venetos in Italia ſubito exarſit. is enim beneficiorum immemor, quòd aliquot ante annos Venetis iuuantibus eiecto Inſubre Patauinum Principatum recuperarat, ingratiſſimo tamen animo ſupra quàm dici poteſt, Venetum nomen oderat, omniaque enixè agebat, ut Italorum, exterorumque Principum arma in Remp. conciret. Patres, & ſi non ignorabant, quo ille eſſet in ſe animo, pacis tamen cupidi, bellum auerſabantur, diſtuleruntque illud tantiſper quoad nimiis iniuriis adacti, pacis conſilia abiicere coacti fuerint: nam poſt Galeatii obitum ad ampliandos Principatus ſui fines Carrarius intentus, Scallanis Veronam, qui urbem receperant, ueneno ſublatis, occupat; nec tam opulentæ urbis imperio contentus, Vincentiam quoque armis ſubigere tentauit. ciues autem illi a Carra-

Catharina Galeatii uxor.

rio nomine abhorrentes, miſſis Mediolanum Legatis, opem a Catharina Galeatii ducis defuncti coniuge, implorant: ipſa & ſi Vincentinam rem ſaluam eſſe cuperet, uiri tamen morte conſternata, petita uerecunde abnegauit auxilia. Legatos autem hortata eſt, quando Vicentini Carrarium nomen tantopere inuiſum haberent, ut Venetam fidem ſequerentur. Mulieris itaque conſilium illi amplexati, Legatos de dedenda urbe ad Senatum mittunt: qui benigne in curiam admiſſi publico ciuitatis nomine Vincentiam cum ſuis finibus libero iure patribus obtulere, atque ex his Legatis

Iac. Thiēnii ad Venetos oratio.

Iacobus Thiennius non uulgari uir facundia ad Principem conuerſus, *Veſtræ inquit, iuſtitiæ, ſapientiæ, cæterarumq; uirtutum fama nos impulit, Dux inclyte, ac Patres optimi, ut ſponte in fidem ueſtram uenientes, Venetum hodie Imperium unicum Italiæ propugnaculum acciperemus. hoſtis enim acerrimi Patauini iniurias ferre non potuimus, cui colla ſubdere omnino neceſſe erat, ac inuiſam pati tyrannidem, niſi in Venetæ clementiæ ſinum confugiſſemus, quem ſalutarem nobis futurum ſperare licet, Accipite igitur vrbem, agros, fortunas noſtras, omniaque ſimul a Carrarij principis iniuria, ea, qua præſtatis animi magnitudine, defendite: nos certè fidos, conſtantesque ſocios habebitis, ac pro ueſtri Imperij gloria omni tempore non ſolum opes, ſed etiam uitam effundere parati ſumus.*

Principis reſponſū.

Ad ea Princeps pauca ſubdens, iubet, eos bene ſperare, daturos operam patres, ut breuì Patauinus ille tantos ſpiritus deponeret, Vicentinamque rem armis infeſtare deſineret. Cæterùm quando ciuitas illa conducibile ſaluti ſuæ exiſtimauit, ſub Veneti imperii umbra conquieſcere, id certe eis conſtantiſsime polliceri, nullo unquam tempore futurum, ut illam ciuitatem deditionis ſuæ, ac Venetæ adminiſtrationis pœniteret: atque cum his miſſi

Iac. Surianus.

ſunt Legati. Statimque Iacobus Surianus cum magna ſagittariorum manu ad præſidium urbis mittitur: qui eò profectus ſingularem adhibuit curam, in ſeruanda ciuitate aduerſus Carrarii infenſiſſimi principis arma, miſſumque ad eum caduceatorem publico nomine nunciantem, ut abſtineret Carrarius a Vicentinorum rebus, qui in Venetorum fidem ueniſſent. Ira percitus contra ius gentium impius tyrannus uiola-

No. tyranni uiolentiam, & ſuperba uerba.

uit, naſo, illi, & auribus præciſis, iubet ad hæc patribus renuntiari, impudenter eos facere, qui ſe continentis rebus immiſceant, ac leges meritò imperantibus temere præſcribere audeant; tenerent ſe ipſi pelagi æſtuariis, piſcationibusque darent operam, nec alienos principatus, rerum terreſtrium ignari occuparent. Superbiſſimis tyranni uerbis commoti patres ſtatim cum Franciſco Gonzaga ſocietatem aduerſus Carrarium ineunt, belloque ei indicto, maximas copias contrahunt. Interim Fel-

No. oppida Venetis dedita.

trum, Bellunum, Baſsanum, Colonia, ultro in poteſtatem Venetorum uenere: & ut aquis quoque tyrannus premeretur, ingens uis lemborum ſub M. Grimani auſpi-

Car. Malateſta.

ciis in ſtagna ad hoſtium fines infeſtandos, miſſa eſt; & Carolum Malateſtam exercitus Imperatorem patres declararunt, ad trigintaque peditum, ac equitum millia in Venetis caſtris erant. his ille uiribus in hoſtem profectus, fecit aliquot expeditiones: poſt modum medio belli ardore (quietioris uitæ ſtudio) ut ipſe aiebat, ſe impe-

Paulus Sabellus.

rio abdicauit. Quò abeunte Paulus Sabellus clariſſima Romana ſtirpe ortus, ac bellica diſciplina inſignis, magno Senatus conſenſu militare Imperium ſuſcepit. At hoſtis Venetorum conatibus ubique occurrens, aliquot nauigia ad Medoacum harpagonibus in terram traxit, vbi M. Grimanus præfectus capitur: & ex altera parte Sabel

li

li ductu res proſpere geri cœpta: nam loca quædam in Patauino ſunt expugnata, fugatique ſæpe hoſtes. uerùm ferociter tyrannus in dies ferebatur, apparuit itaque maioribus uiribus eum oppugnari, fatigarique oportere: nouas proinde copias largo ſtipendio contractas ad Veronam infeſtandam Senatus decreuit. hiſque Franciſcus Gōzaga uir acer, ac belli ſocius præficitur: nec mora, Veronenſes ille ſubita ui adortus, omnia ferro, ignique deuaſtat, incendiaque domorum, ac prædas hominum, pecudumque agit, fugaque & terrore, paſſim incuſſo, hoſtiliam expugnat. Tum Carrarius duplicis belli onere preſſus, rebus ſuis timere cœpit: a duobus enim ualidiſſimis exercitibus Patauinus, Veronenſiſque ager uexabantur, nouaſque quotidie clades illi cūcta uaſtantes inferebant. Carrario autem uires longe impares erant, quibus hoſtium impetus reprimi poſſet. His igitur malis circumuentus, ad Albertum Ferrariæ Principem Nouellus confugit, eiusque fidem implorat: ille fortunam affinis ſui miſeratus, Venetis bellum infert: filiam enim ſuam Liliolam Carrarius Nicolao Alberti filio matrimonio locarat. Commoti ea iniuria patres, tertium exercitum comparant, Acciumque Eſtenſem è Creta reuocant, quem in Ferrarienſes cum ingenti armatorum manu continuò mouere iubent: claſſis quoque paratur ſub Ioannis Barbi uiri fortiſſimi Imperio, eaque per Padi fluenta acta, ingentem hoſtibus terrorem iniecit: multiſque, & uariis preliorum euentibus circa Ferrariam aliquandiu bellatum eſt: & quum iam aquis, terraque res ſuas Eſtenſis periclitari Venetorum armis cerneret, poſtpoſito Carrarii diſcrimine, inclinare cœpit Alberti animus ad pacem, quæ his conditionibus ei a Veneto Senatu data eſt, vt ſal ad Comaclum amplius non fieret, Poleſinum Albertus reſtitueret, Venetumque magiſtratum, qui Vicedominus appellatur, quotannis ab urbe miſſum Ferrariæ acciperet, polliceretur præterea ſolemni iuramento interpoſito, ſe in Venetorum amicitia, perpetuò pace, belloque mēſurum. Sedato Ferrarienſi in hac parte tumultu, in Patauinis haud ſegnius bellum gerebatur. habebat caſtra ad campum Nucarium, hoſtiſque in omnes occaſiones intentus, cum lectiſſimo equitatu haud procul aberat: committebanturque læuia prælia. poſtea cum parte copiarum Sabellus ad Baſſanellum conſedit, in quem Franciſci filius cognomento Tertius, iuuenis ferox repente impetum faciens, tanta animi alacritate in mediam Venetorum aciem penetrauit, vt prius per multorum cædem, & ſanguinem militaria ſigna abſtulerit, quàm quiſquam inopinato terrore perculſus, illi occurrere ſit auſus. Sabellus tamen Imperator haud ſatis decoro habitu è tabernaculo exiliens in tanta trepidatione ſuos reuocare, increpare, hortari, in aciemque milites diſponere. Quo animaduerſo, ueritus hoſtis, ne infecto certamine, cogeretur, collato pede, cum omnibus copiis pugnare, receptui cecinit, acieque excedens, veluti Victor Tertius ablata Venetorum ſigna in urbem retulit. Sunt, qui tradant, ad Māſſanum pugnatum, ademptoſque tumultuario prælio Venetis equites ſexcentos. Nec eo ſucceſſu diu hoſtis lætatus eſt: nam oppida aliquot tam in Patauino, quàm in Veronenſi a Veneto expugnata amiſſit. Interim Sabellus contracta graui ægritudine intra paucos dies è uita exceſſit: eius obitum acerbiſſime patres tulere, ob ſingularem uiri in Remp. fidem, & eximia pacis, bellique decora, corpus eius Venetias delatum magnificentiſſima funeris pompa ad Minorum ædem, concomitante Principe & Senatu, tumulatum eſt; equeſtriſque ei ſtatua ante ſacrarium ſiniſtrorſum erecta. Galeatius Grumellus decreto patrum copiarum Imperium Sabelli loco ſuſcepit: hic ita impigre rem geſſit, ut eximium ſummi Imperatoris in eo officium præſtaretur. Iacobus interim Surianus ex Vincentia ad Veneta caſtra in Veronenſem agrum cum cohorte una delatus, in hoſtium inſidias ad Suauium præcipitatus, fuſus, captuſque eſt. At Veronenſes longa, grauique obſidione fatigati, iam ad deditionem ſpectabant, Carrarioque nomini infeſti, res nouas quotidie in urbe moliebantur, timenſque ſibi Iacobus Carrarius, qui Veronam præſidio tenebat, ad euitandas uitæ inſidias, clandeſtina fuga ciuitate exceſſit, ac Hoſtiliam primùm ignoto habitu profugit: inde dum Padum traiiceret, in ripa fluminis a pabulatoribus captus, Venetias ſub fida cuſtodia perductus eſt. euocatum autem Franciſcum Gonzagam, qui cum florenti Venetorum exercitu ad primum urbis lapidem ſubſederat, ciues patefactis repente portis, intra Veronæ mœnia

Fr. Gonzaga.

Albertus Eſtenſis. Accius.

Pax cum Eſtenſi, & eius conditiones.

Fr. Tertius.

Hoſtis proſpera pugna.

Sabelli interitus.

Galeatius Grumell.

Iac. Surianus capitur.

nia

Verona Venetis cedit.

Veronæ ſitus.

nia admiſſerunt. tam inſigni vrbe Veneti poſiti, ingentem animis lætitiam concepere, multoſque dies ludis, ſpectaculiſque operata, lætabunda ciuitas egit, nec immerito: eſt enim Verona urbs maxime inſignis, celeberrimumque inter cæteras Ciſalpinæ Galliæ urbes nomen retinet: nam præter egregiam mœnium ſtructuram, & ſpacioſum ambitum, tota ferè vrbs tam ad Meridiem, quàm ad Ortum, & Occaſum brumalem conuerſa, æquo ſolo poſita recumbit, ad Aquilonem collis illi leniter aſſurgit, uallemque efficit, quæ vinetis, pomariis, arboribuſque abundans virentibus, ſuauiſſimum reddit proſpectum.

Atheſis

Atheſiſque laudatiſſimus Italiæ fluuius mediam interſecat urbem, pluresque admiranda mole pontes rapaciſſimo amni impoſiti, ſpectantur: ad hæc, in ſummo cliuo duæ celeberrimæ ſunt arces, quarum una ad extremam Atheſis ripam poſita, fluuio irriganti penè incubat, altera eminentiori loco ſedens, in circumpadanos campos, longè, latèque ſpacioſum expandit intuitum.

Arces Amphytheatrum.

Amphytheatrum quoque nobiliſſimum media vrbe aſſurgit, in quo veteres arcus, ac mille alia antiquitatum viſuntur veſtigia. Adde in circumiectis agris abundatiſſimam rerum omnium copiam, ac pullulantem tritici, vini, olei, aliarumque frugum vbertatem. quid flumina, ſtagna, lacus, commemorem? in quibus eſt celeberrimi nominis Benacus, omnium, qui in Italia ſunt, amœniſſimus. Huius verò clariſſimæ vrbis conditores Gallos fuiſſe, tum ex eo credere libet, quòd nobiliſſimæ quæque Ciſalpinæ Galliæ urbes, Brixia, Bargomum, Cremona, Mediolanum, tot antè ſeculis a Gallis conditæ fuerunt: ſed ex quacunque natione mortales extiterint, qui prima loci mœnia poſuerunt, viros profectò ſummos, & ſapientiſſimos verè fuiſſe, affirmare licet, quos tam præclari facinoris authores ad perpetuum nobiliſſimæ prouinciæ decus parens Italia habuit. Hæc omnia quum Veneti agnoſcerent, adhuc magis tali victoria lætati ſunt. vrbem igitur confeſtim magno equitum, peditumque firmant præſidio, mittunturque eò

Not Primos Rectores Veronam miſſos.

Rubrius Marinus prætor, & Petrus Arimondus præfectus, viri pace, belloque admodum clari, qui primi publicam Senatus Veneti nomine adminiſtrationem ſuſcepere. Galeatius quoque alterius exercitus Imperator, in Patauinum agrum delatus, præda, incendio, & populatione cuncta vaſtauit, copiiſque propius admotis, ad urbem caſtra poſuit, aſſiduiſque certaminibus ad portam Crucis cum hoſte manus conſerebãtur. Nec Carrarii in ocio erant, huc & illuc per vaſtam vrbem diſcurrere, muros impigre tueri, munitiones erigere, omnibus locis adeſſe, nihil die, noctuque indefeſſo animo, & corpore ceſſare.

Maſſolerius.

Maſſolerius interim quidam nomine, qui in Venetis caſtris militabat, in ſuſpicionem venit, quòd litterarum faſces ſagittis alligatos ad Carrarium in vrbem occulte mitteret: quare in uincula coniectus, ac ſceleris conuictus, ex ſuperiori parte curiæ Venetiis reſte eſt ſuſpenſus. Iiſdemque diebus eius frater cum duobus ſacerdotio initiatis, inter geminas columnas viui obuerſis deorſum capitibus decemuirali decreto ſunt humo defoſſi. quod inſuetum reorum ſupplicium oculos,

No. atrox ſuppliciũ.

menteſque hominum pauore defixit. Vulgo ferebatur, ſtatuiſſe eos in Carrarienſium gratiam noctu vrbem pluribus locis incendere, accurrentemque ad reſtinguendas flammas quemlibet, inermem, imparatumque contrucidare.

Ioan. Ticinenſis.

in Ioannem quoque Ticinenſem virum militari diſciplina clarum, qui honeſtiſſimum in Venetis caſtris ducebat ordinem, capitali pœna eſt animaduerſum, quòd is archanacum hoſte ſeret colloquia. delati & multi alii, quorum corpora ſaccis obuoluta poſt modum circa littora errabunda fluitare ſunt reperta. horum ſuppliciis ſpes omnis tyranni ablata explorandi ea, quæ in hoſtium caſtris fierent. Vt itaque rebus ſuis alia ratione Carrarius conſuleret,

Car. Zen' Fr. Mollinus.

quaſi paci ſtudens, a Legatis Carolo Zeno, & Fr. Mollino, qui in caſtris de more apud Imperatorem erãt, poſtulat, ſibi fidem publicam dari; uelle enim ſe iam bello feſſum cum eis coram de pace agere. Sub fide igitur publica Carrarius cum paucis in caſtra ſe contulit, cui has pacis conditiones propoſitas fuiſſe ferunt, ut Patauium cum ſuis finibus Veneto ille relinqueret, ac cum liberis ad centum millia

No. propoſitas pacis conditiones.

paſſuum procul inde abiret, aſportaretque ſecum omne aurum, argentum, ac precioſam ſupellectilem, Venetique inſuper illi dono darent aureorum nummum ſexaginta millia. Huiuſcemodi conditiones Carrarius vt acerbas & iniquas auerſatus, in urbem infecta re abiit. tum Venetus armis eum domare intentus, aliquanto acrius ſoli-

to obſeſſum urgere: demum intempeſta nocte, obſtrepente pluuia, ſcalæ muro ſunt admotæ, per quas plerique audacter in ſummum euadentes, ſopitos cuſtodes obtruncant, tacitoque deſcenſu ad portam Crucis proximam accurrentes, eam, nemine obſtante, vi aperiunt, per quam copiæ omnes, quæ præſto ſumma Imperatoris, Legatorumque vigilantia affuere, repente ſunt in ſemicaptam urbem immiſſæ. nam Patauiũ triplicem murorum ſeriem habet, quorum exteriorem partem occupante Veneto, interiora mœnia adhuc hoſtis obtinebat. ſed in tantum adductus diſcrimen Carrarius miſit, qui Galeatii fidem rebus ſuis afflictis imploraret, rogaretque, ut liceret, in tam acerba fortuna ad ipſius conſpectum venire, vt cum eo de deditione facienda coram loqueretur: verùm Galeatius memor rei dudum fruſtra a Carrario tentatæ, eum in caſtra admittere ad colloquium amplius noluit, hortatus tamen eſt, vt ad Principem, & Patres iret, ad quorum pedes cum lachrymis prouolutus, Venetam benignitatem maiorem, quam ſperaret, eſſet percepturus. Petiit itaque, vt publica fide data, ad Senatum ire liceret: reſponſum per internuncios eſt, maioribus rebus occupatos eius poſtulatum patres audire non poſſe, ſed miſſuros Meſtram uſque, qui Carrarium audirent, vt ex dignitate Reip. actio illa quæcunque eſſet, diſcuteretur. In Meſtrinos itaque fines vtrinque proceſſum, ibique per multas altercationes re iactata, nil confici potuit. At Carrarium ſine pace in urbem reuerſum ita indignanter populus accepit, vt palàm multi in Principem exclamarent, pertinacem eum appellantes, qui hoſtium armis circumſeptus, nollet cedere; ſatis, ſuperque malorum Patauinos ad eam diem ob Principum ſuperbiam miſere perpeſſos, opes ſuas bella abſumpſiſſe; cædes, direptiones, incendia, pulcherrimam vrbem deformaſſe, nilque aliud miſeris ciuibus reliquum eſſe, quàm uitam, quæ uictore Veneto partem vrbis iam tenente, in dubio etiam eſt: iret igitur Carrarius & ſi ſibi, ſi liberis, ſi populo Patauino conſultum vellet, non quam ipſe optaret, ſed quæ a potentiſſimo victore impetrari precario poſſet, pacem amplexaretur, vt tandem quandoque afflicta ciuitas reſpiraret. Ad eas voces territus ille, ſe in ciuium ſuorum poteſtate fore dixit, facerentque hi, quæ ad omnium ſalutem ſpectari viderentur. Nouiſſime itaque Galeatii fide implorata, Carrarius ex vniformi ciuium voluntate Venetum ſine alio maiori certamine in urbem ſponte inducit; ipſe verò & tres filii, Iacobus, Franciſcus, & Guielmus, in vinculis omnes Venetias per Syluestrum Maurocenum armatis ſtipatum perducuntur. Parta urbe clariſſima, maxima Veneti Senatus in Italia creuit, ampliataque eſt authoritas: nã vrbium omnium totius Europæ ampliſſima, antiquiſſimaque Padua habetur: quippe quæ ab Anthenore illo Troiano condita, fœliciſſimum ſeculorum præcedentium curſu ſumpſit exordium. illius circuitus per ſeptem millia paſſuum extenditur, triplicique murorum ſerie ciuitas cincta, tutiſſimam incolentibus ſedem accommodat: templis adhæc, ędibus, turribus, arcibus mire exculta eſt, & Medoaco, Bachilioneque amnibus, urbem interfluentibus, decor illius honeſtatur: Gymnaſiumque ibi diſciplinarum omnium florentiſſimum uiget: tantaque antiquitus populi multitudine hæc ciuitas abundauit, ut centum & viginti hominum millia vno tempore ad bellum emiſſa dicantur; cenſique quandoque ea in urbe quadringẽti equeſtris ordinis viri. hæc Romanis amica fuit, eorumque Colonia facta, quietum diu ſtatum, florentemque tenuit: poſtmodum Romano inclinante Imperio, uarias clades a barbaris in Italiam terra, marique irrumpentibus perpeſſa eſt: nam Athylæ primùm armis exciſa, deſolataque corruit, quam Narſes poſtea inſtaurauit, priſtinoque recepto ſplendore diu urbs opibus, libertateque floruit. Deinde Italia nouo bello flagrante, Longobardorum furore penè iterum excinditur; fortunaque res humanas alternante, denuò renouatur, & libertatem recepit: poſtea crudelem Eccelini, Maſtini, & Carrariorum ſenſit tyrannidem, quibus extirpatis, ſub Venetum nouiſſime Imperium recepta eſt. Vnus autem T. Liuius excellentiſſimus Hiſtoricus eam urbem apud omnes gentes illuſtrauit, qui Romanorum res geſtas ea ſtyli maieſtate conſcripſit, vt iure de eo ſupra prætorii fores ſcriptum legitur. T. Liuii Patauini vnius oſſa, omnium mortalium digni; cuius propè; inuicto calamo, inuicti populi Romani res geſtæ conſcriberentur. Tam illuſtrem igitur ciuitatem, a qua originem habuerę, milleſimo quadringenteſimo quin-

to

Patauium capitur.

No. Carrarii ſupplicationes.

No. Patauinorum querelæ.

Patauio Veneti potiuntur.

Carrarii capti.

Paduæ deſcriptio.

Patauinum Gymnaſium.

No. Patauinorum numerũ.

Patauinæ urbis uarii caſus.

T. Liuii laus.

Primi Paduæ rectores.

to nono Kalendas Decembris Veneti adepti, ualidiſſimo præſidio munierunt, ac Marino Carauello prætore, & Zacharia Triuiſano præfecto declaratis, omnia ſolerti cura prouident, quæ ad tranquillum, ſecurumque illius urbis ſtatum pertinere uiderentur. Conſtitutis interim Patauii rebus, Carrarius, & filii, patrum iuſſu, in curiam è carcere uocati ſunt; qui ad Principis tribunal progreſſi, aduolutique genibus, humi procubuere, uultuque demiſſo ad Principem conuerſus tyrannus, ex Pſalmo illud protulit, Peccaui domine, miſerere mei. tum patre, & filiis ſtare iuſſis, Princeps exorſus, eorum prauitatem, & ingratitudinem commemorare cœpit, qua maiores ſui, & ipſi nouiſſime in Remp. ſemper uſi ſunt, Et ut Marſilium illum Carrarium, Stenus Princeps inquit, progenitorem ueſtrum taceam, qui Scalanorum armis oppreſſus, Venetis adiuuantibus, in Principatum reſtitutus eſt: recenti patrum memoria, Pataujo Galeatii Vicecomitis armis occupato, Carrarium nomen deletum penè uidebatur: nos ſocietate cum Italis Principibus ſtatim inita, Vicecomitis arma repreſſimus: qua occaſione, tu è Germania celeriter mouens, noſtro fauore, auxilio, opibus, paternum recuperaſti Principatum. & quænam pro tot meritis Veneto gratiæ relatæ? animo in nos odii, & ingratitudinis pleno, Genuenſes (ut compertum habuimus) inſtigaſti, ad inſtruendam, emittendamque ſub Bucicaldi illius Imperio in fines noſtros claſſem, quę nobis, ſociisque noſtris multa damna toto mari intulit: ſed diuina ope ea deleta, ac profligata, illatas iniurias egregia ulti fuimus. ex litteris quoque in ſcrinio Galeatii Vicecomitis paulò ante defuncti repertis, multa in hanc Remp. exitialia, infandaque hoſtiliter parabatis: nuper autem Vincentinæ rei cauſa contra ius gentium caduceatore noſtro fœdè uiolato, Venetum nomen, probris, maledictiſque laceraſti. Diuino itaque iudicio factum eſt, ut uos tandem Venetis armis debellati, hæreditarium amiſiſtis Principatum, eamque in hac ueſtra fortuna a nobis miſericordiam percepturi eſtis, quam ingratitudo ueſtra, & fœda crimina meritò expoſcũt. Atque ita tyranni è curia dimiſſi, retro carcere includuntur: poſtridie immiſſo carnifice iuſſu patrum ſtrãgulati ſunt: ſeorſumque pater, & filii eluti, ille ad Prothomartyris ædem, hi ad Georgii fanum uili humo contecti tumulantur: & is Carrarienſium finis fuit, ſceleribus ſuis dignus, qui in Italia tanto ſtrepitu omnia miſcebant: quòd ſi beneficiorum memores, Venetam coluiſsent amicitiam, non utique principatu, uitaque ſpoliati tam crudele exitium bello uicti ſubiiſsent: ſed immanitatis ſuæ digna profectò præmia tulere. Fama eſt, impios tyrannos, nouis hominum ſuppliciis gaudentes, Androphagos canes domi immanis ſtaturæ aluiſse, quibus nefario inuento miſeri ciues ex leui culpa laniandi obiicerentur. Extantque adhuc in decemuirũ aula Scorpiones duo parui põderis, quibus illi familiares, hoſpiteſque ad colloquiũ fraude uocatos præacutis ſpiculis transfigere conſueuiſsent: infandaque alia flagitia, monſtruoſoſque transeo cõcubitus, quibus ad fœdam libidinem exaturandam promiſcue uſi dicuntur, ſed ex modeſtia reticẽdum eſt. Creaturque hoc tempore Pontifex Maximus, dum diro Romana ſchiſmate Eccleſia laboraret, Angelus Corrarius patria Venetus, tituli Sancti Marci presbyter Cardinalis, qui in Pontificatu Gregorius. XII. appellatus eſt: miſſique ſunt a Senatu ad eum pro congratulatione, obedientiaque de more præſtanda, octo hi Oratores, uiri ampliſſimi, Ben. Capellus. M. Lauredanus, Iac. Guſsonus, And. Contarenus, Rugerius Maurocenus. M. Iuſtinianus, Iac. Triuiſanus, & Paulus Zane. at Gregorius Pontifex Optimus poſt aliquot Cardinales declaratos, in quis fuere Philippus Barbadicus, Ant. Carrarius, Pet. Maurocenus, Franc. Landus, & Gabriel Condulmarius, patritii omnes clari orto genere, ac magna uirtute præditi, ad tollendum ſchiſma, Pontificatu Conſtantiæ in Germania per Carolum Malateſtam, Arimini Principem, ad id miſſum ſe abdicauit: quo facto ſingularis eius religio, & pietas, in procuranda Eccleſiæ pace a cunctis Chriſtiani Orbis gentibus plurimum commendatus eſt. Ex debellato autem Carrarienſi Principatu, Vincentia, Verona, Leniricum, Colonia, Feltrum, Bellunnum, Baſsanum, Aſolus, Areſtum, Cittadella, ac nouiſſime Patauium cum ſuis finibus, Veneto Imperio ceſsere, auctæque mirum in modum tot præclariſſimis urbibus, ac municipiis bello partis, publicæ ſunt opes; prætoreſque in earum ſingulas ab urbe miſſi ſunt, atque eo belli ſpacio, quod intra biennium confe-

Principis uerba ad Carrarios in curia.

No. Carrariorum iniurias.

Carrariorũ in carcere ſupplicium.

No. Carrariorum immanitaté.

Greg. 12. Pót. Max.

Legati.

No. Cardinales.

No. oppida parta.

ctum

ctum reſedit,in claſse,triplicique exercitu alendo comparatis , ad uicies centena aureorum nummum millia ex ærario conſumpta dicuntur : fuit tamen tam ingens auri profuſio ob debellatos hoſtes,& fines Imperii propagatos omnibus æque ſuauiſſima. atque eo tempore dum ciuitas nocturnos ignes ſummis turribus paſſim in fœlicium ſucceſſuum ſignificationem diſponit,populo luminibus , aliiſque lætitiæ ſignis exultante,ſumma illa Diui Marci turris ſubito conflagrauit, ſed ea poſtea ſumptuoſiore ornatu culta,puriſſimoque auro illita in priſtinum decorem reſtituta eſt. Pacatis autem rebus , Veronenſes ad quadraginta illuſtres Legatos creauere , qui Venetias ad Senatum pro obſequio præſtando accederent , congratularenturque ſimul pro parte tantæ Vrbis,Imperio,atque ut ex Maieſtate Reip.legationem ciuitas exciperet, decreto patrum pro aurea æde medio foro eminens ſuggeſtus ad tempus conſtruitur, iſque ſuperbis auleis inſtratus,Ducali ſede aureo tegumento culta Principem , ſenioreſque patrum excepit, maximo autem populi concurſu Legati candidis veſtibus amicti in medium proceſſere,celſumque tribunal ordine conſcendentes, Principem, Senatumque in genua procumbendo humaniſſime ſalutarunt,ſtatutiſque, ac poſitis ante eorum pedes publicis ſignis,cum clauibus portarum.ex his unus,qui cæteris collegis eloquentia præſtabat,Alexander Aleardus eques,tali uſus eſt oratione,Magni hodie gaudii nuncii,Princeps Illuſtriſſime , patres optimi , ad ueſtræ Maieſtatis conſpectum accedimus,quando nobiliſſimæ urbis Veronæ,domitis hoſtibus ueſtris, fœliciſſime adepti eſtis imperium;& nos maxime lætari decet , quòd depulſa ærumnarum nube,Venetæ benignitatis nunc clara luce obtegimur: multo iam tempore diuinas ueſtras uirtutes admirabunda Verona magnifecit,in ore omnium Senatus ueſtri ſapientia uerſabatur,armorum gloria,pacis ſtudia,leges,inſtituta,quibus artibus , & terra,& mari,tam amplum Imperium paraſtis,in Aſiamque uſque Veneta arma prolata,barbaras,infideleſque gentes edomarunt: ſciunt id Ioppenſes,Aſcalonitæ , Acconenſes,Tyrii,claſſibus veſtris ſubacti,nouit Byzantium expugnatum , ac maritima Græciæ ora ueſtris rebus nauali potentia adiuncta: Lygur quoque,Pannon , Carnuſque Venetis armis ceſſere: nouiſſime Carrarium iſtum debellaſtis,monſtrum horrendum,furentem belluam; Italiaque hoc ueſtro egregio facinore liberata, uobis in perpetuum debet.in ueſtraque nunc Verona poteſtate cõſtituta plurimum lætatur : nam iuſtitiam in moderandis populis ueſtram agnoſcit,redditis in iuridicundo unicuique quod ſuum eſt,ſubleuatis oppreſſos,audaces reprimitis, nemini uobis ad clauum ſedentibus infertur iniuria,ſaluæ ſunt uniuſcuiuſque opes,uxorum pudicitiæ illæſæ,liberorum ingenuitas inoffenſa manet,omniaque æqua lance ſub Veneta adminiſtratione ponderantur.o beatos populos,qui ſub hoc fœliciſſimo, ſanctiſſimoque continẽtur Imperio,cuius iugũ non ſeruile,ſed liberum potius appellandum . quod igitur Princeps excellẽtiſſime,patreſq; optimi uobis,Venetoq; nomini fœlix ſit,accipite publicæ,priuatæque Veronenſium fidei certa ac perpetua pignora,ſigna hæc triumphalia noſtræ ciuitatis,uos pietate ueſtra illa ſingulari,deditam urbem , omniaque in ea diuina,& humana tueri,ac fouere pergite: nam quod ad ſtudium noſtrum attinet,nihil ueremur, nos fore quandoque , vt Veronenſis ciuitas fide & ſtudio in Venetam Remp.nulli populorum,ac urbium,quę ueſtro parent Imperio,ſecunda habeatur. Benigne Legati accepti,gratiæque eis publico nomine actæ,pollicitumque ad hæc, ſi ii forent,quos ſe futuros in nouo hoc regiminis ſtatu prædicarent,daturos patres operam,ut breui Veronenſes intelligerent , poſtquàm uiribus ſuis ſtare non potuiſſent, nil melius rebus ſuis conſuluiſse,quàm ſub fidem Venetam cõfugiſse, patreſque omni ſtudio curaturi eſsent,ut quieta,ſalua,incolumis illa ciuitas rectam adminiſtrationem,miteque Venetæ gentis Imperium perpetuo ſentiret; iureque ac meritò Veronenſes lætari poſsunt,quòd tyrannidis iugo excuſso,ad domicilium & arcem libertatis confugiſsent,irent igitur,magiſtratibuſque parerent ,ciuilique animo , iuri, & æquitati aſsueſcerent: qui ſæua tyrannorum imperia adhanc uſque diem acerbe tuliſsent.atque his dictis,Veneta ſigna Princeps Legatis medio Veronæ foro ſtatuenda tradidit,amplexatoſque ſingulos,blandeque appellatos dimiſſit.Horum exemplum Patauini ſequuti,non multò pôſt & ipſi minori tamen Legatorum numero affuerunt

Not. aurĩ expẽſum

Veronenſium legatorum numerus.

Not. apparatum ad excipiendos legatos.

Al. Aleardi uer. oratio.

Venetorũ geſta.

Reſponſũ Principis.

Patauini Legati, & eorum oratio.

purpuramque,& coccum induti eodem ſuggeſtu a Principe hilari frõte excepti ſunt: quorum oratio illa fuit,ut gratias Diis immortalibus agerent, quòd a ſæuiſſima ſeruitute liberati,in benignum, ſalutaremque Venetæ clementiæ ſinum recepti eſſent, ubi poſt tot tyrannicas uexationes, optatiſſima tranquillitate Patauini omnes frui ſperabant; per Principum enim ſuorum ſuperbiam ad id iam redacti erant, ut haud procul a ſupremo excidio conſtituti, patriam ſimul cum vita amittere cogerentur: nunc Deorum benignitate dies illa illuxit,quæ ſaluos ipſos omnes faceret: nec id aliter eueniri poſſe,certò credebant, cum ob peculiarem, innatamque Veneti Senatus clementiam, tum ob antiquam communis generis coniunctionem, quum Venetus, Patauinusque iiſdem progeniti ſint maioribus,primique Venetæ vrbis, & tanti Imperii conditores in Adriatica ſtagna è Patauinis ſedibus venerint; diſpari tamen fato;Patauium enim veluti decrepita mater in belli anguſtias,in uarias rerum difficultates conie&ta,a regali,præpotentique filia Veneta urbe opem implorat, & in gremium eius confugit:quare ipſi Patauini omni tempore in fide conſtantiſſimi Venetam perpetuò amicitiam culturi erant; rerumque omnium obliti, ſolum poſt Deos immortales,proſperis,aduerſiſque caſibus Venetum obſeruabunt Imperium.

Reſp.P.

Laudatis Princeps legatis,Patauinam rem Senatui cordi fore pollicitus eſt,ac priuatas, publicaſque olim vrbis nobiliſſimæ fortunas ſub alieno Imperio conſtitutas,ſaluas patres optaſſe,ad idque præſtandum conſiliis, armiſque Venetos multo tempore contendiſſe,nunc Reip.Imperio clariſſima urbe adiuncta,omni ſtudio ad eius ſtatum conſeruandum patres incumbere,paratos eſſe.cum his legatio miſſa, reſpiratumque eſt a bellorum turbationibus in Italia toto triennio,quo exacto,Ladislaus Rex,Ludouici Pannoniæ Regis ex Carolo filio defuncto nepos,dum pecuniarum indigus,bellum

Iaderã Veneti emũt

in Neapolitanos parat,Iaderam Dalmatiæ urbem cum toto agro, ac quicquid pelagi,& Inſularum,quæ ad eius fines attinent,centum aureorum nummum millibus Venetis uendidit,ſolutaque pecunia,ſtatim ad eam recipiendam quattuor Legati, Franciſcus Cornelius,Leon: Mocenicus,Antonius Contarenus,& Fantinus Michael,cum

Not.Legatos.

nauali præſidio in Dalmatiam miſſi ſunt:attulitque hæc Iaderæ receptio ingentem ciuitati lætitiam,ob maritimam nauigantium ſecuritatem; apparebat quoque, ea in poteſtatem redacta,fore, ut omnis Dalmatiæ ora quandoque ad Imperium retraheretur.decreta igitur ob hæc in triduum ſupplicatio,piæque ad omnia Deorum puluinaria preces.Paruoque deinde interiecto tempore Siccenſes, Dalmatiæ populi,ciuili diſcordia laborare cœperunt:nam multi ex plebe rem ad Pannonas trahentes, infenſi nobilitati erant,armiſque eiecta optimatum factio ad Venetorum opes confugit.expeditur itaque ſtatim quattuor lõgarum nauium, & quinquaginta circiter minorum celocium claſſis: vrbeque primo eius acceſſu oppugnatione tentata, quæ non ſolum acriter defenſa,incolumis ſtetit,ſed Venetus cum ingenti cæde a mœnibus eſt repulſus.

Claſſis in Dalmatiã miſſa.

tum eam domandi Veneti ſtudio accenſi,terreſtres, naualeſque copias ſtatim maiores contrahunt,quibus Ludouicus Buzacharinus fide in Remp.ſingulari præficitur. is autem in prouinciam accedens,Siccum ſtatim obſidione cinxit, erectoque iuxta urbem præſidio,uiiſque undique lectiſſimo equitatu inſeſſis,commeatus in urbem importandi omnem hoſtibus ademit facultatem.

Lud. Buzacharin⁹.

duos interim Legatos, Ioannem Barbum,& Thomam Mocenicum Senatus pro Siccenſi cauſa in Pannoniam miſit, quam poſt multas inuicem altercationes,Pannon, Venetuſque ad Ioannem Romanum Pontificem cognoſcendam delegarunt.

Legati in Pannoniã

Interea Marſilius Carrarius, & Brunorius Scala, ad Principatus recuperandos anhelantes,crebris litteris,fidiſque internunciis, amicos vterque ſuos ad defectionem ſolicitant; & iam paulò pòſt Marſilius ignoto habitu Patauium uenturus erat,urbis recipiendæ facta illi ſpe a quibuſdam rerum nouarum cupidis.ſed coniuratione detecta,in ſontes grauiſſimo mortis genere eſt animaduerſum: tantique periculi metus patrum animos uehementer ſolicitos habebat, qui ut tyrannos ipſos pœnæ grauitate procul Italia arcerent, quina aureorum nummum millia in utrunque caput ex decemuirali cẽſu percuſſoribus,decreuere.

Coniuratio detegitur.

Sub id tempus medio æſtatis feruore ſæuiente Noto procella terribili impetu coorta,ingentem ciuitati terrorem incuſſit:nam uento, pluuia,grandine obſtrepentibus, adeo concitum,

No.ingentem procellam.

tum, exaſperatumque mare deſæuiit, vt pleraque nauigia, alia intumeſcentibus fluctibus obruta, alia ſuburbanis alliſa littoribus, miſerabiliter perierint. multa ad hæc ædificia infrenni turbine concuſſa, & de cœlo tacta ingentem traxere ruinam, ac annoſæ quercus remotioribus in locis, ab radicibus, ſtirpibusque auulſæ dicuntur. auxerunt quoque metum monſtruoſæ rerum formæ, a pleriſque ui ſæ, fœdisque ululatus media tempeſtate formidabiliter auditi. resque in prodigium uerſa, cœleſtem iram portendere viſa eſt. Illud certe conſtat, poſt duos circiter menſes, Venetias allatum, Tanaim, Schytiæ emporium, Tartaros expugnaſſe, magnamque Venetorum cædem, qui ibi negociabantur, edidiſſe; creditumque, cladem iſtam eo die, quo tempeſtas tanta Venetiis fuit, apud Tanaim acceptam. Alio quoque incommodo ciuitas eſt affecta: nam triremis una ex quattuor, quæ mercibus precioſiſſimis onuſtæ ex Gallico Oceano redibant, ſub Siculi freti oram, non tam procelloſi maris æſtu, quàm remigum, nautarumque inſcitia periit; merx tamen magna ex parte recepta eſt, ſaluique nautæ penè omnes euaſere: nam haud procul continenti naufragium factum fuit. Veronæ hoc tempore in populo ſub nouo Venetæ Reip. regimine, diuerſi animorum habitus erant, conſiliaque occulta de cæde prætorum, & proditione urbis inibantur; erumpẽteque ſubitò coniuratione, ad arma tota ciuitate conclamatum eſt: quo motu urbis Rectores, Gabriel Hemus, & Ber. Lauredanus, in forum equo vecti, in cõiuratos cum armatis impetum fecere, tumultuque ingenti orto, factio aduerſa opprimitur, multique ſtatim in poteſtatem redacti, laqueo necantur: in his Sacerdos quidam fuit, qui in ſacra turri æs campanum, ad maiorem tumultum excitandum pulſarat: duo autem ex Quintia familia fratres, coniurationis authores, Venetias ſub cuſtodiam miſſi, inter geminas columnas poſt cæſas ceruices, in quattuor partes ſecti ſunt, atque ita grauiſſimo motu compreſſo, in priſtina fide Verona urbs confirmatur. Hic rerum ſtatus in Italia, pace, belloque per id tempus erat, omniaque quieta, & pacata eſſe uidebantur, quum repente noui armorum motus ex Pannonia orti, maximum exciuere tumultum: ad decem namque equitum millia Sigiſmundi Imperatoris, ſub Pipi Florentini ductu per Auſtrias, Noricasque Alpes in Italiam effuſa, Taruiſinos fines inuaſerunt. Hoc improuiſo motu Veneti imparati, collecta ſtatim tumultuaria manu, eam ad ſocios tutandos in hoſtem mouere iubent. ſed barbari in Forumiulium profecti, Vtinẽſibus in ea prouincia obſtabant, quo minus res nouas ciues illi molirentur: nam multi erant in eo oppido, ob inteſtinas diſcordias, qui rem ad Venetos deferrent, alii ad Pannonas, & alii ad ueterem Dominum, Aquileiæ Patriarcham. Hinc factum eſt, ut ſub primum Pipi acceſſum, Federici Saurognani factione, quæ rem ad Venetos trahebat: ex oppido abeunte, Vtinenſes admiſſis hoſtium copiis deditionem fecerint: tum Pipus in Taruiſinos fines continuò tranſiens, Venetis Serrauallum, Bellunum, Feltrum, ac Mottam improuiſo ademit. huius autem illati belli cauſa ob Sicci obſidionem orta dicitur: magnaque omnino clade res Itala a barbaro affecta fuiſſet, niſi Pipus Veneto auro corruptus, omiſſa ſtatim prouincia in Pannoniam rediiſſet; quem poſtea Sigiſmundus ad ſe reuerſum liquefacto in os auro, cuius inexplebilis in homine ſitis erat, necandum curauit. Altero deinde anno Pannon per Carſios ſaltus cum quadraginta barbarorum millibus (vt quidam tradunt) in Italiam uenit: ſed alii numerum copiarum ponũt minorem. Tum Veneti ad primos belli motus, ne ut antea, imparati aliquo incommodo afficerentur, milites, & arma ſubitò comparant, imperiumque omnium copiarum Carolo Malateſtæ, viro bellicis artibus inſigni, adminiſtrandum tradunt: qui prudentiſſimo moderamine demandatum munus obiens, cum hoſte ſæpe fœliciter manus conſeruit, immanique ita barbarus feritate utebatur, ut ne ab his quidem, quibus ætatis imbecillitas, ac fortuna belli pepercissèt, iniuriam abſtineret; captiuos quoque mutilatis manibus, luminibuſque erutis, crudeliſſime necabat. & quum in hunc modum aliquãdiu bellatum eſſet, pacis ſtudio animis utrinque accenſis, treis legatos. Th. Mocenicum, Ant. Cornelium, & Fr. Foſcarum ad Regem Veneti miſere, cum quo induciæ in quinquennium pactæ ſunt. Et domi, dum Franciſcus Balduinus, uir honeſtæ conditionis, ſed audax, & lingua immodicus, probra in Senatum iactaret, atque incredibili dicacitate, ac animi proteruia, ad denigran

No. coniurationem in Verona.

Bart. Anſelmus. Fr. Balduini ſupplicium.

dam publicam famam,aſſiduæ vteretur, per Bartholomeum Anſelmum,ciuem probum,apud Decemuiros accuſatus eſt,qui tamquàm maieſtatis læſæ reus,è Minoritana æde abreptus,vbi erroris conſcius deliteſcebat, laqueo pœnas dedit; atque ipſe Anſelmus cum poſteris in patritium ordinem aſſumptus,ſui erga patriam ſtudii meritum præmium recepit. Nec multò pòſt Stenus, latiſſime terreſtris Imperii finibus prorogatis,tertiodecimo ducatus ſui anno obiit, & ad Diuæ Marinæ ædem elatus,

Th. Mocenicus. D. 64. an. D. 1413.

ibi celſo conditur tumulo: cui Thomas Mocenicus ſucceſſor datus eſt, uir familiæ ſplendore,& ſapientiæ ſtudiis maximè clarus: abſensque Princeps eligitur, quum Legati munere è Pannonia reuerſus,apud Gabrinum Fundulum Cremonæ, Abduanæque glareæ dominum fungeretur,qua in urbe tunc Ioannes XXII. Pontifex Maximus,Sigiſmundus Cæſar,& ipſe Mocenicus aderant, delirumque, ac parum mentis

No. Gabrini uocem & animũ.

compotem ſe Gabrinus appellaſſe ſæpe dicitur,quòd tres ſummos Orbis Principes, Romanum Pontificem,Germanum Imperatorem,& Venetum Ducem, quum eos in ſua poteſtate poſitos intercipere potuiſſet, liberos dimiſiſſet. Ad Mocenicum autem in urbem honorifice deducendum,duodecim uiri patritii publico nomine Veronam miſſi ſunt,vbi illi obuiam prodeuntes meritum præſtarent honorem. hos autem miſ-

XII. Patritii. P. obuiã miſſi.

ſos memorant,Don.Arimondum,Pet.Emylianum,Ioan.Careſinum,Fant. Genum, Ioan.Maurum,Chriſ.Superantium,M.Maurocenum,Vinciueram Georgium, And. Gabrielum,M.Grimanum,Pet.Bragadenum,& Al.Contarenum: quibus ille comitatus inter publicas,priuataſque gratulationes urbem ingreſsus eſt. Recentique huius adminiſtratione,bello in Carnorum ora renato, ciuitas ocio haud diu frui potuit.

Lud. Techius.

nam quum Foroiulienſi prouinciæ Ludouicus Techius antiſtes libero præeſset imperio,grauiſſima inter eum,& Vtinenſes orta eſt diſcordia. adnitebanturque hi,ut Saurognanæ factionis viri,qui in Carnis maxima pollebant authoritate,ac ſeditione pulſi,ad Venetos confugerant,in urbem reducerentur. contrà Techius totis uiribus obſtare,negareque,ſe id nunquàm permiſurum: cuius diſſidii occaſione Veneti in ſpem adducti,recuperare poſſe ea oppida, quæ priori bello amiſerant, exercitu ingenti

Philippus Artius.

comparato,traditoque eius Imperio Philippo Artio, uiro peritia armorum claro, cum Legatis ampliſſimis uiris, Fantino Michaele,& Marino Carauello, Sacilium primò occupant,Ciuidantenſes quoque ad Venetos deficiunt,a quibus benigne non in fidem ſolùm,ſed in ſocietatem,amicitiamque accepti ſunt. Antiſtes & ipſe armis agēdum ratus, quia per ſe Venetorum uiribus reſiſtere non poterat, a Pannoniæ Rege auxilium implorat. nec multò pòſt, imminente rerum ſuarum periculo,Techius permotus cum quattuor equitum millibus è Pannonia affuit: hiſque, atque aliis ſuffultus copiis,in Ciuidadum mouit. ſed ualido Venetorum præſidio oppidum firmatum, uanos hoſtium reddidit conatus. Inde per quindecim dies continuata eſt obſidio, agrumque urbi circumiectum hoſtes fœde populati, niuium, frigoriſque aſperitate milite penè extincto,obſidionem tandem ſoluerunt. Veneti interim Serrauallo, Fel-

Oppida recepta.

tro,Bellunno,ac Motta,receptis,quæ oppida Pannon antea(ut diximus) occuparat, Foroiulianos fines cum exercitu uictore ingreſſi,Prata inſigne oppidum euertunt. Inde Vtinum caſtra admouent,ubi orto ingenti tumultu,parum abfuit, quin oppidum nocturna ſit proditione occupatum: ſed quum repente ad arma conclamatum eſſet, noſtri re infecta ceſſere. Signis interim Venetorum citro,ultroque per prouinciam ge-

Vtinenſiũ deditio.

ſtis, plerique Carnicæ oræ reguli, in fidem uenere: nouiſſimè Vtinenſes deſperatis Antiſtitis rebus,facta deditione, Venetam ſocietatem compleſſi ſunt; miſſique ad Senatum Legatis,diuinarum,humanarumque rerum poteſtas ei libere permittitur: &

Patria Foriulii in fidem recepta.

pòſt aliquot expeditiones,quum Techius ex humanis emigraſſet, Patria omnis Veneto ceſſit Imperio. Rubertuſque Maurocenus uir animi,corporiſque dotibus, perquā clarus,primus Locumtenens creatus, Vtinum mittitur. Declaratoque in Aegypto nouo Rege,Tatar nomine, quem Sultanum uocant,patres ſtatim duos Oratores ad eum Ber.Lauredanum,& Laur. Capellium, miſere, qui publico nomine amico Principi

Legati in Aegyptũ ad Sultanum.

Regnum gratularentur: atque hi primùm triremi Alexandriam aduecti, inde terreſtri itinere Charras,legationis iniunctæ munus magna cum laude peregere; eorumque conſpicuus poſt aliquot menſes ex Memphi,Babylone,Niloque,& Peluſio in pa-

triam

triam reditus fuit. deceſſitque per id etiam tempus è uita Carolus Zenus, uir toga, ar miſque, ſupra quàm dici poteſt, inſignis, funebrique cum oratione Leon. Iuſtinianus publice decorauit, in cuius ore elegantia dicendique ornatus erat admirabilis, fuit autem Leonardus in utraque lingua impenſe doctus, Cymonemque, & Lucullum è Græco in ſermonem Latinum uertit, paternaque ſequutus ueſtigia Bernardus filius Græcæ, Latinæque linguæ peritia, & ipſe plurimum ualuit, qui adoleſcens adhuc Iſo cratis libellum de Regni gubernatione ad Nicoclem è Græco in Latinum tranſduxit: ædidit etiam Hiſtoriam de origine urbis Venetæ, in qua maritimas, terreſtreſque Orientalium Imperatorum aduerſus barbaras gentes, ſub Narſſete, Longino, & Belliſſario, Ducibus, expeditiones, eleganti ſtylo cõſcripſit, uir quidem præclarus, & omni laude dignus, qui Orator, Senator, Procuratorque ampliſſimus, familiam noſtram vnus plurimum illuſtrauit. Atque hoc tempore Diui Marci ædes repentino penè abſumpta eſt incendio, ægreque Ducarium, quod illi incubat, ſeruatum. Principiſque Mocenici liberale hoc loco factum memoratur: erat enim Senatuſconſulto cautum, ne quis pro ueteri Ducario inſtaurando ad patres referre auderet, mulctaque ducatorum mille ei irrogabatur, qui legi non pareret, quæ ſtatim a triumuiris Aduocatoribus exacta, fiſco applicabatur. tum Princeps publicæ maieſtatis potius, quàm priuati commodi rationem habens, id aurum pro mulcta in Senatum ſecum ſecreto attulit, ac patres rogauit, uellent ne, iuberentque, ipſam humilem, informemque Ducariæ ſedis faciem ſumptuoſiore ornatu in decus publicum inſtaurari. Id ubi triumuiri Aduocatores promulgatum audiere, quin contra Senatuſconſultum Princeps egiſſe uidebatur, ab eo ſtatim publici decreti tranſgreſſore mulctam petierunt: ea autem Mocenicus continuò ſoluta, a ſuſcepta eo uſque non deſtitit actione, donec lege abrogata, Senatus iuxta Principis uoluntatem, Ducarium inſtaurandum cenſuit: atque ita ueteri opere diſiecto, ſumptuoſius aliud cœptum eſt erigi, poſtea ſub Petri Lauredani auſpiciis claſſis præpotens educta, maritimam Dalmatiæ oram, Inſulaſque late Pelago in Lyburniæ, Illyricique tractu adiacentes, ſubegit: inde in Helleſpontum Lauredanus profectus, in Pyratas, Turcoſque proſpere pugnauit, claſſeſque eorum toto mari fugatæ & deletæ. Ducarii autem uix opere inchoato Mocenicus uita deceſſit, quum ſupra annos decem Remp. adminiſtraſset, defunctus Princeps ad Gemellorum ędem exquiſitiſſima funeris pompa eſt elatus, ſepulchrumque habuit inſigne. Vereque ſapientia in eo admirabilis fuit: extant enim eius grauiſſimæ orationes, cùm in Senatu, tum in curia habitæ, circa pacis, bellique conſultationes; maritimaſque res terreſtribus is ſemper prætulit, in quarum pertractatione ſic futura prædixit, ut uatem locutum diceres: terreſtre enim Imperium unquàm minimè affectauit, quo neglecto, maris ditionem ampliare maximopere curabat, ſtudiumque in hoc omne impendendum, crebris concionibus Senatum, populumque hortabatur: cuius conſilia utinam ualuiſsent. perdomitis enim toto æquore inſuperabili naualium armorum uirtute gentibus, nulla alia hodie in terris natio, quam Veneta mari potentior imperaret. Fr. Foſcarum illi patres ſurrogarunt, qui florenti adhuc ætate, poſtpoſitis ſeniorum ingraueſcentibus annis, in quorum numero fuere, Marinus Carauellus, Petrus Lauredanus, Fr. Barbarus, Fant. Michael, Albanus Baduarius, & Iac. Triuiſanus, uiri ampliſſimi, principatum ipſe magno ciuitatis conſenſu adipiſcitur, ac tam lętę ciuibus, Venetique Imperii populis eius dignitas fuit, ut haſtarum certamina, uariique generis ludi in ſingulos ferè dies feſtos ſint magnificè æditi: quod ſanę Reip. incrementum, ac Principis fœlicitatem portendere uiſum eſt: nam Veneti, Inſubreſque grauiſſimo inter ſe bello digladiantes, totius Italiæ quietem turbarunt. Nec ab re fuerit, tanti belli ſeriem altius repetere. Habuit Ioannes Galeatius Vicecomes, Mediolani Princeps, duos uirilis ſtirpis filios, Ioannem Mariam, & Philippum cognomento Anglum: defuncto autem patre multi hinc inde tyrãni coorti, res nouas moliri cœperunt: inſolentiaque nefaria in pupillos uſi, paterno eos ferè omni Principatu ſpoliarunt, domeſtica poſtea Ioanne Maria fratre maiore natu coniuratione oppreſſo, Philippus ſuperſtes relictis, procedente tempore, Fr. Carmaniolæ, eximiæ uirtutis uiri, ductu debellatis tyrannis, non ſolum paterni Principatus partem maximam recupe-

Car. Zen mors.

Leon. Iuſtinianus Ber. Iuſtinianus.

Ducariũ cõburitur

No. Mocenici P. artum.

Pet. Lauredanus.

No. Mocenici P. cõſilium.

Fr. Foſcarus D. 55. an. D. 1423.

Galeatii Vicecomitis filii.

rauit,ſed nonnullas etiam urbes,Genuam,Forliuium,Imolam,Fauentiam,Cęſenam miro fœlicitatis curſu ſubactis,ſuis opibus adiecit, in Florentinos quoque cõuerſus, eos bello grauiſſimo implicuit,ingentique clade Thuſcus ad Zagonaram uictus penè

Florentinorum clades.

deletur: reparatis poſtea uiribus,iterum a Philippenſibus profligatus eſt.demum uariis cladibus Florẽtini affecti,de libertate retinenda iam cogitare cœperunt: & quia apparebat,debilitatis uiribus,exhauſtiſque opibus,Hetruſcam rem ſine externis auxiliis Philippi potentiæ diutius reſiſtere nullo modo poſse,circumſpectis Italiæ potẽtatibus,ſoli Veneti ex omnibus uiſi ſunt, ad quorum opes tuto Florentinus populus

Laur. Ridolphus.

confugerat,Imminente igitur diſcrimine, Laurentius Ridolphus Venetias ad Senatum Orator mittitur, qui patres ad ſocietatem communi fœdere in Philippum hoſtem ineundam ſummis precibus oraret, quando ad id uentum eſset, ut Florentina res in ſummo uerſaretur diſcrimine,nec ulla aliunde ſpes ſalutis arrideret, quàm ab ea ciuitate,quæ opibus,ac Imperio præpotens,inſolentem hoſtem reprimere poſſet: uellent itaque patres amico populo opem ferre,quòd ſi ceſſarent,ac pergerent, Philippi ſucceſſus ocioſis auribus audire, haud quidem Florentinos expectaturos, vt in vltimum diſcrimen res ſuæ adducerentur,ſed pace compoſita,Philippum totius Italiæ dominum,ac Principem facturos,ac tum fore,vt domita Florentia, Veneti ſoli relicti,facile & ipſi a potentiſſimo hoſte ſubigerentur. ita ille in omnes partes patrum animos verſare iuſſus,Venetias venit. Cæterùm iam antea Florentinorum precibus Veneti fatigati,ad Philippum complures Legatos Senatorios uiros hoc nomine mi-

Legati ad Med. Ducem.

ſerunt,primò And. Contarenum,quem abeuntem Laur. Bragadinus,& Nicolaus Maripetrus ſequuti ſunt:inde Franc. Serra decemuirum a ſecretis vnus: hi omnes Philippum publico nomine ſummis precibus rogarunt,ut Florentinos bello inſectari deſiſteret,facturum eum Veneto Senatui rem gratiſſimam,qui non parum amici populi, & in communi parente Italiæ nati aduerſa fortuna mouebatur;rogabant proinde ad deponenda cum Florentinis arma, remittendaſque Veneto nomini iniurias, ſi quæ forte ab illis in eum profectæ eſſent:iret igitur, & ſi Venetorum amicitiam optaret, ab armis diſcederet, quæ Hetruriam, Italiamque omnem perturbent. ea manſuete Philippus audiens, omnia ſe Veneti Senatus cauſa facturum reſpondit, nihilo tamen ſecius Thuſcum urgere, aliaque deinde,atque alia cauſando,rem trahere,hæc negare,illa polliceri. Veneti & ſi planè intelligerent,aliò Philippi conſilia ſpectare, ne tamen quicquam temere facere uiderentur,nouam Legationem ad eum decernunt, eaque Paulo Corrario eloquentiſſimo demandatur.is uero ſtatim Mediolanum profe-

Pauli Corrarii ad Phil. oratio.

ctus,ita Philippum allocutus fuiſſe dicitur. *Ex multis legationib. quas ad te Senatus venetus miſit,credo Princeps Illuſtris, audiſtis quantopere idem Senatus Jtaliæ pacem optabat: a teque ſæpe perijt, ut arma deponeres, quibus Florentinum populum grauiter infeſtabas.humaniſſimaque ſemper oratio tua fuit, nunquàm tamen deſtitiſti,hoſtilia omnia in Thuſcum agere:quod Venetis profecto.acerbum,graueque eſt. noſque nouiſſime ad te venimus, eadem poſtulantes; & me Hercle inter omnes terrarum Principes,quos Dijs immortalibus ob ſecundiſſima rerum incrementa gratias agere oporteat,qui te impenſius Princeps Jlluſtris,præſtare debeat,ad hanc diem noui neminem. nàm quum tyrannica prauitate: poſt inclyti Genitoris tui obitum, paternum principatum amplum & præpotentem amiſiſſes;illum breui arridente fortuna non ſolum recuperaſti,ſed incredibili rerum ſucceſſu,auxiſti,amplificaſti:noui populi, nouæ*

Not. Philippi ſucceſſus.

urbes a te ſubactæ ſunt, tyranni oppreſſi, reguli deuicti,prouinciæ partæ in tuam uenere fidem: itaque florentiſſimo Principatu,ne dicam Regno,contentus, quietus deinceps, pacatuſque agere debebas;nec bellis bella miſcendo, tantum in Jtalia excitare incendium, ad quod reſtinguendum cura omnis eſt adhibenda.Fortunæ quoque aſſiduam uiciſſitudinem meditari oportet, pacique ſtudendum, quæ florentes, ac beatos ſola Principatus reddit, ob quod ipſum Veneti tecum Philippe in decem annos haud grauate fœdus percuſſerunt,quamquàm non fœdus,ſed pax potius, niſi per te ſteterit, perpetua erit:ea nihilominus te agere Venetus Senatus uidet,quæ fœderibus, ſinceræ-

que

que amicitiæ contraria prorſus habentur: nam poſt Genuam illam Veneti Imperij æmulam bello ſubactam, quando tam lætis rebus quieſcendum erat, Forliuium tamen in Flamminia occupaſti, & ad Florentinorum opes euertendas in Hetruriam es tranſgreſſus, ut ea occupata, quis non uidet, totius Jtaliæ Imperio poſtea frenum inijceres: quod ne eueniat (patere Philippe hæc a me libere dici) nos, bello, ac armis obſtabimus, libertatemque Italiæ contra quemlibet totis uiribus conſeruare conabimur: nam eo conſilio Venetus tecum fœdus percuſſit, ut communibus armis Jtaliæ libertas defenſa ſtaret. paterno itaque Principatu ipſe contentus, a uicinorum iniuria abſtinere, ac intra præſcriptos ex fœdere fines tenere te debes: quod ſi ſecus facere ſtatuiſti, ſcias Venetos fœderis oblitos in te iuſta arma induituros.

Hæc a Corrario Legato expoſita non mediocriter Philippi animum commouerunt, ſed diſſimulata ad tempus ira, breue reſpõſum dedit, dixitque ſe certo ſcire, Venetum Senatum, fœdera, quæ ſecum ſanxerat, ſeruaturum: nouerat enim iam multo tempore patrum fidem, & conſtantiam; nec ſibi perſuadere poſſe, quum ipſe & maiores ſui Venetam ſemper ſanctè coluerint ſocietatem, nunc leui ex cauſa amicum Principem uelit Venetus armis petere: ac tametſi certo ſciat, prius Florentinos meritas temeritatis ſuæ pœnas luituros, quàm acciſis illorum rebus quiſquàm poſſet ſuccurrere: tamẽ paratum eſſe, ſe in Veneti Senatus gratiam, ab armis diſcedere; ac ſi per Thuſcum liceat, cauſam Veneto Senatui, & Eſtenſi Principi cognoſcendam demandare: atque cum his Corrarius miſſus, in vrbem reuerſus eſt. & quia conſtans fama erat, nouam per eos dies legationem Florentinos ad Senatum miſiſſe, Philippus quoque ne ſagaciſſimæ gentis aſtu Venetorum animi, maiori in Inſubrum nomen odio accenderentur, duobus & ipſe Oratoribus creatis, Beltrando Lamponiano, & Ioanne Aretino, Senatum cauſæ ſuæ fauorabilem reddere tentabat: nec multos poſt dies ubi illi Venetias aduenere, per urbem incedentes, diſſimilem animorum habitum præ ſe ferre: Thuſcum, ut par erat, acerba patriæ fortuna permotum, mœſtum, triſtemque uidiſſes: contrà, præter pompam, rerumque omnium ornatum, Inſubrem lætari, exultare, urbemque tum primũ uiſam, mediiſque fundatam aquis, admirabundum perluſtrare. Petito itaq; colloquio, Thuſcus primũ in curiã admiſſus, ita patres affatus dicitur:

Reſponſ. Philippi.

Beltrãdus Lãponianus.

Ioan. Aretinus.

Credo Princeps excellentiſſime, & patres optimi, vos plane ſcire, quid hac repetita legatione Florentini requirant: atque utinam ea ciuitatis noſtræ fortuna ad præſens eſſet, qua alia oratione hoc in ampliſſimo loco uti poſſem, ubi res acerbæ, moleſtæque explicandæ erunt; non enim dubito, quòd liberi populi clades, uos, qui in libertate nati eſtis, non ægro animo feratis: proinde clementia veſtra Florentini freti, ſpes certas ſibi proponunt, impetrandi illam a uobis opem, quæ patriam ſuam a tanto hoſtium periculo ſit ſeruatura: quòd ſi antea vanæ noſtræ apud vos fuerunt preces, aduerſo Florentini populi fato id aſcribendum reor, nunc non tam noſtro, quàm ueſtro periculo moti, ad commune, propinquumque reſtinguendum incendium, ſpero, accurretis. minatur enim neſcio quid tremendum Philippus, non ſolùm nobis, ſed uniuerſæ Italiæ: itaque non Florentinorum magis, quàm veſtra intereſt, Patres Ampliſſimi, tyranni huius furorem reprimere: ſummo is Reſpub. noſtras ex inſito naturæ uitio, odio proſequitur, vt Macedo ille Philippus Athenienſes, Romanos Mythridates. Recenti quoque memoria ſenſiſtis, quàm infeſtus Veneto Carrarius fuerit, imperio, ſed illæ immanitatis ſuæ meritas pœnas dedit, quem ſi Vicecomes iſte incolumem his temporibus nactus eſſet, neſcio, quonammodo Veneta horum armis libertas circumſepta ſtare potuiſſet. Bene itaque cum vobis actum eſt, qui Carrarios perpetuos Veneti nominis hoſtes ſuſtuliſtis. At nos quaſi hæreditarium cum Vicecomitum familia bellum gerimus, hæc Florentino nomini ſupra quàm dici poteſt, inimica, nos aſſidue armis oppugnat: Leoque hic violentiſſimus ad Hetruriam, nobiliſſimam Italiæ partem perdo-

Thuſci oratio.

No. Hiſtorias.

Carrarii.

perdomandam erectus, tot, tantaſque nobis clades intulit, vt in ſummum diſcrimen libertatem noſtram adduxerit: Qua oppreſſa, quieſcet ne ille, patres ſapientiſſimi? nulla mora profectò erit, quominus acerbiſſimum feritatis ſuæ uirus euomens, in res ueſtras impetum faciat, cui ſubacta Florentia, ſeu uectigali, & ſtipendiaria reddita, ſoli reſiſtere poteritis? Donec igitur integrum eſt, ſocia in impium tyrannum hunc Vicecomitem arma iungamus, qui ſoli facilè iniuriæ expoſiti erimus, coniuncti uobiſcum illæſi, victoreſque ſemper futuri ſumus. At fœdera ſunt ſeruanda; dicet quiſpiam, quæ ex patrio inſtituto nunquàm Veneti uiolare ſolent: utinam Princeps, & Patres conſcripti, alienas artes cognoſcendi mortalibus datum eſſet: creditiſne Philippum dominandi cupidine accenſum, fœdera, quæ cum uobis percuſſa habet, ſeruaturum? irruet ſtatim ille in uos, ſpretiſque fœderibus arma induet. Meminiſtis, credo, non multis iam annis nulla mutuæ ſocietatis habita ratione, quonam pacto uos ille ludificatus ſit, quum Pandulphum Malateſtam in Venetæ maieſtatis contemptum, Brixiæ Principatu eiecerit: audiſtis, quomodo Genuenſium libertatem potentiſſimæ urbi freno iniecto, fraudulenter oppreſſerit. Nos quoque bello adortus, domare tentat, ut ſi id ex uoto ſucceſſerit, in uos ſtatim tantis uiribus auctus, arma conuertet. huic igitur, qui toties iura diuina, & humana peruertit, qui ad Italiæ imperium ſubigendum anhelat, qui ſocios, amicoſque dolo, fraude circumuentos impugnat, fides ſeruanda eſt? Bello Veneti hunc tyrannum perſequimini, hoſtem nobis, uobiſque infeſtiſſimum, Italiæ peſtem; ac ſocia nobiſcum arma iungite, quæ non minus Reip. Florentinæ præſidium, quàm Venetæ ſucceſsum, & ſecuritatem ſunt allatura. Nec uos Patres Ampliſsimi, quia tot cladibus attriti, uiribus imminuti eſſe uideamur, a noſtra propterea ſocietate abſtinete: non exiguæ adhuc nobis tam publicæ, quàm priuatæ opes ſuperſunt, quas pro libertate retinenda, unà cum uita, effundere parati ſumus. nam quod ad belli gerendi rationem attinet, ueſtro arbitrio patres optimi conditiones præſcribite, pax bellumque in manibus ueſtris ſit, totumque id tranſigite, quòd uobis placeat: nullas enim damus conditiones, nullas a uobis dandas unquam recuſabimus, ſed ueſtris omnibus decretis Florẽtinus populus in hoc bello, parato ſemp̃ acquieſcet obſequio.

Nota.

Pand. Malateſta.

No. uarias patrum ſententias

Quum dicendi finem Thuſcus feciſſet, uarie patrum animi affecti ſunt, quidam Philippi potentia, atque imminenti periculo exterriti, bellum ſuadebant; nonnulli, Florentinorum æmulatione, & dubiis Martis caſibus permoti, arma auerſabantur. placuit itaque priuſquàm reſponſum daretur, ut Philippi quoque Legati in curiam introducti, audirentur: ex his Ioannes Aretinus, linguæ lepore, & ſermonis ornatu clarus, in hanc ferme ſententiam uerba fecit, *Miſſum ſe ueniſſe cum collega ait, ab amiciſſimo Veneti nominis Principe, non ad vllos motus concitandos, vt Florentini faciunt, qui nouis ſemper rebus ſtudentes, inimica pacis afferunt conſilia: uerùm Philippum Venetorum conſtantiam iamdiu agnoſcere, fidem, ſapientiam, iuſtitiam, haud uereri, quòd Senatus Florentini populi amicitiam ſuæ præferat, quum Philippus ſedulo curet, ſtudia a maioribus tradita retinere, Venetorum amicitiam, ſocietatem, beneuolentiam, omni officio & cultu obſeruare. cæterum quia illi in conſpectu omnium queſti ſunt, bellum, quo ad hunc diem ſupremum penè excidium ſenſere, Philippi Principis optimi culpa eſſe contractum, id falſum liquido conſtare: nam Thuſcus,* inquit, *iniuriæ author, bellum exciuit, quum Genuenſes a Philippi copijs obſeſſos contra fœdus, pecunia, milite, commeatu, iuuerit, & Liburnio occupato, circa Macram fluuium fines uetitos ſit tranſgreſſus: laceſſitus Princeps optimus bello iniurias uindicauit, in quem nunc uaniſſimi homines ſtudent contra uetuſtum ius amicitiæ, contra initam ſocietatem uos in Philippum armare, timendum aiunt, ab eo eſſe, ſi Florentiam, ſi Hetruriam ſubegerit, hoſtilem animum in Reip. nomen gerit, Italiæ totius perdomandæ*

Io. Aretini oratio.

dæ cupidine ardet. Macedonici illius Philippi, ac Mythridatis exempla referunt, quorum alter Athenienſium, alter Romanorum libertati tyrannice ſemper inſidiati ſunt: fuerint illi iniqui, inhumani, praui Reges. At contra ſi tot ſeculorum hiſtorias euoluere libet, cur non Attalus, Hiero, Maſſiniſſa memorantur, qui Romani populi, Italicæque gentis amiciſſimi fuere? At hæc antiqua recedant, noſtrorum temporum geſta repetamus. nonne Calomanus, nonne Bela Pannoniæ Reges, & nouiſſime Ludouicus, Veneti nominis hoſtes acerrimi fuere; nonne fuere Carrarij omnes? at Luchinum, Bernabouem, Galeatium, & hunc Philippum, Vicecomites, amantiſſimos Reip. Venetæ Principes agnouiſtis, ſocijsque armis cum Galeatio iunctis, Taruiſium a uobis receptum eſt; quo poſtea defuncto, Vincentia, Verona, & Patauium, ampliſſimæ urbes in Venetorum poteſtatem uenere. Vicecomitum igitur familia ſemper amica uobis fuit, Florentini contra, æmuli, infeſti, quos tota odit Italia. Cæterum diximus antea, ac nunc iterum repetimus, paratum Philippum eſſe, rem omnem ueſtro arbitrio diffiniendam relinquere: ueſtra enim ſapientia, & æquitate fretus, notas calumniarum intentatus effugiet, quas Thuſcus optimo Principi impudenter, falſòque inurit.

Reges Pānoniæ Venetis infeſti.

Poſtquàm Aretinus perorauit, poſtridie Senatus uocatus eſt. conuenere autem frequentiſſimi patres, ut Legatorum poſtulatis in medium expoſitis, ex Reip. dignitate Senatuſconſultum fieret. per pluresque dies uariis ſententiis dictis, nihil decerni potuit: nam a primis facibus, uſque ferè in ſequens diei crepuſculum, diſputationes in Senatu protractæ ſunt, aliis alia ſentientibus: erant enim nonnulli, qui aperto bello Philippum inuadendum eſſe cenſebāt, iunctisque cum Florentino populo armis, terra, marique eius tyrannidem extirpandam: alii contrà, ne res tanta temerè moueretur, admonebant, quieſcendumque ab armis quandoque, tot bellorum ſuperiorum ſumptibus exhauſto ærario.

Varietas opinionū in Senatu

Et quum in hunc modum diu ſententiis uariaretur, Fr. Carmaniolam, ueterem belli ducem, qui per eos forte dies ſubiratus a Philippo ad Venetos tranſierat, in curiam uocatum audiri placuit. iſque (ut iracundæ erat naturæ) in Philippum primò inuectus, ingratitudinem eius amariſſimis uerbis deteſtatus eſt, perfidum, iniquumque Principem appellans, cui tot, tantisque rebus geſtis, florentiſſimum Principatum reſtituiſſet, è tyrannorum manibus extortum, exulque ipſe nunc pro tantis meritis peregre iret, ac in uitæ, quod peius eſt, exoletorum impudiciſſimorum quorundam delatione, diſcrimen incidiſſet: uerumenimuero Diis immortalibus ipſum gratias agere, quòd præſenti periculo ſeruatus, ad Iuſtitiæ domicilium, urbem Venetam, confugiſſet, ubi uirtus, vbi rectum, vbi pietas coleretur.

Not. Carmaniolæ uerba in Curia.

itaque ſe nihil aduerſi perpeſſum arbitrabatur, ſed potius fœlici ſorte functū, atque ampliſſimo munere donatum, quum eam ſedem nactus ſit, quæ certam ſibi quietem, amplitudinem, fœlicitatemque polliceri uideatur. Quod autem ad bellum attineret, non eam dixit eſſe Philippi potentiam, non eam fortunarum, opumque magnitudinem, quæ uulgo prædicarentur; nec Florentinos bellica hoſtium uirtute magis, quàm Ducum, militumque ſuorum ignauia, aut fraude, uel fati acerbitate uictos: accedere ad id ærarii inopiam, quæ tam terreſtris, quàm maritimi Imperii ſumptibus contracta eſt, itaque ciues opibus exinanitos, uectigalia oppignerata, populorum intollerabilia tributa annūciabat; quicquid autem ſupereſſet, ſuripere, uorare, ſcurras, mimos, Aulicos: quòd ſi iis circumuentum difficultatibus, Veneti Philippum ingenti bello adorirentur, proculdubio futurum, ut in ſummum diſcrimen Mediolanenſis adduceretur Principatus: maximas enim eſſe Venetorum opes, Florentinorum quoque his adiunctis, hoſtem facile deleri poſſe; ſe quoque bellis aſſuetum, militaribusque ſtudiis a pueritia innutritum, Philippenſi rei non parum forſan nociturum, quippe qui (nec id iactanter dicere) bellica munera fœliciter obiuiſſet, multosque præclaros Duces Italos, Barbarosque ſecum acie congreſſos ſuperaſſet, qui per tot armorum pericula, uariaque Martis diſcrimina indefeſſo corpore, & animo, & parere didiciſſet, & imperare: præterea, quòd ad Philippum attineret, qua uidelicet is in Venetos mente eſſet, quando illius conſilia planè ob intimam ſecretorum communicationem explorata haberet,

Not. de Carmaniola.

certo

certo ſe ſcire,Philippum in Venetos malè animatum eſſe, expectareque ſibi offerri occaſionem,qua armis terra,marique eos inuaderet. extinguerent igitur patres cum Florentinis ſocietate inita,tam uicinum incendium,eiusque opera, modò eam rebus ſuis conducere crederent,libere uterentur,paratum ſe omni ſenſu in Philippum rem impigre gerere,& quo animi ardore ſummum illi quandoque Principatum quæſiuiſſet,eundem nunc euertere totis uiribus tentaturus eſſet: plures autem uiros militari uirtute,rerum geſtarum gloria,prudentia,fama, ſe ipſo præſtantiores, ſed maiori in Venetum nomen fide,deuotione,obſeruãtia patres habituri eſſent neminem: Deum inſuper optimum maximum precabitur, ut in adminiſtrando bello eam ſibi præſtaret cælitus opem ac uirtutem,qua depreſſo hoſte & Thuſcus ſaluus fiat, & Venetum amplificetur Imperium. Carmaniolæ verbis patrum animi non parum erecti ſunt, reque in Senatum deducta,Foſcarus Princeps,qui ſumma ſapientia, & facundia præſtabat,fœdus cum Thuſco ſuaſurus,talem habuit orationem:

Foſcari.P. oratio.

Multa in rebus humanis,Patres conſcripti,interdum cenſentur optima, quæ tamen cõtraria inter ſe errorem,confuſionemque inducunt,ac ſub ſpecie,ut aiunt, boni decipitur ſæpe mortalium ſenſus:ſed ex his duo præcipuè ſunt,in Rep.patres Optimi, quæ & ſi re,& nomine dulciſſima appareant,pax uidelicet,& parſimonia,ſæpe tamen ampliſſimis Regnis,ciuitatibus,& populis inuexere calamitates: nam dum nimium pacis auidus,dum pecuniæ tenax,ad quietem,& ad opes reſpicis,grauiſſima pericula,damnoſaque ſuperueniunt infortunia,quod & antiquis temporibus, & noſtra etiam memoria accidiſſe commemorare poſſumus:exemplum tamen recentiſſimum Florentinum adeſt, qui dum creſcentem ab initio Philippi potentiam auro,armiſque euertere potuiſſet, utraque re omiſſa,hoſtem nunc uiribus auctum,timendum,formidabilemque magno ſuo cum periculo experiuntur.Proſpiciẽdi ſunt, inquam,impendentes caſus,conſilioque, ac uirtute ad eos propulſandos,utendum.

No. comparatione

Eadem ferè mihi ratio in Rep. eſſe uidetur, quæ & in naui gubernanda:maritimis enim rebus aſſuetos, maritima nos exempla adduxiſſe,haud improprium erit. Rogo,an ſiquis tranquillo mari, proſperaque aura naui curſum tenente,gubernator ſomno,& deſidiæ deditus,tempeſtatis pericula, quæ inſtare poſſunt,nequaquam proſpicit,ne anni tempora,nec ſyderum qualitates, nec plenilunia, nec unda,nec ſcopulos,quos declinare debeat,diligenter aduertit,nonne ſi ſubito pelagi horrore,uentorumque impetu correptus,naufragium fecerit, meritò eam calamitatem adiiſſe culparetur? Nunc Florentini ſimile quiddam ſunt experti, qui ut auro parcerent,nil antea præuiſo periculo,Philippi potentiam excreſcere in tantam permiſere, ut in amittendæ libertatis diſcrimen adducti,parum a uictis,debellatiſque abſunt. Quid

Nota.

ego? nam ſi in extremo Orbis loco poſitus,populum,ſeu gentem aliquam libertatis ſtatu priuari intelligerem,ſi auxilium ei minus afferre poſſem, certè animum ſolicitudine, & mœrore plenum haberem: nos uero clariſſimo Italiæ populo, eidemque finitimo, ad opem ferendam ſegni mora cunctabimur? nos Thuſco libertatem Philippum eripere patiemur? armis per totam Italiam ſæuiet tyrannus? lacerabit, diripiet eam impune? qui quum primùm(ut omnes uno ore prædicant)Florentinos ſubiugabit, eadem die armis ſtatim arreptis nos inuaſurus eſt:id molitur,id cogitat.itaque non poſſumus, non uehementer mirari,aliquos ex uobis eſſe,qui & ſi hæc omnia euentura fateantur, cenſeant tamen nil mouendum,Thuſcumque nullatenus præſenti ope iuuandum:nobis autem Patres Optimi ſtat omnino ſententia, Juſtitiæ,pietatique conformis,Florentinam rem minime deſerendi,qua pereunte, Venetum non poteſt alicuius inſignis cladis non expers eſſe Imperium;ea autem ſalua,tutior Italiæ ſtatus erit. Adde, quòd non ita Thuſcum acciſum,exhauſtumque uiribus eſſe audimus,ut non poſſit ualidas ille adhuc copias contrahere,atque ex ſua parte rem in communes hoſtes impigre gerere. Carmaniola quoque oratione ſua nos abunde docuit,quibus Philippus polleat opibus, quæ non ita am-

plæ

plæ ſunt, ut falſis rumoribus iactantur; & profectò fœlicem belli exitum, ac proſpera omnia Patres Optimi ſperare licet, Duce copiarum noſtrarum Carmaniola, qui militarem diſciplinam aſſiduis armorum tractationibus egregie callet, qui in conſultando prudentia, in confligendo uirtute excellit, cuius bellicum ardorem, fortitudinemque animi parem nullam aliam in Italia ætas noſtra habet: quo Duce ſpes nobis ingens profectò oblata eſt, de propagandis Imperij finibus, cognataque terra Venetia recuperanda, tot clariſſimis urbibus inter reliquas Italiæ prouincias, admodum inſigni: quæ omnia non leuia ad bellum forti animo ſuſcipiendum incitamenta eſſe debent, Bellum, inquam, neceßarium, quando hoſtem tam uicinum, tam potentem habemus, qui Italiæ affectat Imperium, qui iura diuina & humana negligit, qui aſtu, fraude, aliena occupat. Hunc igitur, ſocietate cum Florentinis inita, Patres conſcripti bello aggrediamur, uindicamus iniurias, communemque omnium hoſtem ad perpetuam Italiæ quietem fatali fœdere opprimamus. Vehementi Principis oratione ita Senatus commotus fuiſſe dicitur, ut omnibus ferme ſuffragiis decreta ſit, cum Thuſco ſocietas: quæ huiuſmodi habuit conditiones, ut communi utriuſque populi impenſa Venetus, Florentinusque ſexdecim catafractorum, leuiſque armaturæ equitum millia ad bellum gerendum conſcriberent, atque octo peditum; claſſes prætere a duæ ualido armorum apparatu inſtruerentur, quarum unam per Padi fluenta Veneti Philippenſibus opponerent, vbi maior periculi metus inſtabat; Florentini alteram circa Lyguſticam oram haberent. quicquid urbium locorumve, intra Hetruriæ fines ex Philippi Principatu caperetur, Florentinorum eſſet; cætera in Ciſalpina Gallia Veneto cæderent Imperio; nec prius, aliterve quàm ex Veneti Senatus conſenſu, bellum, ſeu pax cum Philippo fieret. Accito itaque in Curiam Florentinorum Legato, initi fœderis formula exponitur, qua ſtatim ille Reip. ſuæ nomine approbata, ad Principis pedes prouolutus eſt, ac ſponte ſua in hæc uerba prorumpens, alta uoce dixiſſe fertur, nullum unquàm futurum diem, quo Florentini tanti beneficii obliuiſcerentur; ac ſi aliquo tempore Venetum aduerſæ res premerent, Thuſcum paratum fore, opes, fortunas tam publicas, quàm priuatas, uitamque ipſam pro Veneto Imperio effundere. Fœdere uulgato, Alphonſus Arragonum Rex, Amadeus Allobrogum Dux, Eſtenſis, Gonzaga, & Senenſes nouam ſocietatem ſequuti ſunt. atque his diebus Nicolaus Ferrariæ Dux, uxorem capitali ſupplicio affecit, quòd illa in Venerem prona, cum Hugone mariti fratre in adulterio deprehenſa fuiſſet, pudicitiamque, & uitam ſimul mulier alioqui prudentiſſima uiolato maritali thoro, qui diuinæ legis conſtitutione incorruptus eſſe debet, amiſit. Veneti interim per Franciſcum Serram Legatum Philippo bellum indixere; quo ab illo forti animo ſuſcepto, tota ſtatim Italia arma utrinque parari cœperunt: ſed Veneto primas belli partes præoccupante, Carmaniola ſtatim acceptis Imperii ſignis Senatus iuſſu cum florentiſſimis copiis in hoſtem mouit, qui in Cænomanos celeriter profectus, ut ab aliquo memorando facinore bellum auſpicaretur, tentauit Brixiam occupare: primumque aliquot ex ciuium numero, qui ſibi noti, familiareſque erant, occultè ſubornauit, ad prodendam noctu arcem, admiſſa in eam fortiſſima militum manu. ſed quum id fruſtra tentatum eſſet, Principes alterius factionis Petrum, & Achillem Aduogaros ueteri in Philippum odio facile impulit, ut ſilentio noctis refracto muro Venetas copias intra urbis mœnia admitterent; ipſi quum Venetum nomen mirifice colerent, Carmaniolæ aſſenſerunt. itaque ad perficiendum præclarum facinus Aduogari erecti, concubia nocte refractis mœnibus Venetos in urbem accipiunt. Brixia his belli primitiis occupata, Philippenſium factio in Ciuitatulam ſe recepit. Oltrandus quoque Centurio cum ualida militum manu arcem ingreſſus eſt, qua retenta ſperabat homo ingentis ſpiritus fore, ut Venetus paulò pòſt, nollet, uelletque urbe, quam temerè occupaſſet, excedere cogeretur. ſed Carmaniola, ne qua ſubitò Philippenſium eruptio ex ſuperiore loco ſuos turbaret, validas munitiones ex oppoſito erexit, cunctaque ſolertiſſimo ingenio agẽs Carmaniola Ciuitatulæ, arciſque præſidium domare ſtudebat. Audita autem

Not. Carmaniolæ laudes.

No. fœdus cum Florẽtinis.

Duæ claſſes.

No. Legati Florentini uerba.

Confœderati Principes.

Fr. Serra.

Pet. & Achilles Aduogari.

Brixia a Venetis occupatur.

Philippus

Philippus Brixiæ alienatione, ingenti mœrore affectus eſt; ad urbem tamen recuperandam animum adiiciens, copias quotquot potuit, ingentes cõtraxit, earumque Imperio Fr. Sfortiæ militaris rei peritiſſimo demandato, rebellem urbem obſidere parat.

Nic. Eſtenſis.

Interim Nicolaus Eſtenſis, Florentinorum exercitus Imperator, ex Cremonenſi agro ingẽtem prædam egit, fœdeque omnia populatus, maximum Abduanæ Glareæ populis incuſſit terrorem. Sfortiaque ex altera parte cum florenti equitatu, peditumque robore Brixiam contendit, coniunctusque Philippenſibus, Venetum in vrbe non parum ex arce crebris eruptionibus urgebat, quibus intrepide Carmaniola reſiſtens, foſſam cum uallo hoſtium munitionibus obiecit, ita vt ſub Sfortiæ aduentum, & ſi aſſidue pene certamina committerentur, feroxque hoſtis minis, armiſque fureret, haud tamen multum trepidationis Veneto iniectum eſt, Carmaniola vbique impigre rem gerente; qui, vt hoſtem pluribus locis fatigaret, portam Palarim oppugnare ſtatuit: admotiſque circa eam bellicis operibus omnia intente obire, die, noctuque hoſtem urgere; ſed peruigilio, aſſiduaque corporis iactatione vexatus, in grauem morbum incidit, atque ob id ipſum Medicorum conſilio ex caſtris in Patauini agri Aponiana balnea concedere coactus eſt, quo abſente Gonzaga Imperatorium militare munus obiens,

No. Gõzagæ uirtus.

ita impigre omnia adminiſtrauit, vt Carmaniolæ nulla in re deſideraretur præſentia. Interim Philippi copiæ ex Hetruria, & Flaminia trepidiſſimis nunciis reuocatæ, in Bononienſis agri finibus conſederant, nec procul inde Veneti cum ſex millibus equitum, peditumque ad Vineolam præaltum amnem Victoris Barbari uiri ſtrenui ductu ſtationem habebant:

Victor Barbarus.

cum enim patres illuc miſerant, vt impedito tranſitu, hoſtis in Galliam penetrandi aditu arceretur. Eſtenſi quoque negocium datum eſt, vt in Mutinenſi agro loca aſſeruaret, per quæ hoſti facilis pateret tranſitus: & Carmaniola patrum litteris excitus, qui adhuc circa Apponi balnea erat, Brixiam ſtatim, vix curata ægritudine, reuerſus eſt: nec multò pòſt Philippi copiæ è Bononienſi agro in Brixienſem tranſituræ, ad Coalcorium oppidum peruenere, circa quod uaſtæ admodum ſe exonerant paludes, efficiuntque flumen magno impetu in padum decurrens, uado nuſquàm permeabile: ad huius ripas, omnibus fruſtra ad tranſeundum tentatis, per dies circiter triginta hoſtes inuiti ſubſtitere, demum moræ impatientes, noctu infatigabiliter fabricato ad Perſicetum oppidum ponte, circa Scultenam ſub aurora flumen ſunt tranſgreſſi. iungendi autem pontis ratio hæc fuiſſe dicitur,

Pontis deſcriptio.

Viginti oblonga dolia, duplici ſerie fluuio impoſita, arctiſſimis funibus connexa, vtruſque ripæ eximiæ craſſitudinis, ac proceritatis arboribus affabre ſunt alligata, Crateſque, & trunci ſuperiniecti pontem efficiebant, qui numeroſis funibus, ac ſudibus uario nexu illigatis ſolidiſſimus reddebatur; ſabulique, ac virgultorum ingens copia ſuper eo inſtrata, facillimum equitatui, ac peditibus tranſitum præbuit. Superato itaque amne

Philippenſes fluuiũ tranſeunt.

in proximam ſyluam Philippenſes delati, ita Venetos ſublato repente clamore terruerunt, vt ad ripam, metu animos occupante, occurrere nemo ſit auſus, quin omnes in fugam coniecti, in propinqua oppida, Mirandulam, & Concordiam ſe trepide receperunt; nec alia maior clades ſequuta eſt, præter vnius Guidonis Fabrianici equeſtrem alam interceptam, qui ad augendas Barbari copias a Veneto miſſus, in hoſtium cuneum temere delatus, ac amicæ aciei errore deceptus, cum omni equitatu opprimitur. Fuerunt eà tempeſtate, qui crediderint (quod a fide non abeſt) Eſtenſem potuiſſe facile hoſtem tranſitu prohibere, ſeu longa mora diſtinere, ſed omnino noluiſſe, ne tanta belli moles ſuis finibus hæreret. Philippus interim in Florẽtinorum inuidiam, Flaminiæ oppida, ſubductis undique præſidiis, Martino Pontifici gratificaturus, Eccleſiaſticæ ditioni ſe tradita ſponte ſubiecit. in Cænomanis autem hoſtes, qui ſub An-

Ang. Pergulanus.

geli Pergulani ductu in Galliam tranſiuerant, quum ad duo ſtadia uicini Brixiæ conſediſsent, locum caſtris munierunt, pugnamque expoſcentes, Venetos aſſiduis incurſionibus laceſsebant. ſed Carmaniola ad arcem expugnandam intentus, nihil intra mœnia ad erumpendum in hoſtes, moueri eſt paſsus. circumſedentibus Brixiam auctis uiribus Philippenſibus, Veneti in tanto diſcrimine, nouum militum ſtudio conſcribere, arma ubique parare, auxilia a ſociis contrahere, a quibus Nicolaus Tollen-

Nic. Tolẽtinas.

tinas in Veneta caſtra miſsus aduenit, homo præter cætera militiæ decore, bellico-

rum

rum operum,oppugnandarumque urbium peritiſſimus: is munitiones, apparatuſque bellicos hincinde intuitus,docuit, arcem Brixiæ ob inexpugnabilem ſitum vel diutiſſime obſidendo,nullo modo capi poſſe,niſi latiſſimo uallo, foſſaque profunda circa illam ducta;impeditaque in arcem commeatus inuectione,infeſtiſſimus hoſtis fame domaretur . approbato Tollentinatis conſilio, ingens, ac memorandum Veneti opus ſtatim aggrediuntur : nam innumerabili operariorum manu undique collecta per tria paſsuum millia,uallum munitisſimum eſt arci circumiectum, in quo duplex foſſa pari utrinque ſpacio ducta erat,cum aggere triginta pedum lato,ubi ſuper congeſtæ in muri ſpeciem glebæ ſublimius prominebant , turres quoque ligneæ tabulatis firmiſſimis compactæ,ſingulis fermè ſtadiis diſpoſitæ ſunt. habuit præterea munitio illa præter bellicas machinas breui inter ſe ſpacio ualli diſtantes, portas duodecim,unde armatæ cohortes,quum opus eſſet,utroque uerſum emiſſæ, in hoſtes erumperent: multoque auro,ac infinito labore tanta operis moles perfecta eſt idcirco. quũ inchoatæ huius munitionis fama ad Philippum eſſet perlata, unus ex aulicis exclamaſſe fertur,nil magis ab immortali Deo precandum fuiſſe, quàm quòd Veneti huiuſcemodi rei aggrediendæ libidine tenerentur,quòd non Venetas ſolum opes, ſed quæ Xerxis,Cræſiue olim fuere,priùs abſumeret,quàm ad conſummationem perduci poſſet.

Not. ualidiſsimæ circa Brixiam munitiones.

Not. Aulici aſtum.

Interim Pergulanus,ut Venetum ab inſtituta ualli munitione , quæ nondum perfecta erat,auerteret, in Mantuanos fines cum parte copiarum profectus, omnia terrore,& incendio furibundus compleuit:haud tamen ea clade, Veneti, ſociique commoti rem inchoatam omiſere, & hoſtis in Brixienſem agrum reuerſus, caſtra aliquanto propius uallo admota egregie communiuit:hortantibuſque armorum clariſſimis ductoribus,Nic. Piccinino, & Fr. Sfortiæ, qui in Philippi caſtris erant, ut in munitiones nondum perfectas Pergulanus,qui ſummam Imperii militaris dignitatem in Philippenſi exercitu obtinebat,impetum faceret, nunquàm tamen is adduci potuit,ut quicquàm in hoſtem moueret,ſatis,ſuperque facere dictitans, ſi Principi,cuius mereret ſtipendium,ita ſedendo obtemperaret. Opere interim grauiſſimo labore,& impenſa,ad calcem perducto, Carmaniola quicquid ſoli ante hoſtium caſtra erat,armatis copiis occupat,quæ cum appendicibus ſociorum ad quattuordecim equitum millia,peditum uerò ueteranorum,ac tyronum ſupra decem fuiſſe traduntur,inter quos viri hi nomine,& factis illuſtres erant,Ioan.Fr.Gonzaga,Lud. Seuerinas,Paulus Vrſinus,Al.Vermius,Laur.Cotoniolanus,& ſub Nic.Tollentinate plerique alii,qui magna,claraque ad eam diem fecerant ſtipendia. Peditum itaque magna pars aggeri præſidio eſt impoſita,in quibus ſagittarii ad quinque millia Venetiis miſſi fuiſſe dicuntur:illudque in primis iis mandatum,ſi Imperatorem cum toto exercitu ad internicionem ab hoſte cędi uidiſſent,poſſentque ſuo occurſu rem perditam reparare,ne a loco diſcederent,commiſſamque attẽtiſſime ſeruarent cuſtodiam : quòd ſi ſecus feciſſent,in eos tamquam deſertores more maiorum capitali animaduerteretur ſupplicio.& hæc apud Venetos fiebãt.

Not. Venetorũ copias.

Not. Ductores, in Veneto exercitu.

In hoſtium autem caſtris,uariis Ducum ſententiis,& tacita æmulatione parum concordiæ inerat:numerumque propè parem Veneto armatorum Philippi exercitus continebat:nam ad decem equitum millia, octo peditum fuiſſe dicuntur, præter mille & quadringentos pedites,qui arcem & ciuitatulam præſidio tenebant:horum mille,& amplius uariis oppugnationibus a Carmaniola tentatis,aut interfecti,aut vulneribus debilitati ſunt. verùm ſaluis Centurionibus,qui munitionibus præerant,arx incolumis ſtetit : nec Venetus tamen ex priſtina ferocia aliquid remittere:nam Carmaniola hominum multitudine fretus , aſſiduis certaminibus hoſtem fatigabat,nunc ſcalas muris,nunc uineas , tormenta , aliaque opera bellica nocte, dieque admouere, quibus maxima murorum pars diſiecta eſt, ita ut foſſæ ruinis,ſaxorumque fragmentis plenæ opplerentur,uel maxima circa portam Gargetiam : & quoniam noua aggredi oppugnatione locum Venetus ſtatuerat, ut in pugna ferociores,alacrioreſque militum animi redderentur, præmia huiuſcemodi ſunt publice propoſita,ut qui primus dato ſigno muros conſcendiſſet,quadringentos nummos aureos dono haberet,trecentos ſecundus, tertius ducentos, decem ſequentes centum,denoſque alii,numero uiginti.pugnatum eſt itaque unius, & am-

Hoſtium copia.

Præmia militibus propoſita.

lius horæ ſpacio, tanto vtrinque ardore, tanto impetu, vt haud facilè diiudicari potuerit, ex qua parte fortitudo, uirtusque maior eluceret: demum pluribus vtrinque interfectis, & ſauciatis, Philippenſes mœnia retinuere: inuictique Venetorum arma, & longam obſidionem pertuliſſent, niſi fames eos cedere coegiſſet; qua inualeſcente, adacti ſunt, in decem dies inducias paciſci, ad dedendam arcem, niſi auxilium a Philippo ſtatuto temporis ſpacio adueniſſet. Secundum igitur has pactiones, iuſſi ſunt ſtationarii milites intentius ſolito excubare, ac circumſpicere, ne qua præſidia, aut commeatus obſeſſis in ea neceſſitate alicunde ſubmitterentur. Fremebant interim Piccininus, & Sfortia, aperteque Pergulani & quorundam ignauiam accuſare, qui ſiue

No. hoſtiū ductorum diſſenſionem.

fraude, ſiue metu Brixiam Veneto prodere uidebantur; diſiiciendas eſſe munitiones, militumque virtutem experiendam, qui vel egregie pugnando mori, aut ſuos obſidione leuare armis percuperent; ad ea Pergulanus negare quicquam temere agendum, quum Venetus munitiorem locum teneret, uiribusque & fortuna ſuperior eſſet; ſatius in præſentia ſibi videri, incolume ex arce præſidium educere, nec militem armato hoſti cōficiendum obiicere, quo ſaluo, fore, vt firmiore poſtea exercitu contracto, Venetum inſigni aliqua clade ipſi afficerent. tum Piccininus, ut natura acer & ferox erat, peſſimo exemplo fieri exclamauit, his conſiliis Philippi rebus manifeſtò

Not. Piccinini ferociam.

obeſſe; quin ſi quis Italici, Inſubricique nominis dignitatem caram haberet, ſi quis præſenti militia dignus videri, me in hoſtem, ait, euntem ſequatur. atque ita locutus, è media concione in prælium iturus ſe ſubito proripuit, quem Sfortia ſequutus, bellicum quid ſpirabat. ſed dum Piccininus Imperatoris iniuſſu ſuam in Venetos explicat aciem,

Sfortia.

Sfortia concionabundus, Pergulanum & alios hortatur, vt ſigno pugnæ dato, ac armis arreptis, fortiſſimi viri ardorem imitarentur. At Carmaniola, qui militem ad ſubitos caſus inſtructum, paratumque tenebat, vbi ad iactum teli appropinquare hoſtem conſpexit, ſuos patefacta repente porta in eum irruere iuſſit. tum Piccininus Venetorum alacritatem conſpicatus, paucitatique ſuorum diffiſus, ne quid temerè committeret, pedem retulit, in caſtraque ſine alio certamine regreſſus eſt. Inſpecta ſuorum fuga Philippenſes, qui munitiones inter Palarim & Gargetiam portas præſidio tenebant, ſtatim eas deſeruere, & in tutiorem alium locum ſe recipientes vltra induciarum tempus, eum armis retinere perſeuerarunt. Patres autem longę

Not. Legatos.

moræ impatientes, tres ampliſſimos uiros, Fantinum Michaelem, Leon. Mocenicum, & Petrum Lauredanum, in caſtra miſere; quorum aduentus ita bellicæ adminiſtrationi profuit, ut poſt varios tandem conatus, Veneti arce, munitionibusque receptis, ſeptem menſium ſpacio Brixia potiti fuerint.

Brixia, & populi alii in Venet. pot. redacti.

hinc Salodienſes, Ripenſes, Gardenſes, Syrmonienſes, atque omnes Benaci lacus accolæ, antequàm vlla armorum vis illata eſſet, in fidem ſponte uenere. Parta autem Imperio tam inſigni urbe, dies ſolemnis indicitur, quo ciuibus iuramentum fidelitatis pręſtaretur. itaque conuenere omnes die ſexta menſis Octobris. M.CCCCXXVI. ad campanæ ſonitum in Eccleſiam maiorem Sancti Petri, ſitam in Citadella noua, coram Illuſtri Comite, Fr. Carmaniola, Veneti exercitus Imperatore, & Legatis Fant. Michaele, Pet. Lauredano, & Vitale Emiliano.

Not. iuramentum.

Qui autem iurauere ſuper libro Miſsali ad Sancta Dei Euangelia, fuerunt numero ducenti ſeptuaginta, & amplius, viri peregregii, primusque ante omnes D. Honofrius Magius ſubnotatus legitur, atque alii nominatim vſque ad prædictum numerum, vt patet publico documento confecto eadem die, & milleſimo, per D. Fr. de Maluetiis, Notarium, Cancellarium, & dictatorem Communis, ac populi Brixiæ, qui prædictis omnibus interfuit.

Hon. Magius. Honofrii Magi iuramentū fidelitatis ergo Rēp.

Pax.

Nec ita multò pòſt per Pontificis Legatum pax tentata Ferrarienſi conuentu his conditionibus ſancitur, ut Brixiam, quam armis ceperat, Venetus cum Camonica Valle haberet: additur ad hæc ea Cremonēſis agri pars, quæ perpetua Olei fluuii ripa Brixienſi reſpondet, cuius longitudo per quadraginta paſſuum millia extenditur: hæc autem partium Legati adſtipulātes ſolemniter approbarunt, & Pontificis Orator cuncta adhuc rata magis facturus, Mediolanum ad Philippum profectus eſt, Principemque de præſenti Venetorum iniuria grauiter conquerentem offendit, quòd ii auaritia obcæcati, non ſolùm Brixiam ex ſuo Principatu intercepiſſent, ſed Cremonenſis quoque agri partem ſibi adimere uelint. conatus eſt

Pontifi-

Pontificis Legatus blando ſermone, quantum potuit, iratum Principem delinire: verùm vbi Venetos magiſtratus ad recipienda oppida miſſos cum ignominia a Philippenſibus repulſos vidit, violatamque ſenſit pacem, Romam re infecta abiit, cauſaque interruptæ pacis fuiſſe dicitur, Mediolanenſium ciuium faſtus, qui ægre ferentes, uictorem Venetum Philippo leges præſcribere, eum ad violendas pacis conditiones inſtigarunt, pollicitique ſunt equitum decem millia, ac totidem peditum in Venetos ſuis impenſis armare, hoc tamen pacto, vt vrbis vectigalia ciues ipſi exigerent; idque forſan Philippus eis conceſiſſet, niſi formidoloſum natura Principem periculum a quopiam ex aulicis propoſitum exterruiſſet, identidem admonente, vt videret ipſe, quid ageret, nil aliud fore, ciuibus vectigalia permittere, quàm libertatis tacitæ illos admonere, nimiamque poteſtatem populum habiturum, ſi fiſco manus apponere aſſueſceret. ceſſit itaque huiuſmodi monitionibus Philippus, & ne ciuiũ animos in tàm aduerſa fortuna a ſe ingrato reſponſo alienaret, per internuncium mandauit, vt quæcũque ii ſecum agere vellent, ad Ioannem Riccium, conſiliarium ſuum, deferrent. ea res effecit, ut priſtino illo Mediolanenſium ſtudio paulatim remiſſo, actio prorſus antiquata ſit. Philippus verò ad reparandum bellum intentus, ſpemque illam habens, quòd a ciuibus ſuis, armis, pecuniiſque adiuuaretur, primùm arces, & oppida iuxta icti fœderis formulam reddi vetat; inde in Mantuanum agrum populabunda agmina immittit. Veneti vbi violata pace rem ad arma ſpectare vident, ira perciti, bellum & ipſi ſtudio reparant, nouoque milite veteribus copiis adiuncto, Carmaniolam in hoſtem mouere iubent, reuocanturque in priſtinum fœdus Florentini, Allobroges, Lygures, Eſtenſis, & Gonzaga. At Philippus nil tantorum Principum ſocietate permotus, ad maioris potentiæ famam conciliandam tripartito hoſtem aggredi ſtatuit. nam & claſſem apud Cremonam inſtruxit, & in Brixienſem agrum copias immiſit, & tertia expeditione Lygures extorres ſub Fr. Sfortiæ ductu vno tempore aggreſſus eſt, qui facile victi, Thoma Fregoſio Duce, caſtra opulentiæ referta amiſere, marisque proſpero euentu Genua Philippo incolumis ſeruatur. In Brixienſi interim Pargulanus cum florentibus copiis rem impigre gerens, cùm Piccinino coniunctis armis Caſale maius, Cremonenſis agri oppidum, terra & aquis adortus expugnauit: inde Brixillum obſidione ab hoſte cinctum. Sed nec Veneti naualium armorum fragore Pado obſtrepente, in ocio fuere: nam maritimis pollentes uiribus validiſſimam claſſem inſtruxerunt, cuius Imperium Fr. Bembo uiro impigro demandatur: iſque ſtatim in aduerſum fluuium per Mantuanos fines progreſſus, ad opem Brixillo ferendam aduolauit. tum Euſtachius Ticinenſis, Philippicæ claſſis præfectus, propinquanti Veneto ſtatuit medio Pado occurrere, contra Piccinini conſilium, qui continuandam cenſebat obſidionem: nam capto ab hoſte oppido arx in Venetorum adhuc poteſtate erat: qua animorum diſſenſione euenit, vt ſub amicæ claſſis aduentum, Veneti eiecto hoſte oppidum receperint, in quo ingens machinarum, uariique generis armorum apparatus, captus eſt. Interim Euſtachius ad quartum lapidem claſsem Cremonæ propinquam ex Brixellana ſtatione appulerat: hic eum ſedentem Bembus pugnandi ſtudio aggredi ſtatuit, ſuiſque corpora curare iuſſis, naualem ita aciem diſponit: Octo in prima frõte Galeones firmiſſimis funibus, cathenisque inter ſe nexos conſtituit, vt ſtataria quaſi pugna ferrum miſceretur, abreptaque fugæ ſpe, vel vincere, vel mori in veſtigio bellator certus eſset: cætera claſſis proximo loco ſequi eſt iuſsa, vt libero amne hinc inde volitans ſubſidium, vbi opus eſset, laborãtibus ſuis afferret. Nec hoſtis pugnam detrectabat, ſed inſtructa in aduerſas proras acie, quattuor Galeones præmiſit, qui ſecundo fluuio, vehementique remorum impulſu acti, in Veneta nauigia cum impetu erumperent. Illi verò imperata facturi, fluminis rapido curſu adiuti, in Venetum deferuntur, quem præteruecti, proras in hoſtium, puppes a tergo obuertunt, rati fore, vt a fronte quoque a ſuis Venetus ſolicitatus, impugnatusque facile deleretur. Sed res alium habuit exitum: nam Bembus præteruectos hoſtium Galleones nauibus ſuis caſtellatis opportunæ circumſiſtens, modico negocio oppreſſit. Erat tunc in ripa fluminis Piccininus, qui ſuos voce, manuque adhortando, arma cum eis prælii ſpectator in hoſtem miſcere uidebatur. ancepſque certamen aliquandiu fuit: demum Victor

Pax a Philippo uiolatur.

Not. Mediolanenſium pollicita.

Io. Ricci'

Bellum utrinque reparatur

Hoſtium copiæ.

Caſale maius.

Fr. Bẽbus.

Euſtachi'

Bẽbi claſſis.

Hoſtium conſilium

Not. Venetorum in Pado uictoriam.

Venetus, quattuor aliis Galeonibus hoſti ademptis, Philippi claſſem profligauit: deſideratique plurimi,& ferro,& aquis periere, reliquos fuga elapſos Bembus uſque Cremonam inſequutus eſt, pauci relictis nauibus, ripis impacti, in terram ægre euaſere, vitamque ſeruarunt. Hoſte autem fugato, Bembus Cremonam propius accedens, in nouum pugnæ genus incidit: nam Philippenſes tria in Pado erexerant caſtella, quibus ita fluminis alueum occluſerant, vt cuiuſcunque ualidæ claſſis tranſitus facilè impediretur, in Galliæ intima penetrandi. ſed nihil eſt tam validum, quod vires interdum non expugnent: nam Bembi virtute, caſtella munitiſſima in Venetorum poteſtatem venere: Cremonæque trepidatum non mediocriter fuerat. Interim quum nauales ſocii prædandi ſtudio, vt eſt gens in auaritiam prona, inexplorato in terram deſcendiſſent, eruptione a Philippenſibus Duce Chriſtophoro Lauellano, viro fortiſſimo,

Chriſt. Lauellanus.

ex vrbe facta, quum noſtri ſine ordine, ſine imperio palantes vagarentur, prædæque tantùm intenti inhiarent, ingens ſtatim illis trepidatio, uiſo hoſte, qui quadrato

Nautarũ clades.

agmine in eos irruebat, iniecta eſt; fugaque ſtatim arrepta, ac armis ob inſtantem metum abiectis, clades non parua illata. nam Lauellanicus miles ſubito adortus ad trecentos nautas temere progreſſos, tumultuario in curſu ferro confecit. inde Bembus execratus nautarum temeritatem, cum claſſe Ticinum uenit; expoſitiſque militibus, vt iniuriam nuper acceptam vlciſceretur, iterum Veneti vincuntur, fuitque omnino minor clades priore illa ad Cremonam, quum hoc in loco paucis ſub primum congreſſum cadentibus, opportune Bembus receptui ceciniſſet. & hæc in Pado per Bembum magna eius cum laude in hoſtes gerebantur, quem patres pro rebus autem pru-

No. de Bẽbo.

denter, ac fortiter bello geſtis, tanti fecere, ut plenam, abſolutamque ei, agendi quæcunque collibuiſſet, poteſtatem attribuere, omniaque eius ſolius arbitrio committere non dubitarint, ſicuti Ducalibus perſcriptis ad eum litteris, clare patet. & quum Bembus poſtea graui morbo correptus, decubuiſſet, nec ob id rei bellicæ vacare poſ-

Pet. Lauredanus.

ſet, petiit per literas a Senatu, vt eius loco Petrus Lauredanus ad claſſem mitteretur: ſtatimque Senatus Bembi conſilium ſequutus, Lauredanum, quoad ille conualeſceret, ad claſſis Padanæ Imperium miſit: tantum unius Fr. Bembi apud patres authoritas valuit. nec enim quicquam pace, belloque per quempiam agi licet, niſi id prius Senatus decernat, ſoli tamen Bembo datum eſt, vt ille per ſe cuncta diſponeret. At in Mediterraneis, Vere iam appetente, cum florentiſſimis copiis Carmaniola Patauio profectus, Lagiſium peruenit, inde Benaco traiecto ad quintum lapidem Brixiæ appropinquaret, & ex altera parte Philippenſes Duces, Albericus Comes, & Petrinus Derthonenſis ex Octolango, ubi ſtatiua habebant, cum quadringentis equitibus, magnoque peditum numero in ipſas propè portas delati, ingentem in urbe trepidationem fecere; & iam complures mortales in ſuburbanis locis oppreſſerant, quum ad ſubitum tumultum Pet. Lauredanus urbis præfectus, ubi hoſtem adeſſe ſenſit, Paulum

Paulus Vrſinus.

Vrſinum hortatus eſt, ut cum trecentis equitibus per auerſa ab hoſte loca circumuectus, media ab Octolengo uia ſe in inſidiis locaret; inde ipſe, quo erat animi uigore, armatus equo ſedens, extra portam, quæ Nazarea dicitur, ſe proripuit, & equitatum hoſti obiiciens, iubet, iniecto certamine tam diu illum diſtinere, donec ad locum inſidiarum hoſtes pertraherentur, ut a frõte, & a tergo circumuenti noſtrorum manus effugere nequirent; atque ita ſane, quod futurum ſperaret, uir ſagax, euenit: nam Vrſi-

Petrinus captus.

no, cæteriſque Lauredani imperata facientibus, præcipitatus eſt hoſtis in inſidias, ac male habitus, ingentem cladem adiit: nam paucis fuga elapſis, ac plurimis cæſis, Petrinus capitur, atque eodem die exultante paſſim ciuitate, Carmaniola urbem eſt ingreſſus; qui ægre tuliſſe dicitur, alienis auſpiciis uictoriam partam. poſtmodum ne tempus ſedendo tereret, omnibus, quæ ad rationem belli attinent, in unum collatis,

No. Venetorum copias. Philippi Duces.

cum quattuordecim equitum millibus, & ſex peditum, ſub ſignis Brixia egreſſus, ad Mõtem Clarum primo metatus eſt; inde motis caſtris, ad Octolengum itum, quò tres Philippi Duces uiri fortiſſimi Guido Torellus, Chriſtophorus Lauellanus, & Nicolus Guerrerius ab eo miſſi, ad loci præſidium uenerant: iique taciti intra mœnia ſe tenuere, opportunum tempus ad erumpendum in hoſtem expectantes. Veneti ubi in conſpectu oppidi fuere, nil minus, quàm irruentium hoſtium armatam aciem timentes,

tes,quidam æſtiuo calore feſſi,ſub tentoriis umbras captant,alii extenſi humi, herbiſque corpora,ſomno indulgent,plerique exuti armis,vina,mensaſque parant: ad quadringenti ſolum equites Nanis Strocii ductu,quos Eſtenſis Marchio ex fœdere in caſtra miſerat,in ſtatione excubantes erant. in eos igitur cum ſelecta equitum, peditumque manu Philippenſes Duces ex Octolengo erumpentes,ſubitò clamore ſunt inuecti. ſuſtinuit nil territus,eorum impreſſionem fortiter Strocius,nititurque rem impigre gerens,locum retinere: ſed dum audacter prælio incumbit, cedereque omnino negat,è conferta hoſtium,ſuorumque multitudine preſſus,exanimis cum multis, qui eum deſerere noluerunt,cecidit: tum uerò ad ipſum pugnantium clamorem miles excitus,arma capit,alii inermes,alii ſemiſomnes,uagique præ incertitudine rei,quid eſſet,quæ vox,quis clamor,perſtreperet,titubare,multi temerè in hoſtem ruere, quidam turpiter fugam arripere;nec res prius ſiſti potuit,quàm cum prætorianorum manu Carmaniola,reliquique Duces,ad diſſonum tumultum exciti,ſigna intulere: tum ſuperante Venetorum multitudine,hoſtis acie excedere coactus,ſe in oppidum recepit,paucisque ſuorum amiſſis,quòd is improuiſos hoſtes paratus inuaſerat, ſecunda prælii fortuna,maximè lætatus eſt. at Venetus ex ſuis mille,& amplius equitibus oppreſſis,caſtra attentiore cuſtodia,ac præſidio ibidem communiuit. Sunt, qui dicant, æquo Marte eo die pugnatum,nec vllam maiorem cladem ad Octolengum Veneto illatam,præter paucorum interitum,qui non ferro,ſed nimio æſtu,ſub armorum pondere media pugna perierent. Poſt hæc Carmaniola nouam mitandi uiam ingreſſus, plurimos currus in orbem diſpoſuit, vt quaſi uallo quodam exercitus clauderetur; cohortes quoque armatorum ſingulis machinis aſſignauit, ne ſi quis ab hoſte fieret impetus,parata adeſſent præſidia. hanc mitandi rationem ille meditatus, in hoſtem ex Octolengo mouit,magnumque facinus aggreſſus, ſtatuit Cremonam ſumma ui oppugnare,fore ratus,ut urbe tam inſigni occupata,reliqua oppida & in Brixienſi,& in Abduana Glarea,ſine alio maiore certamine in Venetorū fidem facile conceſſura eſſent. Olio igitur ſuperato,ac copiis in hoſticum tranſmiſſis, ſeptem millia paſſuum Venetus a Cremona ſecundum Padi ripam caſtra locat. terrorque, & fuga ingens,appropinquantibus Venetorum armis,ſignisque,ſequuta eſt: trepidatumque Mediolani,Ticini, Laudæ, Como, Placentiæ, ac ſi Veneta arma omnia uno impetu excinderent. At Philippus tantam rei indignitatem minime ferens,maximas ſtatim copias cōtraxit,ut pari armorum potentia cum hoſte contenderet. nam in Venetis caſtris ad duodeuiginti equitum millia, peditum octo ſub ſignis militabant: Volonum quoque,præter Calones,& Lixas,& aliam imbellem turbam circiter ſena millia: hanc ſummam terreſtris exercitus continebat. in Padana uero claſse ſupra decem millia uirorum Bembus habuiſſe dicebatur. motus tanta hoſtium multitudine cœpit Philippus uehementer ſibi & ſuis rebus timere,tum ad repellendam hoſtilem uim conuerſus,audendum aliquid iudicauit,quod præſentia mala opportune repararet. denunciandum itaque per præconem publice iuſſit, ut quicunque res Principis ſaluas eſſe uellent,ad tantum reſtinguendum incendium eum in hoſtem euntem ſequerentur. multi Mediolanenſium,Ticinenſium, ac uicinorum oppidorum non pauci,arreptis ſtatim armis operam ſuam Philippo obſequentiſſime præſtitere, & ſecum in caſtra euntes,militiam uoluntariam haud detrectarunt: breuique ualidiſſimus exercitus cōflatus eſt, in quo ad duodecim equitum millia, peditum uerò dimidio minus fuiſse aiunt: euocatorum præterea ad quindecim millia,atque ita euenit,ut alterutra caſtra ex flore Italiæ ſupra triginta armatorum millia eodem tempore habuerint;quod memorabile,ac penè inauditum omnes prædicarunt,quum poſt res Romani Imperii accíſas,nunquam duo Italici nominis populi tam ualidos aduerſis inter ſe armis exercitus in Italia contraxerint: pares itaque uires,par animorum utrinque ardor erat,omneſque alacri clamore prælium depoſcebant. At Philippenſes primum ſtructa acie in Venetum impauido animo geruntur: habebat tum ille caſtra ad locum, cui Summæ eſt nomen,curruſque in orbem deducti, bellicæque machinæ, ac riuulus planiciem interſecans,ea muniebant: inde haud procul pons diſtabat, cuius tranſitu pu-

Nanis Strocius.

Strocii interitus.

No. clade.

Caſtrorū munitio.

Vrbiū trepidatio.

No. ingentes Venetorum copias.

Not. Philippi exercitum.

gnandi facultas præbebatur: huc uſque hoſtis progreſſus aliquantiſper ſubſtitit. Carmaniola uero in planicie ultra pontem ſtructam aciem tenebat, libero campo dimicaturus, ſi hoſtis tranſgreſſo ponte propius ſigna admouiſſet. at re in concilio agitata, Pergulenſis, & Taurellus, præproperum prælium diſſuadere, incertos Martis caſus proponere: uicit tamen Sfortiæ bellicoſiſſimi uiri, & aliorum complurium audax conſilium, qui ad hoſtem eundum, ferroque, & armis uiam faciendam eſſe cenſebant, pontemque ſine mora ſuperandum. Sforcia igitur explicata acie procurrens, prælium capeſſit, quem complures ſequuti, arma miſcuere, aliiſque aliis ſuccedentibus atrox certamen ſtatim conſeritur: nam Venetus & ipſe irruentem hoſtem ferociter excipit, pugnatumque eſt a meridie ad ueſperam, Philippo, & Carmaniola ſuos media acie animantibus, tanto ardore & impetu, ut momento temporis puluere in ſpeciem atræ nubis ſublato, pugnantibus uiſus hebetior redditus ſit, nec quiſquàm hoſtem, amicumve in tanta caligine medio pugnæ ardore agnouerit: atque ob id temerè in omne diſcrimen itum, confuſoque, ac cæco Marte diu pugnatum, pro ſuiſque hinc inde milites & cæſi: & capti ſunt: demum ſigno receptui dato, prælium (neutro fortuna inclinante) dirimitur. Ferunt, Ductores utriuſque partis dicere ſolitos, eo die puluere viſum ademente, pene plures ex ſuis, quàm ex hoſtibus pugnando cœpiſſe, potuiſſeque ſæpius eos hoſtem intercipere, ſi cogniti fuiſſent; atque id Carmaniolæ, id Sfortiæ, id Piccinino, aliiſque illuſtribus bellatoribus eueniſſe memorant. Philippus præſenti ſucceſſu lætatus, licèt uictoriam, quam ſperaret, conſequutus non fuiſſet, ualido Cremonæ præſidio impoſito, Mediolanum reuerſus eſt, vrbemque tumultuantem, ac perterrefactam offendit, propterea quod Allobrogum, Monferratenſiumque equitum alæ paucis ante diebus magno tumultu ad portas urbis adequitaſſent, prædamque hominum, ac pecorum ex agris ingentem egiſſent: ſed Philippi redditu pauor ciuitatis omnis eſt ſublatus. Interim Carmaniola quum uideret Cremonam egregie armis, ac commeatu munitam, ne ibi tempus oppugnando, obſidendoque inuictam urbem, contereret; retro abiens ad Caſale copias continuò admouit: & Sfortia cum parte Philippenſis exercitus ad Binam recuperandam profectus, modico negocio oppidum ſubegit, cædeſque ingens populi facta eſt, præcipitatique in ſubiectum flumen, qui ad loci præſidium fuerant a Veneto relicti. Caſale autem terra & aquis obſeſſum diu infeſta Carmaniolæ arma ſuſtinuit: erat enim ad eius oppidi præſidium Antonius Piſanus homo impiger, quadringentoſque ſecum milites habens, uigilantiſſimum cum eis defenſionis ſtudium præſtabat: ſed quum aſſiduis tormentorum ictibus turris portæ, quæ ad Padum ducit, concuſſa procidiſſet, per eius ruinas Venetus facto impetu in oppidum prorumpere tentauit, hoſteque intra munitiones cum cæde repulſo, deſperatis rebus Caſalini deditionem fecerunt. Ea erectus uictoria Carmaniola conſilium cœpit, Abdua ponte ſuperato, in Mediolanenſem agrum copias ex proximo depredandi cauſa tranſmittere, commeatibuſque parandis intentus, expeditionem diſtulit; in Caſalinis tamen caſtris ſe tenuit, quoad profectioni neceſſaria parata eſſent. Philippus interim Ductorum ſuorum æmulatione perſpecta, qui genere, uirtute, & rerum geſtarum gloria inter ſe certabant, ita ut nulla in re ſibi alter alteri cederet, ueritus, ne ea animorum diſſenſſione aliquid detrimenti pateretur, maturo uſus conſilio, copiarum ſuarum Imperium Carolo Malateſtæ demandauit, ſublataque eſt hoc pacto caſtrenſis, inteſtinæque diſcordiæ omnis eſt origo, uiro tam illuſtri tradita totius rei ſumma, cui ſoli parere meritò cæteri Ductores libenter conſenſere. Mouerat interim ex Caſali quadrato agmine Carmaniola, nec Carolus recepto Imperio ſegni mora deſedit, ſed tranſuerſis itineribus in Venetum ducens, ubique illi maturè occurrere. Demum ad Maclodium, Cremonenſis agri oppidum, in conſpectu Philippenſium Veneta ſunt ſigna admota: quod indigne ferentes hoſtium Duces, uociferari, exclamare, Carmaniolam in Imperatoris Caroli, aliorumque contemptum auſum fuiſſe, ad Maclodium caſtra admouere, æquum igitur, ac ex dignitate Philippi fore, armis Veneto ex propinquo deturbato, tan-

tam

Sfortiæ ferocitas.

Prælium initum.

Certatur æquo morte.

Hoſtium incurſus in Mediolanum.

Caſale a Venetis captum.

Car. Malateſtæ hoſtium Imper.

Maclodiũ.

tam delere ignominiam, nec Duces ſolùm, ſed multitudo omnis, uulguſque militum totis caſtris fremebant. Sfortia, & Piccininus ſolita ferocitate pugnam expoſcebant: contrà Pergulenſis, & Taurellus, uti rei bellicæ peritiſſimi, a prælio abſtinendum hortabantur,

No diuerſas Ductorum ſentẽtias.

exploratum ſe habere dicentes, eo die, quo cum hoſte uiribus, & fortuna ſuperiore, concurreretur, Philippi res inſignem aliquam cladem adirent. audiebat hæc Carolus, diuerſaſque Ducum ſententias ſecum tacite animo reputabat, oculiſque in Sfortiam, & Piccininum coniectis, quos Hectores appellare conſueuerat, cum hoſte demum confligere ſtatuit: edicit itaque, ut poſtera die curatis corporibus, exercitus ad pugnam paratus adſit, diſpoſitiſque acierum ordinibus Laurellano, ac Sfortiæ primam frontem aſſignat, Piccininum cum lectis cohortibus

No. acierũ ordines.

poſt ſigna ſtatuit, Taurellum, & Pergulenſem in ſubſidijs extremo agmine locat, ipſe mediam aciem tuendam tenet. ſed Pergulenſis, & Taurellus, ut natura feroces erant, inſignem ſe contumeliam ſubituros rati, ſi in extrema acie poſiti, longe a pugnæ periculo ablegarentur, quia prælium diſſuaſiſſent, in primam aciem prouolant, Deos teſtati, ut quando conſilio imminentem cladem auertere non potuiſſent, ferro, quantum in ſe eſſet, eo loco dimicantes propulſarent.

Ordinum commutatio.

aſſentiente itaque Imperatore, acierum ordines commutantur; primamque prælii fortunam Pergulenſis, & Taurellus in fronte locati, alacri animo ſuſcipiunt; Piccininus, & Sfortia ad ſubſidia reuocantur, inde alii ordine ſigna ſequuti ſuccedunt; ipſe quoque Imperator è media acie tranſgreſſus, cum leui armatura in hoſtem primo loco ire conſtituit. Ita diſpoſito certaminis apparatu, tubicines canere iuſſit, & per obtortam a Pompeiano uiam in Venetos pugnandi ſtudio mouet. erant circumiecta loca uliginoſa, uepribus, ac uirgultis inculta, nec procul hinc paluſtre ſolum, ſed tramites ipſi flexuoſi, quos profunda foſſa Carmaniola egregie communierat.

Not Taurelli uocẽ.

loco diligenter inſpecto, Taurellus ad commilitones conuerſus, alta uoce dixiſſe fertur, præſagà ſe mente proſpicere, Philippum eo die ingentem omnino cladem aditurum, niſi eam Deus Optimus Maximus, qui omnia poteſt, clementia ſua auerteret. At Venetus Imperator, ubi hoſtem adeſſe ſenſit, ſtructa acie in medium progreditur; ſtratagemmateque miro uſus, iubet, Tollentinatem cum duobus millibus equitum ad Terentianum poſt paludem ſe occultare, ac ubi pugna conſerta fuerit, hoſtem a tergo aggredi:

Carm. Stratagemma.

peditum quoque uim ingentem inter uepres, paluſtreſque uias diſponit, ut uiribus, aſtuque rem in hoſtes gereret. His imperatis, ſigniſque canere iuſſis, ipſe cum reliquis copiis hoſti ferociter occurrit, ſtatimque atrox utrinque oritur prælium.

Prælium.

Imperatoribuſque hinc inde, ſuos hortantibus, aliquandiu immotæ ſtetere acies, cadebantque interim ex utraque parte plurimi, ac loci iniquitate primo ſtatim congreſſu Carolus circumuentus, oppreſſuſque fuiſſet, niſi Sfortia, Taurellus, & alii cum copiarum robore ſubſidium illi ſtatim laboranti attuliſſent, quorum acceſſu pugna eo loco æquatur: ſed pedites, qui uias inſederant, uepribus, uirgultiſque tecti, ſagittis, ac iaculis ingentem uim equorum momento temporis confecere, & in aperta hoſtium latera alii illati, fœdam ſtragem cumularunt. Interim & Tollentinas per paludem, ubi delituerat, æqueſtrem procellam immittens,

Tollẽtinas

a tergo improuiſus apparuit, ſublatoque clamore ita Philippenſes exterruit, ut abiectis fœde armis, præceps ab his ſtatim fuga arrepta ſit. Taurellus, Pergulenſis, Sfortia, ubi rem aperte inclinatam uiderunt, è media ſtrage reuulſi, in tutum abiere: ſed Piccininus, quum pugnæ reparandæ ardore teneretur,

Piccinini ferocia.

nolletque acie excedere, parum abfuit, quin multitudine oppreſſus uictorum armis caderet; nam a fronte, a tergo, a lateribus premebatur; demum quum amplius non poſſet, ferro uiam per confertiſſimum dimicantium globum ſibi aperuit, tum hoſte paſſim fuſo, fugatoque inſignem Venetus uictoriam adeptus eſt. Caroluſque Malateſta Imperator capitur, ac cum eo equitum, peditumque pari ferè numero ſupra octo millia, militaria quoque ſigna, & impedimenta omnia in uictoris poteſtatem uenere,

Not. clarã Venetorũ uictoriam

multaque hoſtium ſpolia, torques, galeæ, armillæ ablatæ ſunt, deſideratique in pugna pauci, quum inclinante fortuna, omnes continuò fugam arripe-

re

re præcipitem ceperint. hæc autem tanta ſtrages fuiſſe dicitur, ut Philippus facilè Principatum amittendi in diſcrimen ueniſſet, ſi Carmaniola, captiuis penes ſe retentis, in hoſtem præſenti clade conſternatum continuò mouiſſet, qui armis, ac præſidiis ſpoliatus, facilem ſubigendæ Italiæ uiam noſtris aperuiſſet: ſed Venetæ inuidens gloriæ, oblata tanti ſucceſſus occaſione uti noluit. nam præterquàm, quòd educendi in perterritum hoſtem uictrices copias tempus interpoſuerit, reuerſus poſt pugnam in caſtra, inſciis Legatis, captiuos omnes ea nocte, quæ ſequuta eſt, liberandos curauit. unde turbati Veneti ex eo die Carmaniolæ ſuſpectam fidem habuere: & multi præcipuam eius ultimi ſupplicii cauſam hinc ortam crediderint.

Not. Carmaniolæ perfidiam.

PETRI

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber ſeptimus.

PROFLIGATO Philippi ad Maclodium exercitu, omnia Brixienſis agri oppida, Venetam ſequuta fidem, præter nouos Vrcios, uolũtariam deditionem fecere: id quoque oppidum obſidione cinctum intra paucos dies recipitur. Interim Philippus diligenti ad afflictas opes reparandas cura adhibita, nouum comparauit exercitum. nec difficile, operoſumque id fuit præſtare, quum ſalui Ductores, ſalui milites, exuti tantùm armis è prælio rediiſſent. Sed duo fuere Mediolani excellentes, inſignesque ea tempeſtate fabri, qui intra breue temporis ſpacium tot hominum millia armarunt, quot recens clades ad Maclodium ſpoliaret.

No. fabrorum diligentiam.

Nec Sfortia, & Piccininus interim in ocio fuere, ſed cum ſelecta militum manu, Veneto commeatus intercipere, pabulatores opprimere, omniaque infeſta reddere, Pontolium quoque a Piccinino tentatum, quo ſtrenue defenſo, hoſtes cum ignominia & cæde ſunt repulſi; periitque in ea expeditione Brixianus Centurio, magni nominis. & Philippus, ut rebus ſuis conſuleret, a Sigiſmundo Imperatore per Legatos auxilium implorauit, petiitque ut Brunorium Scalam è Germania cum exercitu in Italiam aduerſus Venetos mitteret: & Amadeum Allobrogum Ducem, eius filia in coniugem accepta, in ſuas partes traxit, tradiditque ei dotis nomine Vercellas. Sed Martini Pontificis hortatione Philippus permotus, belli conſilia abiecit, paceque Ferrariæ tentata, his conditionibus ea Vicecomiti reddita eſt, ut Brixiam, ac Bergomum, ampliſſimas urbes cum ea parte agri, q̃ ad Abduã ſpectat, legitimo partas bello, Venetus haberet; caſtella ad hæc Philippus in Cremonenſi cederet, & Florentinis, Ferrarienſi, Mantuano, Monferratenſi Principibus nihil additum, ſed amicitia, ſecuritasque oblata.

Pax cum Philippo, & eius cõditiones.

idem Genuenſes obtinuere: Carmaniolæ quoque omnia ex fœdere reſtituta, uxor, liberi, ædes, quas Mediolani ante exilium ſumptuoſiſſime ſtruxerat. Quieſcebat igitur Italia, paceque, & ocio aliquandiu floruit, quo tempore ad Leonellum Eſtenſem, cui Mantuanus Princeps filiam matrimonio locaret, decreta eſt a Senatu legatio: huiuſque fungendæ Ambroſio Baduario, & Vrſato Iuſtiniano, patritiis nobilitate & ingenio inter Venetam iuuentutem longe claris, cura demandata, publicæ lætitiæ in amicorum Principum gratiam declaratio per inſignes Oratores, magna eorum cum laude peracta eſt.

Legatio ad Leonellum.

& non multò pòſt Lucenſis rei cauſa bellum renatum Italiam omnem turbauit: nam Florentini impudenti deſiderio ducti, acquirendi totius Hetruriæ Imperium, ad occupandum Senenſium, Lucenſiumque libertatem animum adiecerunt.

No. Florẽtinorum motum.

contrà Philippus eorum conatibus obſtare: at illi; quia ob ſancitam nuper pacem aperto bello agere non licebat, occulte ui ſub Nicolai Stellæ Brachii illius ſummi Ducis filii, auſpiciis, Lucenſibus arma intulerunt.

Nic. Stella. Paulus Guiuiſius

Eo autem tempore Paulus Guiuiſius Lucenſem rem tyrannica poteſtate adminiſtrabat: in hunc itaque Brachius a Florentinis impulſus, direptis fœde circa urbem agris, prædaque ingenti hominum, pecorumque abacta, octo Guiuiſio caſtella expugnata ademit, Tyrannus, Lucenſeſque ſubitò malo cõſternati, quidnam id eſſet, ſecum tacitè reputare: ſtatimque Legatos Florentiam mittunt, ut tanti motus cauſam addiſcerent, ac de præſenti iniuria nomine publico quærerentur,

rerentur. Florentini verò, vt mirus gentis eſt aſtus, velut eorum, quæ a Brachio facta eſſent, omnino ignari, calumniam conſtanti animo diſcutere, diſſimulare, negare. Senenſibus quoque motus ille ſuſpectus non minus, quàm Lucenſibus erat, & uterque populus ad Venetos de ſociorum iniuria quæſti, Legatos miſerunt: ſimiliter & ad Philippum. Accidit autem, vt per id tempus Foſcarus Princeps vnius ſit violatus amẽtia: deſcendentem enim cum toto Senatu in auream ædem ſacrorum hora, uir patritius And. Contarenus, quum ob aduerſam ualetudinem parum compos mentis eſſet, cupreſſeo pugione ad id parato, circa genas in facie Principem percuſſit; & niſi Senenſium Orator, qui proximo loco ſteterat, illius dexteram tenuiſſet, Principem omnino furioſus iugulaſſet. Continuò autem reus ab apparitorum turba captus, ad ſupplicium trahitur, truncataque eodem loco dextera, & ad collum ſuſpenſa, ex ſuperiori parte curiæ ob læſæ Maieſtatis crimen, laqueo necatus eſt. Poſt hæc tumultuarium penè reſponſum Senenſium Legatis datur, cupere Venetos omni tempore rem Senenſem, Lucenſemque incolumem, ac ſaluam eſſe; ſed ad ſe non attinere Florentini populi voluntates moderari, qui liberam gerendi belli cum omnibus gentibus poteſtatem habet. Cum his Senenſium Legati dimiſſi. At Philippus utriuſque populi precibus fatigatus, ad Lucam obſidione leuandam Fr. Sfortiam tanquam a ſe exauthoratum cum paratiſſimis copiis in Hetruriam tranſiret iubet. is accepto Imperio, ſtatim mouens, ſub primum aduentum hoſtium præſidia expugnauit, quæ circa portas urbis Brachiani ab initio erexerant, ac Lucam quaſi ouans ingreſſus, mutua gratulatione a Guiuiſio excipitur. Inde paucos poſt dies in Piſtorienſem agrum Sfortia delatus, omnia ferro, ignique vaſtauit. Guiuiſius interim dubium belli euẽtum ſecum reputans, de pace cum Florentinis clandeſtinè agere cœpit: quod ut Sfortia reſciuit, Philippi iuſſu tyrannum ſub cuſtodia Mediolanum miſit. Lucenſibusque in antiquam libertatem reſtitutis, vrbs valido Sfortianorum firmatur præſidio. in bello tamen Florentini perſeuerantes, nihilo remiſſius Lucenſem rem armis premere; contrà Philippus, Sfortia ex Hetruria digreſſo, nouum ducem Nic. Piccininum, Genuenſium nomine in Florentinos immittit: qui ſtatim cum ingentibus copiis in hoſtem profectus, magno tumultu Hetruriam omnem turbauit. Audito Veneti ſociorum periculo, ob Piccinini motum, & ſi antea nunquàm adduci potuerint, ut arma in Philippum reſumerent, animaduerſo tamen communi periculo, quod ex ea re vniuerſæ Italiæ imminebat, placuit per Legatos Philippum admonere, ut deſinerent Florentinos bello laceſſere, nec ſub Genuenſium nomine Piccininum impelleret ad arma commiſcenda; quòd ſi in animo habeat, pro re Lucenſi aduerſus Florentinos eius uti miniſterio, Veneti quoque ſociorum iniurias armis propulſare coacti erunt; proinde certo fore, quòd ipſi pacatè agent, ſi Philippus arma reuocabit, abſiſtetque in ſocios res nouas moliri; demum in eius arbitrio eſſe poſitum, bellum, an pacem cum Veneto habere malit: nam quòd ad rem præſentem attineret, maiorum ſuorum ueſtigia Veneti ſequuti, qui ſtudioſiſſimi ſemper pacis fuerunt, quoad ſociorum, ac Italiæ res a Philippo non turbari, infeſtarive uidiſſent. Secundum hanc denunciationem, nihil hoſtis a priſtino armorum ſtudio ſe retraxit, quin Piccininus, ut ferox, acerque natura erat, paratis ſtatim copiis in Florentinos mouens, eos ingenti prælio ad Auſerim uicit: quod vbi Venetias eſt allatum, ſociorum patres periculo moti, bellum ſtatim ruptis fœderibus in Philippum decernunt, tentatus eſt interim Sfortia ingentibus præmiis propoſitis, ut ad Veneta traheretur ſtipendia, cuius uirtus in bello tunc temporis rara, excellensque in Italia habebatur: ſed quum id Philippus reſciſſet, ut ferociſſimi iuuenis animum emolliret, unicam filiam, Blancham nomine, teneræ adhuc ætatis puellam nuptui ei ſe daturum pollicetur, cum certa illa ſpe, ſi maſcula ſtirpe careret, fore, ut is totius principatus hæres, ſucceſſorque inſtitueretur; atque ita Sfortia iis pollicitationibus Philippi partes ſequutus eſt. Sed diſtulit aliquantiſper bellum Martini Põtificis interitus, eratque in expectatione Italia, qualis ſummus Eccleſiæ præſes crearetur: nec poſt multos dies Gabriel Condulmarius patria Venetus, Cardinalis ampliſſimus, in demortui locum ſuffectus eſt, qui Eugenius huius nominis I I I I. appellari uoluit. Miſſique ſunt ſtatim a Senatu ad congratulandum ii octo Oratores, Fant. Dandu-

No. Foſcari P. diſcrimen.

And. Contareni ſupplicium.

Guiuiſius a Sfortia capitur.

Nic. Piccinini mot⁹ in Florentinos.

No. Venetorum denunciationem.

Florentinorum clades.

Sfortia Philippi partibus adheret.

Eugenius IIII. Pontifex.

Legati ad Eugeniū.

Dandulus, And. Contarenus, Petrus Diedus, Sylueſter Maurocenus, And. Mocenicus, M. Lippomanus, Delphinus Venerius, & Fr. Barbadicus: ac ſtatim Eugenius per Legatos Principes, ac populos Italiæ monuiſſe dicitur, vt poſitis armis quietem agerent, quum ipſe paratus ſit, uelle omnia componere: nihilominus bellum utrinque ingens parabatur: nam Veneti renouato cum Florentinis fœdere, non ſolùm terreſtres copias contrahunt, ſed claſſem quoque validiſſimam inſtruunt, quæ Pado flumine hoſti obiiceretur. Philippus quoque contractis in unum copiis, Sfortiam, & Tollentinatem in Venetos mouere iubet. Ac ſub id tempus, ut ad alia tranſeamus, Theſſalonicam, Macedoniæ oppidum, Turcæ expugnarunt, cui Veneti dominabantur: fuitque hæc olim urbs mira nobilitate inſignis, ſed ætate noſtra, rerum humanarum uiciſſitudine, infrequens, & inhabitabilis penè reddita eſt: quo facto Veneti Turcarum Regi Amoratho bello indicto; claſſem ſtatim prævalidam inſtruxere, cui Fātinum Michaelem, belli, pacíſque artibus uirum inſignem, præficiunt: atque is, ut ex oratione illa collegi, quam Georgius Trapezuntius in eius funere publice habuit, in maritimam Aſiæ oram celeri nauigatione tranſmittens, Cilicium, Syrium, Aegyptium mare prædonibus purgauit, & Ponti aditu, qui noſtris claſſibus erat occluſus, armis aperto, quattuor in maritima illa ora muniſſima Turcarum oppida, Chryſopolim, Herſem, Caſſandriam, & Plathemona adortus, in ſuam redegit poteſtatem: hoſtiles ad hæc fudit copias, quæ in ſuorum auxilium ex proximis regionibus ſubito accurrerant. Vitus Canalis poſt Fantinum Michaelem ad Imperium maris miſſus eſt, quo Duce nil memoria dignum in Turcas geſtum reperio.

Theſſalonica urbs

No. Fant. Michaelis geſta.

Vitus Canalis.

Accēſis interea in Italia ad bellum utrinque animis, ſeptem triremes Philippi nomine a Genuenſibus inſtructæ, quibus Bartholomæus Fornarius præerat, ad Arni oſtium conſedere, quarum inopinatus aduentus ita Florentinos perterruit, vt ex tam infeſta loci vicinitate ſubitò ad arma conclamatum ſit. nec multò pòſt & Piccininus cum equeſtri, pedeſtrique manu affuit, qui in Piſanum agrum delatus, omnia ferro, ignique vaſtauit, multaque oppida miro uictoriæ curſu cepit. Veriti itaque Florentini, ne & Piſæ quoque a feroci hoſte occuparentur, miſerabile edictum publice propoſuere, ad exonerādam multitudine ſuſpectam ciuitatem, ut priuſquàm cærea candela ardens abſumeretur, ciues omnes a quintodecimo anno ad ſexageſimum ſub capitis comminatione Piſis decederent. & Piccininus in Volaterranum agrum deſcendens, ad portas uſque urbis adequitauit, adduxiſſetque omnino eam in manifeſtum diſcrimen, niſi Eugenii Pontificis iuſſu Michael Attendulus cum Eccleſiaſticis copiis oppidum maturo aduentu ſeruaſſet.

Barth. Fornarius.

No. Florētinorum edictum.

Interim Carmaniola cum Veneto exercitu ad Suncinum profectus, in inſidias Philippi arte præcipitatus eſt, parumque abfuit, quin captus in hoſtium poteſtatem uenerit: mille autem & amplius equites amiſit, trecentos quoque alios ad Cremonam hoſtis Carmaniolæ ademit. Sed dum hæc in Gallia geruntur, graui bello Hetruria implicita, multum laborabat: nam Piccininus omnia Florentinis infeſta reddens, in Aretinum agrum copias induxit, quo fœde depopulato, parum abſuit, quin & urbem proditione occuparit. Tollentinas poſtea a Philippo ad Eugenium tranſiens, Pontificis ſtipendia ſequutus eſt, eiuſque copiis præficitur. & Veneti claſſe Padana aucta, eius Imperium Nic. Triuiſano, Iacobi uiri Ampliſſimi filio, demandant. Struxerat & Philippus in Ticino claſſem, ut in bello gerendo pares fluuiales uires Veneto obiiceret, Ioanneſque Grimaldus Genuenſis, maritimarum rerum peritia clarus, Philippi claſſem rexit. Carmaniola & ipſe circa Cremonam caſtra fuerat metatus, in quibus duodecim equitum millia, ac totidem peditum fuiſſe dicuntur: & Piccininus ex Hetruria digreſſus, Philippenſes peditatu adducto copias auxerat: duoque eo tempore florentiſſimi exercitus, duæ validiſſimæ claſſes parum inter ſe diſtantes, duorum præpotentium Italiæ populorum opes dubia Martis fortuna in ultimum diſcrimen adducere uidebantur. Cæterùm Philippi Duces ad delendam Venetam claſſem intenti, nauali pugna eam aggredi ſtatuunt, ad artemque conuerſi, noctu, catafractos milites æqualiter in naues diſtribuunt: Piccininus quoque cum Sfortia adeſſe uoluit. itaque Lygur militum robore claſſem plenam agens, in Venetos ſecundo flumine impetum fecit. id Triuiſanus conſpicatus, continuò ad arma conclamauit, ferociterque irruentem hoſtem

Venetorū clades.

Nic. Triuiſanus Padanæ claſſis Imperatur.

Ioan. Grimaldus.

Philippi claſſis armatis impletur.

hoſtem excipiens, pugnam capeſſit: ſed ubi omnia in Philippenſi claſſe armis, ferroque micare uidit, ratus, quod erat, cum Piccinino, ac nauali, terreſtrique manu ſibi rem fore, continuò trepidiſſimis nunciis Carmaniolam admonet, terreſtres in hoſtili claſſe copias adeſſe, proinde ipſe quoque uellet, ſi rem Venetam ſaluam cuperet, continuò opem afferre. ad hanc nunciorum trepidationem ſtatim ille, ut iracunda erat

Not. Carmaniolæ indignationem in Triuiſanũ

natura, efferueſcente bile adeo excanduiſſe dicitur, vt alta uoce exclamans, Triuiſani ignauiam deteſtaretur, qui armati hominis ſpeciem exhorreſceret, natosque in hoſtili claſſe de repente Gigantes ſomniaret. Prælium interim iam cœptum incrudeſcebat, bellatorumque virtute ſuperior hoſtis Venetum grauiter premebat: nam cominus poſt emiſſa tela, ac tormẽta bellica excuſſa, collato pede res gerebatur, in quo certamine, hoſte præualente, quattuor Veneti Galeones amiſere, & nox ſuperueniẽs prælium diremit. prima autem ſtatim luce iterum claſſes medio Pado pugnam capeſſunt, horrendisque vndique vocibus editis, manus conſeruntur. nitebatur Venetus Philippenſes, qui bellatorum numero præſtabant, crebris machinarum, telorumque

Hoſtium conſiliũ.

ictibus procul deſtinere: at illi cominus rem gerere rati fore, ut armorum peritia, & militum robore, facilè uictoriam conſequi poſſent, continuò itaque ſuos remis incumbere, ac naues propius in Venetos agere iubent: quo repente facto, manicæ ferreæ iniiciuntur, firmatæque his ſtetere utrinque naues, cædesque cruenta ædebatur: ſed Veneto eò deterior prælii conditio erat, quò plures hoſtium triremes propugnatores quàm Venetæ habebant: ductores quoque ferociſſimi, Piccininus, & Sfortia aderant, hortandoque ſuos, prælium accendebant, quod adeò atrox, cruentumque coortum, ut nunquàm aliàs eorum quiſquam qui maritimæ rei periti habebantur, maius, atrociusque uidiſſe paterentur: nam non ſolùm gladiis, grauiorique ferro, ſed iaculis cunctisque telorum generibus certabatur; faces ad hæc pice, ac ſulphure incen-

Not. prælii atrocitatem.

ſæ, ſecures, ueruti, ſaxaque è tabulatis, caueisque uolitabant, teſtæque ad hæc, oleo, ac bitumine feruenti plenæ proiiciebantur, ut ex lubricitate nemo pugnantium in ſuo ueſtigio poſſet conſiſtere. erat itaque diſcriminoſa, ingensque totis nauibus titubantium, cadentiumque colluctatio; uiuæ quoque calcis corbes, ad obtenebrandum uiſum ſupernè deiectæ, pugnæ horrorem augebant. demum quum cominus, eminusque ab hoſte Venetus grauiter premeretur, ac memoriam cladis priori die acceptæ ante oculos haberet, minus, ac minus ordines ſeruare cœpit, fractisque omnium animis, Triuiſanus cum Antonio Riccio admirato ex prætoria naui in paruum tranſcendit Lembum, quo abeunte, cæteri metu perculſi fugam circumſpectant: tum hoſte urgente, Veneta claſſis fuſa, deletaque eſt, ac quinque tantùm, ex tam ingenti nauium numero euaſere, multique ex utraque claſſe deſiderati, quos uarii cruentiſſimi

Venetorũ in Pado clades.

prælii caſus abſumpſere. ſed grauius omnino Venetorum damnum fuit: ſupra enim ſex millia ex his partim capta, partim ferro, aquiſque oppreſſa periere, in quibus tredecim patritii ordinis uiri in captiuitatem Mediolanum ſunt abducti: naues quoque cum ingenti præda Cremonam aduerſo fluuio pertractæ. ad eam cladem patres non

Not. patrũ conſtantiam.

modò non animum remiſerunt, ſed in aduerſa fortuna conſtanter erecti, nouam ſtatim claſſem in Genuenſes inſtruunt, ut pote qui Philippum Lyguſticis nauibus, armiſque in Pado adiuuerant. Duo igitur de uiginti triremes continuò parari iubent, eiſ-

Pet. Lauredanus.

que Petrum Lauredanum, uirum maritimis rebus clarum, cum Imperio præficiunt, atque hi cum eo uiri lectiſſimi, naualique ſtudio inſignes, Ant. Diedus, Pet. Michael,

Claſsis præfecti.

Lud. Lauredanus, Paulus Paſqualicus, Darius Maripetrus, M. Bembus, Vrſatus Iuſtinianus, Laur. Minius, M. Barbus, & Iac. Contarenus, qui ſingulis triremibus præeſſent. At Lauredanus, quo erat, ſingulari animi uigore, circumacta ſtatim ex ſupero mari ad inferum claſſe, Lyburnium applicuit, ubi quinque Florentinorum triremibus adiunctis, in Tyrrhenum mare pugnandi cum hoſte ſtudio curſum direxit. ſed Lygur ad famam Venetæ claſſis quattuor, & uiginti triremes ſub Franciſci Spinulæ Im-

Fr. Spinula.

perio ad bellum parauerat. Interim Veneta claſſis ad Repallitanum ſinum decem millibus paſſuum Genuæ propinquum cõſederat, ibique Lygurem expectabat: quod Spinula indignè ferens, tanta celeritate ex urbe mouit, ut quibuſdam nauibus ex ſuorum numero pone ſe relictis, cum ſola prætoria in Venetorum conſpectum proceſſe-

rit,

rit. Lauredanus ubi hoſtem adeſſe ſenſit, ſuos corpore curare iubet: idem Lygur facit. nec diu utriq; Imperatores cunctati, dato ſigno, in pugnam prodeunt: priorq; Lygur uelis, antenniſq; in ſummum mali ſublatis, in Venetum uadit. conſilio autem Lauredanus uafro uſus, quaſi congreſſum metu euitans, quàm maxima potuit celeritate, a ſinu cum tota claſſe proripuit. ſequitur eum ueluti fugientem alacri clamore Lygur: ſed quum aliquandiu inſectantem hoſtem Lauredanus in altum pertraxiſſet, cõtinuo auram ſecundam nactus, mutata uelificatione proras in Lyguſticam claſſem flecti iubet: tum Venetus ſublato clamore ferociter in pugnam redit, quem Spinula intrepide excipiente, cruentum ſtatim initur prelium, ac primo congreſſu uis telorum ingens, dextra, leuaq;, & a fronte emiſſa, complures ex utraq, claſſe confecit: interim tres Venetorum triremes, totidem Lyguſticæ magno impetu irruentes premebant, & Spinula, hoſtium imperator, ratus eas prætoriæ ſuæ acceſſu facili opprimi poſſe, uehementi remorum impulſu aduolat, irruentemque Spinulę triremem longa Florentinorum nauis ex tranſuerſo inuecta ferit, quæ ſtatim in latus depreſſa, parum abſuit, quin ibidem demerſa, abſorptaq; undis fuerit: uerùm dum eam ægre remiges, nautæq; pendentem erigere nituntur, Thuſcus repentè impedito hoſte proram occupat, & ex puppi Lygure dimicante, atrox in una, eademq; triremi certamen committitur. Apprehenderat interea ab altero cornu, harpagonibus iniectis, octo hoſtium triremes Venetus, quas tandem, hoſte diu repugnante, uictas, debellataſq; Lauredanus in ſuã redegit poteſtatem, reliquæ male habitæ celerem fugam arripuerunt. ita Lygur profligatus ſe trepide Genuam recepit: uictrix uero claſſis, in Iacobi Adurni, & Antonii Fliſci, Genuenſium extorrum gratiam, qui prælio interfuerant, ad Rechum admota, oppidum ſubegit, inde Lyburnium eſt reditum, factaq; ſupputatione, octingenti ex hoſtium numero deſiderati periere, ſaucii ad quatuor millia ex utraq; parte fuiſſe dicuntur, capti non pauci, inter quos Spinula præfectus, & cum eo, ii octo nauium gubernatores, Aloyſius Grillus, Thomas Italanus, Hilarius imperialis, Antonius Larcha, Iacobus Fornarius, Bariona Maruffus, Lazarus Alberga, & Symeõ a Turri, quos omnes, Florentiam primum, inde Venetias Lauredanus ſub cuſtodiam miſit: ipſe poſtea in ſupero mari, quum ad urbem ueterem tota cum claſſe appuliſset, Eugenii Põtificis hortatu, eam Eccleſiaſticæ ditioni receptam ſubiecit, quæ occupata alienis auſpiciis regebatur. inde extremam Italiæ oram mari circumuectus, Corcyrã uenit: nec multo pòſt Fliſcus, & Adurnus, inſidiis excepti in Hetruria Philippi iuſſu obtruncantur. At in Gallia ſub id tempus poſt naualem pugnam Carmaniola Veneta caſtra ad Sumam locum Pado propinquum habebat, quò Philippi copiæ dimicandi ſtudio acceſserãt, nec mora, magno utrinq; animo in aciem eſt deſcenſum, pugnatumq; ingredibili partium ardore, cædeſq; non parua primo congreſsu utrinq; ædita, demum, fortuna iterum neutrò inclinante, prælium dirimitur, poſtea Caualcabouis centurionis induſtria Cremona penè capta eſt. is enim fide in Remp. egregia hoſti quoquomodo officere tentabat. itaque ad Cremonam occupandam, quæ parum cuſtodita erat, animum adiiciens, cum aliquot militum centuriis, concubia nocte ad pomerium uſque urbis tacite obrepſerat, atq; ibi inter rubos, & ſalicta deliteſcens, tamdiu ſuos continuit, quo ad uigiles, iam Sole penè exorto, ex ſuis ſtationibus, ut antea conſueuerant, abiiſsent: quas ubi deſertas ille uidit, ſcalis continuo pluribus locis admotis, in ſummum milites tacite euadere iubet, ipſe inter primos umbone tectus, murum aſcendit, firmatque præſidio loca cãpta. Subſtiterat interim ad tertium lapidem cum legione una Carmaniola: præmiſſique cum ſilentio expediti pedites murum Duce Caualcaboue, tranſcendunt, ad unumq; omnes deſilientes, proximam urbis portam ſubito occupant, admiſsiſq; per eam aliis militibus, pauor, tumultuſq; incertus in urbe oritur. captaq; erat Cremona, ſi Carmaniola paratas ad id copias ſubſidio ſtatim miſiſſet, ſed eo cunctante, qui in urbe erant, trepide ſe ad ſuos re infecta receperunt. Sunt, qui tradant, occupata mœnia biduum a Veneto milite retenta. alii octo horas tantùm, ſed utcunq; res ſe habet, fama tenet, Carmaniolam perfida cunctatione Cremonam Philippo ſeruaſse. Copiis interim in hyberna dimiſſis, nil uſq; ad uernum tempus memoria dignum in Italia actum eſt: æſtatis poſtea initio Piccininus in Lyguriam miſ-

O ſus,

Not. Lauredani ſimulatã fugam.

Not. Florẽtinæ nauis impetũ

Venetorũ uictoria.

Spinula captus.

Not. captiuos.

Not. cædem Fliſci, & Adurni.

Pugna æquo Marte

Caualcabos Centurio.

Cremona pene capta.

ſus, Bernabouem Adurnum ad Nauarum uiciti, in Monferratenſem hoſtem inde moués, intra paucos dies, caſtella circiter triginta ei ademit, & Lauredano, è Corcyra domum abeunte, Veneti per id tempus nouam claſſem eduxere, quam ſub And. Mocenici imperio ad Chium Genuenſium inſulam oppugnandam miſerunt.

Claſſis ſub And. Mocenico.

Oppidum igitur Mocenicus terra, marique obſidione cinxit, diuque machinis, aliiſque operibus bellicis circumuallatum fatigauit, ſed quia id ualido tenebatur præſidio, fruſtra omnia a Veneto tentata, ac ne nil actum uideretur, Mocenicus iratus, quod reliquum in

Chienſis ager deuaſtatus.

hoſtico fuit, fœda populatione uaſtauit, uinetiſq;, ac arboribus paſsim ſuccisis, poſtea ex inſula diſceſsit. Et Genuæ uis nauium ingens parabatur, ſub Petri Spinulæ auſpiciis, qui ocius, quàm hominum expectatio eſſet, in Adriaticum mare delatus, circa Corcyram conſpectus eſt: ad eius autem conatus euertendos, Veneti parem nauium

Syluester Maurocenus.

numerum ſtatim compararunt, eiſq; Syluester Maurocenus præficitur, cui mandatũ; ut quacunque uerſum Spinula flexiſſet, eum inſequeretur, nec, quantum in ſe eſſet; ſineret Corcyrẽſem rem, maritimamq; æram armis ab hoſte infeſtari. Dum hæc mari geruntur, Piccininus in Cremonenſi agro Turriculam, & Bordellanum recepit, Carmaniolaq; propius cum copiis conſedens, nil tamen in hoſtem agebat. Indignitate itaque rei, doloreq; adacti patrum animi, ad maniſeſtam uiri perfidiam more maiorum plectendam accenduntur, diuq; in Senatu agitatum eſt, qua ratione homo in poteſtatem redactus, quæſtioni adhiberetur, ut ueritate expreſsa, meritum de eo ſup

Cóſultatio de Carmaniola.

plicium ſumi poſſet. erant autem ex Senatoribus non pauci, qui aſperius in Carmaniolam inuecti, obtruncandum eum indicta cauſa publice cenſebant, quum pluſquã hoſtilis perfidiæ inditia in eo uiro manifeſta paterent: alii maturius agendo nõ prius adduci potuerunt, ut ſuſpicionis crimine hominem onerarent, quàm ſcelus proprio

Trium uiri Aduocatores.

ore rei expreſſum in lucem prodiret. Demum triumuiris Aduocatoribus, Fantino Viaro, Franciſco Lauredano, & Paulo Corrario, referentibus, ita Senatus decreuit, ut ſub conſultandi ſpecie Carmaniola patrum litteris ab exercitu Venetias accerſitus, in uincula coniiceretur, ac quæſtione adhibita, ſi crimen confeſſus eſſet, more maiorum capitali afficeretur ſupplicio. His decretis, mirum fuit, quanta patres taciturnitate, ac fide uſi rem ſilentio compreſſere: nam per octo menſes, quos conſultatio

Not. Senatus ſilẽtiũ.

illa, uocato ſingulis ferme diebus Senatu, abſumpſit, nulla unquam uel minima ſuſpicio, aut coniectura ad Carmaniolam, ſiue ad alium quenquam peruenit. ex caſtris igitur ille euocatus, Patauino flumine Venetias ſcapha deuehitur, frequenteſq; ei Patritii de more mutua gratulatione obuiam prodierunt: qui ignarus eorum, quæ pararentur, in curiam primùm perducitur, inde deſcendens, dum ad paratum hoſpicium

Carmaniola in carcerẽ truſus.

ſe deduci putat, in carcerem proximum per adapertas ad id portas intruſus eſt: tũ magno edito gemitu diu obmutuit. poſtridie ad triumuirum conſpectum inter armatos adductus, quæſtioni ſubiicitur, propriiſque litteris, ac domeſticis teſtibus conuictus. undetriceſimo die, poſtquàm in cuſtodia eſſe cœperat, decemuirum decreto inter geminas columnas ſecuri percuſſus eſt: ad eius autem cædis ſpectaculum, ingens

Carmaniola obtruncatur.

populi ſummo mane concurſus in forum factus dicitur, vbi ne ullus quidem minimus in tam inſignis uiri pœna motus exortus: qui compreſſo ligneo retinaculo ore, purpureoq; paludamento e carcere eductus, omnium oculos in ſe conuertit. Ferunt, paulo ante quàm detentus fuiſſet, dum matutina diei hora Carmaniola Principem ſalutaſſet, ab eo ex curia exeunte quæſierit, matutina, an ueſpertina ſua ſalutatio eſſet; cui

No. Principis ſermonem.

ſubridens Princeps, peruigili illa diſceptatione in Senatu, Nil tam frequens, Imperator, ait, in ore habuimus, quàm nomen tuum. mox ne qua ex ea uoce ſuſpicio innaſceretur, ſermonem alium orſus eſt. Damnationis autem eius cauſæ hæ fuiſſe dicuntur, captiuorum liberatio, ſubſidium Triuiſano abnegatum, & maligna in Cremona oc

Not. damnationis Carmaniolæ cauſas.

cupanda temporis mora. Obtruncato Carmaniola, per totam Italiam Veneti ſenatus heroica ſeueritas laudata eſt: ac ſtatim exercitus cura Mantuano Principi, duobuſq; Legatis, Georgio Cornelio, & M. Dandulo, publicò decreto demandato. Iis igitur in prouinciam profectis, Piccinini repreſſus eſt impetus, qui res Venetas grauiter infeſtabat, & niſi ad Olium dùm pontem flumini imponit, graue uulnus accepiſſet, non exigua ab eo Venetis clades infligebatur. Monferratenſis inde Marchio alpes tranſgreſ-

ſus,

ſus, per Taurinos in Germaniam tranſiit: inde celeri curſu Taruiſium delatus, ad Venetos belli ſocios confugit, opeq; ab iis implorata, Principatum, a quo Philippi armis deiectus fuerat, recipere conatus eſt. tantam autem patrum munificentiam, & liberalitatem ſenſit, ut amiſsi principatus deſiderium conſtanti, lætoq; animo ferret.

Senatus comitas.

Variis interim bellorum motibus Gallia, Hetruriaque prouinciæ concuſſæ ſunt, & ad montem Topulũ Philippi copiæ, Bernardino Vbaldino Duce, a Tollentinate, & Attendulo Hetruſci exercitus Imperatoribus profligantur, triaque equitum millia Philippi capta dicuntur. Sigiſmundus quoque Boemiæ, & Hungariæ Rex, per id tempus cum quattuor millibus equitum in Italiam uenit, parteſq; Philippi ſecutus, Lucam ingreſſus eſt: eòq; Florentinorum iuſſu Tollentinas, & Attendulus cum barbaris pugnandi ſtudio copias admouere, terribiliſq; Pannonici equitatus impetus in noſtros fuit, eorumq; nonnulli uelociſsimo curſu ad Attenduli uſq; tabernaculum peruenere, ducemq; ipſum barbarus quidam ingentis ſtaturæ audaciſsimè aggreſſus, prægraui claua ſuper caſsidem percuſsit. Attendulus uero tantò ictu pene exanimis redditus, haud ultionem tamen diſtulit, ſed euaginato repente gladio, percuſſorem mediũ transfixit. Sigiſmundus poſtea Senas conceſsit, ubi cum Eugenio Pontifice graues aliquandiu exarcuit ſimultates, mox cum eo in gratiam rediit, Romamq; poſtea profectus, ab Eugenio Imperii inſignitus eſt diademate. Delectiq; ſunt a Senatu (ut in Annalibus quibuſdã legi (duodecim hi patritii) And. Mocenicus, Ioan. Contarenus Al. Storlatus, Tho. Michael, Ioã. Gradenicus, Fr. Barbarus, Ambroſius Baduarius, Ioan. Iuſtinianus, Ant. Venerius, Chriſtop. Maurus, M. Genus, & Ioan. Cornelius, qui Sigiſmundo Imperatori per Veneti Imperii fines iter facienti comitatum, honoremque officioſe præſtarent. & claſſes Veneta, Genuenſiſq; nil memoria dignum ea æſtate geſſere, quim Lygur circa Trinacriam tempeſtate iactatus tres longas naues amiſit, & in Gallia ſub idem tempus Sanctus Venerius, qui Dandulo petenti ſuffectus fuerat, & Georgius Cornelius legati cum inſtructis peditum, ac equitum copiis Remp. ab initio præclare adminiſtrarunt, quattuor munitiſſimis oppidis in Cremonenſi agro Philippo ademptis, Bordellano, Ruminengo, Fontanella, & Soncino. Quumq; in hoc victoriæ curſu, de pace agi cœptum eſſet, Legati Ferrariam conuenere: nam Fantinus Michael a Venetis miſſus, eò cum Senatus mandatis uenit. miſerunt & Florentini Pallantem Strocium, & Philippus Franciſcum Gallinam. Sed dum a Legatis Ferrariæ de pace agitur, Venetorum copiæ ad montana profectæ, uallem Camonicam primùm, inde Tellinam armis ſubegere, quam trium millium armatorum præſidio Cornelius Legatus inſedens obtinebat. Sed eò a principibus Gibellinæ factionis clanculum Piccininus accerſſitus, vallem tumultuoſe inuaſit, unde haud mediocri clade accepta repulſus eſt. Poſtera die callidus hoſtis reuerſus Legatum incautũ, ex priori ſucceſſu, cũ omnibus ferme copiis ſubitò oppreſſit, trecenti ſolum equites eruptione per medios hoſtes facta in auerſos ſaltus magno cum uitæ periculo abiere, cæſi uerò, captiq; plurimi, & in his Georgius Cornelius Legatus, Thadeus Eſtenſis, Cæſar Martinẽgus, & Italus Foroiulianus, magni nominis Ductores. Caſale quoque circa Padum, & Brixellum Philippenſium armis occupatum Venetus amiſit. In hoc ſtatu duorum præpotentium populorum res bellicæ in Italia erant, quũ pax per hyemẽ agitata demũ his conditionibus ſancitũ, ut Philippus Brixiani, Bergomenſiſq; agri locis prorſus decederet, Monferratenſi principatum redderet, Florentini in Volaterrano, & Piſano oppida reciperent; captiui quoque vtrinque ex fœdere reſtituerentur. Redditi omnes præter Cornelium, qui poſt initam pacem uita deceſſerat. Compoſitis Ciſalpinæ Galliæ inter Venetos, & Philippum rebus, Franciſcus Sforcia a Vicecomite poſt importunam efflagitationem exauthoratus, cũ duobus millibus equitum, florentiq; peditatu ex Gallia in Picenum agrum tumultuoſe erupit, ubi rebus fortiter, ac proſpere geſtis, omnem illam prouinciam in ſuam recepit fidẽ. Hos Sforciæ ſucceſſus Piccininus ſuſpectos habens, Philippo authore, ad opprimendos illius conatus cum mille lectis equitibus, & magno peditatu in Hetruriam uenit, & coniunctis cum Nicolao Stella, Brachianæ factionis impigro duce, copiis, in Sforcianos mouet. Eugeniũq; pontificẽ primùm grauiter infeſtare cępit. At Sforcia inter hos motus ex hibernis profectus, in

Sigiſmundus Imperator.

Not. Barbari audaciam.

Legati ad Sigiſmundũ honorandum miſſi.

Sanctus Venerius.

Legati partium.

Venetorũ clades. Captiui.

Pax cũ Philippo, & eius cõditiones.

Vmbriam tranſiit, Tudertoq;, & Ameria, ſubito aduentu occupatis, Tyberim eſt tranſgreſſus, ac omnia metu, & trepidatione complens, in Viterbienſi agro conſedit, interim Eugenius Brachianis opibus, Columnenſiq; factione adnitente, pontificia ſede eiicitur, ac in Adriani molem primùm confugiens, tumultuantis ciuitatis uim, armaq; aliquandiu declinauit: mox inde periculi ad monitus, ſecundo Tyberi magno cum uitæ diſcrimine inter tela ex utraque ripa in eum coniecta diſceſſit, & Florentiam in tutum abiit. nam miſerabilis, & periculoſa hæc Pontificis fuga ex urbe fuit, qui quum abeundi ob inſanos furentis populi Romani motus, conſilium omnino iniiſſet, paucis comitibus, ignotoq; habitu, paratam ſcapham aſcendit, eaq; ex ripa ſubitò ſoluta, ſecundo Tyberi celeri curſu elabebatur, tum de repente noua incerto authore uox auditur, pontificem medio flumine fugam arripere, reſonat clamoribus transtyberina Regio, & arma omnes ad inſequendum pontificem capiunt: quo tumultu, uocibuſq; exauditis, princeps Regionis, qui in ea parte urbis cuſtodiam habet, ueluti amens inſurgit, alioſq; complures euocat, qui ſecum armis instructi fugientem pontificem inſectantur: itaq; pars inſiliunt equos, pars telis, iaculiſq; armati per ripam excurrunt, alii expeditas cymbas inſilientes, remis per fluuium agunt, conāturq;, Pontificis ſcapham impetere; ſed ea remigum conatu multo ſpacio proceſſerat, in ſequendi tamen curàm Romani indignatione pleni non omittebant, teliſq;, & haſtis per fluuium coniectis, optimi pontificis mortem, excidiumq; minabantur: ipſa autem ſcapha reſupinus, ſcutoq; tectus, immiſſa tela, ut poterat, euitabat. Die interim ad ueſperam inclinante, hoſtilis cymba proxima apparuit, quæ per compendia uiarum in occurſum Pōtificis ſcaphæ aduolarat, ut tranſitum prohiberet, tum qui cum pontifice erant, ad eū tuendum conuerſi, arma ſubito parant, ad ſeruandamq; ſanctiſſimi uiri dignitatem, ac ſalutem, totis uiribus aduerſus impios latrones incumbunt, medioq; amnis curſu, cymbæ hoſtilis proram petere facto acriori impetu contendunt. Quo uiſo, Romani carioſo, & putrido diffiſi lembo, mergiq; timentes, a ſuo curſu deflexerunt, & ſecurū liberumq; pontifici ſine alia armorum contentione tranſitum præbuere: quod miraculi loco profectò habitum eſt, quum per ſpiculorum imbres, per uolantia undiq; tela, per adactas cominus, eminuſque pectori lanceas, ſanctiſſimus pōtifex illæſus trāſierit, maximumque uitæ diſcrimen euaſerit, Florentiam igitur in tutum abiens, duos ſtatim Cardinales ex Veneta gente viros inſignes, Fr. Condulmarium, & Petrum Barbum creauit, qui poſtea pontifex fuit, Paulus. II. nomine appellatus: nec multo pòſt ex una quaque ferè Chriſtianorum prouincia, decem & ſeptem alios ſelectiſſimos uiros Cardinalatus dignitate inſigniuit, in his fuere, Beſſario Nicenus, & Iſidorus Ruthenus, natione Græci uiri doctiſſimi, Ioannes Luſitanus inſignis Theologus, Raymundus Gallus, Remenſis Epiſcopus, Guielmus Andegauenſis, Ludouicus Rothomagenſis, ex Anglia, Dyoniſius Epiſcopus Agrienſis, Pannon, Nicolaus Archiepiſcopus Capuanus, atque alii animi, corporiſque dotibus præſtantiſſimi uiri. Eugenio autem ex Vrbe pulſo, Brachianus uictor in Sfortiam ſubito mouit, nec prælium ab inuicto duce detrectatur, quin explicata ſtructaq; acie ſigna in hoſtem illata ſunt, apparebatque Brachianos, Sfortianoſque funeſtam eo die cladem ſubituros, niſi Vrbani Derthonēſis Philippi legati interuentus, blandaq; oratio partium arma compreſſiſſet, qui medius inter utramque aciem uolitans, effuſis lachrymis, iratos deliniuit animos, tum dirempto certamine Piccininus in Flaminiam profectus, circa forum Cornelii (hodie Imola appellatur) conſedit, cui ingens obiectus eſt exercitus, quem Eugenius, Veneti, & Florentini inito inter ſe ad tutandam Italiam fœdera, contraxerant: & quum Bononia Canedulis authoribus a Pontifice ſubito defeciſſet, ſociales copiæ vrbem Eccleſiæ recipere tentabant. nec multo pòſt atrox inter Piccininum, & Tollentinatem prælium in Imolenſi agro commiſſum eſt, in quo fuſis, fugatiſque reliquis, Tollentinas in hoſtium poteſtatem uenit, captaque cum eo equitum tria millia, ac pedites mille dicuntur: at quod pudendum, fœmineumque in militia illius ſeculi uidetur, quattuor tantum ea pugna non amplius occubuere, ac triginta leuiter vulnerari. Poſt hæc Piccininus hoſtium copiis deletis, in Galliam tranſiit, & Philippus, ut Venetam rem grauiori aliquo incommodò, cladeque afficeret, Patauinos quoſdam ciues clam ſubornat,

Marginal notes:

Romanorum tumultus in Pontificē.

Not. fugā Pontificis & periculi magnitudinem.

Pontifex ſaluatur.

Fr. Condul. Pet. Barbus.

Nx. Cardinales creatos.

Vrbanus Derthonē ſis.

Bononiæ defectio.

Not. prælium incruentum

bornat, qui Carrarii nominis ſtudioſiſſimi habebantur, ut certa die occupatis urbis portis, & arce, quæ leui tunc tenebatur præſidio, Marſilium e Germania accitum Patauio exciperent, ſe paratum fore, confeſtim firmiſſima rerum omnium auxilia præſtare, curaturumq́; prorſus, ut Venetis excluſis, Marſilius occupatam ſemel urbem retineret. Quum igitur iis, aliiſque perſuaſionibus Patauinos ad infandā proditionem cōpuliſſet, ad Idus Martias Marſilius præſto in Italia affuit, ac mutata ueſte uelut negociator peregre profectus, in Vincentinum agrū peruenit: eratq́; ſequenti die Patauiū ex compoſito ingreſſurus, dum a paucis in ipſo itinere ex facie notus capitur, cuſtodiæq; ſtatim ipſe, & comites traditi, Venetias perducuntur, in quem, & duos Mediolanenſes, ac Patauinos circiter uiginti, coniurationis nefariæ authores, capitali ſupplicio eſt animaduerſum. Piccininus poſtea, & Sforcia, ille in Flaminia, hic in Vmbria caſtra habentes, arma miſcebant. Ad Piccinini autem conatus euertendos, Sforcia ab Eugenio accerſitus, Eccleſiæ copiis præficitur, & ut rem Romanam fortius, fideliuſq́; in bello adminiſtraret, Piceni agri a Pontifice, & Cardinalium collegio Marchio declaratur. Itaque Brachiana, Sfortianaq; arma citro, ultroq́ue magno rerum motu in terra Italia ſunt euagata, ac ſub id tempus Alphonſus Arragonum rex, ad Siciliam ſubigendam animum adiiciens, quæ principum in teſtinis diſcordiis laborabat, claſſem ingentem inſtruxit, & Genuenſes Philippi iuſſu, maritimas uires & ipſi pararūt, ad Caietamq; inter Hiſpanum, & Lygurem fœda atroxque naualis pugna eſt cōmiſſa, in qua uicti, profligatique magna clade Regii fuere: nam præter multorum cædem, celeberrimi totius Hiſpaniæ proceres cū ipſo Rege Alphonſo capti ſunt. Nobiliſſimaq; uictoria Lygur potitus, captiuos omnes in triumphi ſpeciem Genuam perduxit; ſed Philippus paulò poſt Mediolano euocatos non ſolùm magnificentiſſimo apparatu excepit, uerumetiam ſingulari animi magnitudine uſus, omnes ſaluos, incolumeſq́; dimiſit, quarum rerum indignitate commoti Genuenſes, Fr. Spinula uiro magnanimo authore, arreptis ſtatim armis, ſe in libertatem uendicarunt, caſuſque eſt eo tumultu Opicinus Alzate urbis præfectus. Genuæ defectione Philippus uehementer turbatur, Piccininum continuò in Lyguriam cum magno equitum, peditumq; numero mouere iubet: qui imperata facturus celeriter eò eſt profectus. uerùm ualido urbe firmata præſidio, nulla re memorabili geſta, hoſtis è prouincia abiit, & Pontifex per id tempus Bononiam Cannedula factione cedēte recepit, ubi aliqua mentio pacis promoueri cœpta, ſed nullum ſortita eſt exitum: erant tamen ubique ferè induciæ. cæterùm ſubiti Genuenſium motus in maritima Lyguria ora aduerſus Alphonſum omnia turbarunt, nam Arragonio præſidio ex arce, quæ ad portum Veneris eſt, a Lygure eiecto, Piccininus ſtatim Philippi iuſſu ex Parmenſi agro, in Lyguriam proficiſcitur, copiiſque ad arcem admotis, fruſtra oppugnatio tentata: conuerſis itaque aliò ſignis, Sarzanam occupat, inde Macra Fluuio ponte ſuperato, Luccam ſe contulit, ciuibuſq; ad res nouas in Florentinos moliendas cōpulſis, Thuſcum in Piſanum agrum profectus, armis uexabat: ſpe autem ſubito Genuæ per ciuium ſeditionem recipiendæ oblata, ex Hetruria citato agmine in Lyguriam tranſit, & Sforcia, Piccinino abeunte, Arno fluuio ſuperato, non ſolùm oppida, & loca, quæcūque hoſtis circa Piſas occuparat, recepit, ſed admotis ad Luccam caſtris, urbem graui obſidione premebat: uariiſq; utrinq; armorum conatus fuere, cùm in Hetruriæ planicie, tum in ipſis Apennini anguſtiis. Interim dum Eugenius Pontifex Bononiam muris, foſſis, & aggeribus, ſumma ope muniendam curat, factum eſt, ut ob Græcorum Hæreſim, Ioannes Paleologus Byzantii Imperator cum Ioſepho urbis antiſtite, Demetrio Peloponeſſi Principe, Alexandrinis, Antiochenis, Hieroſolymitanis, ac Trapezuntinis, Legatis, Venetias acceſſit, unde Ferrariam omnes profecti, in Eugenii Pontificis conſpectu ea in urbe reſidentis, de Chriſtianæ Fidei unione cum Romana Eccleſia diu frequentiſſimo theologorum tā Græcorum, quàm Latinorum conuentu diſceptarūt: reſque ex uoto ad exitum perducta eſt, ſumma pontificis, & totius Romanæ Eccleſiæ laude: lectique ſunt poſtea a Senatu Scipio Bonus, & Vrſatus Iuſtinianus, oratores, ad Albertum Romanorum Regem declaratum, qui ei publico nomine maximi honoris titulum, apicemque congratularentur, atque in ea legatione Vrſatus equeſtris dignitatis a Rege inſignia accepit,

Marſilius & alii ſecuri percuſſi.

Arragonēſium Clades.

Genuæ a Philippo defectio.

Opicini cædes.

Bononiæ receptio.

Piccinini geſta.

Ioan. Paleologus Greciæ Imp.

Not. Eccleſiæ Rom. cum Græca vnionē.

Legati ad Albertū, Romanorum Regē

Interim Veneti in animo habentes, Abduam ſuperare, ut Mediolanenſem agrum inuaderent, Mantuano Principi, penes quem copiarum omnium erat Imperium, mandant, ut exercitu ſub ſignis educto, huiuſcemodi expeditionem ſuſcipiat. Militabant tunc Veneto nomini, hi clari bello duces, Mellita omnium primus, Tybertus Brandolinus, Petrus Nauarrinus, Guidoantonius, & Aſtur Fauentini, Sigiſmundus Malateſta, Bartholomæus Collio, Guido Rangonius, Guerrerius Martianus, ac plerię; Strenui uiri: ſed Mellita uir acerrimus, ad ſuperandum fluuium primam aciem ducens, intempeſta nocte illum cum delectis equitibus tranſnauit, ulterioriq; ripa tacite armis occupata, ducenti ferme pedites lintribus miro ſunt ſilẽtio traiecti. Nec Venetus interim miles pontem omni ſtudio iungere deſinebat, ut priuſquam dies illuceſceret, copiæ traducerentur. cæterùm nocturni ſubitò himbres coorti, ita Abduam auxere, ut intumeſcente alueo, aquiſque ad utriuſque ripæ ſummitatem horribili inundatione excreſcentibus, non modò opus interruptum ſit, ſed lintrium quoque uſum obſtrepẽtis fluminis rapacitas omnem abſtulit: tutaq; omnia tenebræ reddidere. at poſtquam lux exorta eſt, uicinorum collium incolæ Venetum in utraque fluminis ripa conſpicati, primo ſtatim aſpectu, non parum formidare cœperunt: indé paucitate, trepidationeq; eorum, qui in citeriore fluminis parte erant, animaduerſa, Ludouico Seuerinati circuniecta loca præſidio tenenti rem propere ſignificant, qui ſtatim citato agmine ad fluuium accurens, infeſtis Venetum armis aggreditur. ſuſtinuit intrepide Seuerinatis, hoſtiumque impetum Mellita, hortandoq;, & pugnando tamdiu fortiſſimi Ducis munus obiit, donec pedites in ulteriorem ripam ad ſuos ſe reciperent, quorum multi & imperitia natandi, & impetu aquarum uicti, periere; deinde equite ſenſim dimiſſo, ipſe Romani illius Coclitis exemplo omnium nouiſſimus fluminis magnitudine ſuperata admirante uiri ferociam hoſte, incolumis ad ſuos adnatauit. Re igitur parum proſpere tentata, copias omnes Gonzaga Imperator in priſtino Abduanę terræ loco tenuit: ducenſq; inde, Lugnanum oppidum occupauit; maioraq; alia in hoſtem nauiter geſſiſſet, niſi Piccininus ex Lunenſi agro celeriter profectus, cum ualidiſſimo exercitu affuiſſet, ac explicata acie, in Venetum irruens, terrore omnia compleuit, abſtulitque ei ad Olium pontem quingentos currus. ad Bergomum quoque caſtris admotis, arcem ſumma ope Piccininus opugnare cœpit. Rebus igitur in cõtrarium habentibus, Veneti in Sforciam Ducem omnium inuictiſſimum oculis cõuerſis, a Florentinis efflagitare cæperunt, ut eum trãs Padum in rerum ſuarum ſubſidium mitterent. nam ferox hoſtis urgebat: ille autem, alia, atque alia cauſando, diu moram traxit, fatigatus tandem Patrum litteris, Regium conceſſit. Piccininus Parmæ ex propinquitate Sfortiæ timẽs, Venetam rem infeſtare deſtitit, è Bergomenſique copias abduxit: inuictaque Ducum agmina diu hinc inde euagata ſunt, quo tempore Fr. Gonzaga, qui Veneto exercitui, poſt obtruncatum Carmaniolam, præfuerat, ultro ſe imperio abdicauit, ac quietioris uitæ deſiderio, uti ipſe aiebat, Mantuam procul ab armorum ſtrepitu, conceſſit: eo autem decedente, Federico Contareno Legato ſpectatæ uirtutis uiro, Patres capiarũ imperiũ ad tẽpus demandarunt: inde ad militarẽ licentiã cohibendam Paulus Tronus ex urbe in caſtra miſſus eſt, is ductorum quorundam ignauiam, rapacitatemque ex patrum ſententia, liberius inſectatus, ex eis nonnullos miſſos fecit. poſt hæc ad Senatum a Sforcia uenere, qui a Florentinis, Venetiſq; emerita multorũ menſium eius nomine peterent, ſtipendia: ea autem a Venetis negata, Sforciæ animum uehementer turbarunt, tantámq. indignationem vir ferox concepit, ut veneta ſocietate relicta, Philippi partes ſequi non dubitarit. prius tamen per Coſmum Medicem tentati ſunt Patrum animi, in exigendo ab iis ſtipendiorum ære, quo Sforcia delinitus, in ſolito perſeueraret imperio. Veneti tamen adduci nunquam potuere, ut ei pecuniam, atque aurum numerarent, qui in Reip. neceſſitatibus operam ſuam pertinaciter negaſſet. Sforcia itaque a Venetis alienatus, cum Philippo huiuſcemodi fœdus iniit, ut in generum aſcitus, Blancham Philippi filiam in coniugem acciperet: nec Florentinos armis laceſſeret, omnemque belli uim in Venetum uerteret, quoad cum eo debellatum foret. Dum hæc apud hoſtes fiunt, Mellita interim cum ſelecta uirorum fortium manu in Bargomenſem agrum profectus, in montem conſcendit, ibique uallibus, & caſtellis

Marginal notes:

Not. Ductores in Venetis caſtris.

Abdua fluuius.

Not Mellitæ ſtrenuitatem.

Sforcia a venetis expetitus.

Fr. Gonzaga.

Fed. Contarenus. Paulus Tronus.

Coſmus Medicis.

Sforciæ fędus cum Philippo.

caſtellis receptis, quæ proxima hyeme Piccininus occuparat, in Cremonenſes fines inde tranſiit, omniaque in his fœde populatur, quo motu Piccininus excitus, quartis caſtris circa Padi ripas improuiſus apparuit, conuerſiſq; illico ad Caſale maius ſignis, poſt aliquot dies oppido deditione potitur. inde rumore repente manente, vulgatum eſt, Gonzagam occulte cum Philippo fœdus in Venetos percuſſiſſe: quod ubi in curiā allatum eſt, placuit, Legatos ex primoribus ſenatu mitti, qui Gonzagæ hoſpicio, & familiaritate iam antea noti erant, ut eum, ſi fieri poſſet, blande delinitum, in antiqua Venetorum ſocietate retinerent. Hi principis animum emollire adorti, publico nomine denuo ei copiarum omnium imperium obtulere; rogarunt ad hæc, ut quo ſtudio, ac fide maiores ſui bello, paceq́ue rem Venetam ſemper amplexi fuiſſent, ipſe quoq; eorum ueſtigia ſequutus, eandem operam amico populo præſtaret. At ille parum fido in Remp. animo, nunc valetudinis excuſationes afferre, nunc rei militaris imperitiā allegare, nunc ſe uehementer ocium appetere: demum res eò deducta eſt, ut quando ipſe tantopere quietem optaret, ſaltem in fide, & antiqua Venetorum amicitia perſeueraret, quod ipſum non ſolùm Gonzaga conſtantiſſime Legatis pollicitus eſt, ſed Senatui quoque per litteras ſignificauit, tāta eſt mortalium in fallendo ars, ac diſſimulatio, fore prædicās, ut non prius Vicecomitis partes ſequeretur, quàm Venetam (quod nollet) vrbem ab hoſte occupatam, deletumque audiret imperium. Piccininus interim ad uiginti armatorum millia in caſtris habens, communicato cum Mantuano Principe conſilio, Mellitam cum Venetis copiis per Brixienſes cedentem intercipere curauit Caſalli igitur oppido, quod nuper (ut diximus) reciperat, ſilentio noctis, Oliū Flumen uerſus mouit, præmiſſiſque leuis armaturæ equitibus, ad uadum fluminis tētandum, cognouit ulteriorem amnis ripam Venetorum firma præſidia obtinere, nec procul inde Gonzaga cum tribus armatorum millibus circa Marchariam erat, ut coniunctis cum Piccinino copiis, Venetum inſidiis exceptum deleret. Mellita tamen in omnes partes intentus, ſumma prudentia, ac uigilantia, ne quid detrimenti Reſp. pateretur, utebatur; & Gonzagæ perfidię haud ignarus, omnes eius motus diligentiſſime explorabat; Veronamque Chriſtophorum, & Ioannem Tollentinates cum ſuis equitibus ſtatim miſit. Piccininus autem ponte a conſpectu Venetorum auerſo, magnam exercitus Philippenſis partem ſilentio noctis tranſmiſſam, Gonzagæ copiis ſubitò adiungit: ingentemque omnino cladem Venetus eo die ſubiiſſet, niſi cognitis a captiuo quopiam hoſtium inſidiis, Mellita motis repente caſtris in tutum cum omnibus copiis abiiſſet. Patefacta itaque Mantuani Principis defectione, patrum animi uehementer in uindictam accenſi ſunt: decerniturq; ob id ualidiſſima in Gonzagam claſſis, cui Petrus Lauredanus præficitur, maritimis rebus, animi magnitudine, cōſilio, & prudētia ſenator inſignis, qui per Padi fluenta inuectus, hoſtium fines quàm maxima potuit uaſtitate populari eſt iuſſus, & terreſtres copiæ ſub Mellitæ auſpiciis ad Balneolū prope Brixiam caſtra habebant, hoſteſque coniunctis exercitibus, vrbem obſidere uidebantur, quam Franciſcus Barbarus præfectus, ad eam diem ingenii, & doctrinæ gloria, paciſque artibus tantum clarus regebat, eiuſque authoritate, & prudentia Martinengi, & Aduogari factionum principes poſitis ſimultatibus, nouam inter ſe affinitatem contraxere Philippenſes interim in Veronenſi agro. Vallegio cū ponte, qui Atheſi incubat, proditione recepto, quicquid in eo tractu terrarum, locorumque eſt, paucis diebus occuparunt: omnes quoque Benaci accolæ ſubacti, populis hoſtium metu ſponte ſedcdentibus. Eſt autem Benacus (ut hoc loco de eo pauca ſubiiciam) amœniſſimus Italiæ lacus, cuius longitudo ab Occaſu brumali ad Aquilonem per triginta paſſuum millia excurrit, latitudo multo minor, Minciuſq; ad Meridiem illi cohæret, & ad Septentrionem, & Boream S arcæ, Ponaliſque fluuiis. immenſæ autem profunditatis lacus in medio eſſe dicitur, reliqua aqua ita perſpicua apparet, ut imus alueus limpidè conſpici poſſit: ſed ut nauigabilis, amœnuſque ille eſt, dum nullo agitatur uento, ita uiolentus, & minax, ubi uel tenui tempeſtate turbari cœpit, piſces optimi in eo naſcūtur, in quibus Carpiones principatum obtinent: eruūturque hi ex profundis aquarum ſinibus, non minori piſcantium labore, quàm diſcrimine, cum improuiſa, ac ſubita tempeſtate lacus concitus, terribili, furētique aſſurgat, ac intumeſcat fluctu, hinc inde

Legati miſſi ad Mantuæ Ducem, & eorum poſtulata.

Not. Ducis Mantuani perfidioſa uerba.

Not. Mellitæ prudentiam.

Petr' Lauredanus.

Fr. Barbarus.

Benaci deſcriptio.

inde ab utraq; ripa cultiſſima oliueta ſpectantur, quibus horti paſſim interiecti ſunt, odoriferis conſiti arboribus,citreis,punicis,Adamiis,fragrantiam,decoremq; merũ reddentibus.

Syrmio.

In Lacus ipſius medio Syrmio eſt, Catulli poetæ uenuſtiſſimi (ut dicitur)patria,cuius ſitu nihil amœnius.Oram illam,quæ ad Veronenſem agrum ſpectat, Lagiſium,Bardellinum,Garda,haud ignobilia cingunt oppida : ad Brixienſem uerò Riuoltella,Minerbium,Fęlicianum,& extremo loco Salodiũ, totius regionis caput: inde montes ad Boream eſperrimi aſſurgunt, qui Lacum ab omni ferè parte circum ambiunt.nec procul Nacus eſt uicus, unde Benacum nomen accepiſſe credere licet. Gonzaga igitur aperto bello Venetos adortus, ad Bidiciolum cum ſuis copiis, ubi

Mellita.

Piccininus caſtra habebat,ſe contulit,quorum conatus Mellita aliquo modo repreſſurus haud procul ab hoſte cum mercenario milite ad Gauardum conſedit. ad eum ex Brixia Barbarus præfectus uigilantiſſima cura domi,foriſq; bellicam rem adminiſtrans,delectam iuuentutem in caſtra miſit,& ex montibus, conuallibuſq; uicinis ingens armatorum manus acceſſit,ita ut paucis diebus ſupra uiginti hominum millia in

Not. Venetorum copias.

Mellitanis caſtris fuiſſe dicantur:quibus copiis Venetus fretus, cum hoſte confligere minime dubitabat, ſed diremit florentiſſimos exercitus Cleſius amnis,ne eadem hora prælium iniretur. Interim Mellita quicquid ab Euphemiano ad Gauardum ſoli eſt,ad radices uſque montium armis occupauit : uerùm ubi per exploratores cognouit,Philippenſes copias Gonzagæ acceſſu mirũ in modum auctas,compluraſq; ex Ductoribus eſſe in Veneto exercitu infictos,ac mala animatos, ne in diſcrimen ſubita aliqua militari defectione res Veneta adduceretur,pugna abſtinuit,ac retro cedens, robur exercitus Brixiam reduxit,reliquum copiarum per municipia, quæ adhuc in fide erant,diſtribuit: hoc facto,tum liberam Piccininus circũferendi caſtra quò uellet,habuit facultatem,Venetoq; nullibi prodente,Salodium primo armis recepit,inde Fo-

Not. populorũ a Venetis defectionem.

rolani,Monclarenſes,Pontoliani,Balneolani,Minerbienſes,Palatiolenſes, Fæliciani,ac omnes,qui in ea ora ſunt Benaci accolæ,ad Vicecomitem defecere, quem uictoriæ curſum,Antonius Becharia Philippi ductor ſequutus, cum duobus millibus equi-

Not. Ductores.

tum in Camonicam vallem defertur: in eum Ioannes Comes,Bartholomæus Collio, & Leon. Martinengus,tria belli fulmina cum ingenti montanorum manu ſubito illati rem impigre geſſere;nam fœda hoſtium ſtrage ędita,rebellem terram, ferro,flammaque pene excinderunt. ex altera parte Piccininus Clarium recepit, ubi Guerrerius Martianus,& Michael Grittus,cum peditibus trecentis, & equitatu dimidio maiore,in eius poteſtatem venere. admouit inde caſtra hoſtis ad Rhoadum. id Venetus ægre ferens,nec cunctandum ratus,arma iterum ſtatim contrahit,excitiſq; ex Tropia-

Mellitæ expeditio, in hoſtẽ.

na ualle incolis,ueteranoq; milite his immixtis,quadrato agmine Mellita ad ſuos obſidione leuandos ire pergit; atque, ut paratos in pugnam haberet milites, adhortan-

Mellitę oratio.

dos, admonendoſque his uerbis eos cenſuit : *Iuſta Veneti Senatus cauſa.Fortiſſimi commilitones,alacres,inuictoſque nos in fœdifragum hoſtem reddere debet. is enim ut impius,& immitis habetur,qui Italiæ libertatem armis euertere tentat,ferroq; omnia delere, ita ille pius, & clemens, qui tyrannidem impugnat, qui populos,principeſque bello petitos tuetur,quo pietatis ſtudio,certus a Dijs immortalibus expectandus eſt fauor, fœlixque ſecundarum rerum ſucceſſus : atque id paulò antè maniſeſte experti ſumus, quum Mantuani Principis perfidia circumuentæ Venetorum, copiæ me Duce,hoſtium inſidias diuino auxilio euaſerint.furibundi itaque illi debacchantur, ac prope inſaniunt,noctes,diaſq; machinãtes, quorum pacto hunc exercitum ad Italiæ libertatem comparatum,delere poſſint,nihilque intentatum relinquunt,ut tam crudele facinus exequantur,ſed nos haud imparati erimus in tot hoſtium inſidijs,omnia prouide, conſultoque agemus,pro Veneti Imperij dignitate, pro Italiæ ſalute,pro militari gloria : uoſque Fortiſſimi commilitones huc ſub ſignis hodie adduxi,ut uel oppidum Veneti nominis ſtudioſſimũ,obſidione leuemus,uel quando aliter fieri non poſſit,in aciem deſcendentes, ferro congrediamur,qđ ſi euenerit,tum eam operam precor,milites,præſtate,quæ fortitudi-*

ne, &

ne, & indole ueſtra digna ſit, illi prædæ, ac rapinarum cupidine ducti, ferrum exercent, Philippoque Italiæ totius imperium, uiolato gentium iure, aſtruere conantur: nos contrà pro æquitate, pro Iuſtitia, pro fide pugnamus; poterat Philippus principatu ſuo contentus, pacatè agere, Venetamque ſocietatem amplecti, nec pacem Italiæ turbare, ſed tantis opibus, blandientisq; fortunæ fauore elatus, modum ſeruare neſcit: quod illi forſan male uertet, quandò dolo, fraude, belloque iniuſto aliena appetit. Gonzagæ quoque quis non perfidiam ſtomachetur? a ſocietate enim Veneta is alienatus, nobis eas inſidias ſtruxit, quibus niſi diuina benignitas affuiſſet, in ſummum Veneta res diſcrimen incidiſſet. Iniurias igitur tantas uiri fortiſſimi ulciſcamur; & ſi pugnandum erit, virtutis ueſtræ in omnium conſpectu memoranda ſigna ædite: q. ſi cuiuſpiam uel metus, uel ignauia animum occupet, edico, ut è caſtris quàm primum is diſcedat, cæteri mecum pugnam intrepide capeſſant: curabo enim optimi Imperatoris munus ex omni parte obire, & uos niti decet, ut quantum ego uoce, & imperio agam, tantum ipſi dextera, & ferro, ad uictoriam conſequendam efficiaris. Habita huiuſcemodi oratione, Mellita ſtatim ſigna canere iuſſit, ac primis ſe tenebris intendentibus, ad Paſſerenianum cum omnibus copiis conſedit. Mellitæ aduentu explorato motis repente caſtris Piccininus retro ad Coloniam exercitum a Rhoadi obſidione abduxit, ac ſequenti die militari ſtratagemmate uſus, partem copiarum poſt proximos montes in inſidiis locauit, eo conſilio, ut ſi in planum deſcendens Venetus aciem explicuiſſet, ſubita ui circumuentus opprimeretur, ipſeq; aperto campo cum reliquo exercitu ad dimicandum paratus, in Venetum uadit. Mellita in committendo prælio ſingulari prudentia uſus, neque pugnam detrectauit, neque temerè agmina in ſubiectam planiciem dimiſit, ſed iniecto certamine, ſenſim, cauteque armatas acies hoſti obiiciebat, integroſque feſſis, ac vulneratis, ordinibus nihil loco motis, ſummittebat; tantaque arte, militarique diſciplina prælium commiſit, vt quum hoſtium cohortes Piccinini iuſſu, ex inſidiis in Venetum præſenti pugna occupatum erupiſſent, immotũ tamen illi ſteterit agmẽ, ac prælium a prima ferme luce ad ueſperam Philippenſium aliquanto maiore, quàm Venetorum incommodo productum eſt: quo dirempto Mellita Brixiam ſe recepit, hoſtis Coloniam: & quamuis, neutrò fortuna inclinaſſet, ad confirmandos tamen ſociorum animos, Brixiæ Rectores tota vrbe uictoriam vulgandam curarunt, quã Mellita ad Rhoadum ex hoſte conſequutus fuiſſet; cuius rei fama celeri uolatu Venetiás vſque perlata, in tam affuſam lætitiam Ciuitatem ex inſperato prouexit, ut præ nimio gaudio undique a populo ſit in forum concurſum, atque ob id tota urbe tumultuatũ, non ſine aliquo Reip. diſcrimine: nam uictoriæ inanis nuncio uulgato, remiges, ſociique naualles, quorum ingens multitudo ex Illyrico accita tunc Venetiis erat, quum uino incaluiſſent, ſubito magno agmine in publicum proruperunt, faceſq; in manibus habentes, ingentem pyram in lætitiæ ſignum medio foro conſtruxere, qua ſubito accenſa, dum aliam lignorum ſtruem ſuperiniiciunt, deficiente ad alendum ignẽ materia, cœperunt ebrietate obcæcati, olitorias, panitiaſque tabernas foro circumiectas demoliri: ad quem motum nocturni cuſtodes, publicique miniſtri accurrentes, eorum furorem minis, armiſque reprimere conati ſunt. ſed iam Dalmatæ ad tria millia in unum coiuerant, aliaque inſuper turba nouarum rerum cupida his ſe adiunxerat, cæſiſque cuſtodibus, ac ſpretis magiſtratibus pro animi libidine omnia agebantur: nam refringi iam tabernæ, proimæque domus cœptæ erant, & res ad apertam ſeditionem ſpectabat, inſignemque aliquam cladem ciuitas omnino eo tumultu adiiſſet, niſi Petrus Lauredanus, opportune præſtò affuiſſet, cuius nomine audito, ferunt, Barbaros cõtinuo exterritos tumultuari deſiiſſe, poſitiſque armis ad illius imperium gens indomita ſtatim ceſſit, ſummum enim uirum prudentia, conſilio, ac rerum geſtarum gloria terra, marique inſignem, tota ciuitas unicè colebat, accedebatque ad id, quód per uiginti, & amplius annos Remp. is domi, foriſque præclare adminiſtrans, Veneto nomini operam ſuam inceſſanter impertiit, nobiliſſimaſque uictorias adeptus erat, quibus ſummam ſibi authoritatem, & gratiam apud omnes comparauerat: nouiſſi-

No. de Gõzaga

Not. Piccinini ſtratagemma.

Not. Mellitæ ſingularem prudentiam.

Not. naualem turmam tumultuantem.

Not. Petri Lauredani authoritatem.

nouiſſimeq; iam grandem natu ſenatus eum Padanæ claſſis imperatorem declararat. Sed dum hæc domi fiunt, Piccininus quatriduo poſt pugnam ad Rhoadum cum Mellita commiſſam, ex colonia quadrato agmine ad oppidum acceſſit, eoq; ad deditionem compulſo, in Philippi fidem miro uictoriæ curſu uenere Bomadenſes, Paterniani, Monticulani, Guglanenſes, Omiani, & Brienſes, demum Iſeo expugnato, Tropienſes Piccininus in montibus ſubegit, & in planiciem Brixianorum deſcendens omnia in ea igni, ferroque uaſtauit. tum Mellita ratus, quòd erat, ad id ſolum hoſtem ſpectare, ut omni auxilio excluſæ Venetæ copiæ intra Brixienſem agrum famæ conficerentur, ex Barbari præfecti, aliorumq; Ducum ſententia, ſtatuit, tertia exercitus parte ad Brixiæ cuſtodiam relicta, quæ urbi præſidio in omnem euentum eſſet, clandeſtinè inſcio hoſte, cum reliquis copiis, quamcunque fortuna uiam præbuiſſet, per hoſticū Veronam tranſire. tertia itaque noctis uigilia cum quinque millibus equitum, peditumque tacite Brixia profectus, irrequieto curſu ad Mincii ripam peruenit, vbi uado ob magnitudinem aquarum fruſtra tentato, ne hoſtium ſubito incurſu, qui eà loca inſederant, opprimeretur, nihilo ſegnius, quàm uenerat Brixiam eſt reuerſus: parumq; abfuit, quin Piccininus eum interceperit, qui ignauiam ſuam ſæpe accuſaſſe dicitur, quod hoſtis è manibus ſuis elapſus fuiſſet. a Mellita interim noua eſt tranſitio tentata, diuerſoque itinere a priori copiæ ductæ: nam montes altiſſimi, ſaltusq; pene inuii, petiti, difficillimum tranſitum præbuere, primumque per Sabbinenſium uallem ad montana eſt progreſſum, ubi efferatiſſimi incolæ Venetorum hoſtes, extremum agmē in anguſtiis uiarum adorti, complures fœde trucidarunt, & iam diem unum fatigatus miles egerat, quum ſecunda noctis uigilia, ſequenti luce in altero mōtis iugo Mellita defeſſum agmen continuit, ibique quiete paulùm hominibus, ac iumentis data, ſuſpectis hoſtium locis, in tutum abire maturauit: & licèt properatum ſit, hoſtis tamē falli non potuit, qui arreptis ſtatim armis Tridentini Antiſtitis iuſſu, Venetum tranſitu impedire conatus eſt, multaque intulit furens montanus incommoda, diſcriminoſumq; præbebant iter inuiæ, & inacceſſæ rupes, hirtique callium tramites, ac torrentium ſubiectorū rapidi curſus. Alias quoque anguſtias Barbarus inſederat, per quas copiæ traducendæ erant, ingenſq; omnibus periculum imminere uidebatur, ſi quas præ manibus habebant, ingentes ſaxorum moles in ſubiectum agmen Montani deuoluiſſent. itaque mœſtitia, & deſperatio Mellitani exercitus animos cœperat, imminenſq; diſcrimen omnes perhorrebant. ſed Mellita, aliique ductores animis erecti, audendum aliquid in hoſtes rati, Caualcabouem, Rangonium, & Guidonem, impigros iuuenes cum trecentorum peditum manu in montanos ire iubent. ii autem per anfractus montium, & abrupta ſaxa latenter in eos illati, inermes, paucosq; iniecto metu imminenti iugo deiiciunt, quibus depulſis, per ocium hoc loco eſt agmen traductum. inde ad Thenium progreſſum, ubi ferox hoſtis ſubito è latebris erumpens ducentos equos Veneto ademit: demum poſt multos difficillimi itineris errores, in planicie Arcui ſubiecta Mellita cum inuicto agmine conſedit, tandiuque hic commoratus, donec exercitum reficeret. Ad Sarcā fluuium poſtea progreſſus eſt, qui nocturnis imbribus auctus nullo modo tunc uadari potuit, & in aduerſa fluminis ripa ex improuiſo ad impediendum tranſitū armati hoſtes apparuere, Duce Ludouico Vermio, qui a Piccinino per Benacum miſſus, eò celeri curſu uenerat, Penetranum quoque ſaltū hoſtes inſederant. itaque Veneti montibus, lacu, flumine, vndique incluſi, in extremo conſtituti erant diſcrimine, apparebatque actum eſſe de toto fortiſſimis uiris, quum a fronte, a tergo, a latere, & locorum iniquitate, & hoſtili ferro Venetus premeretur: decretumque eſt ex Ductorum omnium ſentētia, Leonardum Martinengum ad Vinciuerram Arcuēſium regulum mittere, quo iubente Penetrenſis ſaltus armatis hominibus inſeſſus erat, eumque Veneti Senatus nomine orare, ut pacatum per loca ſua tranſitum præberet. ille autem non modò id conceſſit, ſed continuo Martinengum, ſpreta affinitate, quam cum illo habebat, coniecit in uincula, qui poſtea Mantuam ſub cuſtodia miſſus, ibi uitam cum morte commutauit. Martinengi caſu Mellita, ductoreſque turbati, ferro ſibi uiam facere ſtatuerunt, uerùm tam iniquo loco pugna commiſſa, ingens omnino clades a Mellitanis ſubeunda erat, niſi Piloſus cēturio ſtre-

Not. Piccini ſucceſſus. — *Mellitæ conſiliū.* — *Not. difficile iter.* — *Montanorum uis.* — *Not. triū ductorum uirtutem.* — *Not. Mellitæ diſcrimen.* — *Martinengi exitus.*

nuam

nuam prius operam nauaſſet: nā ad Penetranum ſaltum cum delecta militum manu progreſſus, ad hoſtem fallendum noua arte uſus dicitur. quum enim ſaltum præſidio Barbarus teneret, per quem receptus in tutum parandus eſſet, nouum commentum Piloſus adinuenit, quo hoſtis ſaltu excederet. uiginti enim lectos pedites in nemore iugo propinquo ſub noctem occultiſſimè abdidit, iuſſitq; intentos expectare, ut quū uidiſſent hoſtem relicta iugi cuſtodia decedere, continuò locum occuparent, ipſe uero quaſi tranſitum deſperaret, luminibus per noctem accenſis, ſublatiſq; ſignis ſtatione digreſſus, finxit aliò flectere, longiuſque abire: tum noſtrorū profectionis ſpecie hoſtes decepti, ſaltus cuſtodiam deſeruere. Quo uiſo, uiginti illi pedites ex proximo nemore prodeuntes, iugum deſtitutum repente occuparunt, accurrens & ipſe ſtatim Centurio cum reliquis militibus affuit, atque ex ſuperiore loco cum ingenti clamore ſe hoſtibus oſtendit, quibus perterritis, ac fugatis, apertus, liberq; ſaltus Veneto patuit, atque ita unius Piloſi opere tot fortes uiri ſeruati, & copiæ per ocium, deluſo hoſte, in pacatum tranſmiſſæ ſunt. Blundus octingentos cerciter equites ait, ea expeditione amiſſos Paſius, & Mariotus in ſuis commentariis, nullam maiorem cladem acceptam præter paucorū equitum iacturam memorant. Sed dum hæc in mōtibus geruntur, Lauredanus Padanæ Claſſis Imperator, fruſtra copiis expectatis, quæ ei ab initio in naues fuerāt decretæ, infra Ficaroli mœnia diu ſubſtitit, nullaq; rei bene gerendæ occaſione oblata, hoſtium finibus abſceſſit. In Pado autem Gonzaga princeps, validiſſimas munitiones Venetæ Claſſis metu erexerat, nam apud Hoſtiliam, palis, ſudibusque profundo fluuio defixis ab omni armorum impetu Mantuanus ager ea parte tutus reddebatur: diſpoſitaque in utraq; ripa tormentorum ingens copia erat, tanta ratione, & ordine, ut nullum nauigii genus ſpacioſo flumine citro, vltroq; commeare poſſet, quod uicenis, tricenisque ictibus petitum, perfoſſumq; non demergeretur: & hæc circa padum. Interim Vrceos Philippus poſt longam obſidionem recepit, qui audiens Mellitanas copias per montes in pacatum abiiſſe, uehementer doluiſſe fertur, & quamquam appeteret iam hybernorum tempus, ad Brixiam tamen obſidendam Piccininum, & alios Duces ad ſe uocatos cum quàm maximis copiis ire iuſſit, nihil affirmans optabilius, gratiusque ſibi in uita contingere poſſe, quàm ut ſuorū Ducum uirtute, militum fortitudine, opulentiſſima urbe expugnaretur, quæ tanta ingratitudine uſa, a Vicecomitum Imperio defeciſſet, cupereque, rebellem populum meritam defectionis ſuæ pœnam ſubire. irent igitur, & Brixiam totis uiribus opugnarēt, ſperare ſe urbem Mellitæ præſidio, militumque robore deſtitutam, rerumq; omniū penuria, ac pæſtilentia laborantem aut ui, aut deditione breui in fidem ſuam redituram, vnde clariſſima vrbe ſubacta, bellica eorum uirtus, omnium ſeculorum memoria decantata, effloreſcet: nemoq; erit uel Dux, uel miles, uel Pabulator, & lixa, qui maxima in hac Brixiæ expeditione a ſe præmia non referat, modo omnes fidelem ſtrenuamq; operam ſuam præſtarent. his adhortationibus Philippus Piccininum, & cæteros ductores confirmatos a ſe dimiſit, ac ſtatim delectu habito, ſupra triginta armatorum millia contracta ſunt, quibus ad Brixiam admotis, graui obſidione urbem Piccininus adoritur, primumque diſpoſitis circa mœnia tormentis bellicis, ruina ingens murorum, ſtrageſq; hominum facta eſt, uariiſque oppugnationibus urbe tentata, magnos, feroceſque hoſtium pertulit inſultus, cæſique promiſcuè & ciues, & milites, pugnatumque nonnunquam fœliciter in hoſtē, nunc ex ipſis muris, & propugnaculis, interdum etiam crebris eruptionibus extra urbis munitiones factis, & quantū inter diu terribiles machinarum ictus demoliebantur, tantum noctu oppidani irrequieto corpore & animo nouis operibus reponebant, nec uirorum tantùm uirtus enituit, ſed fœminarum quoque militaris induſtria conſpecta eſt, inter quas Braida ex Auogara familia matrona illuſtris uirilem patriæ operam nauaſſe dicitur: erant autem urbis Præſides Chriſtophorus Donatus, & Fr. Barbarus, Senatores ambo ſapientiſſimi, populusque eos uniuerſus admirabatur, uiros Diis ſimillimos ueniſſe dictitans, qui armis, conſilio, ſolertia, & benignitate omnia uincerent. inualeſcentibus tamen tribus malis, ferro, fame, & peſte, ciuitas haud diutius incolumis ſtare potuiſſet, niſi eximia Fr. Barbari prudentia rem prope perditam, deploratamque ſeruaſſet. is enim

Not. Piloſi in fallēdo hoſte artē.

Scriptorū uarietas.

Padus a Gonzaga munitur.

Not. Philippi ad hortationes pro oppugnatione Brixiæ.

Not. Braidę de Auogarę fidē, & uirtutē. Chriſto. Donatus, Fr. Barbarus.

is enim ſingula obeundo eo,quo erat,animi uigore,circa mœnia,ac portas aſſidue uerſabatur,milites,ciueſq; in ſpem erigebat, hos præmiis, illos honoribus, laudibusq; proſequebatur. multa ad hæc prudenter finxit,callide excogitauit, fortiter geſſit, ut clariſſimam vrbem tot malis circũuentam Veneto ſeruaret imperio, in qua tuenda, quantum ille cum collega ſtudii,operæq; uigilantiſſimè impetiit, tantum hoſtis pertinaciſſimus quadraginta quattuor diebus in ea oppugnanda, curæ diligentiæq; adhibuit, manusque ſæpe cominus nudis aggeribus conſertæ, turribusque, ac muris complanatis,corpora ſua Brixienſes hoſtibus oppoſuere. Debaccante autem crudelem in modum peſtilentia, ita urbs infrequens aſſiduis funeribus reddita eſt, ut ex ſeptem millibus propugnatorum,quæ ab initio conſcripta fuerant,ad duo millia tantum cum Thadeo Eſtenſi Duce uiro impigro ad urbis præſidium remanſerint: qua militum,ciuiumque paucitate non parum audaciæ, ac ſpei Philippenſes animis concepere,ſi paulùm adniterentur,Brixiam poſſe expugnari: itaque aggeribus,uineis,cuniculis,aliiſque operibus bellicis ferocius,quàm antea Piccininus obſeſſos premere; contrà,intrepide Brixienſes hoſtium conatibus occurrere, excubare, ſpeculari, non pericula ulla,non labores ſubterfugere,multiſque urbis locis cruento ſæpius utrinq; Marte pugnatum eſt: prius uerò quàm metandis caſtris Piccininus rationem iniit, in eum operi intentum Thadeus Eſtenſis cum ſelecta militum manu ex urbe ſubito erupit,pluribusque ex hoſtibus aut occiſis, aut captis,re præclare geſta, in urbem rediit. ad eius uerò ſuperiorem partem,quæ montes orientem uerſus ſolem attingit,Piccininus caſtra metatus eſt,totius tamen militiæ robur ſub Italiano,Vermio,Seuerinateq; Ducibus ad Diuorum Apollonii, & Saluatoris ædes conſedit, allatæque ſunt ex Mediolano bombardæ quindecim immenſæ magnitudinis,quæ ferreas,lapideaſq; trecẽtarum librarum & amplius pilas emitterent: hiſq; ad Mombellanam turrim conſtitutis,ac die,noctuque ipſa quaſſantibus mœnia,adeò territi ſunt Brixiani,ut de dedenda urbe,conditionibusque accipiendis multi in circulis, domique clã inter ſe loquerentur, ſed præſidum authoritate motu compreſſo, ad priſtinam fidei conſtantiam omnes rediere: nam Chriſtophorus Donatus prætor uir præſtantiſſimus domi ſe continens,ciues,qui adirent,benignè excipiendo,multa polliceri, ac in bonam melioris fortunæ,& præmiorum ſpem erigere conabatur. Barbarus uerò uiuaci eius ingenio, & infracta animi magnitudine ſingula obeundo, ubique per omnes urbis partes diſcurrens,ciues,militeſque tanta ſpe,patriçque tuendç ardore inflammabat, ut omnes uellẽt per vulnera,& mortes bene de Rep. mereri: declarauereq; id duplici uno die oppugnatione: nam hoſtes ſummo mane Diui Andreæ ſolemnibus celebri egreſſi caſtris,Piccinini iuſſu, ut erãt armis cincti,ad Mombellanæ turris tumulũ, ruinaſq; rapidum conuolarũt, ac foſſam,quç exſiccata aquis,cratibuſq; ſtrata erat,prçtergreſſi, locum licet aſcenſu difficilem prius conſcendere, quàm occurrentes ex tempore noſtri prohibere potuerint. clamoribus ex inde exciti ciues, militeſque in hoſtẽ uno impetu ruunt. concrepant utrinque bombardæ,clanguntq; timpana, & tubarũ cantus cum magnis, horrendiſque pugnantium uociferationibus; tantuſque armorum ſtrepitus hinc inde erat, ut nullus aurium ad excipienda Ducum imperia, pugnanti eſſet uſus,oportueritque uel manu impelli,uel ſignificatione alia prælian tes ad officium debitum in pugna præſtandum commonefacere. acceſſit etiam Barbaro,Eſtenſiq; cohortantibus,inermis mulierum multitudo,ſenumq;, cæſos,uulneratoſq; ſuos a prælii loco amouentium,ut illi ſepulturæ mandarentur, & hi medicamenta ſuſciperent. ſed in hoſtium caſtris magna eorum cædes çdita eſt: nam eo in prçlio,quod a prima luce uſque ad meridiem eſt protractum,prçter innumeram ſauciorum multitudinem,quorum pars ſequentibus diebus interiit,ſupra ducenti ſunt ex Philippenſibus deſiderati, quum in urbe uiginti ciues,& fere totidem ex mercenario milite ceciderint. Sed Piccininus, ut uir erat ferox, Mõbellana oppugnatione intermiſſa,integra, recentique armatorum manu ſeptus, nouam ad Apollonianum pugnam inchoauit,in qua poſt utrinque cædes,& uulnera, magna ſtrage repulſi ſunt hoſtes. duodecim poſtea diebus militi quiete data, quibus tamen Piccininus, Italianuſque minime in ocio fuere,quum per collapſa,apertaque pluribus locis mçnia aditum exerci-

Not. peſtilentiæ uim

Th. Eſtenſis uirtus.

No. Bõbardarum magnitudiné

Pugna ad Mõbellanam.

Not. mulierũ ſenſũque uirtutem.

Hoſtium clades.

tui

tui ſuo facilẽ rem reddere conarentur è quattuor urbis partibus, ad Mõbellanam, ad Turrin longam, ad Apollonianum, ad propugnaculum Rauarotti, oppugnationem iterare conſtituere, ita ut uno tempore Brixienſes quadruplici prælio aggreſſi fatigarentur. quod ubi per exploratores cognitum eſt, ingenti ſtatim terrore ciuitas concutitur: ſed magiſtratus intrepidi ad defenſionem omne ſtudium ſuum conuertunt: ſacriſque rite peractis, inter ſe ſtatuere, ut Donatus prætor urbem luſtraret, unde minus periculum immineret, diligenterq; perſpiceret, ne quis tumultus, ne quis pauor in inermi, imbellique turba oriretur: Barbarus uerò ſummæ rerum præfectus, præſentia ſua & conſilio, periculis occurreret. And. Valerius patritii ordinis in foro cum armatis eſſet, Gerardus Dandulus Rauarotti munitiones tueretur, Thadeus Eſtenſis cum equitatu ad Forum Boarium conſiſteret: Mombelli uero cuſtodia Iacobo Hiſpano, & Turris longæ defenſio Mucino Lugenſi, ac Andreæ Leono demandatæ fuerũt. Igitur mane uix dũ exorto Sole idibus Decembribus, Piccininus eductum ſub ſignis exercitum, accitaque undique auxilia, ſupra uiginti armatorum millia acie ſtructa, tormentiſq; diſpoſitis in ciuitatis conſpectu ad Apollonianum ſtatuit; parſq; eorum ingreſſi foſſam, inde in Turaulum iuxta urbis mænia euaſerunt: quibus quum ab oppidanis impigre reſiſteretur, concurrerunt omnes inter ſe denſi, in globumque coacti, ibique Mars ſæuiſſimus inſæuiens plurimos ex utraque acie confecit: nam cominus in fronte conto, ueruto, vncis, malleis, ſecuribusque pugnabatur, aliaq; parte feruentem aquam, liquefactamque igne picem mulieres armis cinctæ è propugnaculis demittebant; conuolantes quoque iaculi, ſudes, & lapides grandiores magno utrinque nixu eminus iactabantur; unus tamen ex turris longæ promurio ex Bombarda lapis emiſſus ex horribili rei euentu, omnium mentes perculit. nam magno impetu ceu fulmen euolans ſeptem ex hoſtium numero lectiſſimos milites corripuit, quos, uiſu miſerabile, in plurima ſingulos fruſta, minutioreſque particulas membratim diſcerpſit, ac contriuit, in aeremq; miſerorum artus delati huc, & illuc uolarunt: id conſpicati milites, nullo Piccinini, aliorumq; Ducum Imperio retineri potuerunt, quin relicta oppugnatione ſe ſe in caſtra ocius referent, grauiaq; inſuper in Imperatorem iurgia effunderent, quòd tot fortes uiros, ob ineptam, ac ardentem libidinem ſuam potiũdę per uim munitiſſimæ urbis, internicioni expoſuerit. Altera per id tẽpus geſta ad Turrim longam a Philippenſibus oppugnatiò, minorem habuit ſtragem: nam priuſquam adueſperaſceret, reuocatis militibus, intermiſſa eſt: ſed quæ ad Rauarottum committebatur, ingentem bellatorum cruorem effudit, ea enim ad auroram cœpta, in ſerumq; diei perducta, tanto animorum ardore accenſa fuit, ut poſtquam haſtis, contiſq; armatæ acies pugnauerant, gladiis poſtea, pugionibuſq; rem gererent, præualebantque Italiani uirtute, & militum multitudine infeſtiſſimi hoſtis, periculumque ingens ciuitati ea parte mœnium ſucciſorum imminebat, tum eò accurrentes viri, feminęque hoſti ferociter repugnabant, tamdiuque certamen protractum, donec Scaramucia, Centurio fortiſſimus, quem Barbarus Bergomo acceſſierat, in tempore aduenit: iſq; ubi medio prælii ardore armatus apparuit, Philippenſes ſtatim conterriti è muri propugnaculis exceſſerunt, adeoque unus certamen reſtituit, quo per horam hoſtis ſuperior fuerat. ut Piccininus receptui canere coactus ſit, edixit tamen uir pugnax, & ira ardens, ut equites, pediteſq; armati mane ad eaſdem oppugnationes redirent. Diluculo itaque illi, ut Piccininus mandarat, ad ſigna conuenerunt, quos hortatus eſt ad ſtrenuam operam nauandam, in expugnanda opulentiſſima Ciſalpinæ Galliæ ciuitate, qua ſubacta, omnia illi fœliciſſimo uictoriæ curſu in Italia perdomarent, hoſtiumque opibus, quæ immenſæ ſunt, ditarentur, ſe nihil, & ipſum Mediolani Ducem aliud expetere, quàm inimiciſſimæ ciuitatis expugnationem, ex qua ipſis ampliſſimæ diuitiæ, Philippo, ac ſibi immortalis gloria pararetur. tum ſigno dato prima ad Turrim longã initur oppugnatio, uineæ, turreſq; manufactæ, ac cæteri armorum apparatus adiguntur. uis maxima fit in promurali agere capiundo, nec minori contentione reſiſtunt oppidani, caduntq; ex hoſtibus multi tormentis lacerati, ac telis; iaculiſq; plurimi uulnerantur: demum tantam ab hora tertia, qua pugnari cœptum erat, Brixianorum uirtutem hoſtes experti ſunt, ut re infecta magno ſuo cum incommodo ante meridiem

Oppugnatio ad quattuor urbis partes.

And. Valerius, Gerg. Dandulus.

No. hoſtiũ apparatus.

Not. præliũ atrox.

Not. bombardæ terribilẽ ictũ

Pugna.

Scaramuciæ aduentus.

Not. Piccinini ferociam.

Oppugnatio circa Turrim lõgam.

mœſti pedem retulerint: maiori autem conatu ad Rauarottum iterum oppugnatio in tentata eſt.nam Italiani ductu ſupra quingenti ſelecti equites fulgentibus armis tecti,

Pugna ad Rauarottũ

& galeis,triplici,quadruplicią; uerſicolori penniculo ornatis,in foſſa,& ſub plateis inter Rauarottum,& iacentem muri ruinam,in inſidiis latitabant. Dumque arma utrinque eo loco miſcentur,equites illi,quantũuis armorum,quibus toti tegebantur, pondere grauati,procurrẽtes per ruinas,& per ipſa fracta,collapſaą; mœnia in noſtros impetum faciunt, magnaque uirium procella inuecti,eos fatigant,iniectisą; ſuper aggerem uaſculis ſulphure plenis,ex his ſtatim ignis emicuit, & inter ipſa oppidanorũ , & militum crura paſſim effuſus,plurimos ex his ſemiuſtulatos corripuit, tantusą; terror incutitur, ut omnes ilico ad unum præcipites ſe ſe ex aggere deiiciere.

Brixina ex aggere deturbati.

Quo facto, liber tunc , & defenſore nudatus patuit Philippenſibus agger; nec tamen quiſquam ex his in eum conſcendit ; fumo exinde pulueris ſulphurei , qui incredibili denſitate aggerem obtexerat, in aera ſublato, uiſoque periculo, ne hoſtis eum occuparet, fœminæ , & inermis ſenum, puerorumque turba, quæ ciuibus , dum pugnabatur , arma ſubminiſtrabat , denudatum propugnatore locum conſpicati , clamores, ac maximos flebiliter ululatus attollunt, matres filios, genitores puellæ, maritos uxores,ſingulos compellantes prehenſare, flentesą; orare, ne in tãto periculo laboranti patriæ deeſſẽnt,qua capta,ſtatim ſe ante ora,in oculis ſuis ab irato hoſte trucidari, abduci, conſtuprari, ſupremoque affici dedecore ſint uiſuri . quibus permoti uocibus, fortes Brixiani in locum redeunt, præliumque ſolito acrius aduerſus Philippenſes inſtaurãt,qui aggerem iterũ conſcenderãt, accurrit & imperterritus miles,ſacerdotes quoque,& religioſi,ſago militari ſumpto,ferroą; cincti,egregiam, fortemą; tunc operam in conſpectu omnium præſtiterunt.

Hoſtes repulſi.

Demum ea fuit oppidanorum ac militum uirtus,ut magna cum cæde ex aggere deturbati,Philippenſes terga dederint.ultimoą; hoc conatu Piccininus Brixia potiri deſperans,obſidionem gemens,fremensą; ſoluit.

Brixia obſidione liberatur.

Hoſtium occiſorum numerus.

tunc Magiſtratus defenſam,tutatamą; ab hoſte potentiſſimo urbem in Deum optimum maximum referentes,ſupplicationes publicæ in multos dies, ſacraą; celebrari iuſſerunt,hoſtiumą; in hac Brixiæ oppugnatione duo millia , & quingẽti occubuere.nec Brixienſes cladis omnino expertes fuerunt,ex quorũ numero,& ex mercenariis militibus,ad mille periiſſe dicuntur;grauiſſimaą; trium prope menſium obſidio fuit,in qua fames,peſtisque graſſata , miſerabilem in urbe ædidit uaſtitatem . at hoſtis belli incommodis affectus , in hyberna conceſſit , qua occaſione Mellita uſus , ex Veronenſi digreſſus , Burgum , Coruariam , & Penetram ui cepit . Piloſusque in his expeditionibus, quum graue uulnus accepiſſet, paucis diebus extinctus eſt ;

Piloſi interitus.

ſed antequàm uita decederet, præſtantiſſimi ſtatim ex urbe medici a Senatu ad eum cubantem Veronam miſſi ſunt, qui medio itinere , nunciata eius morte , mœſti domum rediere . interim Patres Mellitæ abſenti, ob fidele,accuratumque in Rẽp.ſtudium , copiarum omnium imperium decernunt, hortãturą; eum per litteras,quando Brixia rerum omnium penuria laboraret,ut fideliſſima ciuitas commeatu iuuaretur,ipſeą; imperata facturus,maximam tritici copiam ſtatim per mõtes Brixiam importandam curauit .

Mellitæ copiarũ imperium datum.

uerùm hoſtis , qui rem præſciuerat, a ſpeculatoribus edoctus , ad Thenium Mellitanis obuiam factus,frumentatores omnes oppreſſit, atque ut in poſterum omnis auxilii ſpes commeatusą; facultas Brixienſibus adimeretur, hoſtes tria caſtella haud procul ab urbe , ad Nucem unum , alterum ad Cagros, tertium ad Toſecetum erecta,ualido firmarunt præſidio.

Frumẽtatorum oppreſſio.

Poſt hæc Italus Foroiulianus , qui frumentatores ad Thenium oppreſſerat, Paridem Ludronium Venetam ſequutum ſocietatem, magnamque armatorum manum ſecum habentem,aggredi ſtatuit : quod ipſum,quia aliquanto prius cognitum eſt,continuò ex Brixia Barbari iuſſu ſexcenti pedites ſub Gerardi Danduli ductu ad Paridem in ſubſidium mittuntur , ac nulla mora Dandulus profectus non procul a præſidio,quod ad Nucem erat Philippenſium equitum alam ſubito adortus , magna clade illata oppreſſit .

Hoſtium clades.

inde Tropienſibus, Guelfis, non paucis adiunctis, factum eſt, ut mille ſtipatus hominibus Dandulus ad Paridem uenerit : nec Italus & ipſe ſegnis deſedit . Nam ad duo millia agreſtium aduerſæ factionis ſecum trahens, cum ſexcentis equitibus

Italus.

leuis

leuis armaturæ,& magno mercenariorum militum numero in Venetum ibat. cœperatq; iam, Sarca fluuio ponte ſuperato, proximos montes aſcendere, ubi haud procul Paris,& Dandulus per occultas ualles inſinuati, cum copiis aderant; qui præſidium, quod hoſtis ad pontem reliquerat, adorti, momento temporis opprimunt; cæduntur q; Itali filius, iuuenis impiger,& Petrus Capocius Tridentinarum cohortium ductor. Accurrit interim Italus, cladis nuncio excitus, ac parata ad dimicādum acie ſigna infert: eum ueluti torrentem quendam rapido impetu montibus deiectum Paris fortiter excipit: nec ſolùm irruentis uim hoſtis ſuſtinet, ſed eum etiam æquata pugna atroci Marte fatigat, tribusque horis utrinque accerrimè erat dimicatum, quum Italus Veneto nimium urgente, qua proximum fuit, ſe in altiora loca ſenſim recepit, in extremumq; agmen Paris illatus multos hoſtium cepit, & occidit; & niſi noctis umbra, ac caliginoſa nubes trepidantem, cedentemque hoſtem obtexiſſet, inſignem omnino cladem is accepiſſet, quam tamen poſtera luce euitare non potuit: nam Paris ſequenti mane uix diluceſcente aurora ſtructam aciem in Philippenſes ferociter immittit: nec hoſtis pudore uictus pugnam detrectauit, ſed diſpari animo res gerebatur, quum Paris heſterno ſucceſſu audacior redderetur, contrà, non parum recentis cladis memoria hoſtem turbaret. Pugnatum eſt tamen aliquandiu acerrime, multique ex hoſtibus prius occiſi ferro occubuere, quàm ullam fugam fecerint. Victa tandem ualidioribus Ludronii armis eorum pertinacia, terga uertunt, præcipitesque, ac ſolutos ordines agit Paris. Ingens autem agreſtium cædes a Guelfis auxiliaribus ædita eſt, multi obtruncātur, multi capiuntur, nam in uictorum manus mille ex hoſtibus uiui, miſericordiam implorantes, uenerunt, totidemq; in prælio deſiderati. At Italus perditis rebus per aſperos mōtes fuga elapſus, Ripam oppidum petiit, quò multi poſtea equites, peditesque è prælio ægre peruenere. His auditis Piccininus ira percitus, conuocatis ad ſigna militibus, qui in hybernis erant, per Sabbiorum uallem ſuperatis aſperrimis iugis montium Ludronium contendit, oppidumque in Paridis inuidiam intra quintumdecimum diem armis ſubegit: inde Romanio fruſtra oppugnato, Veneti excercitus metu in Benaci orā hybernatū profectus eſt. Vita interim deceſſit Pet. Lauredanus, fluuialis claſſis præfectus, uir rebus geſtis maximè clarus, qui nudis calcibus,& ſaxo ad caput conſtituto (ut teſtamento mandarat) ad Helenæ ædem elatus eſt: reliquitq; poſt ſe Iacobū filium, paternæ uirtutis cunctis in rebus æmulatorem,& hæredem, cuius bellica,& togata opera Reſp. ſæpe uſa eſt. Eodemque tumulo patris,& filii oſſa conduntur; in quo huiuſcemodi epitaphium inſcriptum legitur, *Vtriq; patri,& filio, Petro,& Iacobo Lauredanis, ambobus viris ſummis, et triumphatoribus, procuratoribus. S. M. Imperatoribus fortiſſimis, pacis, belliq; artibus clariſſimis: alter uirtute ſua Dalmatas domuit, expugnato munitiſſimo Tragurij oppido, Turcas,& Genuenſes fregit, formidoloſus vtriſq; duplici uictoria: altera ad Garipolim, altera ad portum Delphinū: demū bello Philippico Padanæ claſſis præfectus per inſidias hoſtium ueneno ſublatus, ætatis ſuæ anno ſexto, et ſexageſimo: Alter autē uel rerum geſtarum magnitudine, uel munerum uarietate tanto parenti par, Reip. nunquam non bellator ſimul,& conſultor illuſtris, exanimatam,& ruentem Græciam Conſtantinopolitana clade ſuſtinuit,& recreauit; prædatorias naues Turcicas ad duo de uiginti captas incendit; Rhodios contumaciter ſe habentes, claſſe cinctos, imperata actutum facere coegit; mare infeſtum prædonibus expurgauit: ſicque tertium Imperator virtutis ſuæ fama,& ſplendore nominis terrori fuit hoſtibus, prodire in aciem eo imperante non audentibus, ut quam fortuna patri conceſſerat, formido hoſtilis filio benegerendæ rei ademerit occaſionem, uixit innocentiſſimè, conceſſit naturæ, annum agens quintū,& ſeptuageſimū, chariſſimus, et optatiſſimus patriæ: quod funeris ſui mærore declaratū eſt. Ant.& Pet. Lauredani, nepotes,& filij, pietiſſ. poſuere.* In demortui igitur Petri locū Stephanū Cōtarenū patres ſurrogarūt,& ex Senatus decreto Pet. Zenus cū noua claſſe in Benacū mittitur, ut facilius duplicatis uiribus, cōmeatu per lacū importato, Brixiæ iam fama laboranti ſuccurri poſſet. ſed id unū quærebatur, qua nā

Noua clades.

Paridis ſtrenuitas

No hoſtiū cladem.

Ludroniū ab hoſte captum.

Pet. Lauredani interitus.

Iac. Laure danus.

Epitaphiū

Steph. Cōtarenus.

ratione claſſis in eo lacu pararetur, quum non ſyluæ eſſent, non nemora, non flumina, per quæ naues eò atrahi, nec minus ædificari poſſent. tenueratq; ea conſultatio ali quot dies, dubiique patrum animi uaria inter ſe agitabant, quando uir Grçcus ex Creta oriundus, Sorbolus nomine (explorarat is prius loca) ad patres in curiam acceſſit, pollicitusque aſſeueranter eſt, ſe curaturum, ſi ea ſibi traderentur, quæ ad rem tranſigendam eſſent neceſſaria, ut ex urbe naues in Benacum ſine dubio traducerentur: quod ipſum, quia arduum, & difficillimum omnibus uidebatur, quum per ducenta, & amplius paſſuum millia, per crepidines, montiumque iuga nauigia attrahenda eſſent, pro garrulo & deliro Græculus primùm haberi cępit. ſed quum non uulgare hominis ingenium multi apud patres ſummis laudibus commendarent, perſuaſus Senatus id negocium illi demandauit, quo alacri animo ſuſcepto, opus ſtatim homo impiger aggreditur, atque omnium primùm, paratæ, eductæque ſunt è Nauali duæ triremes, quattuor celoces, & cum his Scaphæ uigintiquinque, Veronamque uſque Atheſi fluuio pertractæ, inde binis, quaterniſque iugatis bobus terreſtri itinere, Sorbolo inuentore Duce, ad Mauri Pagum peruenere; hinc poſtea triremium moles ſubiectis lapſibus ingenti operariorum, iumentorumque nixu ſex paſſuum millibus per plana ferme loca in diui Andreæ lacum perducitur; reliqua minora nauigia curribus, plauſtriſque innumeris conuecta. imminebat autem lacui rupes ſcabroſa, & aſpera; ad eam uerò complanandam ingens agreſtium manus eſt adhibita, ut facilior tranſitus mitigata rupis illius aſperitate nauium traductioni pateret, quæ deinde ex lacu in aduerſum iugum attractæ, laborioſum, difficilemque aſcenſum habuere. eſt namq; montis horribilis aſperitas, ubi cautes, tumulique prominentes inuios, præpeditoſque tramites reddunt. Riuulus quoque per abrupta ſaxa præcipiti lapſu decurrens, montis decliuia ſcindebat, uadoque ob aquarum excreſcentiam ablato, iniectis glebarum molibus, arborumque ſuccisarum truncis, peruius redditus eſt, naueſque in hunc maxime modum poſt grauem operariorum laborem in ſummum montis dorſum per trahuntur. ueſtigiaque adhuc quædam, & quaſi uetus orbita per ipſam iugi coſtam apparere dicuntur, quod memorabile omnibus ſeculis erit. nec minus poſtea in deſcenſu laboratum ferunt, quum difficilem, lubricumque lapſum ex alto moles tanta haberet, certumque ob oculos omnium periculum uerſabatur, ne in præceps illa per abrupta montis acta ſubiectis cautibus illideretur. uerùm Græculi diligentia multis, firmiſſimiſque funibus alligatæ ſingulæ naues pedetentim in planum demiſſæ ſunt. Itaque tertio menſe, poſtquam Venetiis abductæ erant, fluminibus, montibusque magno labore ſuperatis, in Turbulanum portum peruenere, ubi reparatis nauigiis, longo itinere, terreſtribusque incommodis, concuſſis, in unum claſſis contrahitur, quæ, ut tutiorem ſtationem haberet, præſidio, munitioneque circumſepta eſt. Nec hoſtis ſine claſſe & ipſe lònge aberat, qui galeones, & Ganzariolas aliquot ad Riuoltellam tenebat, lacuſque fere omnis Philipenſibus armis occupatus cuſtodiebatur, ut difficillimum prorſus eſſet, inuito hoſte, aliquam ferendi Brixiæ opem. Imminebat itaque fideliſſimæ urbi ingens omnino periculum, dum aduerſis Venetorum rebus fortuna benignior arriſit: nam Nicolai Eſtenſis Principis conſilio, Florentinorum, & Sforciæ ſocietas tentata eſt, ad quam Veneti ſtatim reſpicientes, ad utrunque legationem decernunt, Ioannes Piſo in Picenum, ad Sforciam mittitur, & Iacobus Donatus Florentiam. Neque enim dubium eſſe uidebatur, ſi priſtina cum his fœdera Veneti inirent, fore, ut è manibus hoſtium uictoria extorta, fortunatiorem bello ſortirentur euentum. Facile autem Sforcia a Philippo alienatus, nouam ſocietatem amplexurus credebatur, quum is ob filiæ Blanchę matrimonium uariis cauillationibus ſæpe deluſus, parum amico, pacatoque in Vicecomitem animo eſſet. ubi uerò oratorem Venetum ad ſe cum mandatis Senatus uenientem Sforcia audiuit, comprobatis fœderibus, Venetam ſtatim ſocietatem complexus eſt. Iraſque maiores ferociſſimo iuueni recens ſuſpicio addidiſſe traditur. Ferunt, Nic. Piccininum Brixiam oppugnantem rogatum a ſuis ſæpe fuiſſe,

quid

Sorbolus.

Claſſis in Benacum miſſa.

Not. locorum aſperitatem.

Hoſtium claſſis.

Io. Piſo. Iac. Donatus.

Nouum cū Sforcia fœdus.

quid eſſet, quod ipſe tanta pericula ſubiret, quum urbem illam, ſi expugnaſſet, ac cæteras, nō ſibi, ſed Sforciæ, qui futurus eſſet Philippi hęres & gener, Mediolaniq; principatus ſucceſſor, parari non ignoraret: tum Piccininum palàm ad eos conuerſum dixiſſe, Pergerent modò ipſi urbem expugnare, qua capta, prius, inquit, arma noſtra in Piceno erunt, quàm calamiſtratus ille ſponſus aſtutura ſuſpicari poterit, tū ibi ego, ſponſa, & uos militari ſagulo poſito, ephœbi ſaltatores eritis. Ea ubi Sforcia reſciuit, uehementer iratus, cum Veneto ſtatim fœdus iniit: ad Florentinos quoque miſit, ut in nouam ſocietatem eos ſecum traheret.

Not. Piccinini dicacitatem.

illi autem, Iacobo Donato oratore ſuadente, Sfortiæq; adhortatione permoti, Eugenio quoque Pontifice, qui tum Florentiæ erat, authore, cum Veneto, & Sforcia in quinque proximos annos fœdus renouarūt, in quo ſanciendo hæc in primis ſolēni ſtipulatione expreſſa ſunt, ut utriuſque populi ſocius, ac copiarum omnium Imperator Sforcia in Italia aduerſus Philippum, & confœderatos eius eſſet, cui ſingulis menſibus quattuordecim aureorum nummum millia ſtipendium penderetur, quorum nonaginta millia Florentini, reliquum Veneti perſoluerent, atque ut ipſe continuo paratis copiis ad Venetos bello leuandos in Galliam tranſiret: quæcunque autem ex Philippi ditione armis quærerentur, pręter Cremonam, Cremam, & Piſcheriam, quæ Veneto Imperio crederent, reliqua Sforciæ, & ſociis quæſita eſſent.

Conditiones fœderis.

Aſcriptus eſt quoque belli ſocius Nicolaus Eſtenſis, qui Borſiū filium, cum mille equitibus in caſtra miſit. Fœdere per totam Italiam uulgato, Philippus non parum animo turbatus eſt: nam Sforciæ norat militaris rei ſcientiam, Venetorum opes, Florentini populi ingenia, at Piccininus nil cunctandum ratus communicato cum Mantuano principe conſilio, de Atheſi ſuperando cogitare cœpit, ut in Vincētinum, aut Patauinum agrum bello tranſlato res Venetas ex propinquo grauius infeſtaret. Interim Petrus Zenus, qui ad Turbulas traductam (ut diximus) per montes claſſem habebat, lacu ad Ponulis fluuioli oſtium ſuis aperto, non nihil frumenti a mercatoribus clandeſtine emptum, per aſperos primùm montes deuectum, inde Brixiam nautarum humeris deportandum curauit, quo ciuitatis inedia aliquantulum ſubleuata eſt.

Petrus Zenus.

Dum hæc in Benacho geruntur, Piccininus deſtinatam expeditionem proſequens, ad Atheſim copias admouit, ubi in aduerſa ripa tranſitum eius impedituri, And. Donatus, & Hier. Contarenus uiri impigri a Senatu miſſi cum ſubitario milite conſtiterāt.

And. Donatus, Hiero. Contarenus.

Gonzaga interim pluſquam hoſtili animo Venetę rei infectus, duo de triginta Galeones, ex Hoſtilia per Tartari fluminis oſtium in paludes apud Leniacū traſduxit: nec procul hinc uligine purgata, humoque defoſſa, uadum nauibus in Atheſim aperuit, & ad Caſtagnarium uicū primi progreſſus hoſtium fuere. Sed ibi Veneti multorum lintrium, ac celocium claſſem, ſub Marini Contareni, & Ludouici Mollini præfectorū auſpiciis habebant, qui ferociter hoſti occurrentes, eum inde depulerunt: ille autem ad Maloperæ uada profectus, nullo prohibente, octo galeones in Atheſim perductos immiſit, ad milleq; in ulteriorem ripam milites, expoſiti ſunt, in quos Tybertus Brandolinus cum trecentis equitibus, & ipſi claſſis ductores impetum facientes, cruentam pugnam ædiderunt, qua multa utrinque cæde facta, hoſtis deſperato tranſitu, ad Sanguinetum ſe recepit, tumultuaria quoque hìc ædita pugna Contarenus tragula ictus occubuit, & Brandolinus ex acie ſaucius receſſit.

Tybertus Brandolinus.

Contarenus cadit.

In Contareni autem lo cum Darius Maripetrus a Senatu extra ordinem creatus, in prouinciam uenit, & Mellita ex Penetra cum octo equitum millibus, & ſex peditum affluit.

Darius Maripetrus.

Interim Piccininus quadraginta circiter æneis machinis in Atheſis ripa conſtitutis, Venetā claſſem a curſu auertere tentauit, unumq; ex Darii galeonibus tormentorum ictibus perfoſſum, in hoſtium poteſtatem uenit, ex quo cæteri perterriti ceſſere: ac ſtatim Venetorum motu animaduerſo hoſtes non cunctandum rati, ſuas per Panegum amnem naues per ocium in Atheſim traduxerunt. tum Mellitanus miles, qui aduerſam ripam præſidio tenebat, inimicæ claſſis impetu non expectato, pauore, fugaq; diſſipatur abiit: ita turpi ignauia apertus eſt hoſti tranſitus, in Venetos fines irrumpendi: nam Piccininus ſtatim Atheſi ſuperato, Leniacum munitiſſimum in Veronenſi oppidum adortus, deditione ciuium uoluntaria in ſuam redegit poteſtatem: quo capto, in Vincentinos, Patauinosque fines uictor irrupit, & ad Caſtrum Baldum ſignis admotis, aliquandiu ibi labo-

Piccininus in Venetus fines tranſit.

Not. hoſtium ſucceſſum.

laboratum·inde eo capto, miro uictoriæ curſu tota regione præſidio nudata, Leonicum, Maroſtica, Brendulum, Monticulum, Aricianum, Monturſum, cũ Dreſini valle hoſtes ſubegere: ad maioraq; animum adiicientes, Veronam caſtra admouerunt: ubi Chriſtophorus Tollentinas cum valida militum manu ad præſidium aderat. in magnoq; diſcrimine tantis hoſtium ſucceſsibus res Veneta conſtituta fluctuabat, ad diuinamq; opẽ ciuitate recurrente, Laurentius Iuſtinianus Patriarcha, vir ſanctiſſimus, ſæpe publice rogatus eſt, ut Deo preces effunderet, quibus flagrantiſſimi belli turbinibus Reſp. eriperetur, ſaluaque fieret: unde ſanctiſſimi patris orationibus ciuitas cœleſtem plerunque in aduerſis rebus ſenſit opem. is poſtea poſt mortem miraculis clarus, in beatorum numerum relatus eſt, aramq; ei in Diuæ Mariæ horti æde Federicus Renerius Senator clariſſimus ritè dicauit: memoriaq; eius octauo Ianuarii menſis die magno ciuium concurſu quotannis pia deuotione celebratur. Scripſit autem uir ſanctiſſimus cõplura ſacra opuſcula, de ligno uitæ, de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis, de ſpirituali & caſto uerbi, animæq; connubio, de faſciculo amoris in cœna Domini, in quibus omnibus ſingularis eius religio, deuotioque ſpectatur; & quod mirum, ſupraque humanum haberi debet, quum uix ille ob corporis imbecillitatem, prima litterarum rudimenta a præceptore perdiſciſſet, multa tamen elegantia, eruditio, cultusque ſermonis, & Theologiæ ſplẽdor ſcriptis ſuis ineſt, ut infuſam è cœlo propè doctrinam, ſapiẽtiamq; hauſiſſe ipſe credatur.

Laur. Iuſtiniani Patriarchæ in Deum pietas.

Fed. Renerius.

Not. mirũ de Patriarcha Iuſtiniano.

At Mellita cũ exercitu ad Apponi balnea conſedens, in omnes occaſiones intẽtus euigilantiſſimusque ſtabat: interim circa Benacum a Venetis fœliciter in Philippẽſes eſt pugnatũ: nam Foroiulianus Italus ex Salodio cum delecto peditatu, equeſtriq; ala mouens, Venetum Maderno, Penetra, Turbulisque armis deiicere ſtudebat: contrà cum Guelphorum multitudine, ac mercenario milite Petrus Aduocatus aderat, ad prohibendos hoſtium conatus. Ad Madernum itaque inimicæ acies progreſſæ atroci prælio decertarunt, medioque pugnæ ardore Zenus, qui Venetæ claſſi in lacu præerat, proximo loco naues ſtatim applicuit, hoſtemque ex his iniuriæ expoſitum tormentis, miſſilibusque grauiter inceſſere cœpit, pugnatumque eſt a tertia diei hora vſque ad ueſperam: inde Aduocato, Zenoque vrgentibus, dum ſenſim Italus ſuos a prælio reuocaret, per anguſtam cliui ſemitam ſolutis ordinibus ex acie exceſſit tum aperta fit fuga, victorque Venetus multos trucidat, plurimos conſauciat, quadringentiq., et amplius capiuntur, in quibus quinquaginta circiter uiri genere, factisque illuſtres fuere: ex Piceno autem iam Sforcia mouerat, vt in Galliam ad demandatũ Imperium tranſiret: nam trepidiſsimis afferebatur nunciis, hoſtes Atheſi ſuperato, omnia ferro, ignique in Veronenſi, Vincentinoque uaſtare: Patauinam quoque rem in periculo eſſe. his auditis Sforcia flexo a Rauenna curſu ad Ronchanum pontem citato agmine contendit. inde Guidone Fauentino, & Franciſco Piccinino, intra Forliuii mœnia compulſis, quinto pòſt die, quàm eò acceſſerat. Sextis caſtris Bondomium uenit: hinc ſecundo Pado per Ferrariam patentibus portis Adriam ſe cõtulit, unde Adriaticum mare appellatũ: per littoraq; itineribus reliquis Mediterraneis ab hoſte infeſſis, traducendus in Patauinos fines erat exercitus: ſed quattuor ingentia uada occurrebant: multis ſiquidem locis tractus ille littoralis, aut fluuiis in mare labentibus, aut pelagi æſtu perrumpitur. Tranſitus itaque, Senatus iuſſu, quattuor pontibus ſtatim extructis paratur. ad Gorium primò uentum eſt, ubi duo & triginta longiores ſcaphæ anchoris fundatæ, ſtabilem pontem effecere: alterius uadi tranſitus ad Fornaces fuit, quattuor & quadraginta lintribus ibi pons inſtitutus: qui ad euitandas hoſtium inſidias & tumultuarios inſultus, duodecim galeones armis, & propugnatoribus inſtructos habuit: tertius ad Atheſis oſtium circa foſsiones octuaginta ſcaphis, aſſeribusque firmiſsimis eſt compactus; quo ſuperato, ad Brundulanum uadum omnium latiſsimum Sforcianæ peruenere copiæ. hic ponte nonaginta nauium fabricato, ſecus maris littora equites, peditesque Clodiam ſunt traiecti. nec mora, trecẽta a Venetiis nauigia ad conuehendas in continentem copias affuere, quibus Sforcianus eques, turbaque peditum excepta, per ſtagna ſecunda aura deuehitur. Iucũdum autem ſpectaculum ipſi Duci, militumq; vulgo tot uolitantia reddebant nauigia: mille ad hæc minores cymbæ oſti-

Itali hoſtium Ducis clades.

Sforciæ ad Venetos acceſſus.

Not. pontes in traiiciendis copiis.

bæ officii cauſa illi obuiam proceſſerãt; miſſi quoque publico nomine aliquot patricii, qui fœlicem Sforciæ acceſſum gratularentur, amplaque munera detulerunt. continuata itaque nauigatione ſub occaſum Solis, ad Cõchas Patauini agri locum expoſitus eſt in terram exercitus: qui ſex millia, ducentos & quinquaginta cataphractos, leuisq́ue armaturæ equites, pedites uerò mille & ſexcẽtos habuit. alii, quattuor equitum millia, ac duo peditum fuiſſe tradunt. At Sforcia, ubi copias in continentem expoſuit, quicquid Venetarum virium diuerſis locis diſperſum erat, in unum ſtatim cõtrahit. Mellitaq́ue poſtridie cum duodecim millibus peditum, equitumq́ue ad Sforciam uenit. in Colonienſi autem agro ipſi Duces caſtra contulerunt, ubi recognito exercitu, quattuordecim equitum millia, atq; octo peditum cenſa, numerataq́; ſunt: & cum his copiis Sforcia quàmprimum dimicaturus in hoſtem mouit. Interim Brixienſes fame, peſtilentiaq́ue grauiter laborabant, circumſeſſisq́ue ubique itineribus vrbs, Itali armis ita uexebatur, ut parum meliori eſſet conditione, quàm antea fuiſſet, quum Piccininus & Gonzaga eam graui obſidione premerent. uictiq́; tot malis ciues feciſſent tandem deditionem, ni Barbarus diuino ſuo ingenio, authoritate, prudẽtia, eam rerum difficultatem opportune, ac mature ſuperaſſet: nam ut incredibili animi uigore præſtabat, cunctis malis ſapientiſſimè occurrit. ipſe ad alendum mercenarium militem, qui iam ob ſtipendium diu non ſolutum in ſeditionem uerſus tumultuabat, pecunias miris modis hinc inde coegit, pariq́ue conſilio, & induſtria, a valliũ, montiumq́ue incolis, rapas, nuces, caſtaneas, aliaq́ue frugum genera ad leuandam famem expreſſit, hoſtem quoque nunc hæc fingendo, nunc illa diſſimulando ludificabatur: & quum atrox peſtilentia, lueſq; in miſeram graſſaretur ciuitatem, nullius ipſe congreſſum, aut colloquium declinabat, prandebatq́ue in aperto, patefactis omnibus horis prætorii foribus: nec in eius menſa, triclinióue alius unquam panis conſpectus eſt, quàm ordeaceus, aut furfureus, & ad noui commeatus ſpeciem populo oſtẽtandam, frequenter Calones pro frumentatoribus ſaccos palea refertos uehiculis, iumentisq́ue ferentes induxit: & litteras ſagittis alligatas clanculum propugnaculis, aggeribusq́ue affixit, quibus ciues ab aliquo hoſpite, qui in hoſtium caſtris erat, admoneri uidebantur, ut nullam ſpem ueniæ haberent, ſi Brixiam Philippus aliquo modo occupaſſet. ſtatuiſſe enim eam urbem non ſolum funditus euertere, ſed ciues cũ uxoribus, & liberis trucidare, delereq́ue in defectionis ultionem Brixienſe nomẽ. His artibus Barbarus uſus, cõmiſſam urbem aduerſus hoſtium conatus, fortunæq́ue minas egregie tutatus eſt; atque, ut Philippenſes aliquo incommodo afficeret, emiſſis ab urbe aliquot militum cẽturiis ſub Petri Auogari auſpiciis, duo hoſtium caſtella ad Crucem unum, alterum ad Mompianum demolienda curauit. Salodium quoque armis recipere Veneti tentarunt, Thadeusq́; Eſtenſis cũ trecentis equitibus hanc expeditionem ſuſcepit: pariq́ue fermè montanorum numero Aduogarus affuit unà cum Theoſaluio Centurione uiro fortiſſimo. At explorato Italus Venetorum conſilio cum delecta equitum, peditumq́ue manu tacite Fœlicianum conceſſit: ut Salodienſibus opem ferret in quem Brixienſis magno impetu irruens, ſigna ferociter intulit. excepit autẽ ille pari audacia hoſtilem aciem, contractoq́; ſub oppidi mœnibus prælio, quum a prima ferè diei hora uſque ad meridiem atrociter utrinque dimicatum fuiſſet, Venetus pugnandi feſſus è prælio ſenſim excedere cœpit. in eum pedem referentem tãtus impetus ab Italo milite factus eſt, ut ſolutis ſtatim ordinibus, terga noſtri dederint, & Gauardum oppidum, paucis amiſſis Thadeus inde Brixiam perpetua fuga in tutum abiit. Sforcia interim iunctis cum Mellita copiis, in hoſtem ſigna, armaq́ue ocyus conuertit, qui ad Veronã caſtra admouerat, mœniaq́ue bellicis operibus quatiebat. Piccininus de Sforciæ aduentu certior factus, ſoluta ſtatim obſidione, cum omnibus copiis Suauium proficiſcitur, ibique foſſa ingenti per quinque paſſuũ millia ducta, obiicibus, propugnaculisq́ue erectis, Sforcianarum copiarum impetum ſuſtinere facile poſſe ſperabat. Ille interea Leonicum acri oppugnatione adortus, oppidum in monte ſitum poſt longum certamen, cædemq́ue utrinque factam, in hoſtium conſpectu uicœpit. inde Sforcia quadrato agmine in Piccininum ferociter mouit: & ad Roneam cum eo congreſſus, circa præſidia, quæ ille aliquanto prius in prominentibus, aſperiſq́ue

No. cymbarũ multitudiné.

Not. Venetorum copias.

Not. graue Brixiæ conditionem.

Not. Fr. Barbari miram ſapientiam.

Veneti clades ad Salodium.

Sforcia in Piccininũ

Leonicũ a Sforcia captum.

riſq́ue

riſque iugis firmarat, acri prælio pugnauit, æquatoq; certamine ſub noctem uterque Dux receptui cecinit. ſed Veronam Sforcia ingreſſus, haud intra mœnia diu ſedit, in campo Martio, qui proximus mœnibus urbis adiacet, confligendi ſtudio caſtra me tatus eſt. Piccininus uerò, qui circa Porcilium conſederat, incertos Martis caſus reputans, tranſmiſſo ſtatim Ponte Atheſi, cum omnibus copiis Vigaſium in Mantuanos fines raptim abiit. tum Sforcia retro conuerſus, Suauium obſidione cingit: quo armis

Suauium captus.

recepto, omnia circa Atheſim poſtmodum loca, in fidem Venetam rediere. Hinc Benacum uerſus caſtra mota ſunt, Bardolinumq; fruſtra oppugnatione tentatum: nam hoſtium ualida claſſis ad oppidi defenſionem haud procul aberat. quo accidit, ut ubi Sforcia cognouit, auxilia amne affatim ſubuehi, ſoluta obſidione inde receſſit. poſtea quum Brixia adhuc fame laboraret, cepit Barbarus conſilium ad aperiendam lacus

Venetorũ expeditio.

uiam, ex qua commeatu urbs iuuari poſſit, hoſtilis claſſis partem ad Salodium comburere. Thadeus igitur Eſtenſis, And. Valerius, & And. Leonus, cum equitatu, peditatuque eò tacite mittuntur. Zenus quoque nauium præfectus, monitus eſt per litteras, ut & ipſe maturo claſſis acceſſu adeſſet, remq; fortiter gereret, terreſtremq; expeditionem opportuno auxilio iuuaret. Piccininus, & Gonzaga, re per exploratores percepta, ex Vigaſio ſtatim cum equitibus ducentis, per Piſcheriam ad Fœlicianum contendunt, iungenteſq; ſe Aloyſio Seuerinati, & Italo Foroiuliano, tripartito ad Venetos

No. hoſtiũ inſidias.

opprimendos mouerunt, Seuerinas enim in naues impoſitus, quo erat ardore ſpiritus, iubetur rem aquis gerere: Italus Madernianos montes cum peditatu tenere, Gonzaga, & Piccininus uia a lacu remota equeſtre agmen ducere. His clam paratis, hoſtium claſſis Venetam repente adoritur: & Zenus Seuerinatem intrepide excipit, eodemq; temporis momento ex continenti Eſtenſis ad ſuorum auxilium inſtructam aciem cõ

Prœliũ nauale & terreſtre.

citat, tum undique hoſtes a fronte, & a latere coorti, in Venetos cum magno clamore irruunt. Suſtinet Thadeus fortiter Philippenſium impreſsionem, ſuoſq;, quantum poteſt, vi, hortatione, manu, ferroq; tutari contendit. ſed Piccininus, & Gonzaga in acie conſpecti, tantum terrorem iniecere, ut momento temporis & claſsis, & terreſtres

Venetorũ clades.

copiæ ab hoſte profligantur, capiunturque Eſtenſis, Valerius, & Leonus, duæ inſuper triremes, celoces quattuor, & Ganzariolæ quinque in hoſtium poteſtatem uenere cũ ipſo Zeno præfecto. Maderniana quoque arx poſtridie, quàm male pugnatum eſt, ab hoſte occupatur. Ea clades Venetiis nunciata, ingenti mœſtitia ciuitatem affecit: uerũ patres, ne ob id animũ remiſiſſe uiderentur, continuò noua Claſſe decreta, illatam ulciſci iniuriam ſtatuunt, confeſtimque uarii generis nauium apparatu delecto, eas in Benacum traducere diuerſa ratione ab illa priori curarunt. ſoluta enim materia ſexcẽtis, & amplius plauſtris claſsis illa Turbulas conuecta eſt, ubi maximo ſtudio è Veneto nauali opifices, peritiſsimique fabri triremes octo, galeones totidem, ac celoces

Noſ claſsẽ in Benacũ miſſam

quattuor ocyus inſtruxere: quæ omnia nauigia ſub Stephani Contareni imperio in Benacum traducta ſunt. cæterùm Brixiæ periculum patres maxime angebat: urbs enim diu hoſtium incurſionibus fatigata, ad ſummam rerum omnium inopiã redacta erat. mittunt itaque illi ad Sforciam, qui publico nomine hortẽtur, ut priuſquam in hybernna, cum exercitu concederet, quorum iam tempus appetebat, laborantem fame fidelisſimam ciuitatem commeatu, ac præſenti aliqua ope leuaret. Interim Piccininus, qui traductam in Benacum his diebus Venetam Claſſem reſcierat, ut eam in aliquod periculum, inexpectatamque cladem coniiceret, prima noctis uigilia Ripa oppido cum ſelecta militum manu profectus, aperta ſecundum Benaci littus uia progreditur, triremem que unam ibi in aquis paratam igni corrumpere tentauit, ſed quum locum

Piccinini clades.

Troilus uir acer præſidio teneret, in Piccininum ferociter illatus, eius impetum non ſolùm ſuſtinuit, ſed hoſtem fuſum, fugatumq; magna clade profligauit. Piccininuſq; ipſe media pugna equo a gregario milite deiectus, ægre ſeruatus eſt, & ut tutior ſtatio claſsi redderetur, Sforciæ iuſſu negocium Mellitæ datur, qui locis ipſis præſidio adeſſet. iſque ubi eò profectus eſt, munitiones ſtatim firmiſsimas erexit: nam a lacu ad montes per ducentos circiter paſſus maceriem in muri ſpeciem militari opere duxit, caſtellum quoque ſuper montis uerticem cum propugnaculis poſitum, qua munitione apparebat, Claſſem, quæ Turbulis, Benacóue erat, facile ab omni hoſtium iniuria

ſerua-

ſeruatum iri. Dum autem hæc parantur, Sforcia Senatus imperata facturus, ſtatuit, licèt hyems iam immineret, commeatum Brixienſibus per montes, niue, glacieque informes, quum omnia alia itinera hoſtium armis tenerentur, uel aſtu, uel ui importare. Coacta igitur ingenti frumẽtorum copia, è Penetra cum tribus equitum millibus, & peditibus mille digreſſus, ad Thenii ſaltum conſedit: & Philippi duces explorato Sforciæ conſilio ad Ripam conceſſerant; inde Ludroniam uallem occupantes, Seuerinatem cum peditibus octingentis, & trecentorum equitum ala ad Thenii ſaltum inſidendum dimiſerunt. at Martianus, & Ioannes Comes, fortiſſimi ductores cum Florẽtini equitatu, & peditum robore Sforciæ iuſſu circa hęc loca excubantes, ubi Piccininum, & Philippenſia agmina uidere, ſignis in hoſtem ſtatim illatis impetum fecerũt, præliumq; atrox ſubitò oritur, quo accenſi Martianorum animi, in hoſtem adeò ferociter inuecti ſunt, ut re fœliciter geſta, Piccininus in fugam uerſus, toto equitatu exutus fuerit; peditum quoque robur magna ex parte trucidatum, captumq; amiſit; ipſeque re perdita pręcipiti curſu ad Ponalis ripã delatus, a Theutonico armigero per abrupta montium ægre ſeruatus eſt. Vbi uerò ad ſubiectas Benaci undas peruenit, tenuẽ cymbam ingreſſus, Ripam adnauigauit; reliqui duces cum paucis equitibus, hinc inde dilapſi, per abruptos montes ſe in tutum recepere. Nec ea tamen permotus clade Piccininus a priſtina ferocia diſceſſit, ſed Seuerinate ſtatim ad ſe accerſito, cum recenti bellico apparatu ad Thenii ſaltus occupandos ire pergit, ubi Sforcia quingẽtos circiter ab oppido paſſus conſederat. Eſt autem Thenium celſo colle ſitum, montibuſq; ad leuam, dexteramq; aſperis circumſeptum cingitur, quorum alter caſtellum arte, & natura munitum habet, nudus alter & præruptus, horribilem inacceſſi loci faciem re præſentare uidetur, hũc inſidias machinatus cum peditum robore Piccininus inſedit, præter oppidum Carolus Gonzaga cum inſtructo equitatu paratus conſtiterat. Sforcia autem ad radices montis quadrato agmine progreſſus, eius uerticem ab hoſte inſeſſum uidit: quo animaduerſo, quum conſilii anceps ſecum animo agitaret, qua ui, arteue, ad deiiciendum munitiſſimo loco hoſtem uti poſſet, ecce nouam inopinato Gonzagæ acceſſu aciem Thenium uerſus citato curſu tendentem procul aſpicit: in eã ille cõuerſus, Troilum, uirum acrem, cum omni equitatu ſtatim immittit, eodemque momento prætoniana cohorte ſeptus, pedeſtrem aciem in aduerſum iugum explicat, ſuoſque hortari, orareque non deſtitit, ut ſtrenuam in hac expeditione ſibi operam præſtarent; nullum eos præclarius facinus ædere unquam poſſe, quàm ferro uiam illo die contra hoſtium conatus ante conſpectum ſuum aperire: irent igitur, forti animo, & dignam ante acta militia rem in hoſtem gererent, quo pulſo, non ſolum fideliſſimam Veneti imperii urbem, ab imminenti periculo liberarent, ſed gradum etiam ſibi facerent ad maiora facinora in Italia ædenda. hæc ille, & breui pariter innixus haſta, in arduum tendere cœpit. miles Imperatoris exemplo, eiuſq; hortatione permotus, quamquam lubricus, & difficilis in montem eſſet aſcenſus, cliuum impigre ſuperat. inde Sforcia Troilum equeſtrem pugnam circa Thenium fortiter cientem militibus oſtentans, hortatur eos ad illius imitationem in Philippenſem peditem fortiter pugnare, atque illius diei palmam equiti pręripere: inde agili, & rapido curſu ad montis crepidinem delatus, unde a ſuis conſpiciebatur, Troilum, Piſanum, alioſque appellans, ad perrumpendum hoſtium cuneum uocẽ, manuq; inſtigat. Interim pedeſtris acies depulſum iugo hoſtem per collis decliuia præcipitem armis agebat, tum Sforcia lætis clamoribus, atque haſtam quatiẽs, Vicimus, inquit, milites, inſtate! timidumque hoſtem ferro ſternite. Equitatum quoque maiori ui adortus peditum fuga exterritum Sforcianus miles ſternit, & profligat, capiunturq; Cæſar Martinengus, & Carolus Gonzaga, cum ducentis equitibus, & peditibus trecentis, palatos reliquos uictor inſequutus cædit, & obtruncat. Piccininus copiis deletis, trepide ex fuga Thenium ſe recepit, quem Sforcia ab initio a ſuis interceptum credidit, ſed ubi ille inter captiuos non eſt relatus, ut uirum præferocem in poteſtatem haberet, quina aureorũ nummum millia edicto ſoluere pronunciauit, qui eum ex fuga retraxiſſet. ſed homo ingentis ſpiritus per diem oppido occultiſſime latuit, poſtmodum intempeſta nocte pannis obſitus, fuga tacite arrepta auerſis itineribus Ripam peruenit. Sunt, qui memo-

rent,

Not. Sforciæ expeditionem.

Noua Piccinini clades.

Thenium

Car. Gonzaga.

Not. Sforciæ adhortationem.

Not. Sforciæ alacritatem.

Hoſtium clades.

Piccinini fuga, & diſcrimen

rent, cum ſacco inuolutum, ac pro uili ſarcina gregarii humeris geſtatum in tutum abiiſſe. Illa autem natura pluſquam dici poteſt, ferox, paucis diebus, quàm prælio uictus, ac ſemicaptus exceſſerat, ſtructa acie ad Veneta caſtra dimicandi ſtudio ueniſſe dicitur, cuius audaciam, ferocitatemque admirati ſunt omnes. Sforciæq; ob id, atque aliis apparuit, rem cum eo hoſte eſſe, ut de Marcello Hannibal dicebat, qui neque uictor, neque uictus, quieſcere poterat. Ex ea tamen uictoria id ſequutum eſt, ut aliquid frumenti per eos dies ſit Brixiam importatum; in dieſque maior commeatus copia in urbem inuecta fuiſſet, niſi Verona furtim ſub id tempus ab hoſte capta, Venetas copias ab ea expeditione repente auertiſſet. Cognita enim antea per exploratores negligenti cura, qua Veneti utebantur in cuſtodienda Verona, agitarunt animo Philippi Duces partem vrbis ad brumalem Solem uergentem (quæ Ciuitatula uocatur) furto occupare. Opportunum itaque tempus nacti, quo in Brixienſi: Sforcia cum copiis aberat, Ripa clandeſtine cum inſtructo exercitu profecti Piſcheriam appullere: inde ſub occaſum Solis in ſubiectos Veronæ campos uentum eſt, urbique intempeſta nocte tacito agmine hoſtes appropinquantes, ſcalas mœnibus admouerunt, ac ducibus exploratoribus, quorum inditio mota res erat, muri tranſcenſi, portaque refracta, ac cuſtodibus cæſis, intra ciuitatulam Piccininus, & Gonzaga cum omnibus copiis ſilentio admittuntur: at cæſorum gemitus, ſtrepitus armorum, diſſonique clamores, uigiles, qui circa veterem Arcem attentiſſima cuſtodia muros aſſeruabant, ſubito excitarunt, inde multis emergentibus ſignis, quibus intelligi poterat, hoſtem urbem occupaſſe, ſubito eſt ad arma conclamatum. his nocturnis uocibus, terrificiſque clamoribus, urbis præſides, Antonius Diedus, & Victor Bragadenus in arces confugiunt; ciuitaſque conſternata confeſtim arma capit, diſcurriturq; undiq; cum trepidatione, in publicum, ac in primis Area, quæ prætorio ſubiecta eſt, armatis repletur: mixtiq; milites, populuſq;, Chriſtophorum Tollentinatem Ducem ſequuntur, cui vrbis cuſtodia cum militari præſidio ab initio demandata fuerat. is ad omnia impauidus, hoſtem media urbe, priuſquam omnes Philippi copiæ adeſſent, aggredi ſtatuerat; ſed nocturnum prælium utrinque detrectatum: militari tamen licentia hoſtis furens propinquas ciuitatulæ ædes ad frangendos ciuium animos ſubito incurſu diripere cœpit, magnoque terrore nox illa exacta eſt. ubi uerò illuxit, noua hoſtium acies, nemine prohibente, per Raſiolanam portam in urbem irrupit, præſentique fortunæ ciues cedentes, domi ſe mœſti continuerunt: ingens tamen pauor eos inceſſerat, ſuperbi hoſtis arma timẽtes, reſq; ambigua, incertaque uertebatur, uellet ne uictor urbem incolumem ſeruare, an publicas, & priuatas fortunas auaro militi diripiendas ſubiicere. cœperatque iam, Aloyſio Vermio authore, Mellitæ domus precioſiſſima ſupellectili plena diripi, proximis quoque ciuium ædibus cupiditate prædæ miles allectus, auaras manus iniecit. clademque omnino ingentem ciuitas eo die accepiſſet, niſi Barth. Peregrinus, & Fr. Maggius, uiri magnæ inter ſuos authoritatis ad Gonzagam ſtatim accurrentes, magnis cũ precibus oraſſent, ne permitteret, ut urbs nil tale de eo merita, tam crudeliter diriperetur, quæ in id diſcrimen nulla Veronenſium culpa incidiſſet, ac ſemel occupata uictori ſtatim ceſſiſſet; ſatis ſuperq; factum omnibus uideri, quòd ſine cede, ſine ſanguine, præclariſſima urbs in fidem eius uenire contigiſſet: proinde eum orabant, ut a direptione milites reuocaret, intactamque ſeruaret urbem, Gonzagæ nominis ſtudioſiſſimam. Mouit Principem præſtantium uirorum authoritas, ac blãdus, ueruſq; ſermo; confeſtimque ille, ad conciliandam clementiæ famam publicè edixit, ut miles ab iniuria abſtineret, iuſſitq;, ut ſigna ordine ad prætorium ſequerentur, omneſq; ad mandata præſto adeſſent: & quia in eo fœdere, quod Gonzaga cum Philippo percuſſerat, illud in primis expreſſum fuiſſe conſtabat, ut ſi Verona, Vincentiaque bello capi contigiſſent, earum urbium imperium Mantuano Principi, non alii traderetur: idcirco ubi in prętorium aduenere, Veronæ Principem Philippi Duces Gonzagam declararunt, qui mox ad munitiora urbis loca recipienda conuerſus, præter Felicianam, & Petream arces in colle ſitas, & veterem, quæ eſt in planicie, portas, turres, pontes, & mœnia in ſuam poteſtatem redegit; veterem quoque arcem, ne qua mora uictoriæ curſum retardaret, oppugnare conſtituit, ubi Carolus filius captiuus ſub cuſtodia tenebatur,

Not. Piccinini ferociam.

Ciuitatula

Verona ab hoſte capta.

Anto. Diedus, Vict. Bragaden.

vrbis pars diripitur. Barth. Peregrinus, Fran. Maggius.

Gonzagæ edictum.

Gonzaga Veronæ princeps declaratur

nebatur,habebatq; in animo,aut pontem ipſum, qui fluuio incubat, & arci adhæret; reſcindere, aut foſſam cum uallo latè circa obſeſſos ducere,ne cômeatus, præſidia ue vlla introduci poſſent. miſit & Ioannem Gonzagam,fratrem ſuum cum militari apparatu ad tentandas ſuperiores arces: nam eas Venetis tenentibus, magnum, certumque amittendæ vrbis periculum inſtare uidebat. alii quoque ad Cluſinas anguſtias Gonzagæ iuſſu profecti, quidam in Pôticellam uallem miſſi, iter Sforciæ, Venetoq; exercitui, occupatis, inſeſſisq; omnibus locis, occludere tentarunt. Hæc dum illi tumultuoſe parant,nuncius interim ad Sforciam,& Legatos in caſtra perfertur, Veronam hoſtes occupaſſe, eoque die, quo vrbs capta eſt, id ad veſperam, in ſeruinque diei Venetus reſciit. ſtetitque Sforcia aliquandiu nouitate rei defixus, uix fidem adhibens, niſi per litteras multorum alias ſuper alias eadem nocte id manifeſtò cognouiſſet. quare non cunctandum ratus,in celeritate uictoriam ponens, abducto è Turbulis Mellita, motiſque ante lucem caſtris,citato agmine ad Atheſim peruenit: quo ſuperato, infatigabili curſu ſub umbra noctis ad montium anguſtias cum paucis equitibus progreſſus eſt: ibique Cluſina arx in aſperrima rupe fundata eminet,cogitq; ſeſe ad exitum Lagarinæ uallis, non ſine ingenti, rapacique impetu, Atheſis fluuius, qui per arctiſſimas ardui montis anguſtias cum horribili altiſſimarum rupium intuitu, per mille & amplius paſſus, præceps, furensque defluit. nullus his locus acceſſus, nulla certa uia, ſed undique cautes, crepidines, ſaltuſque aſperi, incultiq; cernuntur: una tantùm in ea parte, cui arx incubat, ad iactum teli, alto, uiuoque ſaxo exciſa ſemita eſt, uix anguſto tramite ſingulis equitibus, peditibusque peruia, cætera horrore,& aſperitate informia. Huc (ut ſupra memoraui) ad veſperam Sforcia progreſſus, pauliſper ſubſtitit, intellexitque, arcem a Franciſco Piccinini filio fruſtra fuiſſe tentatam. uerùm cautus Imperator inſidias ueritus, Piſanum ſub lucem cum expeditis equitibus ad exploranda loca præmiſit. is celerrime profectus, reuerſusque; retulit, errore deceptus,cuncta itinera, anguſtiarumque exitus, uim hoſtium ingentem inſediſſe, omniaque armorum plena eſſe. Tum Sforciam ferunt, uehementer cômotum, in Marcellum Legatum, Mellitamque, & alios conuerſum dixiſſe, aut eo die, ſibi inter ſaltus, anguſtiasque illas montium cadendum eſſe, aut per ſtragem hoſtium ui, armiſque euadendum, certo ſe ſcire; & a fronte ferocem hoſtem uallis exitum clauſiſſe, uereri quoque ne a tergo etiam obiecta ſint arma, locaque omnia hoſtes inſederint: irent igitur, Sforciamque, & eius fortunam ſequerentur, operamque Venetæ Reip. fortiſſimam in conſpectu ſuo nauarent, in recipienda nobiliſſima urbe, quam hoſtes dolo, fraude, non uera uirtute occupaſſent, ſcirentq; nullum eſſe tam iniquum locum, nullam armorum, bellique uim, quam duce fortuna, comite audacia, non uirorum uirtus fœliciter domare poſſit. Et iam tuba ſigno dato, miles futuræ pugnæ intentus procedebat, dum per certos exploratores nunciatur, omnia aperta, tutaque patere itinera, & Iacobum Maranicum fide in Remp. egregia, cum armatis exitum uallis obſeruare, ne ſuſpecta ab hoſte loca inſiderentur: maturaret modò profectionem, iuberetque militem accelerare, quum tuta omnia in his locis ab hoſte ſint. Ea re lætatus Sforcia, ſigna ſtatim canere iuſſit, & pugnaciſſimas cohortes pleno gradu ſequi, ut ſi medio itinere dimicandum eſſet, uiam ſibi ferro faceret. ſed nemine hoſtium occurrente, ad Volarneam recto curſu peruentum, ibiq; tâdiu côſtitere ſigna, quoad uniuerſus ſuperuenit exercitus. inde diſpoſitis in ſuos ordines aciebus, ad Ambroſii uicum octo paſſuum millia a Verona diſtantem Sforcia ſub noctem cum omnibus copiis conſedit: ibi certior factus de hoſtiũ côſiliis, ſtatuq; urbis,& de tentata incaſſum arcis ueteris oppugnatione, quarto die per montes ad Fœlicianam arcem agmina ducta, & circa eam diſiectis munitionibus, quas ad impediendum tranſitum hoſtes Venetis obiecerant, arcê per ocium Sforciani ingreſſi ſunt, ex qua immiſſi pedites hoſtem non parũ territarunt. Mellita interim cum toto equitatu Sforciæ iuſſu ad Epiſcopi portã acceſſit, ibiq; Veronenſium quoſdam, qui illuc accurrerant, hortatus eſt, ut irent, & repente porta refracta, equitatum in urbê admitterêt. Nec mora, arreptis illi armis, Venetæ rei fauêtes, imperata faciũt; diſiectiſq; portis

Io.Gonzaga.

Nuncius ad Sforciã de Veronæ caſu.

Deſcriptio Cluſinę arcis.

Sforcia cautus.

Not. Sforciæ uerba.

Iac. Maranicus.

Sforciæ ſucceſſus.

Mellita Veronam ingreditur

portis, Mellita cum equitatu urbem ingreditur, tum uerſi in fugam Philippenſes ultra flumen ſe recipere trepide cœperunt; & dum circa pontem (qui nouus dicitur) conglobati equites fugam circumſpectant, nimio pondere ſublicius pons, qui lapideum a turri ſeparat, disfractus, ingentem traxit ruinam, in fluuiumq; nouem eo caſu ſunt equites præcipitati, ex his octo armorum pondere cum ipſis equis alto gurgite

Not. equitũ caſum.

continuo abſorpti periere; unus, qui reliquus fuit, Iacobus Gauianus nomine, non ſine ſpectantium ſtupore uiuaci, præferociq; equo adiutus, ad ripam incolumis adnatauit. Circa alios pontes aliquandiu laboratum, præſertim circa Naualem, ſic appellatũ a proxima nauium ſtatione, ſed eò iniectis repente facibus, incenſo, ac expugnato, factus eſt Venetis in mediam urbem irrumpendi aditus. hæc Blundus, a quo Paſius parũ diuerſus, ait, ex ipſis arcibus bipartitos Venetos in ſubiectum hoſtem irruiſſe, quẽ poſt atrociſſimum prælium fuſum, fugatumq; ceſſiſſe, atque eo congreſſu Ioannem Gonzagam grauiter vulneratum, nec multo poſt ex ipſo vulnere interiiſſe. hic tamen, ut Blũdus ait, circa Fœlicianam arcem ante Sforciæ aduentum fortiter pugnans tragula

Ioan. Gonzagæ interitus.

ictus occubuit. Cæterùm Piccininus, & Gonzaga, quum per multã noctem ſtructa acie armati ante prætorium ſtetiſſent, audita ſecunda Sforcianorum fortuna, qui adiuuantibus Veronenſibus in urbem iam irrupiſſent, ſe in ciuitatulam trepide receperunt, inde totam illam noctem inſomnem agentes, ante lucem Verona digreſſi, quam quatriduo tantùm tenuerant, citato agmine Vigaſiũ abiere. Tum Troilus, & Ciarpellio, ubi

Verôna recipitur.

hoſtes receſſiſſe cognitum eſt, ad inſequendum eos profecti, extremum abeũtium agmen multa cæde, vulneribuſque fatigarunt. Mantuanorum quoque agreſtium uis ingens in urbe capta eſt, obtruncatiq; eorum plurimi. Expulſis, eiectiſque Verona, intra quattriduum, quàm occupata fuit, hoſtibus, ubi primùm illuxit, in publicum ciues omnes ſe lętabundi proripuere, ac Sforciæ, & Marcello circumfuſi, uictoriam, fœlicemq; ſucceſſum congratulati ſunt, ſuæ urbis liberatores, patriæ parentes eos appellantes;

Veronenſium excuſatio.

oraruntque, ne cui ciuium fraudi eſſet, quòd urbs per eos dies in hoſtium poteſtatẽ ueniſſet, quæ furtim ab his occupata, ciuitatem omnino innoxiam, inſontemque argueret; quin etiam ubi hoſtes in urbe adeſſe conclamatum fuerit, in publicum cum armis procurſum, itumque ferociter in eos; uerùm cedentibus magiſtratibus, præſenti & ipſi fortunæ ceſſerunt, ne maior aliqua clades urbem deformaret: nuper uerò conſpectis Ventorum ſignis, ſtatim omnium fauore ea excepta ſunt, fœliciſſimumque hũc diem ſemper habituri eſſent, quo inuiſo hoſte eiecto, ſub Venetam rediiſſent fidem.

Reſponsũ ad Veronenſes.

Laudati ab Imperatore, & a Legatis Veronenſes, tanquam probi, & fideles ſocii, iuſſique ſunt bono animo eſſe, ac meliora ſperare, ſcire ſe certo, culpam a publico, priuatoque conſilio ciuitatis abeſſe, fortunamque potius accuſandam, ac uarios, incertoſque belli caſus; ſatiſque cognitam, probatamque Veneto Senatui Veronenſium fidem, nulla indigere facti excuſatione. Poſt hæc ferunt, Maggium pene præcipitem

Not. Maggii fidem.

in iudicium ad Sforciam, & Marcellum tractum, accuſatumque, quòd is cum hoſte conſenſiſſet: uerùm ille ita conſtanter cauſam ſuam egit, ut non modò, quæ obiecta falsò eſſent, diluerit, ſed culpam etiam a ſe, & aliis conciuibus ſuis, qui accuſabantur, longe abeſſe facundè, uereque probauerit: quare ex Sforciæ, Legatorumque ſententia, omniumque conſenſu abſolutus, & tanquam de Veneto Imperio benemeritus, in gratiam benigne admittitur. Nec id pretermittendum de Sforcia, dederat ille

Not. Sforciæ litteras ad Senatum.

ſtatim ex Cluſino ſaltu litteras ad Senatum, de Veronæ amiſſę caſu, dolenſque ſignificabat eo ſe animo in hoſtem ducere, ut vel intra paucos dies nobiliſſimam urbem Veneto Imperio armis reciperet, aut ſe, cum toto exercitu ad internicionem perditum iret; breui itaque futurum, aut alterum omnino Patres audirent: interim fœlicem a Diis immortalibus piis precibus ſucceſſum expeterent. Stabat itaque inter ſpẽ, & metum dubia, mœſtaque ciuitas, in curia Senatus, in foro populus aſſidue erat, domique ſenes, & matronæ ſolicitis, ægriſque animis pendebant, quum repente publicæ litterę ab Imperatore, Legatiſque aduenere: ęgreque tabellarius curiàm aſcẽdere potuit; turba eum populi, nobiliumque tenente, ſciſcitanteque curioſe fœlicis rei euentum. Litteris tandem recitatis cognitum eſt, Veronam Deorum benignitate

eiectis

riectis hoſtibus receptam fuiſſe, ſaluoque Imperatore, & incolumi exercitu proſpera omnia eueniſſe; tantam ferunt lætitiam ad eum nuncium ſubitò ortam, ut præ nimio gaudio Princeps, patreſque lachrymas continere non potuerint. concurſumque ingentem in forum a populi multitudine factum aiunt, congratulationeſque plures habitas; Diis quoque honor redditus eſt: ſupplicatio enim in triduum decreta, & circa templa preces, gratiæq; Deo Optimo Maximo religioſè, pieque actæ. tabellarii ad hæc præmia, & munera magna, amplaq; accepere.

Not. patrũ lætitiam.

Auditique Veronenſium Legati, qui non multò pòſt magno comitatu affuerunt, expoſitus eſt ab his in curia miſerabilis urbis ſuæ caſus, in quo nulla ciuitatis culpa argui poſſe dicebatur, quum omni tempore Venetum nomen ſanctum, venerabile, ac ſecundum poſt Deos in terris Veronenſes coluerint; ueniſſe itaque, ut publicam, & priuatam fidem patribus coram probarent, inde ut totius ciuitatis nomine præſentem eis de recepta fideliſſima urbe uictoriam gratularentur.

Veronenſium legatorum expoſitio.

Benignè Legati accepti, reſponſumque, Veronenſem fidem ſatis ampla habere documenta ſinceritatis, affectuſque in Remp. atque ob id ſemper optatum, vt ampliſſima ciuitas incolumis, ſaluaque perpetuò maneret; ac tum maximè Patres lætari, quòd ita acciderit, ut ſine aliqua maiori clade quattuor dierum ſpacio ab aliena poteſtate eriperetur; nunc eam urbem in fidem priſtinam receptam Principem, Senatumque tanquam dilectiſſimam filiam pietatis gremio benignè complecti: atque cum his legati dimiſſi.

Reſponſũ

Laudata eſt poſtea publicis litteris Sforciæ Imperatoris virtus, Mellitæ ſtrenuitas, Marcellique, & aliorum induſtria; qui opportuno, maturoque acceſſu res propè perditas ſeruaſſent, ac uix bene viſo hoſte, memorabili facinore uiciſſent. maximis deinde muneribus omnes uiri fortes in exercitu, parta tam inſigni victoria, donati ſunt.

*

Q PETRI

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIR. AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber octauus.

POST Veronam receptam, eamque ualidiori præſidio firmatam, Sforcia, quia iam hyems aderat, in hyberna conceſſit, ex quibus eũ ante tempus diſcedere Brixiæ periculum impulit: nam urbs ad tantam rerum omnium inopiam peruenerat, ut iam a nullo obſceno cibo abſtineret. Per eos quoque dies, quibus Verona in hoſtium poteſtatem redacta fuerat, rerum deſperatione iam ciues ceperant publicè agere de deditione facienda, quæ omnino ob aduerſam imperii fortunam ſequuta eſſet, niſi Barbarus opportunè in concionem ueniens, blanda oratione proſtratos ciuium animos erexiſſet: quo factum eſt, ut paulò ante Kalendas Ianuarii Sforcia ex hybernis digreſſus, ad turbanda hoſtium conſilia Thenium denuò aggredi ſtatuit. In Arcuanam igitur planiciem primùm delatus, per aliquot dies ibi caſtra habuit, ſed frigoris magnitudine, quo multi abſumpti dicuntur, ab expeditione receſſit. Mellita quoque ob aeris intemperiem, & hyemis inclementiam penè exanimis redditus, Veronam ad curandam ualitudinem ſecundo Atheſi eſt delatus. Interea Troili induſtria aliquam tritici partem Brixienſes per montes tranſmiſſam accepere, quo aliquantum ciuitatis fames leuata. & quum hoſtes maximè curarent, ne quid cõmeatus alicunde in vrbem importaretur, ad idque omne ſtudium, curamq; die, noctuque armati intenderent, Sforciani ante lucano incurſu ad Guſſacum in eos illati, præter multorum cædem, trecentos illis equites ademerunt. Ceſſatum deinde eſt paululũ ab armis ob immẽſa frigora. Verno autem tempore, dum Piccininus Pado copias traieciſſet, Sforcia eius motus ſuſpectos habens, Venetias ſe contulit, Patrumque auxilia implorauit: uehementer enim uerebatur, ne ſubita ui aliqua Picenum agrum omni præſidio nudatum hoſtes noua conſpiratione inita inuaderent. percrebuerat ſiquidem illis diebus rumor, Ioannem Vitellenſem nobili Cornetano oppido familia ortum, qui Eugenii Pontificis copiis præerat, cum Philippo clandeſtinè fœdus percusſiſſe, atque inter ſe comparaſſe, ut uno, eodemque tempore ipſe in Picenum agrum, ad res Sforciæ infeſtandas, copias duceret, Piccininus uerò traiecto Pado Philippi iuſſu Hetruriam inuaderet. quo motu, ad Pontificem Veneti, Sforcia petente, miſerunt, qui cum illo egere, ut infida Vitelli arma reprimeret, ne Picenum bello uir inquietus agitaret, turbaretque nouis motibus prouinciæ illius ſtatum. Multi interim, uariique hinc, inde fuere armorum conatus, & in Flaminia, & in Hetruria, quos Sigiſmundus Ariminenſis cum peditibus mille a Veneto, totidemq; a Tuſco acceptis fortiter ſuſtinuit; & poſt multa belli facinora ædita, ut ſunt uariæ, multabileſque hominum uoluntates, ipſe cum Malateſta fratre ad hoſtem ſubitò defecit. Poſt modum Piccininus Apennino ſuperato, in Hetruriam deſcendit, belloque acerrimo Florentinos aggredi uidebatur. At Pontifex Vitellenſis fidem ſuſpectam habens, hominem comprehendi iuſſit, quem Antonius Ridus, Adrianæ molis præfectus, captum diu ſub cuſtodia tenuit:, in eius poſtea demortui locum Ludouicus Aquileienſis Antiſtes a Pontifice eſt ſuffectus. Florentini uerò arma parantes, Paulum Vrſinum, & Michaelem Attendulum ad ſua ſtipendia accerſunt, copiaſque

Not. Brixienſium famem.

Mellita æger.

Hoſtium clades.

Sigiſmundus Arimini Princeps.

Vitellus captus.

Lud. Aquileienſis.

que tota Italia contrahunt, ut Piccinino reſiſterent, qui paucis ante diebus ad primoleorium non mediocri clade a Nicolao Piſano affectus fuerat, haud tamen ille, ut natura ferox erat, animum remiſit, ſed paulò pòſt ſuperata Alpium aſperitate ad Politianum cum iuſto exercitu conſedit, cuius inopinato aduentu terror ingens Florentinis iniectus eſt, timere omnes, dolere, conqueri, & quum nulla præſidia adeſſent, nocturnæ per urbem uigiliæ, & circa mœnia, & portas ſtationes diſpoſitæ. aduentu tamen Troili cum ſelecta Sforcianorum cohorte, perculſa metu ciuitas non parum reſpirauit.

No. Florẽtinorum metum.

Cæterùm hoſte ad Politianum ſedente, Venetus, Florentinuſque Sforciam pariter euocabant, in diuerſumque illius animus trahebatur, quum uterque populus belli curis agitatus, inuictiſſimum Ducem in ſuas partes pellicere magnopere ſtuderet. Politiano interea capto, Piccininus in Caſſentinates tranſiit, omniaque ibi populatione, & terroribus complens, fœdam cladem Regioni intulit. Acceſſit & aliud incommodum, nam Borſius Eſtenſis, cum ſuo equitatu ad Philippum ex ipſo itinere tranſiit: nec Piccinini res per id tempus tam ſecundæ erant, quàm ab initio fuiſſe uidebantur,

Borſii defectio.

qui circa Senenſem, Aretinumque agrum longam moram trahens, arridentis fortunæ tam diu curſum retardauit, donec Eugenianæ copiæ aduenere. acceſſerunt quoque Troilus, & Vrſinus, cum militum robore, ut Florentinæ rei opem ferrent, quo belli apparatu ille territus, ad Apennini radices ſe trepidè recepit. At Sforcia audito rerum Hetruſcarum ſucceſſu, quia non erat, cur amplius magnopere Piccinini ferocem incurſum timeret, cum florentiſſimis copiis, per medios ſtatuit hoſtes Brixiam in ſummam omnium rerum neceſſitatem adductam, ſubſidio, & commeatu leuare. nuper autem in Benaco res proſperè a Veneta claſſe, Duce Stephano Contareno, aduerſus hoſtes geſta erat.

Steph. Cõtarenus.

is enim ut lacum apertum redderet, quo Brixia ſuccurri poſſet, confligere cum hoſtili claſſe ſtatuit. itaque cum quattuor triremibus (quidam ſex fuiſſe dicunt) & duodecim aliis minoribus nauigiis optimè inſtructis, è Brandolino portu egreſſus, in hoſtem fiduciæ plenus uadit. Ille autem nauium numero ſuperior, quibus Blaſius Aſaretus Genuenſis, uir maritimarum rerum gloria clarus, præerat, ex Piſcheria Venetum ferociter excepit.

Blaſius Aſaretus.

Philippenſis claſſis Italum Forumiulianum, militeſque complures habebat: Petrum Brunorium Veneta. pugnaque inter Ponalis oſtium, & Ripam commiſſa dicitur, magniſque utrinque animis eſt concurſum. & Contarenus nauali aſtu hoſtem ſuperaturus ab ea parte cum inuaſit, qua Benacum contrario inimicæ claſſis uento agi conſpexit, & quum Veneta una triremis primo congreſſu ante alias longius proceſſiſſet, parum abfuit, quin in Philippenſium poteſtatem uenerit.

Pugna in Benaco.

animaduerſo autem illius periculo Contarenus præſto affuit, eaque hoſtium manibus erepta, cruentum oritur prælium, harpagonibuſque, & ferreis manicis iniectis, res cominus geſta, multiq; utrinque uario mortis genere cadebant, uiolenti ad hæc tormentorum ictus, terribileſque pugnantium clamores toto lacu paſſim reſonabant, qui proximis montibus inſinuati, grauiſſimorum tonitruum imitabantur ſpeciẽ, mixtique uenti, diſſonæque uoces, & morientium gemitus, uno tempore exaudiebantur. Medio autem pugnæ ardore memorabile illud in primis accidit, ex fune inter duas dimicantes triremes extento, quinquaginta uno tempore ex Philippẽſibus uiri, ne aquis demergerentur, iniectis manibus eam tenaciter circumplexi, pendebant, atque ita innixi, ſub pedibus fluctuantem aquam inter ſpem, & metum conſtituti horrebant.

Not. caſ.

Verùm præſens eorum ſtatim excidium ſequutum eſt, a noſtris enim funiculo bipenni reciſo, omnes in profundiſſimum lacũ ſubito prolapſi, miſerabiliter ad unum periere. Et iam res Veneta poſt atrox, longumque certamen eximia bellatorum indole ſuperior eſſe cœperat, quum Aſaretus, Italuſque, hoſtium Duces, in paruum tranſgreſſi nauigium profugere. tum fortuna aperte inclinante, ſuperatur Philippica claſſis, duabuſque tantum ex eius numero delapſis, reliquas hoſtium naues Contarenus in ſuam poteſtatẽ redegit, quæ ingenti lætitia Turbulas pertractæ ſunt, tantæque uictoriæ fama Brixiã perlata affectæ ciuitatis animos plurimùm recreauit,

Venetorũ naualis in Benaco uictoria.

nec immerito, apparebat enim expulſo è lacus poſſeſſione hoſte, nihilo amplius impedimento futurum, quominus commeatus tutò in urbem importarẽtur. Decernitur legatio, quæ Venetias iret, co-

ramq́ue fœlicem naualis pugnę ſucceſſum patribus gratularetur. ueneréque Legati, quorum Princeps Petrus Aduogarus fuit: oblatumq́ue eſt in curia uexillū, publico nomine ſic inſcriptum, Brixia magnipotens cæteris urbibus fidei præbuit exemplum quod poſtea in auream Diui Marci ædem legati intulere, ubi hodie quoque ſuſpenſum uiſitur. & Contarenus Benaci uictoria clarus, poſt pugnam haud diutius in ocio deſedit, cuius galea naualí illo prælio lapidibus, aliisq́; uiolentis ictibus ita contuſa fuiſſe dicitur, ut aliquandiu è capite niſi fruſtatim, eximi nequiuerit. Is itaque cum Petro Brunorio ex Turbulis digreſſus, terra, & aquis Ripam adortus eſt, ac pertinacius, diuq́ue oppidum defenſum, tandem ui cepit, cæſiq́ue in prima irruptione plurimi, domus direptæ, abducti pueri, uirgines conſtupratæ, itumq́ue in omnem pene iniuriam: quia ſuprà cæteros mortales crediti ſunt Ripenſes habuiſſe Venetum nomē inuiſum. Garda quoque a Contareno expugnata diripitur: inde Brandolinum, Lagiſium, & alia multa loca lacui adiacentia, armis recepta. Dum autem hæc terra, aquiſq́ue in Benaci ora geruntur, iam Sforcia ad Minerbium caſtra admouerat, deliberabundusq́; aliquandiu ibi ſubſtitit, deberet ne Mincium tranſmittere: nam audierat, Borſium Eſtenſem, ad hoſtes defeciſſe, & in Brixienſi adhuc ingentem armatorū uim adeſſe; Gonzagam præterea hoſtem acerrimū ad Marmilolum paratas copias habere, ut a fronte, a tergo, a latere Venetus circumuentus opprimeretur. Sed cura in primis alendi exercitus, ſi per hoſtium fines tranſiret, Sforciæ animum uerſabat, nam ſupra uiginti hominum millia in Venetis caſtris erant. Ne quid igitur prudens Imperator temerè feciſſe uideretur, rem ad cōcilium detulit, in quo Legati, & reliqui ductores aderant, eoſq́ue identidem monuiſſe dicitur, ut in hac expeditione ſuas explicarent ſententias, quando flumine ſuperato, per tot infeſta itinera armatis infeſſa hoſtibus Brixiam perueniendum eſſet, ne ſi quid (quod nollet) aduerſi accideret, ab euentu rem iudicarent. Tum cæteris tacentibus, Paſchalis Maripetrus, Legatorū unus ad Sforciam conuerſus. Non eſt meum, inquit, fortiſſimè Imperator, nec cuiuſquam eorum, qui tua ſequuntur ſigna, ullas tibi belli leges præſcribere: ſed te, qui militare tenes in his caſtris imperium, quique bellicam diſciplinam lōga experiētia calles, proſpicere oportet, quid opus ſit facto; ac quum ſtatueris, mature, ut facis, imperare: nos uerò, qui ſub tuis militamus auſpiciis, tua quoque ſequi conſilia prompto obſequio parati ſumus. Sed Petrus Aduogarus omnem Sforciæ dubitationem ademit, qui uehementi eum oratione perpulit, ut nulla mora Mincium traiiceret. docuit enim in quo ſtatu Brixienſis res eſſet, quę niſi quamprimùm ſubueniretur, fore (quod nollet) ut fideliſſimam ciuitatem fame ad deditionem coactam Veneti citò amitterent, nec commeatus quiſquam indigentiam timeret, quando iam ſegetes fœlici cœli temperie in agris, undique ad maturitatem flaueſcere cœpiſſent. pro ſe autem ipſi Sforciæ deſpondebat, tantum adhuc ſibi ex latifundiis, prædiis, priuatiſq́ue fortunis ſupereſſe, ut per decem dies totum illum poſſet depaſcere exercitum. Ad has magnanimi uiri uoces Sforcia permotus, conſiliumq́ue eius ſequutus, ponte confeſtim fabricato, haud procul a Monzabano copias omnes Mincio traiecit, oppidumq́; illud ſubita oppugnatione adortus, ſubegit, ac diripuit: inde ad Riuoltellā ſigna admota, hic quoq; locus deditione ab oppidanis facta capitur. ad Cleſiūq́ue amnē progreſſus, decē paſſuum millia a Brixia cū toto exercitu cōſedit. Eò aūt Barbarus, & primores urbis ad Sforciā ſalutandū uenere, unaq́; de ratione belli colloquuti, ex Rep. fore cenſuere, ut Salodium terra, aquiſq́ue expugnaretur. Contarenus itaque claſſe ad oppidum admota rem egregie nauali Marte geſſit. inde Petrus Brunorius, & Scariotus Fauentinus cum duabus cohortibus miſſi, terreſtres auxere uires. nec multò pòſt oppidū oppugnatur, quo ſubacto, Caluiſani, Balneolani, & Calcinarii, ſedente adhuc ad Cleſium Sforcia, deditionem per Legatos fecerunt. Ad hunc ſucceſſum Venetus Imperator mutato conſilio, relicta Brixia, in hoſtes ire conſtituit: quod ipſum ut faceret, Barbarus, quem uirum admirabundus Sforcia ob eius ſapientiam unicè colebat, uehementer hortatus eſt. Affirmabat enim ſatius fore, inchoatam proſequi uictoriam, quàm in præſentia Brixiam ire, quæ ſatis, & proſperis rebus nuper geſtis, & aduentus eius fama, tuta uidebatur. In hoſtem igitur continuò motis caſtris ad Balneolum

Pet. Aduogari legatio.

Steph. Cōtareni pugnacitas.

Cōtareni ſucceſſus

Venetæ copiæ.

No. Paſchalis Maripetri ad Sforciam uerba.

Petrus Aduogarus.

No. Paridis pollicitum.

No. Venetorum ſucceſſum.

neolum Sforcia progreſſus eſt, inde ad Manerbium, ubi Philippenſes cum inſtructiſſimis copiis aderant. Sed a Gotholēgo, & aliis uicinis locis Legati Veneto occurrerūt, pacem orantes; ac poſtridie ad mille lecti iuuenes ex Brixia ad Sforciam in caſtra uenere, ut inuictiſſimum Ducem uenerabundi ſalutarent, cui iuſto, ueterique in Philippum odio, gratuitam obtulere militiam: eos autem Sforcia benignè complexus, in caſtra libentiſſime admiſit, quorū poſtea fideli, fortique opera in bello uſus eſt. Interim hoſtium Duces, Ludouicus Seuerinus, Italus Foroiulianus, & Aloyſius Vermius, inter Soncinum, & nouos Vrceos poſiti, munitiſſimo loco copias tenebant, in quos Sforcia ſubitò mouens, impetum fecit, equitatuque a fronte immiſſo, inde ad dextram, leuāque pedite adiecto, ſagittis, & aliis bellicis machinis hoſtium caſtra inceſſere cœpit: moxque iis circa Olium flumen fugæ ſimulatione pertractis, ingens præliū utrinque accēditur, Sforciaque ſuos circumiens, hinc inde equo uectus aduolabat, ſi quē minus fortiter pugnātem uidiſſet, increpans, minabatur: ipſe interdum prælium ciere, urgere, hortari: hoſtes & ipſi rem impigre gerere, ac diu, multumque locum armis retinere conati ſunt. ſed facta Sforciæ iuſſu a Cierpellione tribuno fortiſſimo cum ueteranorum cohorte per pontem Olio impoſitū irruptione, ſubito incurſu, turbatis ordinibus, hoſtium acies ceſſit: resque iam ſemel inclinata nullo modo amplius ſiſti potuit, mille partim ceſi, partim uulnerati fuerunt, duoque ad hæc, ut Paſius ait, equitum millia, ac totidem peditum capta. alii numerum ad dimidium extenuant. Fuga hoſtium Ductores dilapſi, ac reliquiæ exercitus diſſipatæ, Cremam abiere. Soncinumque ſtatim poſt pugnam uoluntaria deditione receptum. Quidam Sforcianos fugientium agmini immixtos in oppidum irrupiſſe ferunt. Eodemque die Borſius Eſtenſis, qui cum mille & quingentis equitibus ad Senapaltam uicum conſederat, ut Philippi partibus faueret, fuſus, fugatusque a ſuperueniente Veneto impedimētis oībus, ac tertia parte equitum exuitur. ita Philippi rebus duplici clade acciſis, Vrceani Imperium recepere; poſt quos Camonicæ uallis incolæ, oppida, arces, caſtella, uici, Brixiēſis, Bergomenſiſque agri ultrò Venetam fidem ſequuti ſunt. Annona ad hæc, quæ tanti inualuerat, mirum in modum Brixiæ adeò relaxata, ut decuplo minoris triticum, omniaque frugum, ac obſoniorum genera, quam paucis ante diebus paſſim uenierint. Bergomum quoque eiuſdem fœlicitatis particeps fuit; & utraque ciuitas Legatos ad Sforciam in caſtra miſit, qui publico nomine uictoriam primò gratulati, ingentes ei gratias egere, quòd eximia, excellentique eius uirtute, triennali grauiſſima obſidione tandem liberati eſſent, ac tum quum deſperatis propè rebus, infeſtiſſimo hoſti cedere cogerentur, matura ope Veneto ſeruati eſſent Imperio: nullo itaque unquam tempore obliuioni daturos Sforciæ nomen; a quo fortunas ſuas uterque populus ſaluas haberet, ac per eum è fame, & ſeruitute erepti priſtino fœliciter urbis ſtatu fruerentur. Benigne auditi, & dimiſſi ſunt Legati. Mox Sforcia Olio ſuperato, miro uictoriæ curſu, Caſale maius, Brugnanum, Triuilium, & Riuoltam Abduanæ glareæ oppida recepit. quibus geſtis non mediocriter in Mediolanenſi ab hoſtibus eſt trepidatum, fugaque paſſim ex agris in uicina oppida facta, ac pauidi omnes cum uxoribus, & liberis uiri, fœminæque tutos quærebant receſſus, pecoraque ſimul cū agreſti ſupellectile ad latebras trahebātur. Hoc tāto motu turbatus Philippus uires undique ſtatim contrahit, ac Abduæ ripā nouis aggeribus, crebriſq; firmat præſidiis; Piccininū ad hęc ex Hetruria litteris, nunciiſq; in Galliā reuocat. Interim Sforcia Carauagiū munitiſſimū oppidū adortus, multis, uariiſque armorū conatibus fatigare nō deſtitit. hic aūt dū Leo, Sforciæ frater, circa mœnia fortiter pugnat, tormēto ictus occubuit: quare domeſtico dolore affectus, lōge infeſtius, quàm antea Sforcia oppidū aggreſſus, illud intra paucos dies ad deditionē cōpulit. At Piccininus antequā ex Hetruria decederet, cū Pōtificio, Thuſcoq; exercitu cōfligere ſtatuit, Ad Anglare igiť oppidū, qđ eſt ad Apēnini mōtis radices, quadrato agmine peruenit: ibiq; Eugenianæ, & Hetruſcæ copiæ cōſederāt ſub ducib. Ludouico Aquileienſi antiſtite, & Paulo Vrſino, quorū iuſſu aliquot cohortes in edito colle ad Anglare cōſtiterāt. Pugnaque circa pōtē ſupra proximum torrētē poſitū primò cōſerta eſt: ſed facta a Piccinini filio poſt atrocē utrinq; acierū cōflictū fortius impreſſione, Hetruſcus eques ultra pontem re-

Philippi Duces.

No. hoſtiū cladem.

Recens clades.

Annonæ copia, in Brixia.

Legati ad Sforciam.

Mediolanenſium terror.

Anglare.

Pugna ad pontem.

pellitur;ibique Nicolaus Piſanus,uir acer,interceptus, in hoſtium poteſtatem uenit: anceps tamen adhuc prælium utrinque erat.ac Piccininus aduerſam phalangem loco ſummouere conabatur; illa autem Vrſini,aliorumq́ue Ducum uirtute immota ſtetit. illatiſq́ue iterum maiori impetu ſignis,Eugeniani, Thuſciq́ue fortiter hoſtem ſuſtinuere,quum ex ædito colle ſubita equitum impreſſio facta,Philippenſium aciem primo turbauit,mox & in fugã uertit,repararéque eam Piccininus ſæpe conatus eſt: ſed fruſtra id tentatum,quum fortuna,& uirtute ſuperior Florentinus, & Eugenianus miles in hoſtem acerrime pugnaret,qui tandem uictus ceſſit,contrucidatiq́ue multi, ac

No. Piccinini cladem.

uulnerati fuere,captusq́ue Aſtur Fauentinus,cum duo de triginta turmarum ductoribus,ac præter hos,ad mille & octingenti eximiæ uirtutis equites in uictoris poteſtatem uenere.relatoq́ue captiuorum numero,Piccininum,qui poſt pugnam Burgum ſe trepidè receperat,dixiſſe ferunt,actum de Philippi principatu,ſi hoſtis florem Italicæ militiæ captum apud ſe retineret,Lagiſianus ſcriptor ait,præ nimio dolore cladis ac-

Not. Piccinini irã.

ceptæ,bis ſe gladio transfigere uoluiſſe,manusq́ue ſibi uir ferox omnino uiolentas in ieciſſet,niſi Iacobus filius hortando,conſolandoq́ue patri die, noctuq́ue mira pietate affuiſſet. dum hæc circa Apenninum geruntur,Sforcia in ipſo Martis theatro Gallia, Caſali,& Carrauagio receptis,non multò pòſt in Mantuanum Principem iuſſu Senatus mouit, quem iuſta ira intentatæ antea proditionis ſtimulabat.admotisq́; ſtatim copiis, Aſulam,Lunatum,Cannetum,& Marchariam Gonzagæ ademit; Monclarenſes quoq; Capriani,& Volterini ſubacti, inde ad Piſcheriam terra,aquisq́ue caſtra admota.eſt autem id oppidum opere,munitione,& amœnitate conſpicuum, ad Mincii

Piſcheriæ ſitus.

caput ſedet,inter duas nobiliſſimas urbes,Mantuam,& Veronam,ad Meridiemq́; continenti iungitur,ad Occidentem Solem Benaco,ad Septẽtrionem Mincio: arxq́ue nobiliſſima Oriẽtem ſpectat,atque ibi pons lateritius quatuordecim fornicibus fluuium amplectitur.munierat itaque Gonzaga ualidiſſimo quingentorum militum præſidio oppidum,quod bellicis cinctum operibus Sforcia terra, Contarenus aquis ferociter

Nic. Eſtẽſis pacis ſequeſter.

aggreſſi ſunt.in caſtra autem Nicolaus Eſtenſis ſub publica fide ueniens, cum Sforcia & Maripetro de pace Philippi nomine egit;quam aiebat, Venetos rerum humanarũ inſtabilitatis memores, reiicere non debere,eiusq́; ſe authorem, arbitrumq́ue libenter futurum,pro Italiæ tranquillitate,eſt pollicitus; curaturum ad hæc, ut Philippus Blancham filiam Sforciæ coniugem daret,eamque in caſtra uſque,aut quò ille uoluiſſet,cum nuptiali apparatu mitteret.ad ea Sforcia reſpondens,Venetum,ſeque ocii,& quietis percupidos,a pace minime abhorrere dixit,Blanchæq́ue optatum ſe amplecti connubium,modò Philippo,qui toties ſententiam mutarat,idem nũc placeret.cũ his Eſtẽſis dimiſſus,Mediolanum recta profectus eſt. Interim Piſcheriam Veneti magna ui oppugnabant,quã intra quatriduum terra,aquisq́ue grauiter preſſam hoſtis amiſit:circa arcẽ aliquandiu eſt laboratũ,militibus,qui intus erant,acerrime reſiſtẽtibus. & Bõbarda ingens è Contarena claſſe arcis mœnibus admota,miræ craſſitudinis murũ diſiecit,tãtoq́ue impetu è machina trecẽtorũ pódo lapis excuſſus,ſtrepitũ ædidit,

Not. Bombardæ ictum.

ut ad quingẽtos,& amplius paſſus,naues,quæ procul in anchoris ſtabãt,eius motu fluctuãtibus aquis inter ſe colliderẽtur.turri poſtea,quæ iuxta arcẽ erat,ad decimũ bombardæ ictum procumbente,deiecti ſunt militum animi, qui ſtatim deditionem fece-

Piſcheria occupatur

runt.Piſcheria capta,haud cunctandum Sforcia ratus,Mincium traiecit, ac Villãfrancam,Vigaſium,Vallegium,Mantuani agri oppida,hoſti ademit. & Eſtenſis cum Philippo de pace Mediolani loquutus, Blancham ſecundo Pado uectam, Mantuam duxit. quo facto, non parum Venetorum animi turbati ſunt, ſuſpicantium, ne quid doli harum nuptiarum lenocinio aduerſus Rempubl. lateret. uerùm requiſitus ille ut in Marmolianam Mantuani agri uillam ſe conferret, tum Maripetro Legato audiente, reſpondit, neque ad hoſtium loca iniuſſu patrum, ſe iturum; neque illi,ſi ſapiant, permittent: quod Sforciæ reſponſum ad Senatum perlatum, effecit, ut de

Not. Sforciæ dictũ.

eius fide, nihil prorſus ambigeretur. puella autem ex Mantua Ferrariam Pado aduecta eſt: & Piccininus ſecundam cladem ad Anglare acceptam in Flaminiam cum paucis tranſiit, cuius aduentu Forliuienſes in fide retenti. Nec multò pòſt & Ludouicus,Aquileienſis Patriarcha,cum Pontificio exercitu in eam prouinciam uenit,

nit, collatiſque cum Iac. Ant. Marcello Legato Veneto caſtris, qui & ipſe è Gallia in Flaminiam cum quinque equitum turmis, magnis itineribus tranſierat, inito conſilio, Rauennam aggredi armis ſtatuit. eam autem urbem Oſtaſius Pollentanus Princeps, Veneti nominis ſtudioſiſſimus, regebat. is Marcelli fide implorata, eum intra mœnia ultro accepit, Ludouicusque excluditur: ita Veneti Rauennam urbem clariſſimam, uetuſtateque, & magnificentia inſignem Imperio ſuo adiecere. Oſtaſiusq; cum coniuge, & liberis Venetias abiit. quidam, inuito eo, deditionem populum feciſſe tradunt: idque nihil a ueritate diſcrepare uidetur, quum Oſtaſium cum filio non multo poſt Veneti in Cretam procul ab Italia relegarint. iamque appetente hyeme Pontificiæ, & Venetæ copiæ belli cura interpoſita in hyberna conceſſerant, & Sforcia hoc tempore armorum minis uacuo, ad Principem, & Senatum ſalutandum, Venetias cū paucis acceſſit; qui ſumma lætitia, maximoque honore a patribus, & uniuerſa ciuitate eſt acceptus: nam itum illi obuiam ab omnibus ordinibus, in curiamque aſcendens, ſuam in imperio militari adminiſtrationem facundè expoſuit: quare magnificentiſſimis uerbis a Principe commendatus, ingentem eo die gloriam adeptus eſt. nec multo poſt affuit Fr. Barbarus è Brixiæ præfectura poſt triennium in patriam reuerſus: is quoque uertit in ſe omnium oculos, admirantium, extollentiumque ſummam uiri prudentiam, & inuictam animi fortitudinem, in ſeruanda Brixia. nec Petri Aduogari uirtus, fideſque illaudata extitit, qui ad complexus, & oſcula Principis, patrumque admiſſus, publico præconio commendatus eſt. eamdem Senatus Veneti benignitatem Petrus Ludronius, Paridis filius, ſenſit, trinisque eum ædibus ampliſſimis ob recētem illuſtris genitoris memoriam, Paduæ, Vincentiæ, & Veronæ donatum accepimus. Brixienſes & ipſi ob memorabilem eorum fidem, perpetuam immunitatem conſequuti ſunt: molarumque uectigal, quod uiginti millibus locari conſueuerat, plæbi remiſſum: ita gratiſſimis patrum animis Brixia digna, amplaque tulit præmia. Piccininus interea armis ferociter in Cœnomanos illatis, Brixienſem agrum ferro, ignique uaſtauit, ac poſtmodum mille, & ducentis Sforcianorum equitibus ad Clarium oppreſſis, omnem Brixienſis agri planiciem, oppidaque, præter Vrceos, ad deditionem compulit. acceſſit & ad præſentem cladem, Ciarpellonis, Duciſque Adriæ ſubita defectio, qui cum non paruo equitatu ad Piccininum tranſierè, magnaque ad hos motus, & rumores, qui falſo ab hoſte diſſipati ſunt, de Sforcia in uinculis, patrū iuſſu, Venetiis necato, locorum defectio ſequuta: eaque mendacii opportunitate Piccininus uſus, proſpera ſibi cuncta reddidit. ſed Sforcia omiſſis rebus omnibus, ad coarguendos rumores falſo de nece ſua uulgatos, Brixiam aduolauit, confirmatiſque ſua præſentia populorum animis, hoſtium conſilia præuertit: nilque deinceps ob immenſa frigora, & aduerſum anni tempus, actum eſt. ueris autem initio magnis conatibus bellum reparari utrinque cœptum, copiæque undique largo ſtipendio contrahebantur. uenitque cum duobus armatorum millibus Michael Attendulus in Veneta caſtra, uir bellicæ artis peritiſſimus, in Mellitæ locum a Patribus ſuffectus, qui ætate iam ingraueſcente exigua ſpe animam trahebat. copiis itaque paratis, Sforcia ex hybernis in Piccininum mouit. is autem cum ſexdecim millibus equitum, peditumque iam ad Seriolæ amnis ripam in Bergomenſi agro conſederat, ubi aduerſæ acies in conſpectu mutuo fuere. Sforcia prior pugnæ ſignum dedit, nec eam hoſte detrectante, acre ſtatim prælium circa ripas conſeritur, quo Caualcabos ex Veneta acie uir fortiſſimus occubuit, Troilusque ſaucius e prælio exceſſit: fuiſſetque ille dies magna utriuſque exercitus cæde, & ſanguine nobilitatus, niſi nox ſuperueniens prælium diremiſſet. inde Sforcia Olio ſuperato Martinengum obſidione cinxit, caſtriſque uallo, & foſſa egregie communitis, hoſtem tam diu bellicis operibus premere conſtituit, donec ui, aut fame domitum ad deditionem compelleret, contrà Piccininus oppidi tutandi cura ſuſcepta, cum florentiſſimo exercitu mille paſſus a Venetis munitionibus conſedit. uireſque circa Martinengum maximæ, ualidiſſimæque utriuſque populi aderant: nam Philippus, ut inuicto erat animo, ad partes ſuas firmandas militem undique conſcriptum in caſtra mittebat, ita ut ſupra uiginti armatorum millia, præter aliam imbellem turbam, Piccininus Philippi nomine in caſtris militantia haberet. Veneti quoque ad oſtētandam op-

ſum

Rauenna Veneti occupant.

Oſtaſii exilium.

Sforciæ Venetias acceſſus.

Fr. Barbarus.

Petr. Aduogarius.

Petr. Ludronius.

Brixienſiū præmia.

No. falſos rumores de nece Sforciæ.

Mich. Attendulus.

Pugna æqualis.

Philippi copiæ.

Venetorũ copiæ.

ſum ſuarum potentiam, ualidiſſimũ exercitum contraxere: nam triginta equitum, peditumq́ue millia in eo ſub Sforciæ auſpiciis erant. ſegnius tamen res bellica utrinque gerebatur. Fueruntq́ue ea tempeſtate, qui ſuſpicarentur, conſpiratione inter Sforciã, & Piccininum occulte inita, ad Italiam inuadendam de induſtria bellum protrahere, quo motu Philippus repente ab armis ad pacem conuerſus, ſtatuit Blancham filiam Sforciæ deſponſare, ut eo coniugio rebus ſuis conſuleret. Occulte igitur a Vicecomite

Vrbanus Roſanus. Caimus.

Vrbanus Roſanus in Veneta caſtra ad Sforciam mittitur. alii Euſebium Caimum, & Guidobonum Derthonenſem miſſos aiunt: Caimum tamen fama tenet, rem cũ Sforcia remotis arbitris tractaſſe, colloquiumq́ue a ſecunda noctis uigilia uſq́ue ad lucem protractum dicitur. mane uerò Sforcia hilari uultu in medium proceſſit, & in tabernaculum ingreditur, quò iam multi ex primoribus exercitus officii gratia conuenerant; ad quos conuerſus, ſubridens inquit: Pacem nuncio uobis uiri clariſſimi, bellumq́ue,

Pacis mẽtio.

& arma fœdere pio poſita, quietiq́ue, & ocio nunc ſtudendum. Ea ſubitò denunciatio omnes miro ſtupore defixit: admirabanturq́ue illi, quid nam eſſet, quòd tam inſperato, ſine Senatus cõſenſu Sforcia cum acerrimo hoſte pacem firmaſſet. Peruaſitq́ue rumor ille confeſtim tota caſtra, publiceq́ue ab Imperatore edicitur, ut ab armis miles, & iniuria abſtineret. idem apud hoſtes factum eſt: offenſæq́ue inuicem edicto prohibitæ.

Not. mutuum pacis cõſenſum.

Vulgaturq́ue hìc quidem res mira. Ferunt enim, ſubitam inter milites congratulationem ortam, mutuoſq́ue complexus tanta alacritate, & lætitia, ut ex binis caſtris una facta eſſe uiderentur. Duces quoque ipſi ſumma ſe ſe comitate exceperunt. Poſt hæc Sforcia, Martinengo deditione recepto, Venetias profectus eſt. ubi in curiam admiſus, quidnam de pace cum Philippo egiſſet, patribus expoſuit. ſummiq́ue Dei beni-

Not. Sforciæ uerba in curia pro pace.

gnitate ait factum eſſe, quòd ualidas Philippi uires ita ipſe acciſas reddiderit, ita præferocem illius animum fœdis cladibus contuderit, ut proximis diebus pax ab eo tentata per Legatos fœlicem apud ſe ſortita ſit exitum: Quã, inquit, uobis Princeps Illuſtriſſime, & Patres conſcripti, ex caſtris afferro: hanc ſi ex ueſtra dignitate ducitis, approbate, ſi placet, ſanctiſſimis ueſtris decretis: ſi ea uerò ueſtri Imperii maieſtate indigna uidetur, reiiciatur, ut lubet: ego quidem armis iterum ſumptis, ea fide, & conſtantia bellum proſequar, quod initiò in ipſos hoſtes ueſtros geſſi; daboq́ue enixe operã, (modò fortuna adſit) ut ex ſententia bellum conficiatur. Nunc ueſter exercitus incolumis eſt: oppida, quæ amiſſeratis, recipimus; ſuntque ea in ueſtri Legati poteſtate: & quod Venetæ Reip. auget gloriam, pacem Philippum ſuppliciter petentem uidiſtis, qui tanto armorum ſtrepitu Italiam nuper agitabat. Verùm iubete; quicquid imperabitis, fideli, promptoq́ue animo, ut obſequentiſſimus filius, exequi ad unguem para-

Reſpõſio.

tus ſum. Grata fuit tam popularis, blandaq́ue Sforciæ oratio, actæque illi publico nomine a Principe gratiæ ingentes, quòd grauiſſimum bellum Imperatoriis artibus, quibus ipſe tantum eminet, fœliciter confeciſſet, pacemque cum hoſte ſanxiſſet, quam Patres, ut ſpecioſam, ſalutarem, ac Veneto nomini honeſtiſſimam approbabant. Iret igitur, & quod Reip. eiq́ue beneuerteret, pacis conditiones, quas ipſe uellet, firmaret, ut optata quiete quandoque Italia frueretur: certò patres ſcire, quicquid ille ſtatue-

Pacis approbatio.

ret, Veneto nomini, ac publicæ dignitati honorificum ſpecioſumque futurum. Cum his Sforcia è curia digreſſus, ingentem cepit lætitiam, quòd Senatus pacem, quam ipſe cum hoſte ſanxerat, firmam, ratamque habuiſſet. ſtatimque in caſtra rediit, ac dimiſſo in hyberna exercitu, Caprianam profectus eſt, ubi ex tota Italia Legati affuere: nam ab Eugenio Pontifice Ludouicus Patriarcha, a Venetis Fr. Barbadicus, & Paulus

Partiũ Legati.

Tronus, Oratores uenere; Nerius Capo, & Angelus Acciarolus, a Florentinis; Philippi uerò nomine, Nicolaus Arcimboldus, & Franchinus Caſtellionenſis aderant, uiri omnes doctrina, ſcientia, & rerum uſu clariſſimi. Sed priuſquàm Sforcia Caprianam proficiſceretur, ad Blancham uxorem tribus millibus equitum ſtipatus, Cremonam ſe contulit, ibiq́ue puellam magna nuptiali pompa ſibi deſponſauit, receptaque urbe, cum arce dotis nomine, inde poſt pauculos dies ad cognoſcendas Legatorum cauſas Caprianam rediit, in qua cognitione multi ſunt conſumpti dies: nam Eugenii Legatus Bononiam, Philippi armis occupatam, Apoſtolicæ ſedi reſtitui expoſcebat, ſimili-

Legatorũ altercatio.

ter & Rauennam, quam Veneti, excluſo Oſtaſio, in ſuam redegerant poteſtatem. hinc

Phi-

Philippi Oratores magnis altercationibus Brixiam,& Bergomū, urbes nobiliſſimas, repetebant: & Gonzagæ nuncii Aſulam, Lunatum, Piſcheriam: Veneti contrà Leniacum, & quæ in Abduana terra, antea armis quæſiuiſſent. Demum legatis pluries auditis, diſputationibusq́ue hincinde diuerſis habitis, Sforcię declaratio huiuſcemodi ſequuta eſt, ut Philippus Brixiam,& Bergomum, urbes iuſto bello partas, cum ſuis finibus Veneto cederet, qui Lunatum quoque Aſulam,& Piſcheriam, munitiſſima oppida, Gonzagæ adempta haberet; nec non Rauennam,& in montanis Turbulas, Ripā, & Penetram. contrà Vēneti Romanengum cum omnibus Abduanæ terrę oppidis Philippo redderēt: Canedum autem,& Marchariam Gonzagę: pro quibus Leniacum cū Portu Venetis reſtitueretur. Declaratum quoque eſt, ut poſt biennium rediret Bononia ad Eugenium,& ad Florentinos quędam oppida in Hetruria, Philippi armis occupata. Genuenſes ad hæc liberi iuris eſſent,& in antiquum ſtatum ſub certis conditionibus reſtituti. Poſtremò Cremona cum ſuis finibus Blanchæ coniugis dotalis haberetur. Hanc Sforciæ declarationem omnes miro aſſenſu approbarunt, præter Eugenii Pontificis Legatum, qui quum parum Apoſtolicæ ſedi conſultum exiſtimaſſet, Romam iratus abiit, pace poſt annum quartum ex quo nouiſſimè bellari cęptum erat, inita. Supplicationes trium dierum decernūtur, ad gratias Deo Optimo Maximo piè agendas, quòd periculoſiſſimo bello confecto, longe, lateq́ue protēſi eſſent Imperii fines. Poſtea ſecundum proſperos Reip. ſucceſſus Sforcia cum Blanca coniuge maximo uirorum, matronarumq; comitatu Venetias acceſſit, cui obuiam Princeps, patreſq́ue frequentes progreſſi; magnos honores exhibuere; atque eadem die Duciſſa cum ſelectis matronis egregio ornatu cultis Bucentauro Blancham excepit, quæ cum uiro apud Bernardos ſplendidiſſimo ædium hoſpicio deſedit, publicamq́ue, utrique muneribus, atque honoribus condecorati, benignitatem ſenſere. demum ex urbe in Picenum abeuntes, Princeps, Senatusq; officii gratia Methamaucum uſq; proſecuti ſunt. Pacato autem Italiæ ſtatu And. Dandulum Patres ad Babylonium Regem miſere, ad purganda ea, quæ tyranni animum uehementer læſiſſe dicebantur. nam rumor erat, infinitam Maurorum multitudinem Venetis nauibus ex Aegypto ad Occidētem Solem deuectam, ibiq́ue complures partim necatos, partim ſeruiliter diuenditos. Vt rei igitur ueram ſeriem Barbarus intelligeret, Oratorem ad eum mittendum Senatus cenſuit, qui calumnia diſcuſſa, obiecta dilueret, atque ita Carrhas Dandulus profectus, publico nomine Regi ſatisfecit fœdusq́ue cum eo renouauit. Ac ſub id tempus Mellita, uir armorum gloria clarus,& de Veneto Imperio ob res præclare geſtas optime meritus, naturæ conceſſit, cui equeſtris ſtatua Paduę Senatus decreto ad Antonii Fanum erecta eſt. Tresq́ue hòc anno Procuratores aliorum numero noua lege, quam Andr. Barbus,& Raynerius Vetturius tulere, additi. primisq́ue comitiis Aloyſius Lauredanus, uir conſilio, authoritate, prudentia, in Republic. ampliſſimus eſt creatus: ſecundis, Paulus Tronus, Senator eques illuſtris: nouiſſimis autem Franciſcus Barbadicus, qui cognominabatur diues. atque ita nouem Procuratores ab eo die creari cœperunt, quum ſex antea ſolùm eſſent, ex quorum ferè ſemper numero Princeps deligi ſolet. Antibariſq́ue Epyri urbs per id tempus Antonii Diedi, ſinus præfecti, uirtute expugnata, Veneto Imperio adiicitur: inde quum Cathelani pyratæ maria adeò infeſtarent, ut nihil uſpiam Adriatico ſinu ad dextram, leuamq́ue nauigantibus tutum relinqueretur, delata ſæpe ad Alphonſum Regem querela, ꝙ in Apuliæ, Calabriæq; ditionis ſuæ portus ſæuiſſimi prædones reciperētur, ipſeq; parū ſtudii in prohibenda iniuria adhiberet, ira percitus Diedus, Biſtoniū ad mare poſitum in Frentanorum ora oppidum ſubitò cum claſſe inuadit, ſed priuſquàm arma, uimq́ue inferret, Biſtonienſes hortatus eſt, ut pyratas communes hoſtes a portu ſuo excluderent, nec eorum latrociniis receptaculum, fauorem, auxiliumq́ue præſtarent: quo facto pollicebatur, nullam ſe uim oppido illaturum. Verum Apulis contumaciter agentibus, admota ſtatim claſſe Diedus arma intulit, adduxiſſetque omnino hoſtem in manifeſtum diſcrimen, niſi coorta ſubitò ingenti tempeſtate claſſis diſiecta fuiſſet, qua littoribus horribili uentorum, mariſque ęſtu impacta, ipſe triremium præfectus cum naualibus turmis, naufragii iniuria, in hoſtium poteſtatē uenit

No. Sforciæ declarationem ſuper pacem.

Sforciæ, cum Blancha coniuga ad urbē acceſſus.

Regē miſſere.

Mellitę interitus.

Tres procuratores.

Antibaris capta.

Biſtoniū

Claſſis naufragiū

Ant. Dedus ab Alphonſo liberatur. Ph. Canalis.

nit, qui poſtea Alphonſi Regis iuſſu non ſolùm liberatus eſt, ſed claſſis, bonaque omnia reſtituta. Iterumque ſæuiſſimi prædones aliquanto atrocius coorti, rurſum maria excurſionibus, latrociniiſque infeſtare cœperunt. Sed ad frenandam eorum licentiã Philippus Canalis cum tribus onerariis, & naui una longa ſubitò ex urbe miſſus eſt: repreſſitque is non parum rapacium hominum audaciam. In Turcas quoq; triremes aliquot inſtructæ, quibus Eugenius Pontifex, ut Chriſtianam rem iuuaret, octo ſuo

Claſſis in Turcas.

ſumptu addidit, præfecitque Franciſcum Condulmarium nepotem ſuum, Cardinalem ampliſſimum, & quattuor aliæ a Belgarum Duce ſunt triremes emiſſæ: totiusq; huius claſſis imperium Aloyſio Lauredano, uiro naualis rei peritiſſimo demandatur: qui ſtatim ex ſupero in Helleſpõtum uenit, ut Amurathum bello laceſſeret, quẽ & Latislaus Polonum Rex armis infeſtabat. Pugnatumque eſt haud procul a Danubii ripis, a prima luce ad ueſperam, magnaque armatorum uis utrinque conflixit, ac neutro fortuna inclinante, duo de quadraginta Turcorum millia eo prælio cæſa dicuntur, Chriſtianorum decem. feruntque in eo conflictu, Gallum hominem corpore & animo præferocem cum trecentis equitibus per confertiſſimas hoſtium cateruas ſublimi equo uectum ad Amurathi præſentiam perueniſſe, eumque ferrata prius claua, inde gladio grauiter percuſſiſſe. Credidereque multi, Ladiſlaum Regem fuiſſe, ob aureum paludamentum, quo amictus ille erat, proinde undique ferro petitus, ingentem circa ſe barbarorum numerum interfecit; demum ſuperante hoſtium multitudine, & ipſe cum magna ſuorum parte cæſus, fortiter occubuit. Hæc in Pannonia, in Italia uerò, ut ad eam redeamus, Eugenius Pontifex, Alphonſus Rex, & Philippus Vicecomes fœdus inter ſe inierunt, Sforciæque omnes infenſi, bellum moliebantur, nam Eugenius iram in eum conceperat, ob Bononiam Eccleſiaſticæ ditioni per biennium ablatam, & Alphonſi hæreditarium in Sforciæ nomen odium erat. Philippus autem Generum improbabat, ac de eo conquerebatur, quòd poſt contractam affinitatem, nihilo ille ſuarum partium ſtudioſior factus eſſet, quin Cremonæ cuſtodiam potius Venetis, quàm ſibi demandare uoluiſſet. His ex cauſis Sforcia bello petitus, Piceno ferè omni exutus eſt, & Bononienſes quibuſdam motibus ſubitò in urbe exortis ſe in libertatem uendicarunt; miſeruntque ad Venetos, & Florentinos, qui ab eis auxilia peterent, benignèque ab utroque populo ope impetrata, hoſtium irriti redditi ſunt conatus, libertasque a Bononienſibus egregie defenſa incolumis ſtetit. Amiſſo interim toto ferè Piceno, Sforcia ad Philippum demum reſpicere cœpit, cuius uiribus res ſuas in priſtinum ſtatum reſtitui poſſe ſperabat. Cum eo igitur fœdus percuſſit, actumque eſt inuicem dolo malo, ut Cremonenſes fines Philippus bello infeſtaret, quo facto apparebat, Venetos nullo mõ quieturos, ſed ſubitò iniuriam armis repulſuros, ut Sforciæ res ex fide data tutæ, inuiolatæque manerent, tum Gener quaſi coactus, uxoriſque blanditiis impulſus, pro ſocero contra Venetos militaret. Atque ita, ut illi machinati ſunt, bellum ingẽs in Gallia renatum exarſit. Verùm id fœliciori Venetarum rerum omnino ſucceſſu geſtum, quàm hoſtis animo conceperat, ut poſtea dicetur. Ac ſub id tempus Nic. Piccininus, uir rerum geſtarum gloria inſignis, & militari arte clarus, Mediolani uita exceſſit. Italus autem Foroiulianus, & Iacobus Gauianus, fortiſſimi ductores, qui diu Vicecomiti magna cum laude militarant, quoniam in ſuſpicionẽ ueniſſent, quòd ad Florentinorum gratiam aucupandam, nouis rebus ſtuderent, in Piceno Philippi iuſſu obtruncati ſunt. Ciarpellio quoque ab Alexandro Sforciæ fratre laqueo necatus, ita turpiter uir alioqui inſignis uitam finiuit. Mox ſecundùm conſpirationem initam, Philippus in Cremonẽſem agrum copias hoſtiliter immiſit, ad quos motus ſtatim Veneti exciti, priuſquam armis rem gererent, per Aloyſium Foſcarenũ Oratorem publico nomine Vicecomitem admonendum curarunt, ut a Sforciæ ille rebus abſtineret; quòd ſi ab his infeſtandis non deſiſteret, more maiorum, ei bellum incideretur. Sed Legatum Philippus audire noluit, qui Mediolano quoque diſcedere quàm primùm iuſſus eſt. Rei indignitate Veneti commoti, Michaelem Attendulũ, uirum armorum peritia clarum, copiarum ſuarum Imperatorem in hoſtem ſtatim mouere iubent, confeſtimque is, ut mandatum erat, cum duodecim equitum, peditumq; millibus Olio flumine ſuperato, ad Caſale maius conſedit, hoſteque in Padana inſula in-

Turcorũ cædes. — Not. Galli hominis facinus. — No. fœdus in Sforciã. — Sforciæ fœdus cum Philippo. — Nic. Piccinini interitus. — No. Ductorum cædẽ. — M. Foſcarenus. — Mich. Attendulus.

la inuento explicata acie in eum repente impetum fecit. poſt itaq; atrociſſimum certamen Philippenſes magna cladę a Veneto uincuntur: nã capta ſunt ad quattuor equitum millia, plurimique in fuga, aquarum vorticibus abſorpti, dum Olium traſnare tẽtant, occubuere. Parta autem Attendulus tam inſigni uictoria, cuncta Cremonenſis agri oppida breui recepit: inde in Abduanam terram motis caſtris multa alia loca armis expugnata in Venetorum poteſtatem venere. capti ad hæc ex hoſtibus nouo certamine ad ripam fluuii contracto ſexcenti equites, & cum his duo agreſtium millia, ac Gãzariolæ duæ, & totidem galeones. Quibus fœliciter geſtis, Petrus Aduogarus, Iac. Ant. Marcellus, & Ant. Martinengus, equeſtribus ſunt ornamentis donati, quorum uirtus ea pugna clara, illuſtriſque enituit.

No hoſtiſ cladem.

Viri equeſtri dignitate decorati.

Cæterùm Sforcia Venetorum ſocietate relicta, ad Philippum aperte tranſiit, Eugenii, Alphonſiq; hortatione impulſus, qui iniquo animo ferebant, rem Venetam tam proſpere in Gallia augeri. Ille igitur ſoceri copiis coactis, bellicæ rei curam magno animo ſuſcepit: nam ex Piceno cum ſex armatorum millibus in Flaminiam tranſierat, unde patres continuò ſagittarios quadringentos, & aliquot nauigia ad Rauennæ præſidium miſere. Mox Attendulus, quum pontem fluuio impoſitum pugnaciſſimis armatis firmaſſet, in Mediolanenſem agrum ſubitò irrupit, & ad vrbis uſque portas tumultuosè adequitans, incredibili terrore cũcta repleuit, ædificiaque ſuburbana quædam incendio abſumpta ſunt, ac uis pecorum ingens, multique mortales in prædam, captiuitatemq; abducti. Eugeniuſq; hoc tempore ſummus Pontifex uita deceſſit. De quo multa præclara memoriæ tradita ſunt, ex quibus pauca referre non ingratum erit.

Eugenii Pontificis interitus & laudes.

Is enim licèt initio Pontificatus malis conſiliis ductus, diuina, humanaq; omnia perturbarit quum Columnenſes, populumq; Romanum ad arma exciuiſſet; ad ſeipſum tamen poſtea rediens, omnia prudenter, & conſtantiſſime egit. Vir aſpectu inſignis, & in dicendo grauis, liberaliſque in omnes, tum uel maxime in doctos, litteratoſque, quorum familiaritate plurimum delectatus eſt: nam Leonardum Aretinum, Carolum Poppium, Georgium Trapezuntium, & Blondum Flauium, viros doctiſſimos ampliſſimis præmiis Romã allectos, ſecretis ſuis admiſit. Gymnaſia autem toto ferè Orbe quàm diligẽtiſſimè fouit, maximè uero Romanum, & Bononienſe, ad quæ omne genus letteraturæ, largo ſtipendio ſtudiorum profeſſoribus excultis, adhibuit. in Religioſos etiam admodum pius, ac munificus, quos opibus, & immunitatibus complexus eſt. Bella autem ita amauit: quod in ſummo Præſide, ſacris dedito, mirũ ſanè uideri debet, ut, quoad uixit, Martem, armaque, per Italiam, ac per omnes ferè Chriſtiani orbis prouincias commiſcuerit; compluresque belli Duces ad militare Eccleſiæ imperium extulit. Tollentinatem, Sforciam, Attendulum, qui præclaras, memorabileſque Apoſtolicæ Sedi victorias compararunt. & dum magna Eugenius animo agitat, naturæ (ut dixi) conceſſit, anno Pontificatus ſui decimoſexto, & ætatis ſexageſimo quarto, vir ingenio, & reb. geſtis inſignis, cui Nicolaus Quintus eſt ſuffectus, Thomas Sarzanius antea uocatus, eodemque anno Epiſcopus, Cardinalis, & Pontifex creatus, unicum, admirabileque humanæ fœlicitatis exemplum.

Nicola. V. Pontifex.

Ad eum continuò, ex ueteri Reip. inſtituto, legatio decrata eſt, Senatus principes, Aloyſius Lauredanus, Paſchalis Maripetrus, Aloyſius Venerius, & Zacharias Triuiſanus, Chriſtophori Mauri loco, ad hoc munus miſſi: ac ſub id ferme tempus Iacobus Foſcarus, Principis filius, in duplex crimen largitionis, cædiſque deuocatur, quaſi & a quibuſdam Regulis munera accepiſſet, atque eo authore, Hermolaus Donatus triumuiratum Aduocatorium gerens, dum noctu e curia ſe domum reciperet, publica uia interfectus eſſet. acerbiſsimæ itaque quæſtioni adhibitus, & in eculeũ ſublatus, quum obiecta conſtanter negaſſet, nec probabilia indicia extarent, quibus ultimum reus mereretur ſupplicium, in cretam inſulam eſt relegatus, ubi ſpe omni amplius in patriam redeundi ablata, uitam cum morte commutauit.

Legati ad Pontificẽ.

Iac. Foſcarus.

Iiſdem quoq; diebus, And. Donatus, qui tum Cretæ Dux erat, iuſſu patrum ex inſula deuectus, publica adminiſtratione priuatur, mille inſuper, & quadringentis nummis aureis damnatus eſt, & per annum in uincuſis habitus, ob largitionem, qua eum Sforcia corrupiſſe dicebatur, ut eius patrocinio, fauoreque in Senatu uteretur.

And. Donati damnatio.

Sed dum hæc domi geruntur, Carolus Montonius, iuuenis acer, Brachii illius ſummi Ducis filius, in Sforcianarum partium inui-

Car. Montonius.

inuidiam ad Venetos tranſiit, & Attendulus iterum in Mediolanenſes fines cum firmiſsimis copiis tranſgreſſus, Veneta ſigna in conſpectu hoſtium prope urbem conſtituit, uocauitq; ad libertatem populum. ſed ubi id fruſtra tentatum, quum nullus in ciuitate motus oriretur, conuerſis aliò ſignis, Ticinum uſque Venetus prædabundus, furensq; peruenit: inde hoſtium ſpoliis onuſtus, iterum publica ſigna Mediolanum ad mouit, rurſumque populus ad libertatem uocatus: nec hac tamen uice etiam motus ullus ſequutus eſt. Demum ex indignatione agro hoſtium fœde populato, Attendulus Briuium in Brigantinis adortus, ad deditionem compulit, ubi in miſeros oppidanos crudeliſsimè ſæuitum dicunt ita, ut non uiri ſolùm, & maiores natu interfecti, ſed impuberes etiam uſque ad bimulos in cunis ſint trucidati, puellæ quoque uitiatæ, ac

Not. ſæuitiam.

omne ætatis genus miſerabili modo uexatum, direptæ ędes, templa, agri, tanto odio & crudelitate, ut ferarum rabies in conſpectu omniũ repræſentata ſæuire uideretur. cæterùm non miles, ſtipendiariusve, ſed aduerſæ factionis homines in hæc nefanda ſcelera prorupiſſe dicuntur, qui ut ſuum in deuictos hoſtes explerent odium, nulla perſonarum, conditionis, ætatisq; habita ratione, omni genere immanitatis in miſeros mortales uſi ſunt. Per cædẽ igitur, & ſanguinem Veneta arma in fines hoſtium penetrarunt; ibiq; præda ingens parta dicitur, quę ſummam ducentorum aureorum millium exæquauit. & ad Larium lacum Attendulus cum copiis progreſſus, Barium montem ui captum diripuit, Leucoque fruſtra oppugnato, Larii accolas in prædam uertit; & quum iam omnia ab Abdua Comum uſque armis ſubegiſſet, in pacatum inde

Not. peſtilentiam.

circa flumen cum uictore exercitu abiit. Domi interim pæſtilentia grauiſsima ciuitatem adorta eſt, quæ multa mortalium millia abſumpſit, ſupplicationesque ob id circa ſacras ędes, ad placandam, auerruncandamque Deorũ iram indictæ. nocturni ad hæc ignes in tam uaſta urbe paſsim excitati, ut multiplici eorum uapore, exhalãtiq; fumo

Lazaretũ duplex.

aer purgaretur. inſtitutũ eſt præterea duplex Lazaretũ uetus, & nouũ, in quibus morbo correpti publico ære curabantur. plurimũq; ad contagionẽ tollendã hæc loca, quæ duobus paſſuũ millibus ab urbe in amœniſsimo poſita ſitu diſtãt, profuere. Poſtea quũ Philippi res eſſent uehementer bello acciſæ, Sforcia ad ſoceri ſubſidium ex Flaminia cum copiis profectus, per Ferrarienſes in Parmenſem agrum tranſiit. Anconaque hoc tempore Venetam, erectis publicè Diui Marci ſignis, ſocietatem eſt ſequuta: ſtatimque ſeptem triremes ſub Laurentii Minii ductu eò miſſæ, quæ urbi præſidio eſſent.

Iac. Maurocenus. And. Leonus.

& onerariæ duæ per id tempus in pyratas ſunt inſtructæ, unãq; Iacobus Maurocenus, alteram Andr. Leonus, uiri maritimarum rerum peritia clari, ductarunt. Erantque hinc inde terra, marique magni bellorum conatus, quum Philippus principum omniũ

Philippi Ducis interitus.

bellicoſiſsimus, qui in Vicecomitum familia fuere, medio armorum Italiæ incendio, uita deceſſit; cuius obitu cõſternati populorum animi, qui ſub ſua ditione erant, uariis conſiliis, nouiſque motibus agitari cœperunt.

Lauda, & placentia, Venetis cedunt.

Lauda primùm, mox Placentia, urbes clariſſimæ, in Venetorum fidem conceſſere: Comũque, & aliæ pleræque ciuitates nouis rebus ſtudere uidebantur. Veneti autem Laudam, & Placentiam urbes nuper deditas, maturo præſidio firmarũt, miſſique Gerardus Dandulus, & Iac. Ant. Marcellus cum ſelectis militibus ad utranque urbem cuſtodiendam. nam Mediolanenſes bellũ a Philippo inchoatum ſuis auſpiciis gerere ſtatuerunt, Sforciamque ſuarum copiarum ducem aduerſus Venetos publicè declarant. Ipſe autem ſuſcepto militari Imperio ſtatim Cremonam uenit, inde Abduam ad Piſſeonem tranſiit, iunctiſque cum Franciſco Piccinino copiis, in Attendulum mouit, qui in Laudenſem iam agrum caſtra trãſtulerat. At Mediolanenſes ſuſcepta Inſubrici Principatus tutela, triplicem legationem, a-

Mediolanenſiũ Legatio ad Venetos.

liam ſuper aliam miſſam Venetias ad Senatum decernunt, quibus res, quæ Philippi fuerant, publico ciuitatis nomine repetuntur. In eam ſemper ſententiam a Senatu Legatis reſponſum eſt, etſi quæcunque Veneti loca ex Inſubrum Principatu armis parta iuſto bello quæſiuiſſent, ut tamen Itali, exterique Principes intelligerent, Venetos ex maiorum ueteri, pioque inſtituto, ſtudioſiſſimos pacis eſſe, prompto animo paratos fore, ſe omnia Mediolanenſibus reſtituere; ſi immenſum auri pondus, quod bellici ſumptus hauſiſſent, ſibi bona fide perſolueretur. At Legati nihil pollicentes, aurumque abnegantes, infecta re iuſſi ſunt ſtatim abire. Patres, quia cum Sforcia, & Mediolanenſi

populo

populo ingens bellum in Italia inſtare uidebant, copias terra, mariq́ue diligentiſſimè contrahunt, primumq́ue claſſis quattuor triremium, ac duorum & triginta galeonum per Padi fluenta decernitur, cui Andreas Quirinus, & Georgius Lauredanus præficiuntur. terreſtres quoque copiæ paratæ affuerunt. Cæterùm Sforcia omni ferè Italicæ militiæ robore largo ſtipendio in unum contracto, urbem Placentiam, quam Veneti occuparant, ſubita oppugnatione terra, fluuioq́ue adoritur, ac magna murorum parte tormentis demolita, apertum ſuis aditum in urbem irrumpendi facilè parauit. eam itaque ui captam militibus diripiendam tradidit; ibique Gerardus Dandulus, & Thadeus Eſtenſis, qui præſidio cum mille peditibus aderant, capiuntur. Et Attendulus, ut Sforcianos a Venetarum rerum inſectatione aliquo modo auerteret, Abdua flumine ad Columbanum ſuperato, tumultuoſe in Ticinenſem primùm, mox in Mediolanenſem agrum prædabundus irrupit, ſtatueratq́ue Dux impiger, niſi Placentia tam celeriter ab hoſte capta eſſet, Cremonam oppugnare. Verùm in aliud tempus, rem diſtulit. Marcello autem ab exercitu digreſſo, Al. Lauredanus, & Matth. Vitturius, noui Legati in caſtra uenere. paxq́ue Nicolai Pontificis, Florentinorumq́ue ſuaſu tentata eſt, ad quam componendam Veneti, Mediolanenſesq́ue Legati Bergomum acceſſere. Inſubres Laudam repoſcebant, Veneti eam contrà reddere negabant, niſi prius auri ingentem ſummam, quam bello expenderant, a Mediolanenſibus reciperent. Itaque re infecta, ut aliàs, diſceſſum. Emiſſæ hoc tempore ex urbe aliquot naues ſub Lauren. Lauredani, & Aloyſii Bembi, præfectorum ductu, ad pyratas toto mari perſequẽdos. Ii igitur Aegeum, Ioniumq́ue proſperò curſu emenſi, Vitalem Surdum Archipyratã inſignem obuium medio mari habuere, quem ſtatim cum Myoparonibus ſuis captum Venetus ſuſpẽdio necauit. Alii quoque prædones poſt Surdum intercepti, eodem ſupplicii genere afficiuntur. & hæc mari. Noues poſtea motus Carolo Gallorum Rege in Italia aduerſus Inſubres conciente, prælium atrox in Alexandrino agro commiſſum eſt: ita a Collione, & Aſture Galli uicti, ingentem cladem accepere. Mox Sforcia ſub uernum anni tempus copias educens, Mozanicam magno impetu adortus, oppidanos metu perterritos, ſubitò ad deditionem compulit: inde in Abduanam terram ingreſſus, omnia fœda depopulatione uaſtauit, ac præter Carauagium, cuncta eius terræ loca breui armis ſubacta. Tum Attendulus cum Venetis copiis ad calcem ultra Olium flumen conſedens, ad omnes Sforciæ motus intentus erat. hisq́ue locis ſine re ulla memorabili ſegnem utrorumq́ue caſtra aliquandiu moram traxere. Demũ quum Sforcia Venetam claſſem Cremonenſes fines per Padum uexare audiſſet, ſtatim ad eã delendam magno auſu animum conuertit. crebris enim in extremo ripæ fluminis margine tormentis occultè locatis, ſex & uiginti galeones in Venetum mouere iuſſit, qui tum fortè in pontis oppugnatione circa Cremonam Pado a Sforcia impoſiti occupatus erat, eumq́ue refringere Quirinus inuito hoſte tentabat. uerùm ubi Sforciam adeſſe ſenſit, cõtinuò cum tota claſſe ad Caſale maius retro abiit. hìc autem terra, & aquis Veneti cum nauibus circumuenti, in bellicas hoſtium machinas inciderunt, quæ (ut diximus) a peritiſſimo Duce in extrema Padi ripa diſpoſitæ fuerant. Animaduerſo autem Quirinus præfectus periculo, quum crebros tormentorũ ictus claſſem diſſipare conſpiceret, translatis ſilentio noctis in Caſale proximum oppidum armamentis, uacuas naues, ne hoſtes iis potirentur, incendio abſumpſit; nonnullas tamen ſubitò Sforciani accurrentes, reſtinctis flammis, ſeruarunt. Sed ubi Quirinus Venetias uenit, quia haud ſatis ſtrenuè nauale adminiſtraſſet Imperium, ignauamq́ue præſtaſſet Reipubl. operam, delegata patrum iuſſu ad Triumuiros aduocatores cauſſæ cognitione, poſt multa hinc inde dicta, probataq́ue, Quirinum Aduocatores in uinculis per aliquod tempus habendum cenſuere. Sunt, qui dicant, eum in iudicio palàm, conſtanterq́ue dixiſſe, ſe claſſem in tutum adducere facile potuiſſe, niſi ei Attendulus ſpem feciſſet, ne prelium conſerere dubitaret, quando ipſe cum omnibus copiis ſubſidio ſtatim affuturus eſſet; quod quum poſtea (ut pollicitus fuerat) nullo modo præſtitiſſet, proditus Venetus cladem, incommodumq́ue illud Attenduli culpa adierit. Sforcia Quirini claſſe deleta, ad Carauagium ſtatim caſtra admouit, oppidumq́ue obſidione cinctum ad deditionem compellere tentat, uique, & armis omnia miſcet. At Attendulus

Claſſis in Pado.
And. Quirini Geor. Laureda.
Placentia ab hoſte recipitur.
Al. Lauredanus. Matt. Victurius.
Vitalis ſurdus pyrata laqueo necatus.
Sforciæ cõſilium in delenda claſſe Veneta.
Quirini dãnatio.
Carauagiũ

Sforciæ conatus impediturus, Carauagium & ipſe cum inſtructis copiis proficiſcitur, caſtraque prope hoſtium munitiones locat. ſtabantque propinqui ſub ſignis duo floren tiſſimi exercitus, iam iam conflicturi, nec unquam aliàs tantus equitatus, tot uiri armis, genereque illuſtres in Italia unum in locum coiere: nam præter Attendulum, copiarum omnium Imperatorem, clariſſimi hi Ductores in Venetis caſtris erant, Ludouicus Gonzaga, Barthol. Collio, Gentilis Leoneſſius, Tybertus Brandolinus, Carolus Mōtonius, Io. Comes, Guido Rāgonius, Albertus Bodiēſis, Cæſar Martinēgus, Nic. Guerrerius, & cum his ad duodecim equitum millia, ac uis peditum ingens. apud Sforciam uerò Alexāder, & Carolus, Boſſii fratres, bello acerrimi, Fr. & Iac. Piccinini, Carolus Gōzaga, Guielmus Mōferratēſis, Aloy. Vermius, Io. Tollētinus, Chriſtophorus Torellus, & Barth. Quarterius. erantque in his caſtris ad ſupra ſexdecim equitum, peditumque millia. Eſt itaque ex occaſione intra paucos dies ſæpius utrinque dimicatum, leuiaque omnino certamen obiter commiſſa, nec totis unquam uiribus in aciem deſcenſum. Venereque per hos dies in caſtra Legati, Hermolaus Donatus, & Fe-

Her. Donatus, Fed. Contarenus. Gerardus Dādulus.

dericus Contarenus, uiri peracres, elatiorique ingenio. Hi Attendulum Imperatorem non deſinebant hortari, ad opem Carauagianis aperto armorum incurſu ferendam: ſed Contareno morſu canis extincto, Gerardus Dandulus eius loco in caſtra uenit. Carauagium interim, cuius oppidi præturam tunc gerebat, Petrus Bembus uir fortiſſimus, Sforcianorum armis grauiter premebatur. Quare Legati, Ductorumque plerique prælium, ac ultimam belli fortunam experiri temerè optabant. contrà Attendulus, ueteranique Duces pugnam palàm diſſuadere, qui hoſtium uires, fœlicemque plurimis bellis Sforciæ genium probe norant. impellente tamen fato, ſatius uiſum, cum hoſte confligere, quàm ocioſe ſedendo expectare, dum Sforciani aut longa

Prælii initium.

obſidione, aut armorum ui oppidum in conſpectu Venetorum ſubigerent. Dato igitur pugnæ ſigno, Tybertus Brandolinus uir acer primam aciem ducens, hoſtem ferociter inuadit, ſequutique cum pari audacia, Guido Rangonius, & Albertus Bodienſis in pugnam ruunt: primoque impetu hoſtium Ductores, Carolus Gonzaga, & Alexander Sforcia intra caſtrorum munitiones a Venetis repelluntur. nondum enim Imperator

Sforcia.

Sforcia aderat, quum ſacrorum cauſa tum in ædem propinquam cum paucis conceſiſſet. Sed ubi conſerto prælio ſuos laborare audiuit, ſtatim cum robore copiarum in aduerſos hoſtes incurrit: tum Imperatoris præſentia Sforciani confirmati, undique coorti non ſolùm æquarunt pugnam, ſed Venetum quoque ex ipſis munitionibus ſummouere cœperunt. Diu tamen, & acriter utrinque pugnatum, & iam hoſti fortuna arridere uidebatur, locorumque anguſtiæ, & paluſtres uiæ Venetos non parum turbabant. Quare acrius impreſſione a Sforcianis facta, Veneta acies loco primùm moueri cœpit, mox & in fugam uerti. At Bodienſis, & Rangonius militaris decoris memores, dum inclinatam pugnam reparare hortando, monendoque enixe ſtudent, hoſtium multitudine circumuenti opprimuntur. tum uerò amiſſis ducibus, turbatiſque ordinibus, aper-

Venetorū clades.

ta fit fuga, in qua octo peditum, equitumque millia capta fuerunt. Legati quoque in hoſtium poteſtatem uenere. Ferunt, Dandulum ab Attendulo admonitum, vt fuga ſalutem ſibi quæreret: tum ille reſpondiſſe dicitur, malle ſe circa publica ſigna in ſtrage militum ſuorum mori, quàm turpi fuga ad ignominiam ſeruari. Attendulus, Collio, Brandolinus, Leoneſſius, & alii ex acie in tutum abiere. Caſtra autem mira rerum opulentia referta uictor hoſtis diripuit, ac poſtero die Caſali, Riuoltella, Carauagio, ſubita ab oppidanis deditione facta, potitum. Brixiamque inde Sforcia propere ſigna admouit, quam tum urbem regebant, Petrus Piſanus, & Laurentius Minius, uiri ampliſ-

Pet. Piſanus, Lau. Minius.

ſimi. Neque tamen ad tantam cladem, ut mira eſt gentis in aduerſis rebus conſtantia, Veneti animum remiſſere; ſed ſubitò duobus Legatis, Aloyſio Lauredano, & Paſchale Maripetro creatis, ad reparandum, quanto ſtudio poſſunt, exercitum uigili cura incumbunt. Iique cum triginta aureorum nummum millibus, vrbe profecti, Veronam aduenere, ubi die, noctuque ad conſcribendos milites intenti, ingentem profuſo ære

Veneti exercitū reparant.

equitum, peditumque uim breui compararunt; quibus uiribus tuta res Veneta reddebatur, quando in eam hoſtis uictoria elatus impetum faceret. Sed dum Sforcia ad Brixiam cum uictore exercitu ſedet, aliæ quoque Mediolanenſium copiæ, Piccinino Du

ce,

ce, Laudam circumuallarunt. Erantque in hoc ſtatu res Galliæ, libertatemque retinere Inſuber omni ſtudio curabat, uerebatur autem ne tantis uiribus ſuffultus Sforcia, eam opprimeret, tacitoque aſpiraret conſilio ad Philippi principatum, ob Blancham coniugem, omnium fortunarum patris hæredem. Studio itaque retinendæ libertatis Mediolaneſes, ſenſim uires illi detrahere, authoritatem imminuere, ac quotidie eius conſilia minus ſequi: quod ubi ſagax Imperator aduertit, ut Venetum ſibi quādoque amicum redderet, cuius ſolius populi in Italia potentia gradum ſibi ad ampliſſimum principatum parandum præſtari facile poſſe intelligebat, confeſtim toto mentis affectu ad priſtinam Venetorum amicitiam reflexit animum. ad id autem traſigendum Clementis Thealdini ſcribæ, qui cum Legatis Venetis prælio captiuus factus in Cremonenſi arce aſſeruabatur, opera Sforcia uſus eſt. Is ſtatim cuſtodia liberatus, ad Principem, & Senatum uenit, ac Sforciæ nomine petiit, ut ſi pax cordi patribus eſſet, mitterent ad eum in caſtra Iac. Ant. Marcellum, aut Paſchalem Maripetrum. is iuſſū Senatus ad Sforciam profectus eſt, uenitque ad Fornaces, locum haud procul a Peſcheria, ubi Angelus Simoneta, Sforciæ nomine, aderat: amboque ſecretò ſæpius congreſſi, in has pacis, fœderumque conditiones deſcenderunt, ut Veneti, Sforciaque coniunctis armis Mediolanenſium hoſtes eſſent; ſoluerenturque illi ſingulis menſibus in ſtipendium decem aureorum nummum millia: expreſſumque ad hæc, ut quicquid circa Abduam Vicecomes tenuiſſet, ſi illud armis ſubigeretur, Veneti haberent; Sforcia uerò Mediolanum, cum toto Philippi principatu. Icto in hunc modum fœdere, redditisque hinc inde captiuis, ac ſoluta Brixiæ obſidione, Sforcia ſtatim copias in Mediolanenſes duxit. Attendulus autem abrogato prius illi ob rem male geſtam Imperio, in Taruiſinum agrum a Senatu ablegatur, & Laudenſes in Mediolanenſium fidē ultrò rediere. mox Sforcia totam Inſubrum regionem armis peruagatus, præter Comum, & Laudam, quicquid hoſtes inter Abduam, & Ticinum habebant, breui occupauit: hinc demum Mediolanum caſtris ad quinque paſſuum millia admotis, urbem obſidione cinxit: & ex altera parte Alexander, Sforciæ frater, cum duobus equitum millibus, & peditum ui ingenti, unà cum Iac. Ant. Marcello, Legato Veneto. Berthonam, Nouaram, Alexandriam, & Parmam adortus, uoluntaria deditione cepit. quo motu Ludouicus Allobrogum in Sabbaudia Dux, qui cum Mediolanenſi populo fœdus in Sforciam percuſſerat, cum maximis copiis ad ſocios iuuandos, Ioannem Compenſium, uirum militari ſcientia inſignem, in Italiam miſit. iſque in Nouarienſis agri finibus conſedens, Sforcianos infeſtis armis premebat. At Collio, Marcelluſque cum ualida armatorum manu in Barbaros mouere iuſſi, ad Sicidiam fluuium prælium commiſere, in quo magna clade uicti ſunt Allobroges, quadringentique equites cum ipſo Compenſio capiuntur. Mediolanum interea ferociſſimus Dux Sforcia perpetua armorum ſtatione circumuallatum fame domare ſtudebat: aduentanteque hoſtium ingenti multitudine, ita aciem in eos ſtruxiſſe dicitur, ut Marcellus, qui illi hærebat, inſpecta ſingulari in ſummo Duce rei militaris peritia, fertur ad Senatum ſcripſiſſe, ingens imminere uniuerſæ Italiæ periculum, ſi Mediolani principatu Sforcia potiretur. Domi uerò inexpectata clades ciuitatem penè deformauit. Stammatus enim Graii ſanguinis homo, dum ex Creta inſula Venetias forte acceſſiſſet, dirum, atroxque facinus perpetrare auſus eſt: ſiquidem ad publicos theſauros, qui in ſecreta aureæ ædis parte aſſeruantur inſpiciendos cum Borſii Eſtenſis Legato admiſſus, ſtatim ſtupendo precioſarum rerum aſpectu pellectus, ad nobiliſſimum furtum animum adiecit. Primis autem tenebris, in Innocentium ſacello, cæteris abeuntibus, poſt aram ſe occultè illatebrauit, totamque noctem inſomnem agens, marmoream tabulam fur ingenioſus ex templi pariete exemit; locumque ingreſſus, ubi theſauri reconditi erant, quotidie aliquid auferrebat, ſub lucemque tabulam loco ſuo aptabat ita appoſite, ut nullum fracturæ ueſtigium appareret. atque hoc modo plures noctes ſedula cura operatus, ampliſſimos theſauros Græculus furatus eſt, in quibus præter infinitum gemmarum numerum, Monocerotis cornu erat, immenſi, ut aiunt, precii; & duodecim aureæ coronæ. ad hæc Principis inſula, Chryſolitis, Smaragdis, Iaſpidibus, unionibuſque ornata; quæ omnia uicies cētenis aureorum nummum millibus æſtimata dicuntur. Verùm

Sforcia Venetam ſocietatē amplectitur.

Fœderis conditiones cum Sforcia.

Attenduli exilium.

Vrbes a Sforcia captæ.

Venetorū uictoria.

No. Marcelli de Sforcia iudicium.

Stammatus.

Not. Theſauri publici furtum.

Zach. Grio.

haud diu tantum furtum occultum ſtare potuit. erat illi Zacharias Grio,& ipſe natio-
ne Græcus,arcta familiaritate coniunctus: huic rem omnem ſacræ aræ prius admoto
Stammatus pandit,furtumque promit,ad cuius conſpectum, quum Grio mira inno-
centia uir obſtupuiſſet,ſcelusque tacito quodam animo deteſtari uideretur; tradunt,
ſacrilegum hominem pœnitentia ductum, quòd rem cum Grione communicaſſet,
eum obtruncare eadem hora uoluiſſe: quod ille ueritus,ſtatim uultu hilari, fictoque
ore ad Græculum conuerſus,dixiſſe fertur,ſe præ nimia lætitia, pro tantis partis di-
uitiis,pene deſipere: quibus uerbis uir nequam emollitus,cæde abſtinuit. at Grio per
ſpeciem expediendi negocii,furem prius amplexatus,domo egreditur,in curiamque
aſcendens,atrociſſimum retegit facinus. nec mora, miſſi ſunt continuò,qui hominem

Stammati ſupplicium.

comprehenderent,receptoque theſauro,Stammatus in poteſtatem redactus,ad gemi
nas columnas inaurato laqueo necatur: indicique perpetuus cenſus ex publico decre
tus.& hæc domi. Foris autem Piccinini fratres cum tribus equitum millibus ad Sfor-
ciam tranſiuere: idque Venetus ægre tulit,quum in fœdere cautum eſſet, ne qui Me-
diolanenſium ſtipendia feciſſent,aliquo modo Sforciæ militarent. ea res, nonnullæ-
que aliæ cauſæ,patrum animos ab eius ſocietate non parum alienarunt,ſed præcipue
Ducis immoderata cupiditas in occupando Mediolani principatu,iam pluſquam ſa
tis honeſtum eſſet,ſuſpecta eſſe cœperat,atque ob id tum primùm Veneti ad Medio-
lanenſium ſocietatem reſpicientes,noua conſilia agitabant; & Piccinini, ut leuia eo-

Piccinini transfugæ

rum erant ingenia,repente cum quibus paulò ante aduenerant copiis, relicto Sfor-
cia,ac inſidiis petito,Mediolanum conceſſere. Premebat interim ille urbem grauiſſi
ma obſidione,quando Alphonſus Rex,ut Inſubres aliquo modo bello leuaret, Vene
tos male habitos,regni finibus ſubitò edicto deiecit: qua rei indignitate patres com-
moti,ad ulciſcendam iniuriam,continuò claſſem decernunt,cuius Al. Lauredano,ui

Al. Lauredanus.

ro naualis militiæ claro,datum eſt imperium, Maritimoque hoc belli apparatu Al-
phonſus perterritus, per Leonellum Eſtenſem pacem a Venetis impetrare tentauit:
ſed irritatis ſemel animis,bellum nihilo intermiſſum. Itaque Victor Capellius,qui ſi

Victor Capellius.

nui præerat, in Neapolitanos fines cum aliquot longis nauibus delatus, triremem
unam Gotholanicam,quæ paucis antè diebus Venetam infero mari oppreſſerat, ce-
leri fuga abeuntem,irrequieto curſu Orthonam uſque inſequutus eſt. at hoſtes è tri-
remi in littus euadentes,uim repellere ferro,armiſque enitebantur. oppidani quo-

Not. Capelli audaciam.

que in eorum auxilium magna multitudine aduenere. quod vbi Capellius conſpe-
xit,obuerſis ſtatim nauium proris,iubet,ſuos arreptis armis in terram deſcēdere, ho
ſteſque intrepide aggredi. nec mandata illi neglexere, irruunt ſtatim magno impe-
tu,multique ex hoſtibus cadunt,quibus tandem fuſis,atque intra oppidum compul-
ſis,non ſolum triremis ex Orthonæ portu a Venetis rapta educitur,ſed nauale etiam,
quod proximum oppido fuit, iniecto igne concrematur. direptaque eodem incurſu
in Orthonenſium inuidiam ſuburbana tecta. Inde re præclarè geſta, Capellius diſce-
dens,ad priſtinam ſtationem ſe recepit, tentataque eſt per hos dies a Venetis pax in-

Vrſ. Iuſtinianus, Paſch. Maripetrus.

ter Mediolanenſes,& Sforciam, ad quem Vrſatus Iuſtinianus, & Paſchalis Maripe-
trus Legati publico nomine acceſſere,propoſitæque hæ ſunt conditiones, ut Sforcia
ex ſoceri Philippi principatu,ſeptem urbes,Cremonam,Ticinum,Placentiam, Par-

Pacis conditiones Sforciæ propoſitæ.

mam,Alexandriam,Derthonam,& Nouariam haberet; Mediolanenſes liberi iuris
eſſent,ac Laudam,Comum,reliquaſque urbes tenerent. huiuſcemodi pacis condi-
tiones a Legatis Venetis pro bono pacis,ac Italiæ quiete ad Sforciam delatas, neque
recuſauit ille,neque probauit. cæterùm reſpondiſſe dicitur, ſe in Veneti Senatus po-
teſtate eſſe,quicquid ille decerneret,prompto ſe animo præſtaturum, quum patrum
uoluntati,quantum in ſe eſſet,omni tempore obtemperare ſtatuerit. uerùm poſtea re
aliquandiu Venetiis a Sforciæ Oratoribus, Angelo Simoneto, & And. Birago per al
tercationes iactata,nil actum eſt; & re infecta Legati abierunt. Pax autem inter Vene

Pax inter Venetos, & Mediolanenſis. Publica defenſio.

tos, & Mediolanenſes aduerſus Sforciam initur. In quo non mirari maxime poſſum,
non deeſſe,qui Venetos obtrectando grauiter accuſent, leuitatiſque eos non ſolùm,
ſed & perfidiæ aperte inſimulare uidētur, ꝙ ii ſcilicet Sforcia nulla iuſta cā relicto,no
uam ſocietatē cōplexi fuerint. ſed certe id iure factū dici pōt,quia & in aduerſa Reip.

fortuna

ſortuna Sforcia Venetos non multo antea deſtituerat,ſtudioq; retinendæ libertatis, uicini,præpotentisque populi,non autem nocendi amico principi, fœderum Veneti obliti,nouos ſocios ſequuti ſunt: idque manifeſtò apparet, quum nihil ex fœdere, quod cum Mediolanenſibus eſt percuſſum, Venetæ rei acceſſerit, quin Sforciæ magnopere conſultum patres uoluere,tot urbibus eius Imperio traditis, præter Mediolanum,quod ex ueteri maiorum inſtituto,pioque ciuitatis ſtudio in libertate retinere,ardens,iuſtaque illis cura erat: nulla itaque perfidiæ, nulla auaritiæ labes Venetis obiici debet,qui pacis in Italia conſeruandæ ſtudio,non leuitate ingenii (ut improbi interpretantur)& Imperii ambitione,diuerſa ſequuti ſunt fœdera. Poſt hæc nondum pace cum Mediolanenſibus inita, Crema in Venetorum fidem conceſſit, Gentilis Leoneſſius ad oppidum recipiendum cum ualido præſidio ire eſt iuſſus.

Crema Veneti potiuntur.

Bello autem Sforciæ indicto,id alacri animo inuictus Dux ſuſcepit,illatumque non ſolùm fortiter ſuſtinuit,ſed uirtute ſua,& admirabili fortuna ex ſententia confecit. Interim Lauredanus, claſſis Imperator,dum noua fœdera ſanciuntur, cum quinque & triginta triremibus ad Alphonſi res infeſtandas in Siciliam uſque proceſſit; Meſſanamque ſubitò incurſu adortus,regiam nauem eximiæ magnitudinis in ipſo portu iniectis flammis concremauit,ac pleraque alia nauigia circa littora fœliciter oppreſſit. inde Siciliæ oram præteruectus,Cetheas duas mille & quingentarum utranque Amphorarum ex alto in Syracuſanum portum Venetæ claſſis metu delatas facto repentè impetu aggreditur:

Lauredani circa Siciliam geſta.

ſed quum ualidiſſimas ad portus exitum munitiones Siculi erexiſſent, cathenaque ad id obiecta firmisſima cum uallo,tutum,inexpugnabilemque penè redderet locum, parũ armis & aperta ui,ſe proficere Lauredanus ratus,nouo certaminis genere hoſtem aggredi ſtatuit. nam antea ſub primum acceſſum conatus eſt,disfractis munitionibus, portum irrumpere,conſertoque prælio multa utrinque cædes ædita. Nouam itaque uiam uir ferox ingreſſus,qua in hoſtem proſperiori ſucceſſus depugnaret, nauigium ſarmentis,& ſulphureo puluere plenum,cum triginta fortisſimis, audacisſimisque uiris,quos ad id facinus elegit, uento, & fluctibus ſecundis, in Syracuſani portus fauces immittendum curauit,eo conſilio,ut occupato uiolenta nauigii irruptione portu, Cetheæ iniecto igne concremarentur. Dato igitur ſigno,opportune nauigium uento, aquisq; ſecundis impulſum,cathenã,repagulaq; omnia uiolentisſimè ꝑfregit, ac diſiecit,nilq; eo impetũ cũctatũ,quo minus,ſtupẽtibus nouitate rei hoſtibus ad internas nauiũ ſtationes peruenerit.

Not. nauigii impetum.

Hic dum Regii accurrentes nauigiũ circũſiſtunt, ut illud cũ hominibus oppreſſum in poteſtatem ſuam redigerent; ſubitò hi ſub primum acceſſum incenſis hoſtium cetheis,in paratam ad id actuariam Scapham inſiliunt, remisque innixi (hoſte nequicquam perſequente) ad Lauredanum incolumes rediere,& naues in Syracuſanorum conſpectu incenſæ ſunt: tantique facinoris authores a Lauredano cõplexi,collaudatique merita tulerunt fortitudinis ſuæ præmia:

Hoſtium naues incenſæ.

ipſe autem Imperio maritimo recte adminiſtrato,cum maiori parte claſſis domum reuocatur, reliqua foris ad præſidiũ maris permanere iuſſa. Poſtea Venetiis apud patres totius Italiæ Oratoribus asſidentibus,iactata eſt Sforciæ,& Mediolanenſium cauſa: ſed ob iniquas conditiones,re ad arma ſpectante,infecto negocio diſceſſum. tum Veneti Sigiſmundum Malateſtam,uirum acrem,& bellicoſum,ſuarum copiarum legunt Imperatorem,militemque undique contrahunt,ut Mediolanenſium rem aduerſus Sforciam ex fœdere tuerentur.

Sigiſmundus Malateſta.

multique hinc inde fuere armorum conatus: demum bellica inuictiſſimi Ducis uirtute factum eſt,ut infeſsis omnibus uiis,Mediolanum in ſummam rerum omnium inopiam,ac necesſitatem deuenerit. famesque eò uſque per id tempus in urbe inualuiſſe traditur,ut biſdenis nummis aureis (urgente penuria) conſtet tritici modium ueniiſſe. Conatus eſt autem multoties Venetus Imperator aliquid commeatus in urbem immittere,importatumque omnino aliquid interdum furtim.

Not. Penuriã in Mediolano.

Tentauit præterea Malateſta cum hoſte confligere,Sforcia tamen a pugna pertinacisſimè abſtinuit: timebat enim prudentisſimus Dux incertos Martis caſus,dubiamque prælii fortunã, tutiusque eſſe arbitrabatur,continuare obſidionem, urbemque populo plenam omni ope excluſam premere,quæ ad extremam annonæ penuriam redacta,non multò pòſt, uellet,nolletque,ad deditionem cogeretur,ſicuti paucis diebus euenit. nam Mediola

nenſes fama magis, quám armis domiti, ſubitò tumultu orto, Leonardum Venerium,

Leon. Venerii cædes.

Legatum Venetum in curia trucidarunt; unanimiq́ue populi conſenſu Sforcia in urbem euocatus, permiſſa rerum omnium poteſtate, Princeps ſalutatur: ita Vicecomitum nomen tam claro & illuſtri, in maſcula ſtirpe extincto, Mediolanenſis Principatus, non minus hæreditario iure, quàm ui, armiſq́ue ad Sforciam, poſteroſq́ue eius,

Sforcia Mediolani Dux.

fœlici ſucceſsione per Blancham coniugem peruenit. Studuit autem ſapientiſsimus Dux Venetos amicè colere, ac omni officio demereri: quibus conciliatis, nullas intelligebat poſſe bellorum minas alicunde timeri, nullos hoſtium incurſus, qui res

Pax cum Alphõſo.

Italiæ infeſtare auderent. Poſtmodum quum diu Veneti, Alphonſuſque Rex inter ſe bello contendiſſent, ad pacem demum animos conuertere cœperunt: miſſuſq́ue Ferrariam Paſchalis Maripetrus, publico nomine cum Rege perpetuam pacem firmauit, quæ poſtea Venetiis miro ciuitatis gaudio præconis uoce eſt publicata. Acceſſitq́; ſub id tempus Federicus Imperator cum Leonora coniuge in Italiam, ad

Legati ad Federicũ.

quem officii gratia quattuor hoſce Oratores patres deſtinarũt, Ben. Superantium, Al. Diedum, Ber. Iuſtinianum, & Iac. Cornelium. mox & ille Romam profectus eſt, quẽ Nicolaus Pontifex in auguſtiſſimi Diui Petri templo maximo populi concurſu impe-

Federici Imp. ad urbem acceſſus.

ratoria corona inſigniuit. Is poſtea uiſendæ urbis ſtudio, Venetias magno comitatũ aduenit: itumq́; eſt illi obuiam a Principe, frequentiq́; Senatu, Bucentauro naui; nullumq́ue honoris, hoſpitalitatiſq́ue genus in excipiendo Cæſare omiſſum: nam præter ingentem uim minorum nauium, quæ illi prodiuit obuiam, ſequebantur plures triremes, Ganzariæ, Paraſchermi, aliaque grandiora nauigia, numero ad centum uiginti, auleis, auro, purpuraq́ue adoperta, in quibus flos nobilitatis inerat. E Clodia (ubi tũc Nic. Mocenicus prætor erat) ad Clementis ædẽ Ferrarienſi naui uectus, Federicus proceſſit, ubi Princeps occurrerat, magnoque nautarum clamore, bombardarũ ſtrepitu, & tibiarum cantu, ex Eſtenſis naui in Bucentaurum tranſiit. hìc Foſcarus Princeps uenerabundus, Federicum excipiens, gratulatuſq́; illi fœlicem acceſſum, aureo eminentiori Throno locauit, ipſeq́ue iuxtà aſſedit: per mediamq́; urbem ad Eſtenſes ædes mi-

Leonora ad urbem uenit.

ro ornatu cultas ingenti plauſu, & lætitia tantus hoſpes aduectus eſt. Leonora quoq; non multò pòſt acceſſit; ei Principis coniunx, matrona inſignis, ducentæq́ue patritiæ fœminæ eleganti forma, ac gemmis, purpura, auroq́ue fulgentes, Bucentauro, ad Diui Nicolai uſque ædem progreſſæ occurrerunt, atque inter publicos plauſus, & gratulationes triumphalis pompæ ducta, magna totius vrbis exultatione, & lætitia ad Euſtachii fanum apud Vetturios illa deſedit. Primores autem patrum eam manè, ueſperiq́; officii gratia ſalutabant, magnificentiſſimiq́; in Comitiis ad conſpectum eorum ludi

Not. publica munera

æditi ſunt; ſaltauitq́ue uterque publicè ad tibias. Bulla ad hæc aurea tribus gẽmis prædita precio duorum millium, ac ſexcẽtorum aureorum nummum Leonora a Patribus donata eſt; palliolum præterea eidem traditum, cum ſtragulo cunali, unionibus, margaritiſque mire intexto. Lautiſſimoq́; æpulo Princeps Federicum Imperatorem Ducaria aula publice excepit; aderantq́; ſimul diſcumbentes primores patrum, & ex Germania, Italiaq́ue uiri nobiliſſimi. Cæſarq́ue inter grauia, ſeriaque colloquia, ad Foſcarum conuerſus, dixiſſe fertur, ſe perpetuò Veneto nomini amicum fore, omnia-

Not. Federici præſagium.

que ei proſpera optare: ſed præſaga ſe mente uidere, quòd multas calamitates poſteri ſui per armorum fragores Veneto inflicturi erant Imperio. id quod prorſus iuxta Cæſaris uaticinium euenit: nam ciuitas noſtra cum Maximiliano eius filio (ut ſuo loco dicemus) grauiſſimum bellum geſſit, in quo multa Reip. acerba contigere, maximiſq́ue aduerſitatibus, infortuniiſque ſunt Veneti agitati. Federico poſtea abeunte, patres in Gallici belli curam animos intenderunt, & ad perferendos bellorum ſumptus lex lata eſt, ut urbani, peregriniq; iudices, in magiſtratibus conſtituti, ſcribæ, miniſtri, cæte-

Not. legẽ.

rique inferiores ordines tam domi, quàm foris, quocunq; nomine cẽſerentur, qui publicum ſalarium mererent, uectigal Fiſco penderent, gratuitamq; Reip. operam annui magiſtratus in urbe per ſex menſes proximos præſtarẽt. His conſtitutis bellum in Sforciam reparatur, Gentiliſq; Leoneſii imperatoris ductu, Veneta arma Mediolanũ vſq; ſub primos motus peruenere: inde caſtra Soncinum admota, cuius oppidi muros Venetus bellicis machinis adortus, impigre rem geſſit. at hoſtis cum uiginti hominũ

millibus ad ſoluendam Soncini obſidionẽ in Brixienſem agrum irrupit, Gamariaque ſubito in curſu capta, Ponteuicum armis adoritur. Interim Veneti bellicis operibus Soncini mœnia diſiecere, & paulò pôſt oppidani territi deditionem fecerunt. inde Romanengium occupatur, & Ponteuicum hoſtis ſubegit: ad Agellumque in Brixienſi agro conſedens, ex propinquo urbem infeſtabat. Quare Leoneſsius non procul ab hoſte opportuniſsimo loco metatus, in conſpectu Sforciæ aciem explicauit: pugnatumq; eſt ſæpius uario euentu, florentiſsimæq; in utriſque caſtris erant copiæ: nam in Venetis ad quindecim equitum millia, ac ſex peditum, clarique bello Duces; in Sforcianis maior equitum numerus, peditum uerò tria millia. [No. copiarum numerum.] ſub id tempus & ad Porcianſi locum tribus ferme horis atroci Marte dimicatum, parique clade diſceſſum, & Guielmus Monferratenſis cum quattuor equitum millibus in Alexandrinos fines tumultuoſè irrupit, omniaque terrore, ferro, ac igni fœdata. [Guielm' Monferratenſis.] eadem clades Derthonenſi, Ticinẽſiq; agro illata eſt. Ad illius autem conatus inhibendos Sacromorus Vicecomes, & Antonellus Burgenſis cum inſtructis copiis a Sforcia miſſi, ita ſtrenua rem geſſere, ut hoſtem tumultuario prælio uictum cõtinuò finibus eiecerint. Nec Alphonſus in ocio deſedit, cuius copiæ Ferdinandi filii ductu in Aretinum agrum profectæ, Cortonam ad defectionem tentarunt: inde Folianũ a regiis ex Florentino hoſte capitur, & Aſtur Fauentinus, Tuſcarum legionum ductor, bis uictus mille equites amiſsit, [Aſtur uictus ab Alphõſo.] quo ſucceſſu Aragonia Signa per Senenſium fines fœliciter euagata, non parum Florentinos territauere. ipſi autem Hiſpanas, Venetaſque opes terra, mariq; metuentes, noua conſilia agitare cœperunt, ne præpotentium hoſtium armis res ſuæ grauiori aliqua calamitate opprimerentur. ſtatuunt itaque ad Regem Galliæ Angelum Acciolum Oratorem mittere, [Ange. Acciolum.] qui publico nomine auxilia pro ueteri ſuo in Francorum Regnum ſtudio a Rege peteret, ut eius authoritate Dux Allobrogum Sforciæ amicus redderetur, & Renatum Regem hortando, perſuadendoque impelleret, in Aragonenſium inuidiã, ad Siciliæ regnum recuperandum, in qua expeditione militem, & pecuniam pro comparãdis terra, mariq́ue copiis ei polliceretur. Hæc hoſtes extra Italiam ad partes ſuas firmandas agebant. In Ciſalpina uerò Gallia multi, uariiq́ue fuere armorum conatus: nam a Venetis in Sforcianos ſæpe proſpere pugnatum eſt, oppreſſi, captiq́ue eorum equites, arma, ſignaque militaria adempta, in Brixienſi, Cremonenſiq́ue agro, numquam tamen totis uiribus concurſum, pugnam Sforcia detrectante, quod nouum, incredibileq́ue penè in martio duce uiſum fuit, quippe qui militaris diſciplinę peritiſſimus, nulla unquam antea prælia recuſaſſet, cuius uigorem animi, bellicam ſcientiam, armorum uſum, admirabantur Italæ, exteræq́ue gentes, qui toties collatis ſignis proſperè in hoſtem minori militum numero depugnarat, nunc tam deſes, imbelliſque factus, ut multoties laceſſitus prælium detrectaret. [Not. Sforciæ animum a pugna alienum.] mirum profectò eſt; ſed fortunæ fortaſsis mutationem peritiſsimus Dux ueritus, cunctatior, tepidiorque ad pugnam reddebatur. potuit & nouus Principatus armorum ſtudium, ardoremque frenaſſe, quem tutiorem magis a pugna abſtinendo, quàm fortunam prælii tentando, reddi poſſe iudicabat. Sed quæcunque fuit cauſa, ita euenit, ut ſine ullo certamine copiæ utrinque in hyberna conceſſere. Poſtea ſub uernum tempus Veneti bellum reparantes, in Mantuanos fines irruperunt, Striueriiſque captis, & direptis, ingẽs inde præda abducta eſt. & Vallis Sagina, Caroli Gonzagæ ductu, eiectis Gibellinæ factionis hominibus, in Venetorum poteſtatem conceſsit. Alphonſus præterea Florentinorum hoſtis acerrimus duas immenſæ, uaſtæque magnitudinis Cetheas conſtruendas curauit, quibus fama erat, ſtatuiſſe eum repentino incurſu Lyburnium ad Arni oſtium occupare, inde & Piſas: [Alphonſi maritimus motus.] dabantque ob id Veneti ex fœdere maritima aliquot triremium auxilia. atque ex altera parte Gallorũ Rex in oratoris Florẽtinorũ gratiã, Allobrogum Ducẽ ab armis edicto reuocarat, unàque Renatũ Regem impulerat, ut copiis contractis in Italiã aduerſus Alphonſum tranſiret, [Renatus Rex] a quo Siciliæ hæreditariũ iuſto bello Regnum repeteret. Noui quoque ex Græcia bellorum motus exaudiebãtur, Maomethum ſcilicet Turcorum Regem, terra, mariq́ue arma parare, & iam haud procul a Thracio Boſphoro circa Propontidem caſtellum munitiſſimum erexiſſe: ferebaturq́ue Byzantii Imperium hoc armorũ apparatu peti: [Not. Turcarum apparatus in Græciam.] quare Nicolaus Pontifex enixè ſtudebat, res Italiæ,

Chri-

Chriſtianorumque Principum diſcordias, quantum in ſe erat, componere, domeſtica tamen coniuratione pene oppreſsus, tunc id præſtare non potuit: nam Stephanus

Steph. Portius.

Portius inter Romanos ciues nobilitate, & diuitiis potens, in eum cum quibuſdam facinoroſis uiris nefariè conſpirarat, Pontificiaque oppreſsa dignitate populo Romano libertatem reſtituere moliebatur. ſed coniuratione patefacta, Portii conatus irriti fuere, ipſeque ad ſupplicium tractus, meritam mortis damnationem tulit. Poſt hæc Romæ acta, ſub ueris initium Florentini Folianum, quod ſuperiore anno Alphonſus expugnaret, armis receperunt, & in Gallia Leoneſſius Venetus Imperator, dum Manerbium obſidione premit, atque omnia optimi Ducis officia uigili cura ſtudet obire,

Leoneſſii interitus.

ſagitta ab hoſte emiſſa ſaucius paucis diebus maximo totius exercitus dolore expirauit. Piccininus iuſſu patrum copiarum Imperium Leoneſſii loco ſuſcepit; qui ſtatim Manerbium noua oppugnatione adortus, in ſuam redegit poteſtatem. inde paucis diebus & Quintianum; & a Sforcianis multæ excurſiones factæ, multa leuia cum Venetis modò ſecunda, modò aduerſa prælia uariis locis commiſſa. Poſtea quum iam media

Renatus.

ferme æſtas exiſſet, Renatus Rex cum quattuor equitum millibus in Italiam uenit, ac ſub primum acceſſum per caduceatorem, ut Gallicæ gentis mos eſt, bellum Venetis indixit; coniunctisque cum Sforcia copiis, Manerbium, quod paulò ante amiſſum fuerat, recepit: mox & Ponteuicum, ubi a Gallis in miſeros oppidanos crudeliter ſæuitum eſt; qua immanitate ita territi dicuntur populorum animi, ut cuncta ferè pauciſſimis diebus, quæ Veneti in Cremonenſi, & Brixienſi planicie loca habebant, uoluntaria deditione Gallus occuparit. Coactus eſt itaque Piccininus ad eam populorum defectionem citato agmine cedere, Brixiamque profectus urbem ſua præſentia confirmauit, hoſtiumque repreſſit impetum. In hoc ſtatu Venetæ, Sforcianæque res erant, quum in Græcia Byzantium terra, marique circumuallatum Maomethi, arma grauiſſimè premebant, cuius urbis periculo patrum animi uehementer commouebantur. itaque continuò decem triremes inſtruuntur ad ipſius urbis præſidium, earumque impe-

Iac. Lauredanus.

rium Iacobo Lauredano demandatur, eundemque nauium longarum numerum Al-

Not. Turcorum terra, mariq; copias.

phonſus fuerat pollicitus, ac totidem Pōtifex, ut triginta triremium claſſis eſſet: quod leuiſſimum in tanto hoſtilium armorum apparatu auxilium fuit. Othomanus enim cum trecentis bellatorum millibus, & triremibus, biremibusque amplius ducentis, minoribusque aliis nauigiis prope centum & quinquaginta terra, marique ad Byzantium oppugnandum conſedit. Tenebat autem tunc Græciæ Imperium Conſtantinus

Conſtantinus Paleologus Byzantii Imp.

Paleologus, Caloioannis filius; munieratque urbem tumultuario opere, ac uigili cura ad eius defenſionem milites, commeatus, armaque parauerat; obiectaque eſt ad anguſtias ſinus eximiæ craſſitudinis cathena ferrea, quæ a Gallorum turri per longum ſpacium uſque ad Peranæ Claræ pontem protendebatur, ubi tres Venetorum triremes ex Pontica negociatione reuerſa, ad loci præſidium conſtiterant. affuit & cethea una Lyguſtica eximiæ magnitudinis, cum quibuſdam Gripparijs Cretenſibus; inde tres aliæ Genuenſium naues ex Chio aduenere, commeatus, & uirorum fortium plenæ, quibus ſub ipſum portus ingreſſum Turcorum aliquot nauigia occurrerunt: continuoque pugna contrahitur, in qua fœda utrinque cædes ædita eſt. Demum hoc primo

Ioan. Iuſtinianus.

congreſſu uicti Barbari ſuperātur. Acceſſit poſtea Ioannes Iuſtinianus natione Lygur cum duabus cetheis, trecentoſque ſecum ille habebat bellatores, quorum opera Imperator uſus, eos ad Romanam portam cum Iuſtiniano Duce ſuo conſtituit. Venetis quoque patritiis, Nic. Mollino, Ioanne Lauredano, & Baptiſtæ Gritto, qui ea temporum nouitate Byzantii mercaturam exercebant, quædam urbis loca tuenda aſſignata ſunt, Turcæ interim complures æneas machinas terra, marique circa mœnia diſpoſuerant, quibus ingens murorum, munitionumque ruina facta eſt: ita terreſtribus, maritimisque uiribus Græci oppugnati, barbarorum impetum uix ſuſtinere poterant. nam ubique multitudine ſua ſæuus hoſtis imminebat: auſus tamen Imperatorius miles, Veneto, Lygureque adiuuante, in Othomanicam claſſem impetum facere, ea ſiquidem a Peranis columnis præter oppidi mœnia in ſinum traducta fuerat. Contracto igitur na-

Duæ biremes diſiectæ.

uali certamine Chriſtiani numero hominum, nauiumque inferiores Barbaro facilè ceſſerunt, & biremes duæ, una Cretenſis, altera Veneta, tormento hoſtili concuſſæ pe-

riere,

riere,tentauit exinde Turca cuniculo urbem irrumpere: ſed opportune a Gręco itum
eſt obuiam:multiq́ue hoſtium ſubterranea fouea,ſubita, uoraciq́ue flamma ſunt am-
buſti. Ad Romanam, Cherſſinamq́ue portam interea mœnia, turreſque late procide-
rant,quo factum eſt,ut aperto aditu Turcæ urbem ſemidirutam occupare poſſe in ſpē
uenerant.Itaque terribili clamore,horrendiſque uocibus per collapſa mœnia uaden-
tes,acerrime in Græcos pugnabant. At Imperator intus obequitādo ſuos magnis pre
cibus hortabatur,ut patriam,penates,parentes,liberos, coniuges a Turcorum rabie,
armis protegerent,præſentique ope circumſeſſo Imperio adeſſent,ueniſſe tempus, di
cere,quo ſi ſolita ſtrenuitate vti vellent,non ſolùm Orientalis Imperii Maieſtas priſti
nam retineret amplitudinem,ſed aucta quoque in altius excreſceret faſtigium.dura-
rent igitur,hoſtiſque minas haud timeret,a quo ſi victi eſsent, deſperata omnino ue-
nia omnes ferro caderent.hæc ille mœnia circumuectus,ſuis memorare,ſed parum di
cta profuere,territis omnibus effera Turcorum rabie, & furore, qui iam ad Romani
portam Græcos munitionibus depulerant,ac Iuſtiniano graui uulnere affecto,nudata
urbs præſidio,Barbarorum irruptioni patebat.quo uiſo Imperator cum paucis, quos
ſecum habebat,locum ſtatim ſubiit,tentauitque ui iam hoſtem alium poſt alium mu-
ros ſcandentem repellere,multoſque ex barbaris irrumpentes exturbauit, eorumque
repreſſit impetum.uerùm ubi rem perditam uidit,cæſiſque, ac fugatis propugnatori-
bus penè ſolum ſe derelictum cognouit,tum gladio pectus transfigere propria manu
uoluiſſe dicitur:inde quia ipſe haud Chriſtianum eſſe adiudicabat, honeſtiorem ad
mortem uiam meditatus,imperatoria depoſuit inſignia,ac ſtricto ferro in irrumpen-
tium Turcorum cuneum,furibundumqueagmen irruit, fortiterque pugnando Prin-
ceps omnibus ſæculis memoria dignus hoſtili ferro confoditur, cadenſque ſimul ui-
tam,& Imperium amiſit: illi poſtea media cæſorum ſtrage iacenti, ſanguineque op-
pleto,Maomethi iuſſu caput eſt abſciſſum, totaque urbe, ac caſtris lancea circumla-
tum,miſerabile omnibus ſpectaculum præbuit.In ea trepidatione aliis aliò dilabenti
bus,ingens mortalium concurſus ad Diuæ Sophiæ templum factus eſt. ibique omnes
capti,ac urbe tota direpta eſt:nec non ædes,aræque Diuorum prophanatæ, infanda-
que barbaræ impietatis exempla ædita.nam ſenes,uiri,cæſi,adoleſcentes,pueri,abdu
cti,matronæ,uirgines,conſtupratæ, in omnemque ætatem a barbara gente ſæuiſſime
graſſatum, ut uere Virgilianum illud cum fletu efferri poteſt,

No. Imperatoris hortationes.

Turcorū in urbem irruptio.

Paleologi Imp. memorabilis interitus.

Quis cladem illius noctis,quis funera fando
Explicet?aut poſſit lachrymis æquare dolores?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Plurima,perq́ue uias ſternuntur inertia paſſim
Corpora,perq́ue domos,& plurima mortis imago,

Verſus Virgilii.

In hunc modum Conſtantinopolis nobiliſſima Græciæ, totiuſque Europæ urbs a
Maomettho Turcarum Rege, anno ſalutis milleſimo,quadringenteſimo, quinquage-
ſimo ſecundo,capta dicitur;qui ſtatim Paleologi Imperatoris caput cum cura ſerua-
tum,quadragintaque egregia corporis ſpecie adoleſcentulos,& uiginti puellas a tota
præda delectas in uictoriæ iactationem per Legatos ad Soldanum Aegypti deferri
iuſſit.nuncio autem expugnati Byzātii Venetias ad patres perlato,ingenti ciuitas mœ
ſtitia affecta eſt,incredibilis quoque Chriſtianæ genti terror incuſsus. cōtinuò itaque
Nicolaus Pontifex quinq; triremes ſuis ſumptibus Venetiis uiris, armiſq́ue inſtruen-
das curauit: egit ad hæc cū patribus de pace. in tanto Reip. Chriſtianæ periculo, Sfor-
ciam quoque ad id hortatus eſt,omneque ſtudium optimus Pontifex adhibuit, ut Ita
liæ,Chriſtianitatiſq́ue ſtatum pacaret, futurumq; ſe pacis arbitrum declarauit; quā
ſi quis peruicaci animo detrectarat,fore, ut ille ſtatim diris execrationibus petitus, a
piorum cœtu excluderetur. hæc pontifex. At Veneti de ſuorum ciuium ſalute ſolliciti,
Barth. Marcellum ad Maomethum Conſtantinopolim mittunt, qui publico nomine
ſuos ciues,eorumq; res bello captas repeteret, omnia benigne impetrata;reuerſusq́ue
Marcellus ſancitam nouam cum Othomano pacem nunciauit,quam nec probare, nec
reiicere patres uoluere;rem autem diferre tandiu ſtatuerant,quoad pax fœduſve in-

Munera miſſa ad Soldanū.

Bart. Marcellus.

ter

ter Chriſtianos Principes ictum eſſet. turpe enim putabant, cum Turca communi hoſte pacem habere, quando cum eodem cæteri Chriſtiani Principes bellum terra, marique gererent. ſed hæc ſuo loco poſtea dicentur, nunc ad Italiæ res redeo. Sforcia enim receptis, quæ in planicie erant, locis, Rhoadum quoque obſidione cinxit: habentiq; hic illi caſtra, Romanium, Martinengum, Camonicæ Vallis, & montana in Brigentinis oppida, uoluntaria deditione ceſſerunt: alii quoque populi Rhoadéſes, Vrcoani, Soncinenſes, Romanengienſes, in Sforciæ fidem uenere.

Sforciæ ſucceſſus.

Poſt hæc Renatus media fermè bruma haud ſatis recto, ſinceroq; in Florentinos animo per Taurinos in Galliam abiit, Romam autem non multo pòſt Chriſtophorus Maurus, & Vrſatus Iuſtinianus, ſummi uiri ſunt miſſi, de pace apud Pontificem cum cæteris Italiæ Oratoribus acturi. In mariq; ſub id tempus Iacobus Lauredanus rem præclarè geſſit: nam poſt Byzantii expugnationem in Euboea cum claſſe ſubſederat, oppreſſitq; circa inſulam quattuor Turcorum triremes, ac biremes tredecim, earumque remiges in terram delapſi, a proximis accolis trucidati ſunt.

Chriſtop. Maurus. Vrſ. Iuſtinianus. Iac. Lauredanus.

Interim Veneti, Florentini, & Sforcia, quum diu inter ſe armis, belloque decertaſſent, ad pacem inclinati, eam his conditionibus confecere, ut Sforcia (præter Abduanam terram) omnia eo bello adempta Brixienſis, Bargomatisque agri tam in montanis, quàm in planicie oppida Veneto redderet; Alphonſus ex Florentinis Caſtellionem retineret, Marchio Mantuanus Carolum fratrem extorrem in ſuum reſtitueret principatum; Senenſibus quoque in rebus ſuis a Florentino populo recipiendis, conſultum eſt: at ut pax ſanctior, firmiorque eſſet, ſuam Pontifex interpoſuit authoritatem. Vix ciuitas uariis antea fortunæ caſibus agitata, lætiorē unquam egit diem a. d ſocias quoque ciuitates lōgo bello feſſas eadem lætitia peruenit. Denunciataque præconis uoce publicè populo pace, ſupplicationes ſtatim in triduum decretæ, gratiaque Deo Optimo Maximo, ac celitibus piè exhibitæ.

Pax.

Euocante poſtea Federico Imperatore ad ſe ex tota Europa Legatos Principum, Zacharias Triuiſanus, & Nicolaus Canalis a Venetis ad eum in Germaniam Oratores miſſi ſunt, actumque ibi frequentiſſimo totius prouinciæ conuentu de bello in Turcas comparando: nam Barbari Byzantio capto, audaciores, inſolentioresque facti, miro uictoriæ curſu, Traces, Tryballos, Macedonas, ſubegere; Boſſinam deinde, quæ eſt Myſia, oppreſſo Rege, ac fermè quicquid a Thracia Paleologus ad Epyrum, & Dalmatiæ mediterranea tenuit, armis perdomarunt. & in Aſia Trapezunti Imperium fraude euerſum, Othomano ceſſit, nullos tamen belli motus Chriſtiani principes in tyrannum conciuere, nemo Italorum, exterorumque potentatuum Barbaros uictoria exultantes armis repreſſit, nemo furori eorum obſtitit, præter Calixtū Pōtificē, & Venetos, qui claſſibus ſuis mari infeſſo Chriſtianā rē (quantū potuere) tutati, ſuntnō tamen aperto bello res geſta, tēperatūq; tādiu ab armis, donec profecta a barbaro iniuria legitima Venetos arma induere coegit. Magni interea armorū conatus in Aſia, & Europa fuere, decénio que in domandis illarū regionū populis a Maometho laboratū, quo totius tēporis curſu Veneti ab armis quieuere, non tamen ocioſis oculis, liberoq; animo geſta toto decennio illius ſpectarunt, ſollicitudineque pleni erant, ac ſi uicinum incendium propius haberent. deuaſtante enim cuncta belli furore Maometho, Venetus, qui illi conterminus eſt, ſollicitus, inquietusque haud eſſe non poterat.

Zach. Triuiſanus. Nic. Canalis.

Myſia.

Turcorū proſpere ſucceſſus.

Interim Foſcarus Princeps, ſummæ ſapientiæ, excellentis memoriæ, diuini ingenii, magni animi uir, aucto terra, marique Imperio, poſt quattuor & triginta Principatus ſui annos quum ingraueſcēte iam ætate, (nam octuagenarius erat,) parum commode publica munere obire poſſet, raróque ob effœtas corporis uires, in curiam, Senatumque uentitaret, a decem uiris decretum emanauit, ut abrogata Foſcaro dignitate, nouus in eius locum Princeps ſubſtitueretur, negociumque datum eſt Iacobo Lauredano, uni ex Decemuiris, qui ad Foſcarum iret, atque ut facundia ſingulari excellebat, accomodata oratione decemuirale ei decretum denunciaret. Lauredanus igitur ad Foſcarum profectus, in cubiculumque admiſſus, Patrum mandata expoſuit, ætatemque eius accuſans, quæ ad id conſilii Decemuirum animos ſolùm induxerat, ueniam illius facti precatus eſt; cæderetque interim Foſcarus libens patrum uoluntati, poſt multosque animi, corporisque labores, quibus per triginta quattuor annos in Reip. adminiſtratione tanta cum gloria

Foſcari lōgeuꝰ principatus.

No. publicū de Foſcaro decretum.

Iac. Lauredani ad Foſcarum uerba.

gloria uerſatu fuerat,optatam quietem,tanquam e turbida tempeſtate in portum delatus,perciperet: eius enim diuinas uirtutes nulla ætas unquam conticeſcet. Tum Foſcarus,ut conſtanti,infractoque erat ingenio,nil animo commotus, ad Lauredanum hilari uultu cōuerſus.Si exiſtimaſſem(inquit)quòd in his ſupremis uitæ meæ annis id mihi eueniret,ut indicta cauſa Principatu amouerer,ſponte me ſtatim eo abdicaſſem: nec fuiſſem tam iniquus,& ingratus ciuis,qui non publicam cauſam potiorem priuata habuiſſem. Itaque Magiſtratus de me ampliſſimi decreto(quando ita illi placuit) obſequi paratus ſum;priuatamque uitam,quæ iam ad finem,curſumque ſuum peruenit,curis ſolutus agam,qui publicam adminiſtrationem,(abſit uerbo inuidia,)per tot annos fœliciter geſſi. Hęc pauca grauiter effatus,poſtridie ſummo mane depoſitis Ducalibus inſignibus, ſellaque uectus,quòd pedibus ęger erat, magna propinquorum, affiniumque caterua ſtipatus a Ducario abſceſſit. & quum ad infimos ſcalæ marmoreæ gradus perueniſſet, Aliorum iniquitas,ait,me hinc expellit, quò mea merita perduxerant: ac per medium forum ingenti populi multitudine plenum tranſiens, paruam cymbam cum Marco fratre aſcendit,& ad domeſticos lares,qui ſunt ad Panthaleonis ædem,delatus,paucis poſt diebus, audita tripudiantis ciuitatis de noui Principis creatione lætitia,magno ædito gemitu,generoſus ille ſpiritus è corporis uinculis ſolutus,ad Superos euolauit. Defunctū Foſcharum Ducalia inſignia reſtituta in funere ornarunt: laudauitque luculentiſſima oratione publicè habita Bernardus Iuſtinianus,Leonardi Procuratoris filius,ſepulchrumque ex Pario marmore, puriſſimoque auro in Minoritana æde ad aram maximam Nepotes illi poſuere, quod hodie adhuc viſitur. Paſchalis Maripetrus Foſcaro adhuc viuenti Dux ſuffectus, Principatum ſapienter,iuſteq; adminiſtrauit,pacemque ab eo traditam ſanctè cuſtodiuit. Librorumque imprimendorum ratio tum primùm in Italia reperta eſt : adinuentumq; ipſum Germani hominis creditur,poſt quem Nicolaus Genſon in eo genere laudis maxime floruit,cui multum Veneta ciuitas debet,in inſtituendis Muſarum alumnis nobiliſſimo commento,atque hinc librariæ officinæ plurimæ inſtitutæ, è quibus multa commoda in addiſcendis diſciplinis ſtudioſi percepere. Paſchalis poſtea quum annis quattuor,cum dimidio Remp. innocenter adminiſtraſſet,diem obiit, & ad Gemellorum ædem elatus,ſpecioſo tumulo conditus eſt. Ei Chriſtophorum Maurum Patres ſurrogarunt,alteroque eius Ducatus anno cum Othomano,Turcorum rege,terra,marique bellum cœptum,qui ad Peloponeſſum occupandum animum adiiciens, Venetos ad arma exciuit. Eſt autem terra ipſa Peninſula,platani folio aſſimilis, trecentorum, ac ſexaginta millia paſſuum circuitu patere dicitur,inter Aegeum,& Ionium mare poſita, Apie antea,& Pelaſgia uocata, nunc Morea: claræ in ea urbes, Corynthus, Argi, Patraſſum , Londarium, olim Megalopolis, Naupliaque . ad Septentrionem circa Iſthmum Corynthiacus eſt ſinus, & ex aduerſo Saronicus, vbi Cenchreæ nobiliſſimum naualе, & in Corynthiaco Lecheum . Erant autem Peloponeſſi Principes Thomas,& Demetrius,fratres ex alto Græcorum genere nati,qui ſi concordi animo, maturaque prudentia in rebus ſuis tuendis uti fuiſſent,non utique Maomethi armis exturbati,opulentiſſimi Principatus ſede excidiſſent. Sed Demetrio rem ad Turcas trahente,ad ſubigendam peninſulam Othomanicis armis occaſio præbita eſt. Eam igitur terram Barbari cum maritimo ingenti apparatu adorti, totam ferè occuparunt: & Thomas,quum aliquandiu hoſti reſtitiſſet,perditis tandem rebus, a Peniuſula, patriaque ſede effugit,Romamque ſe contulit , Diui Andreæ capite è Græcia ſecum aſportato,quod uenerabundus Pontifex circa Mammeum pontem obuiam cum clero progreſſus excepit,ſacelloque eius nomini dicato ritè condidit. Sublato autem è Peloponeſſo Græcæ gentis Principatu,Venetos quoque ex ea terra Othomanus expellere cogitauit,qui oppida quædam in ea tenebant. Ad propulſanda igitur Barbarorum arma Veneti ualidam claſſem ſub Victoris Capelli auſpiciis inſtruxerunt,eoque procurante Iſthmus muniri eſt cœptus,ut hoſti in peninſulam traiiciendi facultatem præriperet. Prodigia inter hos motus eo anno multa nunciata; in Sabinis biceps vitulus natus ferebatur,& Romæ pluuia mixta ſanguine uiſa, Cometes ad hæc diro aſpectu in cœlo per totum Iunii menſem ab omnibus palam obſeruatus , nec terræmotus

Foſcari Principis reſponſum.

No. uerba Principis.

Foſcari Principis interitus.

Ber. Iuſtinianus.

Paſch. Maripetrus. Dux 66. anno. Do. 1457.

No. librorum impreſſioné.

Chriſtop. Maurus. Dux 67. an. Dom. 1462.

Peloponeſſus.

Thomas Demetri⁹

Claſſis ſub Victore Capello

No. prodigia.

tus defuit,fœdiſſimaque tempeſtas;quibus prodigioſis uiolentiis multa ædificia collapſa,arboreſque euulſæ, & circa Benacum mons in abruptum deſedit. Caliſtus poſt hæc Pontifex è vita migrauit,cui Pius eius nominis ſecundus, Senenſis patria, Aeneas Syluius nomine, Piccolominea familia nobili ortus, ſucceſſit.

Pius II. pont.

Et in Peloponeſſo per id tempus terra, marique bellum ardebat; miſſæque ab Italia ingentes a Venetis copiæ ſub Bertholdo Eſtenſi, & Bethino Calcinario Ducibus affuere. nouus quoque maris Imperator Aloyſius Lauredanus cum valida claſſe acceſſit, qui ſtatim Barbaros a Peninſula excluſurus,Iſthmum muro, & duplici foſſa, per quadraginta ſtadia ductis egregie communiuit, trigintaque hominum millia eo loco die, noctuque operata dicuntur. perfectumque eſt quindecim dierum ſpacio totum opus.

Al. Lauredanus. Iſtmi munitio.

Tentarunt autem Turcæ ad quattuor equitum millia, qui ad Corinthum conſederant, ſubito incurſu Venetum ab inſtituta Iſthmi munitione auertere: ſed fuſi,fugatique in tutum citato agmine ſe ſe recepere.

Turcorũ fuga

Tum hoſte abeunte, Veneti Duces leues aliquot expeditiones per Centuriones fecerunt: nam Benedictus Collio Miſiſtratum, olim Spartham (vt aiunt) dictam Lacædemoniorum primariam ſedem adortus, præter arcem primo impetu occupauit, & Londarium a Ioanne cognomento Magno captum eſt. His geſtis, Bertholdus cum inſtructis copiis, bellicisque machinis ad Corinthum celebre olim oppidum ire pergit oppugnandum, tripartitoque illud aggreſſus, multa, aſſiduaque armorum ui diu fatigauit: nam ad occaſum Bertholdus metatus, ad Ortū Ioannes Attellanus,& ad Boream ſub ipſis pene muris,Lazarus Pontolianus urbem militum corona cinxerunt.

Corinthi oppugnatio.

biſque urbe oppugnatione tentata, priorique Attellanus ſcalis muro admotis, munitiſſimum hoſtibus locum, his cæſis, repulſiſque fœliciter ademit,quo occupato,in arctiorem Barbari orbem redacti, aliquantiſper ceſſerũt. Altera autem oppugnatione, quum Bertholdus bellica circa mœnia nauiter obiret munera, hortandoque ſuos rem impigre gereret,ſaxo ictus, humi ſaucius, ſemianimisque proſternitur, quo uulnere paucis diebus expirauit.

Bertholdi cædes.

Duce extincto,continuata tamen eſt obſidio,tertiaque oppugnatio renouata,in qua teſtudidine miles tectus,ad muros intrepide repſit. cœperatq; iam dolabris eos perumpere: uerùm ſtatim eruptione a barbaris ex oppido facta,Veneti per ſcopuloſa Acro Corinthi latera cum cæda præcipites ſunt acti.audita poſtea aduentantium hoſtium multitudine,Venetus ſoluta obſidione ad Iſtmum ſe recepit, & Argos antiquitus inter reliquas Græciæ urbes celeberrimi nominis oppidum antea ab hoſte occupatum recuperauit:

Veneti a Corintho repulſi. Argi.

multaq; alia egregia belli facinora in ea prouincia Veneti parua manu edidiſſent,niſi Turcæ ad octo & amplius equitum millia ſuis opem laturi,eò celeriter accurriſſent.tãto autem Barbarorum numero impar omnino Venetus Iſthmum relinquere coactus eſt:quo abeunte,Argis hoſtes receptis, incenſiſq; poſtridie, magno tumultu ad Naupliæ mœnia adequitarunt,populatoq; fœde circum agro,miles Italus, qui oppidum præſidio tenebat,ſubitò erumpens, in Turcas deuaſtationi, prædæq; intentos impetum fecit:uincenteq; egregiè Veneto,ad quinque hoſtium millia cæſa dicuntur.

Not. Turcorum equitatum.

Hoſtium cædes.

alii cladem,interfectorumq; numerum longe minorem faciunt.biſq; leuiter pugnatũ ad Naupliam, ac non multa occidione Barbarum ab oppidi munitionibus repulſum memorant.Sed utcunque ſit,multa prælio facta conſtat, quibus omnibus ob copiarũ multitudinem hoſtis ſuperior ferè fuit. Relicto deinde valido præſidio Barbarus è peninſula in continentem abiit.& hec circa Peloponeſſum per æſtatem geſta. At in Italia Pius Pontifex concilium Mantuæ indixit,pro decernendo in Turcas bello.conuocauitq; ad ſe Regum,Principumq; totius Europæ Oratores, quare deſignati ſunt ſtatim a Senatu Veneto Vrſatus Iuſtinianus,& Aloyſius Foſcarenus Legati, uiri ampliſſimi,habuitque Pontifex orationem Latino ſermone elegantiſsimam, cuius principium eſt, Quum bellum hodie aduerſus impiam Turcorum gentem,pro Dei honore, ac ſalute Reip.Chriſtianæ ſuaſuri ſimus,& cætera. tantaque eloquentiæ ui Dei cauſam Pius Pontifex publice agit,ut omnium uotis ſacrum bellum decretum ſit.

Concilium Mantuæ.

Legati Veneti. Pii Pont. oratio.

Et ſub id fermè tempus cum Federico Imperatore Tergeſtinorum cauſa aliquandiu bellatũ; Illi enim Iuſtinopolitanos ex ueteri æmulatione nouis ſemper iniuriis afficere ſtudebant,commerciaque interdicta, Germanique negociatores ueriti Iuſtinopolim ire,

Bellum cũ Federico.

ut

(ut ſoliti erant)bello originem præbuere. ſtatimq; Patrum iuſſu in Tergeſtinos copiæ ductæ ſub Antonii Martiani auſpiciis,& Vitale Lando Legato: decemq; armatorum millia in Venetis Caſtris fuiſſe dicuntur, alii numerum extenuant: ſed quantæcunq; fuerint copiæ, Targeſtum ſtatim admotæ ſunt, urbſq; obſideri cœpta,cuius periculo Federicus Imperator motus,ſupra ducentos Germanos equites ad oppidi ſubſidium miſit. ad eos autem inſidiis excipiendos Gauardus Iuſtinopolitanus cum ualido equitatu obuiam profectus eſt: hoſteſq; alio itinere Venetorum occurſum euitantes, Targeſtum incolumes peruenere, Ex Vtino poſtea Iac. Ant. Marcellus,ubi Locumtenens erat,iuſſu Senatus Legatus in caſtra uenit: ſub eius acceſſum triplici loco Veneti metati ſunt: ad Franciſci portam iuxta tumulum, qui urbi imminet, prima caſtra locata, altera ab ea parte,qua Pucinum itur;tertia iuxta Cherſinam uiam. Certatumq; eſt utrinq; miſſilibus,baliſtis,uariiſq; telorum generibus. erumpereq; ex urbe magno impetu cum ualido equitatu improuiſi hoſtes, contractoq; ſub mœnibus certamine præter cædem,ac mutua hinc inde vulnera, ducentos equites Veneti amiſere. Germanusque uictor ſæpe ferociter in caſtra inuectus,ſæpe & ipſe cum cæde & ignominia in vrbem compulſus eſt. Diſiecta poſtea crebris tormentorum ictibus magna murorum parte,miles Venetus ad oppugnandam urbem è caſtris ſub ſignis ducitur: præcipuumque certamen fuit circa locum, quo murus late prociderat: alia quoque parte ſcalis mœnibus admotis,quidam penè in ſummum euaſere, ac ſtrenue per horam in conſpectu Ducum,Legatorumq; utrinque pugnatum: ſed urbe fortiter defenſa. Miles Venetus infecta re in caſtra rediit: obſidio tamen continuata per totum ferè autumnum, proceſſiſſetq; ulterius,tamdiu,quoad inimiciſſima urbs ſeu fame, ſeu alia ui,ſubacta, edomitaq; fuiſſet. Verùm Pii Pontificis authoritate bello diſcuſſo, Venetus, Germanuſq; in has pacis conditiones ultro deuenere, ut ſi è Targeſto Federicus Imperator Venetas copias abduci uellet,curaret contrà ipſe,ut Pandulphus Malateſta intra Arimini mœnia Pontificiis armis compulſus, in Venetorum gratiam obſidione & ipſe leuaretur. atque ita ut inter partes comparatum fuerat, uno eodemq; tempore Ariminenſes,Tergeſtiniq; bello liberati ſunt. Inde Malateſta ad Venetorum ſtipendia accitus in Peloponeſſum aduerſus Turcas tranſiit. Lemnuſq; inſula per id tempus Cominio pyrata eam dedente,in Venetorum fidem conceſsit,quam ſtatim Lauredanus claſſis imperator ualido præſidio firmauit. in prouinciam poſtea Vrſato Iuſtiniano Lauredani loco maris imperio demandato,noua triginta duarum triremium claſsis ex plurimis maritimæ Græciæ oræ locis collecta aduenit, quibus ille Aegei inſulas circũuectus,in earum ſtatu recognoſcendo ſingulari diligentia uſus eſt. Sed dum hæc mari Vrſatus agit,in terreſtri Patrenſis ſinus ora Nicolaus Ragius, & Ioannes Craſſus cohortis unius præfecti,aliquot expeditiones ſecundo Marte in Turcas fecere. poſtea Franciſco Sidicino,& Cicho Brandolino Ductoribus a Venetis ad Mantineam infœliciter pugnatum eſt: nam ad mille & quingenti eo die a Turcis, qui ad Talamatam ex inſidiis proruperant, cæſi dicuntur,in quibus Brandolinus ipſe,& Ioannes Attellanus uiri fortes fuere: & circa Inſulas nihilo meliori fortuna Reſpu. per id tempus geſta eſt. Vrſatus enim claſsis Imperator,quum ſupplementum nuper ab urbe miſſum accepiſſet,cum quadraginta triremibus,ac biremibus, minoribus aliis nauigiis, in Leſbum inſulam ferociter mouit,Mythilenenmq; oppidum in ea oppugnaturus,bellicoſo claſſis apparatu inſulę portum,qui ad Meridiem uergit,ingreſſus eſt; quo inſeſſo,ex agris ingens Turcorum fuga facta,ac tota inſula uehementer trepidatum,tercentiq;, & amplius ex barbaris capti Vrſati iuſſu partim palo affixi ſunt,partim fluctibus merſi. Oppidum deinde,expoſitis in terram copiis,& a continenti, & a mari intrepide uir ferox aggreditur,munitioneſq; milites,ſociiq; nauales audacisſimè ſubeũt, certamenq; circa eas miro animorum ardore, in conſpectu Imperatoris initum in ſex horas magna utrinque ſanguinis effuſione eſt diſtractum,ſed telorum multitudine, uiolentaq; hoſtium impreſsione repulſi demum Veneti ceſſere: eaq; oppugnatione ad tria millia uirorum fortium deſiderata dicuntur. Nec ad eam cladem Vrſatus animum remiſit, quin ad uindicandam ſuorum cædem homo ingentis ſpiritus accenſus,paucis poſt diebus atrociori pugna Mythileneos terra,mariq; iterum adortus eſt, nihilo tamen pro-

Vit. Landus.

Iac. Ant. Marcellus

Oppugnatio Tergeſti.

Pax cum Federico.

Lemnus Venetis dedita.

Claſsis ſub Vrſa. Iuſtiniano in Turcas.

Venetorũ clades.

Vrſatus Mythelenas oppugnat.

Venetorũ clades ad Mythilenas.

periorem habuit ſucceſſum: nam poſt uarios armorum conatus pari penè cæde Venetus, Barbaro egregie uincente, a mœnibus repellitur. nec hac quoque ſuorum clade Vrſatus obſidionem ſoluiſſet, niſi trepide nunciatum eſſet, Othomanicam quinque, & quadraginta triremium claſſem appropinquare, duoq́ue ad hæc equitum millia auerſa inſulæ parte in littus expoſita, breui affutura. Hæc autem ad Imperatorem perlata, eius, omniumq; animos non parum turbarunt. Nō expectandas itaque tantas Vrſatus hoſtium uires ratus, abeundi conſilium cepit, ſtatimque cum tota claſſe ex Mythileneo littore gemens, frendensq́; in Euboeam uenit: inde in Peloponeſſum delatus, Methonem applicuit, ubi rei malè geſtæ conſcientia, ita doloris acerbitate confectus eſt, ut dimidio horæ expirarit, magno cum uniuerſæ claſsis mœrore. Fuit autem Vrſatus uir procera ſtatura, corpore obæſo, ac uenerabili canitie aſperſus; ſemeſtreque per uaria Martis diſcrimina geſſit imperium, eius poſtea corpus triremi lugubri, ac pullata Venetias aduectum, in Carthuſienſem ædem infertur, ubi magnificentiſſimum monumentum Marinus nepos ei piè erexit, atq; hos marmore inciſos uerſus tumulus habet:

Vrſatus obſidionē ſoluit.

Vrſati Iuſtiniani interitus.

Epit.

Ille procurator Veneta modò maximus urbe
Vrſatus iacet hìc Iuſtinianus eques.
Qui Turcos bimari claſſis præfectus ab Iſthmo
Dum fugat, o fatum quanta trophea rapis.

Et ſane clades hæc ad Mythilenem fœda, funeſtaque fuit: nam ad quinque hominum millia ferro periere, & in his Angelus Peſareus Patritiùs fortiſſimus, multique alii bellatores nō obſcuro loco nati, qui militaris honoris memores, mortem potius, quàm dedecus pati maluere. Vrſato Iuſtiniano & generis nobilitate, & magnitudine animi ampliſſimo uiro extincto, Iacobus Lauredanus eius loco ad Imperium claſſis eſt miſſus. Eo autem in Græciam nauigāte, Sigiſmundus Malateſta iam antea in Peloponeſſum profectus, Spartham vrbem ſemidirutam recepit. Arx tamen ab hoſte retenta eſt: nec multò pòſt quattuordecim Barbarorum millia in Malateſtam exiguas copias habentem ferociter mouere: at ille prudenti conſilio uſus, pugna abſtinuit, omneſque hoſtium conatus, partim ingenio, arteque, partim armis ita eluſit, ut nulla ſuis clade illata, Barbari inde abierint: ipſe quoque iam hyeme inſtante, combuſto oppido, Naupliam cum copiis ſe recepit. Et Lauredanus, dum hæc ad Sparthā fiunt, Rhodū armis adortus, multiplici clade afflixit. uisq; oppido illata dicitur, ex eo, ꝙ iā antea Venetas naues Rhodii in ſuo portu temerario auſu violaſſent. Claſsē poſtea Lauredanus in Euboeā duxit: inde Aegei maris inſulis luſtratis, ad Helleſpōti fauces ꝑuenit, ubi ꝑ caſtella ad propōtidē ſibi ex aduerſo reſpōdētia, qui Dardanuli uocātur in Garipolitanā orā prope Byzantium impetū facere ſtatuerat: & iā tota claſſis eò curſum intenderat; primusq́; Iaco. Venerius triremē ſuam agēs, per medios Dardanulos intrepide in hoſticum tranſiit, nullaque alia è Veneta claſse triremi ſequuta, Venerius ſolus inter medios hoſtes relictus eſt, eiuſque triremis crebris tormentorum ictibus petita, in apertum adducta eſt diſcrimen: nam multi ex turmis fœde laniati perierunt. Cæterùm Venerius uehementi uir ingenio, ubi ſe interclusum uidit, ſuos hortatus iubet, illos metum omnem deponere, ac ſub profundam noctem tacito curſu, celerique remorum agilitate, Dardanulis ſuperatis, per medios hoſtes ad ſuos incolumis rediit. Interim quum res Chriſtianorum Turcica feritate in ſummum adducta eſſet diſcrimen, Pio Pontifice in Mantuano conuentu, ut ſupra demonſtratum eſt, adhortante, Principes Chriſtiani in Othomanum ſociis armis fœdus inter ſe inierunt. Venetique primas belli partes alacri animo ſuſcepere: unde Pius Pontifex, apud quem tunc Reip. nomine Al. Foſcarenus Oratorem agebat, in hæc uerba pleno conciſtorio proruпiſſe dicitur, Benedicti ſint filii noſtri, Veneti: benedicta ſit eorum tam pia, tam ſancta intentio. Benedicat Deus Chriſtianiſſimam Remp. & Senatum eorum adiuuet, eiſque honorificentiſſimè aduerſus Turcas præſtet uictoriam. primuſque ille Roma, magna ui mortalium ad famam piæ expeditionis ad eum in urbem confluente, Anconem uenit, nec multò pòſt affuit illi hìc ſedenti, a Pontifice per litteras euocatus, Chriſtophorus

Ang. Peſareus.

Iac. Lauredanus claſſis Imp.

Dardanuli.

Iac. Venerius.

Venerii ſtrenuitas

Verba Pōtificis de Venetis.

Christ. Maurus P. Anconē accedit.

rus Maurus Venetorum Princeps cum decem triremibus militari, bellicoque apparatu egregie inſtructis, ac una breui Philippus Burgundiæ Dux affuturus erat. deſcendensque è triremi Maurus Princeps Ducalibus cultus inſignibus, exceptus eſt a compluribus Cardinalibus: & quum equum ornatiſſimum aſcendiſſet, medius inter duos Cardinales ad palatium Apoſtolicum acceſſit, ubi pridie Pontifex occubuerat, & ingreſſus Cardinalium collegium, cui præerant tres illius ſupremi ordinis Antiſtites, Maurus Princeps poſt mutuas ſalutationes medius eminentiori loco inter Cardinales conſedit: aderantque quattuor conſiliarii, uiri præſtantiſſimi, Triadanus Grittus, Petrus Mocenicus, Nic. Tronus, & Hector Paſqualicus; qui a Senatu delecti cum Mauro Principe officii cauſa Anconem uenerant. breuemque ſermonem ille primùm exorſus, Venetas uires in hoc ſacro bello Apoſtolicæ ſedi obtulit: ſecutus poſtea Foſcarenus Orator Reip. cauſam amplioribus uerbis, egit. litteras autem, quas ad Maurum Principem, antequàm moreretur, Pius Pontifex miſit, hìc inſerere placuit, ut earum ſplendor, & grauitas, lectoris oculis ſubiiciatur.

Conſiliarii in claſſe.

No. Pii Pōtificis litteras ad Venetas.

Pius II. Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio nobili uiro Chriſtophoro Mauro, Duci Venetiarum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quod iampridem occulto concepimus animo, nunc in lucem uenit, & omnibus patefactū eſt. Aeſtate proxima in expeditionem contra Turcos exibimus, & Apoſtolicus ſacer Senatus comes erit, nec deerunt robuſtæ militum cohortes, quæ nobis oratione pugnantibus, ferro dimicent. Decretum noſtrum publicè lectum eſt XI. Kalendas Nouembris, in auditorio noſtro: quod promiſimus, fauente Altiſſimo, perficiemus; neque irrita inuenientur uerba noſtra, quanto per facultates licebit, tanto fortiores in bellum proficiſcemur. comitabitur & nos, Deo propitio, dilectus filius Philippus, Burgundiæ Dux, ex alto Francorum genere natus, quem ualidas, & expertas in armis copias adducturum non dubitamus: ſpem non paruam in eius exercitu collocabimus, nec minorem in claſſe tua, quam paulò antè in Peloponeſſum nauigare iuſſiſti; cuius egregia facinora, & priſcis æquandá mirabilibus referuntur. perſeueraturam hanc in bello contra Turcos nobiſcum, & cum præfato Duce, fiduciam gerimus: quoniam cum Oratore tuo ita conuentum eſt. nec dubium nos habet, quin totis cōatibus hoc bellum adiuues, quod pro fide Catholica ſuſcipitur. hæc quamuis magna ſint, proſperitatemque haud dubiam promittere uideantur; multa tamen maiora, & clariora eſſent, uictoriæque certiorem ſpem præſeferrent, ſi tu ipſe in bellum ires, teque nobis adiungeres, Reip. Venetæ Ductor, & Princeps multum in rebus bellicis autoritas ualet & maieſtas, ac gloria Principum; terrenturq; ſæpe magnis nominibus hoſtes, & fama magis, quàm re ipſa diſſipantur. Multum (crede nobis) afferet terroris inimicis noſtris magni Burgundiæ Ducis præſentia: nos quoque propter Apoſtolicæ Sedis dignitatem hoſtilem metum non nihil augebimus, quòd ſi tu pariter acceſſeris, Bucinatoria naui, & Ducalibus ſublimis inſignibus, non Græcia ſolùm, ſed Aſia quoque, & omnis exterrebitur Oriens. nec dubium, quin ſimul iuncti pro Sancto Euangelio, proque gloria noſtri Dei, authore ipſo, res clariſſimas gerere ualeamus. Hortamur igitur nobilitatem tuam, ut noſtro in hac parte deſiderio ſatisfacere non poſtponas, accingere huic bello, atq; res tuas ita diſponito, ut nobis mare ingredientibus præſto adſis apud Anconam, te nobis coniungere, erit Reip. Venetæ ualde glorioſum, & Reip. Chriſtianæ admodum ſalutare; tu uero æternæ vitæ præmia conſequeris. Scimus apud Venetos non eſſe nouum, vrbis Principem in claſſem deſcendere, ac bellum gerere: quod ſi unquam licuit, nunc maxime licet, quàndo pro Religione certamen adeſt, & Chriſti Saluatoris cauſa geritur. ueni ergo fili, neque laborem recuſe, quem nos ſponte ſubimus. neque te ſenem dixeris, tanquam propter ætatem debeas excuſari. Philippus quoq; ſenex eſt, & multo longiorem, quàm tu ipſe, facturus eſt uiam; & nos etiam ſenectus inuaſit, annos duos de ſexaginta natos: accedunt morbi; qui nos dies, ac noctes urgent, nec tamen detrectamus in bellum ire.

Nota

No. Pontificis ætatē

noli tanquàm ſenē, & debilē, huic tā ſancto, & tā neceſſario bello te ſubtrahere: conſiliū tuū, et authoritatē quærimus, non lacertorū robur, aut aliàs corporis uires, quod Philippus in bello præſtabit. hoc ex te deſideramus. cura, ut uenias, tres erimus in bello ſenes, in trinitate Deus gaudet, trinitatē noſtrā cæleſtis trinitas adiuuabit, et ante oculos noſtros cōteret hoſtes, expeditio iſta ſenum appellabitur, quia ſenes bello præerimus, iuuenes tamē brachia exercebunt, & pugnā conſerent, atq; hoſtē conficient: uerū ductu, conſilioq; noſtro præclara res eſt, ad quā te inuitamus, fac, ut deſis, nec mortem metuas, quę uitā tribuit meliorē. moriendū eſt etiā omnibus in hoc ſeculo, nec quicquam melius eſt, quàm bene mori, nec honeſtius mori licet, quàm in cauſa Dei. ueni ergo, & cōſolare nos, aut cū uictoria reuertemur, preſtāte Domino, aut ſi aliter in cælo decretū fuerit, eā ſortē feremus, quā dabit diuina pietas. nobis malè eſſe nō poterit, uoluntatē noſtrā cæleſti beneplacito ſubijcientibus. Dat. Romæ, anno incarnationis Dominicæ, 1463. octauo Idus Nouembris. Cuncta igitur armis terreſtribus, naualibusq; obſtrepebāt: nā hinc Italia, Germania, illinc Gallia, Hiſpaniaq; nouū, magnumq; neſcio quid in Turcas moliebātur, quū repente Pius Pōtifex medio belli ardore intra paucos dies morbo extinguitur, ſoliq; poſt eius obitū Veneti tanti belli pondus ſuis humeris multos per annos ſuſtinuere, nec quiſquā Principū opē eis ullam unq̄ attulit, quin cū riſu illi clades ſuas ſpectarunt. Succeſſit Pio Paulus huius nominis ſecundus, patria Venetus, ex Barborū familia ortus, q̄ ab Aeneobarbis gente olim Romæ illuſtri, originē re & nomine uerè trahit, & tā celſa corporis ſtatura, atq; eximia oris uenuſtate fuit, ut omniū animos admiratione impleret. Formoſiq; II. nomen Paulus, ut in uitis Pontificū Platina ſcribit, imponere ſibi uoluit: q̄ð id maximè ſibi nomen conuenire uidebatur, ꝓp heroicā corporis formā. Sed Cardinalibus quibuſdā admonētibus, eccleſiaſticæ hiſtoriæ nō ignaris, quid poſt obitū Formoſo Pontifice primo obuenerat, cuius corpus e tumulo a populo Romano extractū, digitisq; mutilatū fuerat, & in Tyberim proiectū, ab eo nomine abſtinuit, ne Pōtificia maieſtas tam fœdi caſus memoria ſordeſceret. Ad tum autē Patres decem Oratores cōgratulandi publico nomine cauſa primores Senatus hoſce deſtinarunt, AL. Foſcarenū, Triadanū Grittū, Vict. Capelliū, Hier. Barbadicū, Zach. Triuiſanum, Nic. Superantium, Petrum Mocenicum, Andr. Leonū, Nic. Tronum, & Hectorem Paſqualicum. At in Græcia terra, mariq́ue res parum proſperæ Venetis fuere: nam quum Malateſta exiguas haberet copias, Barbariq́ue ad decē equitū millia in Laconiam citato agmine ueniſſent, diffiſus ille militum paucitati, ſub hoſtiū acceſſum Mantineam cum ſuis in tutum abiit. Turcæ autem Pythimā ſubitò adorti, per multam oppidanorum, militumq́ue cædem ui capiunt: nec minor quoque maritima ſub Victoris Capellii auſpiciis expeditione clades acceſſit, q̄ pōſt præclara aliquot in Salonicenſi ſinu, & circa Pyreum in Turcas edita facinora, ubi Larſum, Himbrū, & Athenas, nobiliſſimam Græciæ urbem, ac terreſtri, maritimoq́ue olim potentē imperio, cepit, dum nouiſſimè his ſucceſſibus elatus, ad Patrenſe oppidum expugnandum animum adieciſſet, expoſuiſſetq́ue in terrā præter turmas, ſocioſq́ue nauales, ducentos equites, quorū Nicolaus Ragius, & Iac. Barbadicus ductores, præfectiq́ue erant, oppidum terra, mariq́ue aggreditur, ad prædamq́ue potius, quàm ad pugnā miles intentus, ſine imperio temerè ad agreſtū ſuburbana tecta diripienda diſcurrit, in hunc uagum, palantemq́ue trecenti Barbarorum equites ſubitò impetū faciunt. accurrit Barbadicus Legatus magna armatorū manu, Ragius quoque equeſtri acie adeſt, ſtatimq́ue pugna atrox committitur: ſed Turcæ equorū agilitate a fronte, a tergo, a lateribus, incurſantes, pugnā ferocem edunt, territantq́ue noſtros, iniectoq́ue ſemel pauore confuſos, circumuentoſq́ue eos ferro trucidant, tū aperta fit fuga, cædesq́ue fœda oritur. Turcis ex inſito in Chriſtianū nomen odio, nemini parcentibus, in ea trepidatione Barbadicus Legatus, mula ſedens, dū forte ſuos monendo, hortandoq́ue a fuga reuocare tentat, ui, impetuq́ue hoſtium in anguſtum locū compulſus, & ad terrā inter uepres, & arbuſta deiectus, a multitudine equitum, nec quicquā ope ſuorum implorata, obtritus expirauit: eius corpus poſtea paludamento cognitū Patrenſis arcis loco

Pii Pōtificis mors.

Paulus II Pontifex.

Not. de Formoſo Pontifice.

Legati ad Pontificē.

Not. Capellii geſta.

Nic. Ragius, Iac. Barbadicus.

Venetorū clades.

Iac Barbadici cas⁹.

cis loco eminentiori barbara feritate hoſtes palo affixere Ragius quoque in Turcorum poteſtatem redactus, uiuus & ipſe palo infigitur, milleq; ex tanto numero, cæteris ferro oppreſſis, è manibus hoſtium elapſi, euaſere. nec Capellius tamen ad eã cladem turbatus, animum remiſit, ratus huiuſcemodi incommodum potius ſuorũ temeritate, quàm hoſtium uirtute acceptum fuiſſe. Octauo itaque pòſt die copiæ iterũ ad oppugnandã vrbem ſub ſignis mittuntur: ea autem circumuallata hoſtes ferociter improuiſo egreſſi, in Venetos irruunt, prælioque ſub mœnibus contracto, quattuor circiter horas atrociter utrinque eſt pugnatum: demum uiſa in ſummo cliuo caſtris propinquo, equeſtri Turcorum ala, tantus terror noſtrorum animos inceſſit, ut extemplo in fugam Chriſtianus miles uerſus, profligatusque fuerit. deſideratique ſunt ad mille, & reliqui præcipiti, tremebundaq; fuga ſe ad naues recepere. Quare Capellius duabus fractus cladibus, inde continuò in Zacinthum tranſmiſit: poſtea Methonem, ac demum Chalcidem, ubi mœrore animi, ob aduerſam duplicis prælii fortunam, confectus, intra paucos dies è uita deceſſit. Iacobus Venerius defuncto Capellio tamdiu claſſi præfuit, donec tertium Iacobus Lauredanus Imperator in demortui locum declaratus, in prouinciam uenit. is uerò incredibili uſus uigilãtia, omnem maritimam oram, ab hoſtium incurſu ſtrenue tutatus eſt, nullumque, eo claſſem ducante, Venetis rebus incommodum mari illatum. & Paulus Pontifex patriæ dignitatem amplificaturus, Ioannem Michaelem, M. Barbum, & Ioãnem Baptiſtam Genum, nepotes, affinesque ſuos in numerum Cardinalium rettulit: qui omnes uirtutis ſplẽdore, gratia, & authoritate, in Romana Curia plurimum claruere. ac ex his Ioannes Baptiſta Zenus ad comparandam nominis immortalitatem, opes, fortunasque ſuas, quibus inter principes uiros maximè affluebat, moriens, patriæ diſtribuit. Et ſub id tempus Italia Principum quorundam deſidio agitata, in non paruos incidit belli motus: nam Bartholomæus Collio ab Angelo Acciolo, & Nicolao Soderino Florentia extorribus impulſus, in Flaminiam ſubito cum ualidis copiis irruperat, magnoq; populis Italiæ pauore incuſſo, omnia ferro, ignique uaſtabat: ad eius autem conatus euertendos Ferdinandus Rex, Galeatius Mediolani Princeps, & Florentini fœdus ſtatim inter ſe percuſſere, paratoque exercitu ſocia arma ſub Federici Vrbinatis auſpiciis in Collionem illata ſunt, pugnatumque ad Molinellam in Bononienſis agri finibus, tanta hominum ſtrage, ut nulla noſtræ, priſcæque ætatis memoria maiori armorum contentione in Italia certatum dicatur. neutrò autem fortuna inclinante, atrox dirempta eſt pugna. Venetis poſtea adnitentibus, Collio citra Padum cum incolumi exercitu ſe recepit. inde pax ſequuta quietẽ Italiæ reddidit. In Græcia tamẽ bellum Veneti cũ Turcis gerebãt, nouusq; claſſis Imperator Nicolaus Canalis, Lauredani loco creatus eſt, qui ſtatim duabus triremibus domo profectus, in Eubœã uenit, unde cũ uiginti lõgarum nauiũ claſſe digreſſus, uillas, & uicos, in Theſſalonicenſi agro diripuit: mox Lagoſticiũ oppidũ aggreſſus, altero die ſubegit: claſſeq; nouis ſupplemẽtis aucta, Oenũ in maritima Thraciæ ora ad Hebri oſtiũ urbẽ olim celebrẽ ui cepit nec multò pòſt & Nouaſolia, quibus locis ingens præda parta eſt, ac ad duo millia captiuorũ in ſeruitutẽ abducta. Sub uernũ autem tempus ualidã e Byzãtio claſſem Turcæ educentes, Lemnũ inſulã primo curſu petiere, in qua Coccinũ oppidũ adorti, occuparunt, ac captum, direptumque incendio abſumpſerũt. Indignitate rei motus Canalis eò ſtatim contendit, ſed hoſte iam inde digreſſo, in Chalcidem rediit. hìc quinque & triginta triremibus in unum coactis, ad Euboeæ, maritimæque illius oræ præſidium claſſem inſtructam tenebat. Ducaini interim fratres Alexius, & Nicolaus Epyrothæ armis inter ſe diſſidentes, ad Drynonis ripam collatis ſignis conflixere: hi enim diuerſa ſequuti arma, Epyrhi principatũ quilibet eorum ſibi aſciſſere conabatur. proinde Nicolaus ad Venetas opes confugit, milleque is, ac ducentis equitibus, peditibusque contractis, cum Ioſepho Barbaro, Legato in Alexium mouit, qui & ipſe mille Turcos equites, Othomani ſequutus arma, cõtraxerat Pugna igitur commiſſa, Alexiani fuſi, fugatique ſunt, octingentique ex Turcis eo conflictu cecidere: & hæc terra. mari autem Canalis adhuc in Euboea erat, quãdo centum & amplius Turcorum triremium claſſem circa Tenedum apparuiſſe uulgatum eſt. id autem Venetus pro incerto habẽs

Turcarũ impietas.

Venetorũ clades.

Vict. Capellii mors.

Tres Cardinales Veneti.

Not. atrox certamen.

Nicolaus Canalis.

Oenum.

Coccinũ.

Nicolaus, & Alexius Ducaini.

Ioſephus Barbarus.

Lau. Lauredanum.

cupiduſque ueritatem explorare, Laur. Lauredanum uirum impigrum ſtatim cum decem triremibus mittendum curauit, ad rem certius inſpiciendam, cum huius generis mandatis, ut ſi ſexaginta, & non amplius hoſtem longas naues habere cognouerit, in eum continuò proras dirigat, pugnamque capeſſat, affuturum ſe ſtatim ſubſidio cum reliqua claſſe: ſed ſi plures eo numero triremes eſſent, congreſſum euitaret. His acceptis, Lauredanus, Fr. Quirinum cum una triremi, ad ſpeculãdam hoſtium claſſem præmiſit.

Fr. Quirinus.

qui, ut iuſſus erat, profectus, ingentem nauium numerum Barbaros habere cognouit, ſtatimque ſigno dato, quum iam Veneta claſſis in hoſtem enauigare cœpiſſet, retro auerſa Paleocaſtri portum tenuit, in tutumque, nec quicquàm per multum maris ſpaciũ Turca inſequẽte, Canalis cũ tota claſſe abiit, & Barbari amiſſo, obſcuritate noctis Veneto, in Schyrũ inſulã curſũ flexere oppidũq; quod in ea eſt, armis adorti, ſũma ui oppugnabãt. In eos aũt præsẽti certamine occupatos decẽ triremes Canalis immiſit, quarũ infeſto incurſu ita Turca uexatus eſt, ut ex Schyro ſoluta obſidione ſtatim abſceſſerit, & inde in Eubocã cũ potẽti claſſe trãſmiſit, ubi Stora, & Baſilicone oppidis expugnatis, atq; incẽſis, recta poſtea ad fatalẽ Chalcidis expugnationẽ profectus eſt.

Euboeæ inſulæ deſcriptio.

Sedet autẽ Euboea, ut de ſitu Inſulæ pauca ſubiiciã, Aegeo mari poſita, inter duo promõtoria, Geraſum, ad Atticã uergẽs, & Caphareũ, ad Helleſpontũ, Bœotiæque auulſa, per centum quinquaginta millia paſſuum: circuitus autem eius trecenta, & ſexaginta ſtadia excedit, multas urbes olim inſula habuit, Pyrram, Portamum, Heſſum Cerinthum, Oreum, Dium, Achaliam, nunc tantũ Chalcidem, a cuius regione in continenti Aulis ſita eſt, modicuſque interfluit Euripus, qui ponte iunctus, tranſcenſum ad inſulam ex continenti præbet. Othomanus igitur cum centum, uiginti millibus Turcorum Byzantio digreſſus per Bœotiam affuit, copiiſque in Inſulam ponte traductis, ad Diui Marci fanum mille circiter paſſus a Chalcide caſtra poſuit, innumeriſque circa urbem fixis tentoriis, collocatiſque pluribus locis ad concutienda mœnia bellicis machinis, ter totis uiribus Othomanus terra, marique urbem oppugnauit, ex qua hoſtes magna ſemper cæde repulſi ſunt.

Chalcidis obſidio.

Veneta interea claſſis dum armis res circa Chalcidem geritur, ex proxime Euboeæ ſtatione ad comparandum cõmeatum in Cretam conceſſit: inde cibariis celeriter expeditis diſcedens, ac ſeptem Cretenſibus onerariis cæteræ claſſi adiunctis, ad priſtinam rediit ſtationem. Fama autem Chalcidicæ obſidionis Venetias perlata, ingentem curam, ac metum ciuitati iniecit: quare patres ad potentiſſimi hoſtis conatus repellendos, quot quot triremes expedire, inſtruereque potuere, alias poſt alias irrequieto curſu ad Chalcidis ſubſidium mittendas curarunt.

Metus de Chalcide.

uerebantur enim futuræ cladis quaſi præſcii, ne nobiliſſimam inſulam furens Turca expugnaret, qua occupata, omnem breui poſtea maritimam Græciæ oram; cunctaſque Aegei, Pãphiliique maris inſulas uſque in Syriam armis ſubacturus eſſet. Canalis interim ut ſuis opem ferret, cum tota claſſe ad anguſtias Euripi peruenit, pleniſque uelis, uentoque, & aquis ſecundis in hoſtem ferebatur. tum uerò Chalcidenſes recreari, qui iam triceſimum diem pugnando feſſi, ferocem hoſtem pertulerant, proditioque in urbe atrox detecta erat, cuius Thomas Illyricus author habebatur,

Thomæ proditoris cædes.

Is igitur perfidiæ conuictus, magiſtratuũ iuſſu publicè eſt interfectus. tot malis Chalcidenſes circumuenti, in Veneta claſſe ſpes omnes ſuas repoſuerant, eam die, noctuq; in ore habere, Canalis Imperatoris opem implorare, ad eum ex ipſis mœnibus ſupplices manus tendere. tum quattuordecim ex tota claſſe triremes uiris, armiſque optime inſtructæ, & onerariæ duæ ſub Bartholomæi Minii uiri fortiſſimi ductu ad mille paſſus ponti appropinquarunt, in quem uento, & mari ſecundis agi uidebantur, ut eo diſiecto, barbarum ſubito impetu inuaderent.

Barth. Minius.

Ferunt, Othomanum ad tunc Venetæ claſſis motum exterritum, de fuga cogitare cœpiſſe, conſcendiſſeque equum expeditiſſimum., ut ſtatim ex inſula, donec integrum eſſet, in continentem abiret: ſed a Maometho Aſiaticæ oræ præfecto, quem Baſſam Turcæ uocãt, admonitus, ne id faceret, fore, ut ſi inde arrepta fuga abiret, & claſſis, & exercitus, Regis uulgato diſceſſu, uno tempore in ſummum adducerentur diſcrimen, quia potius urbem ipſam atrociſſimè terra, mariq;, ad incutiendum maiorem terrorem, ſub profundam noctem oppugnatione adoriretur, eamque militi diripiendam regio

Othomanus Rex, de fuga cogitat.

No. Maomethi Baſſa cõſiliũ.

edicto

edicto proponeret. Maomethi conſilium Othomanus ſequutus, continuo ſuos ad nouum, ultimumque certamen reuocat, ingentiaque proponit præmia, qui primus Othomanica ſigna in muris ſtatuerit. Sub obſcuram igitur noctem & copiæ terra, & ex Euripo claſſis mœnibus improuiſo magnis barbarorum clamoribus admota eſt, pugnaq; atroci urbem ex omni parte ferox hoſtis fatigat, in tanto diſcrimine Chalcidenſibus conſtitutis, omnes à Venetis triremibus ad Imperatorem conuerſi, uno ore clamabãt, vt ſuppetias actutum ferri iuberet, paratos ſe uel uincere, uel fortiter pro ſociæ ciuitatis ſalute occumbere. Picemani fratres Cretenſes nobili familia orti onerariæ unius præfecti, primas partes ad erumpendum ſibi dari efflagitabant, pontemq; impetu nauis reſciſſuros pollicebantur, aut, ſi fata obſtarent, non dubitaturos ſe, & ſuos, ut uiros fortes decet, morti obiicere.

No. fratrũ audaciam

Vetat Canalis Imperator, eos, & alios quicquam temere agere, reliquam claſſem expectandam cenſet, quæ proximo loco ad Politiam ſubſederat: ac ſtatim mittuntur, qui eam accerſerent. Chalcidenſes interim tota nocte dimicando defeſſi, ægrè iam Turcorum armis reſiſtere poterant: magiſtratuum præſentia eos non parum confirmabat. aderãt enim Paulus Erizus urbis prætor, Ludouicus Calbus præfectus, Ioannes Bondimerius Legatus, Aloyſius Delphinus quæſtor, ac plerique alii patritii uiri, qui militum, oppidanorumque ſtationes obeundo, ſingulos hortabantur.

Not. Chalcidis magiſtratus.

At miſeri Chalcidenſes, amicæ claſsis auxilio deſtituti, uulneribus, inedia, peruigilioq; affecti, quum tota nocte inceſſanter dimicaſſent, atque amplius non poſſent, circa ſecundam diei horam, propugnacula, ſtationeſque deſeruerũt. Tum hoſtes, nudatis defenſoribus muris, irruptione ſubito facta, urbem capiunt, fœdiſſimamque ædunt cædem, ac armati, inermeſque pariter obtruncantur, in pubereſque uſque crudele ferrum diſtrictum, cæſi quoque magiſtratus, alii alio loco:

Chalcis capitur.

nam Ludouicus Calbus in foro fortiſſimè pugnans interficitur, Bondimerius Legatus in priuatis ædibus Pauli Andreotii, quò confugerat, Erizus autem ex munitiore loco ubi ſe tenebat, ſub Othomani fide digreſſus, ad conſpectumq; eius adductus, crudeliſsimo mortis genere interemptus eſt: nam cauillatus immanis tyrannis, pollicitum ſe fuiſſe ceruici, non lateribus parſurum, infanda perfidia hominem medium ſecari iuſsit, magnaque in omnes crudelitate uſus eſt, in ultionem cædis ſuorum, circa Chalcidem paucis illis diebus amiſſorum, quibus obſidionem tenuit:

Magiſtratus cæſi.

nam ad quadraginta Turcorum millia Chalcidenſium armis cæſa dicuntur, & in urbe ſupra quinque millia ferro Barbarico occubuere. cæſorum capita publice ante Patriarchæ ædes ad Franciſci fanum coaceruata luctuoſum, horrendumq; omnibus ſpectaculum præbuerunt; & cadauera ipſa tam intus, quàm foris paſsim iacentia, ne poſtea ſuo fœtore cœlum inficerent, in proximum Euripum nuda ſunt proiecta.

No. Turcorũ cædem

Othomanus autem ualidiſsimo ad Chalcidẽ pręſidio relicto, terreſtri itinere cum reliquis copiis ex inſula exceſsit, Byzantiumq; eſt reuerſus. claſsis quoque Euboico relicto littore Chium uenit, hoſtemq; eò Canalis ſecutus, ad delendam Chalcidicam ignominiam prælium expetebat, nam: mirifice claſſe aucta, quæ centum habuit triremes, Turcam medio mari aggredi Canalis ſtatuerat, ſpectabatque hoſtem poſſe uincere, quum is ad Venetæ claſſis conſpectum fugam meditari cœpiſſet: nam ob turmarum infrequentiam, quorum maior pars ad Chalcidẽ perierat, certus erat, nullo modo congredi. uerum tanta uincẽdi occaſione Veneti uti neſciuere, quibuſdam triremium præfectis negantibus, cum uictore Turca minimè dimicandum eſſe, ne Reſp. in apertum diſcrimen coniiceretur. Itaque ſine ullo certamine Veneta claſsis ad Cæam inſulam iuxta Euboeam, unde uenerat, reuerſa eſt. Barbarus uerò, ubi per ſpeculatorias ſcaphas cognouit, Venetum receſſiſſe, omniaque pacata eſſe, nauigationis ſuæ curſum in Helleſpontum libero mari proſequutus, in tutum abiit. Feruntque, Boſphori anguſtiis ſuperatis, Barbaræ claſſis præfectum ad ſuos læta fronte conuerſum dixiſſe, ſatis amice ſe a Venetis habitos fuiſſe, qui frequenti nauiũ apparatu, hoſpitalem toto mari comitatum præſtitiſſent.

Not. adagium in Venetos.

Chalcidis interim expugnatione Venetias perlata, tãtus luctus, & mœror patribus, ac uniuerſæ ciuitati iniectus eſt, ut nullus maior percipi, afferrique potuiſſet, omnis uno ordine claſsis trierarchos, præfectoſque odiſſe, ſed in primis Imperatorem ipſum Canalem damnare, deteſtari, qui nullam obſeſſæ ciuitati, & miſeris Chalcidẽſibus opem tuliſſet, ac dum potuiſſet,

Canalis e claſſe reuocatur. Petr. Mocenicus.

hoſtem facile uincere, elabi eum paſſus eſſet. Fit itaque animis accenſis ſtatim Senatuſ conſultum, de imperio ei abrogando, unaque, ut is è prouincia reuocatus, in uincula coniiceretur. Petrus Mocenicus eius loco ad Imperium maris mittitur Tentauit interim Canalis, dum hæc domi fiunt, atque Othomanica claſsis abeſt, an Chalcidẽ inopinato acceſſu recipere poſſet. claſſe itaque urbi admota, & expoſitis in terram militibus, ſub Ioanne Trono, Federico Iuſtiniano, & Nic. Mollino, ducibus, res primùm eo die in hoſtes ſtrenue geſta eſt. modico poſtea temporis interuallo Barbari ex urbe erumpentes, Venetos inuadunt, quorum ducenti, & amplius ſub mœnibus fœde obtruncantur, & in his Ioannes Tronus fuit, homo impiger, & cuius uirtus pluribus iam pridem in Italia bellis enituit, reliqui in fugam uerſi, ſe trepide ad naues receperunt. ita infecta re ad Aulidem claſsis relicta Euboea Veneta receſsit. Eodemq; die Petrus Mocenicus nouus claſsis Imperator cum tribus triremibus eò applicuit; cui obuiam Canalis progreſſus, poſt mutuam ſalutationem, quid in animo haberet, expoſuit, con flaſſe ſe centum triremium claſsem, ut diis bene iuuantibus, Chalcidem reciperet, ueniſſeque in ſpem, his uiribus, urbis recuperandæ, niſi abrogato imperio ſibi decedendum eſſet, uerùm non deſperare omnino euenturum, ut quæ ipſe fruſtra antea tentaſſet, nouus Imperator, fortuna duce, ac ſua uirtute facilè perficeret. Ad ea Mocenicus, qua erat prudentia, Quin age, potius inquit, & tu ſi quid ſpei in recuperanda urbe reliquum eſt, perge armis agere: nam quod ad me attinet, uel collega, uel comes tua ſequar imperia, ne publicum impediatur commodum; nullumque recuſabo tecum laborem, nullum periculum, ut extorta è Turcorum manibus uictoria, in priſtinam res Veneta dignitatem reſtituatur. Tum Canalo negãte alienis auſpiciis quicquàm auſurũ, expeditio intermiſſa eſt, quę dubia, ac difficilis infœlicem euentum protendere uidebatur. Recepto igitur Mocenicus claſſe, & Canale, ut mandatum erat, in uincula coniecto, quum iam hybernorum tempus appeteret, in Peloponeſſum conceſsit, eo conſilio, ut ueris initio in Turcas mouens, aliquod præclarũ ęderet facinus. At Canalis ubi domum uenit, perpetua eſt in Carnis relegatione dãnatus: qui interrogatus a M. Anto. Sabellico, hiſtoriarum ſcriptore, ut ipſe ab eo audiſſe tradit, qua potiſsimum ratione patriæ deſiderium leuaret, duplici indagine reſpondiſſe dicitur, uenatoria, & literaria: nam optimarum artium ſtudia a pueris amplexus, inſigni eruditione præditus erat. togaque Senator præſtantisſimus habebatur, ſed arma, ac militiam naualem ſequutus, quæ a Muſis abhorret, omnem amiſit dignitatem. Nec Mocenici hyberna interim in Græcia omnino ocioſa fuere, ſed & naues reficiendas hoc tempore diligẽter curauit, & circa Aegei maris inſulas ipſe profectus, populorum animos Euboico excidio conſternatos, magnis hortationibus erexit. Et patres Chalcidenſis cladis memoria Aſiatico bello intenti, duos Legatos crearũt, Marinum Maripetrum, & Aloyſium Bembum, qui in Græciam ad claſsem proficiſcerentur, ut cum eis Mocenicus Imperator cõmuni conſilio maritimum bellum adminiſtraret. Venit & Richaienſius ex Neapoli cum decem roſtratis nauibus, a Ferdinando Aragonum Rege miſsus, ut Venetam rem aduerſus Turcas ex parte ſua iuuaret, quorũ arma, occupata Chalcide, Chriſtiani Principes non poterant non maximè perhorreſcere. Othomanusque ob id aliquem nouum, improuiſumque Chriſtianæ gentis motum belli reformidans, experiri ſtatuit, an cum Veneto ex regia dignitate cõponere pacem poſſet; uel ſi id minus obtinuiſſet, trahendo ſaltem tempus, Chalcidicæ cladis memoriam aboleret, aut ex parte leniret. Diſſimulans itaque pacis deſiderium Othomanus, ex domeſticis unum Venetias ire iuſſit, q Patres, nouercæ ſuæ Chriſtianæ fœminæ, ac filiæ olim Georgii Trybalorum principis nomine, admoneret, hortareturque ad pacem cum Othomano faciendam; curauitque, ut Byzantium Legati mitterentur. Nicolaus Coccus, & Franciſcus Capellius ad hanc legationem profecti ſunt, in Macedoniamque delati, ibi cum Turca de pace egerunt: ſed quum conditiones minimè placerent, Legati per litteras domum reuocantur. Capelliusq; Byzantii febri correptus interiit. Aeſtasque illa Othomani ludificationibus ſine re ulla memorabili acta eſt: quare appetente iam hyema Aragonia claſſis Neapolim rediit, nonnullæque triremes cum legatis patrum iuſſu domum uenere. Hoc etiam tempore Beſſario Nicenus Cardinalis, uerè literarum

Venetorũ clades. Ioan. Tronus.

Not. Mocenici uerba.

Canalis in uincula coniectus.

Canalis dãnatio.

Mar. Marinum Maripetr. & Al. Bembus. Richaienſius.

Nic. Coccus, Fran. Capellius

Not. Niceni Card. librorum munus.

ſplendore

ſplendore excultiſſimus,plurimos inſignes utriuſque linguæ libros, præclaraque antiquorum uolumina,ſacræ ædi Beati Marci dono dedit,atque dicauit, ut elegantiſſima illius cum librorum indice ad Maurum Principem patet epiſtola : quod uoluminum,bibliothecæque tantæ ampliſſimum munus miro patres excepere gaudio, ac in pulcherrimo,nobiliſſimoque Ducalis palatii loco Senatuſconſulto repoſitum , inter illuſtria hodie,claraq; ciuitatis habetur ſpectacula. Litteras autem a Niceno ſcriptas cum Senatus reſponſo hìc annotandas duxi, ut præſtantiſſimi uiri tum eruditio , tum liberale factum,propenſumque in Remp.Venetam ſtudium perſpici poſſit.

No. Niceni Card. librorum munus.

Illuſtriſſimo,ac Inuictiſſimo Principi Chriſtoph.Mauro Duci,Veneto.& inclyto Senatui,Beſſario Nicenus Cardinalis S. Equidem ſemper a tenera ferè, puerilique ætate omnem meum laborem,omnem operam,curam,ſtudiumque adhibui , ut quoſcunque poſſem libros in omni diſciplinarum genere compararem:propter quod non modò pleroſque & puer,& adoleſcens manu mea conſcripſi , ſed quicquid pecuniolæ parca interim frugalitas ſeponere potuit,in his coemendis abſumpſi,nullam enim magis dignam , atque præclaram ſupellectilem,nullum utiliorem , præſtantioremque theſaurum parari mihi poſſe exiſtimabam: quippe pleni ſunt libri moribus,pleni legibus , pleni religione , uiuunt,conuerſantur,loquuntur nobiſcum,docent nos,inſtruunt,conſolantur , resque a memoria noſtra remotiſſimas,quaſi præſentes nobis exhibent,& ante oculos ponunt: tãta eſt eorum poteſtas,tanta dignitas,tanta maieſtas,tantum denique numen, ut niſi libri forent,rudes omnes eſſemus,atque indocti,nullam fere præteritarum rerum memoriam,nullum exemplum,nullam denique ipſi humanarum,nec diuinarum rerum cognitionem haberemus;eademque urna,quæ hominum corpora contegit,etiam nomina obrueret. Quamuis autem huic rei toto ſemper animo incubuerim,ardentiori tamẽ ſtudio poſt Græciæ excidium , & deflendam Byzantij captiuitatem in perquirendis libris Græcis,omnes meas uires,omnem curam,omnem operam, facultatem , induſtriamque conſumpſi.uerebam enim.& uehementiſſimè formidabam,ne cum cæteris rebus tot excellentiſſimi libri,tot ſummorum uirorum ſudores,atque uigiliæ,tot lumina orbis terræ breui tempore periclitarentur,atque perirent;quemadmodum in ſuperiori tempore tantam iacturam fecimus,ut ex ducentis uiginti millibus librorum , quos Plutarchus in Bibliotheca Apami fuiſſe refert,uix mille ætate noſtra ſuperſint,conati autem ſumus,quãtum in nobis fuit,non tam multos,quàm optimos libros colligere . Cæterùm quum hæc mente ſæpe repeterem,parum deſiderio meo ſatisfeciſſe uidebar,niſi pariter prouiderem, ut libri,quos tanto ſtudio,ac labore collegeram,me uiuo ita collocarentur,ut etiam defuncto,diſſipari,alienarique non poſſent;ſed in loco aliquo tuto ſimul , ac commodo ad communem omnium tam Græcorum,quàm Latinorum utilitatem ſeruarẽtur. Hoc igitur cogitanti mihi,multaſque Italiæ urbes animo uoluenti,ſola tandem ueſtra inclyta, atque ampliſſima ciuitas occurrit, in qua animus meus omni ex parte conquieſceret. Primò enim non uidebam,quem locum eligere tutiorem poſſem,quàm eum , qui æquitate regitur,legibus tenetur,integritate,ac ſapientia gubernatur,ubi uirtutis,continentiæ , grauitatis, Iuſtitiæ,fidei,domicilium eſt;ubi imperium, ut maximum eſt , atque ampliſſimum,ita æquabile , & moderatum , animi in conſultando liberi , nulli libidini , nulli delicto obnoxij , prudentes Imperij clauum tenent , & boni malis præferuntur , ac priuatorum commodorum obliti,totum corpus Reipubl.unanimi conſenſu , & ſumma integritate procurant : ex quo ſperandum eſt, ciuitatem ueſtram (quod optamus) in dies magis & uires , & nomen propagaturam. De hinc intelligebam , nullum locum a me eligi poſſe commodiorem , ac noſtris præſertim hominibus aptiorem . quum enim in ciuitatem ueſtram omnes ferè totius Orbis nationes maximè confluant , tum præcipuè Græci,qui è ſuis prouincijs nauigio uenientes,Venetijs plurimùm immorantur, ea præ-

No. Niceni litteras ad Senatum.

Not. librorum copiam, & iacturam

Venetorũ laus.

terea nobiſcum neceſſitudine deuincti, vt ad ueſtram appulſi urbem, quaſi alterum Byzantium introire uideantur: poſt hæc quomodo poterat, hoc beneficium a nobis honeſtiùs locari, quàm apud eos homines, quibus ego multis eorum in me beneficijs deuinctus, obſtrictusque eſſem? & in ea ciuitate, quam mihi (ſubiugata Græcia) pro patria elegiſſem, & in quam aſcitus a uobis, atque honorificentiſſime receptus fuiſſem? Itaque conſtans mortalitatis meæ, & ingraueſcentem iam ætatem, diuerſoſque, quibus affligimur, morbos, & cætera, quæ euenire poſſunt, conſiderans, omnes libros utriuſque linguæ ſacratiſſimæ ædi Beati Marci ueſtræ inclytæ ciuitatis dono dedi, atque dicaui, ſentiens talem me animum, & excellentiæ ueſtræ, & gratitudini meæ, & quam mihi communem eſſe uoluiſtis, patriæ debuiſſe, ut uos, ac liberi, poſterique ueſtri, qui me uirtute, ac ſapientia ueſtra, multiſque in me beneficijs adauctum, deditum, obſtrictumque habetis, huiuſmodi laborum meorum in primis fructus uberes, diuturnoſque capiatis: de hinc cæteri, qui bonarum diſciplinarum ſtudioſi erunt, ueſtra cauſa capiant. Quapropter & donationem ipſam, & librorum indicem, & Pontificis Maximi Decretum, ad ueſtras Excellentias mittimus, precantes Deum, ut Reip. ueſtræ omnia fæliciter, bene, proſpereque eueniant, & pacem habeat, tranquillitatem, ocium, concordiamque perpetuam. Valeant excellentiæ ueſtræ. fæliciter ex Balneis Viterbienſibus, anno Sal. M.CCCC.LXVIII. prid. Kalendas Iunias.

Beſſario ciuitate donatus.

In reſponſione autem, hæc a Senatu Epiſtola conſcripta.

Senatus litteras ad Cardinalem.

Reuerendiſſimo, & Illuſtriſſ. Cardinali Niceno, Chriſtoph. Maurus, Dei gratia Dux venetiarum S. Libellum de donatione nobiliſſimæ Bibliothecæ ueſtræ, unà cum indice omnium librorum, duce, & capite elegantiſſima epiſtola ueſtra, ad nos, quā in ipſius libelli fronte quaſi ueſtibulum præpoſuiſtis, uir nobilis Petrus Maurocenus miles, qui Oratorem pro nobis Romæ agebat, rediens nuper nobis munus attulit, munus nimirum ampliſſimum, conuenientiſſimumque liberalitati, ac ſapientiæ Reuerendiſſimi Domini, qui daret noſtræ Reip. ſtudio, & expectationi, quæ receperat: nihil enim magnificentius, nihil honoratius ciuitati noſtræ accidere hoc tempore potuiſſet, quàm in ea collocari, & domicilium fieri tot præſtantiſſimorum uoluminum Græcæ, & Latinæ litteraturæ, nihil præterea, quod magis teſtatam, & cognitam redderet tum ſummam doctrinam, & bonarum artium ſcientiam ueſtram, tum erga nos, & Remp. noſtram incomparabilem beneuolentiam; quandoquidem perpetuò dicetur, & ab omnibus decantabitur, ueſtram Reuerendiſſ. Dominationem, ut doctiſſimum, & ſapientiſſimum patrem, ita etiam Principem, & Authorem fuiſſe tam præclari, & latè patentis muneris, ad uſum, utilitatemque publicam comparati. Etenim ſi Lycurgo ſummo uiro gloriæ datum eſt, quòd primus Homerum uarijs in locis, per fruſta diſperſum ex Aſia totum in Græciam reportauerit; quid uobis debebitur, quum ueſtra opera, ſtudio, induſtria, ac demum munificentia factum ſit, ut præclara uolumina, & litterarum monumenta è tenebris ferè in lucem, è Græcia in Italiam, ac demum è Roma Venetias magno examine Latinorum, & quidem optimorum reducerentur? Erat nobis antea notus, & multipliciter cognitus ſingularis amor, & beneuolentia ueſtra erga nos; complura argumenta continuè extiterunt, quàm conſtantiſſimo noſtrorum hominum ſermone, quanti noſtrā, immo ueſtrā Remp. feceritis, & pro dignitate noſtra laboraueritis, inſigniter declararunt; ſed hoc liberaliſſimum factum ueſtrum, nempe, quòd ciuitatem noſtram, & ædem S. Marci præelegeritis, cui uiuens dono Bibliothecam ipſam daretis, ſic ſuperauit omnia officia, ſic auxit amoris, & beniuolentiæ uim, ut nihil addi poſſe uideatur. Reſtat itaque, ut pro huiuſmodi ueſtro munere, quod libenter accipimus, &, vt

No. de Lycurgo.

par eſt, magnifacimus, gratiam veſtræ Reuerendiſſ. Dominationi habeamus, quando referre hoc tempore non datur; exploratumque habetote, non minori uoluptate ipſos libros excepturos, quàm ferunt, Romanos matrem Deorum ſuorum, aut Aeſculapium accepiſſe; collocabimuſque eos, in pulcherrimo, & nobiliſſimo loco, hoc eſt, in ipſius palatij noſtri opportuniſſima regione, ita quòd meritò Bibliotheca S. Marci ædis appellari poterit; interque illuſtria ciuitatis noſtræ ſpectacula, cum immortali laude, & gloria ueſtræ Reuerendiſſ. Paternitatis, ac publica utilitate habebitur. Iamque ex Senatus noſtri conſulto locus & ſedes ipſa honorificentiſſimè deſignatus eſt. Dat. in noſtro Ducali palatio, die X. Auguſti 1468.

Nec ita multò pòſt Maurus Princeps anno adminiſtrationis ſuæ nono, menſe ſexto moritur; ad Iobi fanum ſitus iacet, quod ipſe Religionis cultor priuato ſumptu cum proximo cœnobio extruxerat. eius quoque principatu pars interior Ducarii ueſtibuli ad ſummum eſt deducta, ubi in fronte circa faſtigium illius ſtatua ex Pario marmore erecta uiſitur: atque aliæ duæ eximii operis primorum parentum paulò inferius poſitæ, quas Ant. Criſpus Statuarius ea tempeſtate inſignis exculpſit. Mauro Nicolaus Tronus ſucceſſit, ſæuiente Aſiatico bello, terra, mariq́ue, quod ſoli Veneti, Chriſtianis Principibus ocioſè ſpectantibus, magnanimè per multos annos ſuſtinuere, ut proximo libro enarrabitur.

Mauri. P. interitus.

Nic. Tronus. D. 68. ann. D. 1471.

PETRI

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F. SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS. AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber nonus.

Legati.

ERant res Venetæ in Græcia, Euboea amiſſa, parùm tutæ, quum potentiſſimus hoſtis uicinis armis in illis oris omnia territaret. quare Veneti ad Paulum Romanum Pontificem Oratores miſere, Ber. Iuſtinianum, & Al. Foſcarenum; & ad Ferdinandum Regem, Zach. Barbarum, qui publico nomine poſtularent, ut in Othomanum communẽ hoſtem pia arma inducerent. Mittitur quoque Catharinus Zenus ad Vſſoncaſſanum, Perſarum Regem, cum quo aduerſus Turcas fœdus eſt initum: de cuius itinere in Perſas Nic. Zenus, Catharini iunioris filius, uir ſingulari eloquentia prę ditus, Tuſco ſermone elegans ædidit opuſculum, in quo ſumma illius induſtria in tantarum rerum cõmemoratione facilè agnoſci poteſt. nam ab Vſſoncaſſano Rege originem Perſarum repetens, multa, quæ a proauo ſuo mandata litteris fuere, memoratu digna retulit. ſcripſit etiam maritimi itineris peregrinationem a Nicolao Zeno gẽtili ſuo factam, naufragiumque eius in Iberico Oceano ad inſulam Frislãdam, ubi populorum, gentiumque multarum ſub polo arctico mentionem facit, quę noſtris hominibus ignotæ erant, & cũ his hiſtoriã coniunxit, de Barbaris nationibus, Gothis, Meſſageſis, Gepidis, Hunnis, Vandalis, Oſtrogothis, Viſigothis, Longobardis, Gallis, & Arabibus, quorum aſsiduis in Italiam irruptionibus, factum eſt, ut Venetiæ fœlicisſimis auſpiciis conderentur: undecimque uoluminibus hæc omnia uernaculo ſermone ſine nominis ſui inſcriptione, quod ſingularem eius modeſtiam atteſtatur, cõplexus eſt. aliaque complura ad communem omnium utilitatem ab eo perſcripta propediem in lucem uenient.

Not. Nicolai Zeni compoſitiones.

Mocenici geſta.

interim ad firmandas partes ſuas Veneti diligentem curam domi adhibebant. at foris Mocenicus cum tota claſſe ex hybernis digreſſus, in Ioniæ maritimam oram peruenit, & Paſſagium è regione Chii adortus, diripuit, multaq; inde præda in naues aſportata eſt. in Lemnum poſtea tranſgreſſus, Coccinum oppidum terremotu concuſſum, ac Turcorum incurſione antea penè deſolatum magna ex parte reſtituit. inde Methonem profectus, duos ibi nouos Legatos, Steph. Maripetrũ, & Vict. Superãtium uiros nauali arte inſignes, ab urbe in claſſem miſſos inuenit: quibus procurantibus, factum eſt, ut deni equites, qui Græco uerbo Stratiotæ uocantur, ſingulis triremibus imponerentur. Sunt autem hi bellatores optimi, & ad rapacitatem proni, ſcuto in peltæ formam utuntur, & in curuato enſe, ac haſta longiore, bombicinisque ueſtiuntur thoracibus; equos quoque habeat uelocisſimos. quibus proſperas incurſiones, deprædationesque ſæpe agũt. Sedes eorum in Epyro, maritimaque Peloponesſi ora. His igitur in naues impoſitis, ad Aſiaticam oram deuaſtandam Mocenicus ire pergit, Pergamenumque primùm agrum incurſat, inde & Gnidium, in Chariæ finibus. claſſe poſtea ex littoribus in altum deducta, Venetus in Delum, inſulam Cycladum, olim inſignem tranſiit, ubi adhuc Apollinei templi, & ſuperbi Amphyteathri ueſtigia, pyramidesque extare dicuntur, cum coloſso cubitorum quindecim. affuitque circa Maleam promontorium Aragonia claſsis ſeptem & decem triremium; longæque aliquot naues Pontificis aduenere, & duæ Rhodiæ, quibus Mocenicus cæteræ claſsi adiunctis, maritimam Thabiæ, Coi, Alicarnaſseorumque oram inuaſit, è Rhodos

Stratiotæ.

Delus inſula.

regione

regione, ſitam: ibique expoſiti Epyrothæ equites, incolarum pagos fœdè populati ſunt. At Turcæ, inbelli turba ad montes præmiſſa, locorum aſperitate freti, manum cum Veneto conſerere non dubitarunt: pugnatumque eſt aliquandiu dubio Marte, demum Epirothæ, naualeſque ſocii, Iacobo Pariſoto claſsis Admirato Duce, hoſtem loco ſummouent, ſummotumque profligant; alii cæſi, alii locorum notitia præruptos ſaltus, inuioſque montium receſſus ſalui petiere. multa autem cæſorum capita ad Imperatorem delata. captiui etiam multi ex acie a Victore ſunt abducti, cum ingenti, opulentaque præda. Secundùm hæc, in Samum inſulam cum claſſe peruentum, terræq; cultores complurimi a noſtris capti, erga quos multa Mocenici Imperatoris benignitas apparuit, ut non ſolùm ille armis, ſed lenitate, & clementia hoſtes edomaret: totamque iam eius fama Græciam implerat, ac Venetæ claſſis formidine uicinæ, remotæque gentes fugam circumſpectare uidebantur. In Samo autem tandiu mora protracta, donec Epyrotharum equi longa iactatione feſſi, eſurieque, & fame macilenti, in herbido reficerentur: nam inſula non parum culta mitioris ingenii habitatoribus plena eſt, appellata olim Parthenia, modò Anthemuſa, modò Cypariſſia, nouiſſimè Samos: unde paucis pòſt diebus Mocenicus cum claſſe digreſſus, Attaliam Pamphiliæ urbem, quę nũc uulgo Satalia dicitur, aggredi ſtatuit. Eſt autem ea ciuitas omnium maritimarum Aſiæ admodum inſignis, ab Attalo Rege condita, portum habet ab utroque latere turribus egregiè munitum, cathenaq; obſeptum firmiſſima. ad Chelidonias inſulas primùm claſſis uniuerſa delata eſt, conſtabatque ea quinque & octuaginta triremibus, quarum uiginti Pontifex ſub Nicolai Modruſenſis Antiſtitis Imperio miſerat, Ferdinandus Aragonum Rex decem, & ſeptem Rhodii Dux, ut diximus reliquæ ſex & quadraginta Venetorum erant. ex Chelidoniis igitur die iam ad occaſum uergentis, claſſis profecta, breui maris ſpacio emenſo, ad tertiam diei inſeguentis horam littoribus eſt appulſa, ſtatimque Imperatoris iuſſu Victor Superantius cũ decem longis nauibus ad portum urbis occupandum aduolat, parique audacia Maripetrus alter Legatus a continenti ſigna in hoſtem infert: adeſt & Epyrotha eques, qui ſtatim collem urbi proximum præſidii cauſa celeri curſu occupauit: datoque ſigno, pugna oritur, terra marique atrociſſima. Tum Superantius, triremi inter tela, & ſagittas remis ferociter impulſa, repagulis diſiectis, cathenaque prærupta, primus omnium in medium portum penetrauit, ac turribus occupatis, ſuburbana tecta incendit, direptis prius mercibus ſummi precii, pipere, thure, cinnamomo, aliiſque aromatibus. inde uicina mœnia armis petita, quæ ob earum altitudinem, quum difficilem per ſcalas aſcenſum præſtarent, a ſociis naualibus dolabris dirui cœperunt, in quo facinore, dum Rhodiacæ claſsis præfectus incaute muros ſubiit, portamque cum ſuis, ut in urbem irrumperet, refringere tentat, ingenti ſaxo ſupernè ab hoſte percuſſus, interimitur. & ab altera parte Maripetrus in continenti rem impigre gerebat. vrbem enim cum fortium uirorum manu ad eum locũ, qui duplici muro cinctus orat, ferociter adortus, ſtatim admotis ſcalis, exteriorem occupauit murum, barbaroſque è propugnaculis multa cũ eorum cæde repulit. ubi uerò ad ſecundũ interioremque peruenit, ſcalis mœnium altitudinem non æquantibus, Veneta hìc hæſere arma. ferunt, fœminam Illyrici generis, quæ diu Turcorum ſeruitutem captiua pertulerat, medio certaminis, armorumq; ſtrepitu, mœnia conſcendiſſe, clamoreq;, & hortatione Chriſtianos pugnantes in oppidanorum conſpectu iuuare auſam: ſed quũ è proximis quidam barbarus ei flagra minaretur, uerita uirilis animi mulier, ne quandoq; pœnas daret, compoſita prius ueſte, ſummo muro deſiluit, quæ ſuo pondere ſolo afflicta paulòpòſt expirauit. his apud Attaliam geſtis, Mocenicus Imperator, & reliqui duces, uidentes, oppidum, & mœnibus, & præſidio egregie munitum, nec tam facile capi poſſe, moramque longam periculoſam fore, ob importuoſam Pamphiliæ oram, quæ Vulturno, & Auſtro expoſita, mare infeſtum nauibus reddit, ſoluta obſidione inde abire ſtatuerunt: ſed priuſquàm diſceſſum eſt, ſub urbanis locis ferro, & igni uaſtatis, fœda populatione tota illa regio deſolata, ingentem cladem accepit. interim Vſſoncaſſani Perſarum regis Orator Azymameth ex ultimis terrarum finibus Rhodum applicuit, ubi Veneta claſſis ex Attalia profecta aderat: qui cum Mocenico Imperatore

Hoſtium cædes.

Samos inſula.

Attalia.

Not. Superantii ſtrenuitatem.

Maripetr.

Not. mulieris audaciam.

Attalia obſidione liberatur.

locutus, Regis ſui egregia armorum geſta aduerſus Turcas cõmemorauit, quòd maiorem ſcilicet ille Armeniam inuaſerit, in qua prouincia ſæpe hoſtis debellatus; Toccatam opulentiſſimam eius regionis urbem Perſicis occupatã armis amiſerit, maioraq; Vſſoncaſſanum in Turcas moliturum affirmabat, ſi Chriſtiani Principes, & præcipuè Veneti in Perſiam ad eum bellica opera, tormentaque ænea (quorum Perſæ rudes, ignarique habentur, mari mittenda curarent, ſociumque Regem iis iuuarent auxiliis. Mocenicus benignè Oratoris poſtulata audiuit, gratulatusque eſt ei publico nomine, de rebus a Rege ſuo in Armenia præclare geſtis, hortatusque ad hæc illum, bene ſperare, fore certò affirmans, ut omnia, quæ petiturus aduerſus communem hoſtem ueniſſet, facile impetraret: oſtentataque ualidiſſima claſſe, eam regiis imperiis obtulit. Cum his in Italia Perſa dimiſſo Mocenicus, cæterique ductores confeſtim Aſiæ maritimam oram petentes, in Othomanum bellum renouarunt: & primùm claſſe ad Thermerium Myndiorum promontorium ducta, dextra, leuaque Epyrhotæ equites, ac ſocii nauales in littus expoſiti, frugiferum agrum paſſim depopulati ſunt; barbarosque occurrere auſos, ferro proſternunt, ex quibus ſupra centum capita obtruncata, abſciſaque, ad naues relata fuerunt. magnus quoque mortalium numerus in prædam abductus. inde in Naxum tranſmiſſum, Aragoniusque hinc præfectus cum claſſe ſua, quia iam hybernorum tempus aderat, Neapolim conceſſit. at Mocenicus, Modruſenſisque Pontificius Legatus, Hiſpano abeunte, minimè in ocio fuere, Smyrnamque olim nobiliſſimam Ioniæ urbem oppugnare ſtatuunt: admota itaque claſſe, miles, nautaque in terram ſtatim exponitur, ac primo impetu ita ſtrenue, atque impigre rem geſſere, ut hoſte, qui in propugnaculis, mœnibusq; ad cuſtodiã erat, depulſo, urbem tranſcenderint. territi Smyrnei alii cum liberis, & uxoribus in Moſcheas ſuas confugiunt, alii uictori reſiſtere auſi, è ſummis tectis, tegulas, ſaxa, aliaque telorum genera in Venetum deuoluunt. irritatus itaque uictor per urbem ferociter diſcurrens, obuios trucidat, ædes diripit, incendit, ac ſacra, prophanaque uiolat, nec nõ puberes, uirginesque captiuas trahit, ex quibus, tradunt, fœminã florenti ætate, quũ ad naues uiolento raptu abduceretur, mariti ſepulchro, in quod fortè ita abſtracta inciderat, procumbentem hæſiſſe, ac flebili eiulatu ſuper illud ore, cordeque emiſſo, mariti nomen ſæpius uocaſſe, atque quum circa buſtum puella affixa, inhærensque perſtaret, & nec precibus, neque minis facile inde diuelli, amouerique poſſet, a temerario milite gladio traiecta eſt, & quo illa uoluit, optauitque loco, exanimis relinquitur. ad captæ urbis famam Balabanus, qui prouinciam adminiſtrabat, ex proximis ſtatiuis excitus, cum tumultuaria Turcorum manu ſubitò affuit, in cuius occurſum Peloponeſſiacus eques audacter profectus, prælium capeſſere non dubitauit, affuere & in auxilium turmæ nauales, atque æquo marte aliquandiu pugnatum, mox Balabano Duce cadente, hoſtes ingenti occidione profligantur, Smyrnamque uictores reuerſi, poſt tranſlatam ad naues opulentam prędam, vrbem iniectis flammis incenderunt, atque ita nobiliſſima ciuitas, ſcriptoribusque Græcis, & Latinis decantata, breui ſpacio incineres collapſa interiit. claſsis inde celeriter abducta, ad adiacentes circum inſulas appulſa eſt: ibique præda ſub corona uendita, manubiæque ipſæ omnibus æqua portione diuiſæ, quartò deinde die Clazomenium littus claſsis tenuit, copiæque in terram exponuntur, quibus barbarorum opes ex agris, finitimisque locis in prædam actæ ſunt, hoſtiumque equites in Clazomene oppidum fugati, poſt hæc quum iam hybernorum tempus appeteret, Mocenicus cum tota claſſe ex Ionia in Helleſpontum conceſſit. abiturusque in Italiam Pontificius Legatus, Venetum complexus Imperatorẽ ita affatus dicitur, Tua, Mocenice, uirtus, inquit, adeò clara, illuſtrisque in conſpectu omnium apparet, ut non ego ſolùm, qui huic bello interfui, illius uerus teſtis eſse poſſim, ſed totus pene Oriens ſincero animi affectu, & prædicatione te admiratur, & celebrat, nam præclara, egregiaque in maritima Aſiæ, Lyciæ, Pamphiliæque ora facinora edidiſti. ibo igitur tuarum laudum & teſtis, & præco. atque utinam Venetam reliqui Principes Chriſtiani imitarentur in hoc bello indolem, quæ tuis auſpiciis apud Barbaras gentes tantæ admirationi eſt, ut Veneti, tuique nominis gloria cunctis ſeculis in ore, memoriaque hominum uiuet. perge igitur. Vir Clariſsime, ut cœpiſti, rẽ Chriſtianam

No. Mocenici pollicita.

Smyrna a noſtris capitur.

No. da mulieres.

Balabanus

Smyrna incenſa.

Legati Põtificii ad Mocenicũ uerba.

ſtianam armis tueri, debellare infeſtiſſimum Turcam, belluam immanem, horrendã; qua proſtrata, Europa terra, marique tuta, ſaluaque erit. Deus optimus maximus, in cuius manibus omnium ſunt iura regnorum, ut ſacra canit pagina, tuos ſecundet ſucceſſus, conſummatãque præſtet de perfido hoſte Othomani uictoriam.

Mocenici reſpõſum.

Ad ea Mocenicus pauca ſubiiciens. de ſe modicè loquutus eſt: ſed de Venetis magna pollicitus, modò Chriſtiani Principes unà & ipſi ad commune reſtinguendum incendium concurrere uellent: nihil o tamen ſe in hoc maritimo imperio prætermiſſurum, quod & Reipu. Chriſtianæ conducere poſſet, & ex dignitate Veneti nominis eſſet, atque cum his Pontificius Legatus cum Romana claſſe in Italiam abiit. Mocenicus Nauplitæ ſubſedit, ubi dum triremes aliquot, quot ſtuppas euomerant, reficiuntur, Siculus adoleſcẽs magni facinoris author, ad Imperatorem uenit, eumq́; docet, Othomani claſſem Garipoli ſubductam abſque cuſtodia ſtationem habere, ad quam cum toto armamentario concremandam ſuam obtulit operam:

Not. Siculi facinus.

collaudatum adoleſcentem Mocenicus cõplectitur, & ad eum conuerſus, Macte, inquit, uirtute eſto, apud me: cui poſt aggregiũ facinus, quod magnanime aggrederis, omnis honor, atque omne præmium erit. Is uerò ſtatim negociatorem mentitus, uafro utitur conſilio; ſcapham pomis refertam parat, eamq́ue aſcendens, Dardanulos ſuperat, inde quum Garipolim ignotus applicuiſſet, inſtituto per diem quæſtui operam dedit; ſequenti nocte armamentario, quàm occultiſſimè potuit, ignem iniecit, flammasq́ue iam in proximas naues tranſilientes magnus barbarorum concurſus ad locum factus, ſubitò reſtinxit. adoleſcẽs re parum fœliciter mota, Helleſpontum relinquere, celeri, expeditoque itinere ſtuduit, nauiculaq́ue mari demerſa, in proximum nemus concedere coactus eſt. pomis autem paſſim fluitantibus inſpectis, negociatoris mentiti ſcelus id fuiſſe detegitur. ſtatimq́ue ex fuga adoleſcens retractus, ad Othomanum uinctus perducitur; a quo ſuperbo ſupercilio rogatus ille, qua ſua iniuria in tantum facinus prorumpere auſus eſſet, non minori uerborum elatione, ac faſtu reſpondiſſe dicitur:

Nota audax, intrepidumq́; Siculi reſponſum.

Cõmuni, inquit, Chriſtiani nominis hoſti nocere uolui, pulchrumq́; omnino facinus ſum aggreſſus; ſed pulchrius fuiſſet, ſi, quemadmodum in nauticũ apparatum, flamma, ita in tuum caput, Rex Othomane, ferro graſſari licuiſſet. Admiratus tyrannus adoleſcentis indolem, irarumq́ue ex reſponſi indignitate plenus, eum crudeli, inhumanoque more medium ſecari iuſſit. Pro tam egregio iuuenis facinore, patres poſtquàm illum meritis præmiis, & honoribus ornare non potuerunt, & dotem ſorori, & fratri annuum cenſum ex publico conſtituere.

Ioſephus Barbarus.

Ac ſub id tempus Veneti Ioſephum Barbarus Oratorem in Perſiam ad Vſſoncaſſanum deſtinarunt: miſſaq́ue per eum ad Regem munera,

Not. munera.

pateræ argenteæ, uaſaq́ue aurea magnifice celata, ac Loloſericæ, purpureæq́ue prætextæ, ingens quoque tormentorum numerus, quæ Perſa antea per Oratorem petierat, litteris ad hæc Senatus Mocenicus admonitus, ut ad Vſſoncaſſani iuſſa claſſem paratam haberet, & quo accerſeretur, confeſtim eò iret. Othomanus interim in Aſiam cum ingentibus copiis tranſmiſerat, & Caramanos Regulos, qui Ciliciæ imperitabant, amicos, ſociosq́; Vſſoncaſſani regno ſpoliarat. Venetorum autem implorato auxilio, Mocenicus ſtatim in Cyprum cũ tota claſſe uenit, ut Regulos maritimis auxiliis iuuaret: inde ad Ciliciæ littora Seleuciæ urbi proxima, Venetus applicuit:

Caſſambetus.

nam ibi Caſſambetus Caramanus caſtra habebat. miſitq́ue in claſſem ad Mocenicum Oratorem ſuum, qui fœlicem ſucceſſum gratulatus, eum precando, monendoque ad maturandum iter hortaretur, uelletq́ue tantiſper Venetus auxilio eſſe, donec paternum Regnum per iniuriam ab Othomano antea ereptum, recuperaret. Benignè a Mocenico Oratori reſpõſum, in auxiliumq́ue breui ſe affuturum cum claſſe eſt pollicitus. Præmiſſo itaque Victore Superantio Legato, ipſe poſtmodum cum reliqua claſſe ſequutus, Sichinum oppidum primò ſtatuit oppugnare.

Sichinũ.

Eſt autem id oppidum ædito loco ſitum, haud procul a mari, præeratq́ue illius cuſtodiæ cum Cilicum manu Muſtapha uir ferox.

Muſtapha.

tẽtauitq́ue per caduceatorem Mocenicus præfectum oppidi ad uoluntariam trahere deditionem. At quum ille efferum, pertinacemq́ue animum haberet, uim experiri placuit, admotisq́ue bellicis operibus Caramanis a continenti, Mocenicus mari hoſtem urgere cœpit. Venetusq́ue primùm a mœnibus repellitur: iterata poſtea maiori terra, mariq́ue oppugnatione,

Muſtapham perterritum ad deditionem compulit: eoque ob fidem datam abire permiſſo, oppidum Caramanus recepit. inde ad Corycum itum, ubi ad prẹſidium erat cũ

Hyſmael.

Ianizarorum cohorte Hiſmael Turca, fretusque is loci natura, Veneta arma parum timere uidebatur. nam alluitur Corycus duabus partibus maritimis Cilicii pelagi fluctibus; reliquum, quod eſt a continenti, profundiſſima munitur foſſa, cum duplici muro. Eleuſiaque inſula ad Auſtrum trecentis inde paſſibus diſtans illi adiacet.

Coryci ſitus.

Datoque ad irrumpendum ſigno, primus Victor Superantius Legatus in hoſtem uadit, qui per crebros bombardarum ictus, triremem ſuam agens, portum occupauit, aliẹque ſequutæ triremes rem impigrè gerunt. terreſtresque ad hæc Caramani copiæ urbem fatigant, omniaque armis miſcentur. Denique Corycenſibus, Ianizariſque repugnare non amplius auſis, Hyſmael deditionem facere coactus eſt.

Seleucia.

Seleucia poſtea ad Orontem fluuium, armis petita, urbs olim clara, & illuſtris a Seleuco uno ex Alexandri Magni ſucceſſoribus condita, quinque millibus paſſuũ a mari abeſt; ſemidiruta nunc, & uetuſtate pene colapſa uiſitur. Arx tãtùm natura, & opere egregiè munita manet, quã

Neſembegus.

Neſembegus præſidio tenebat. is ubi apparatum armorum, ac tormenta, aliaque bellica opera, machinas, arietes, ſcalas, expediri uidit, ignauo timore correptus, ſubitò deditionem fecit.

Not. Caramani munera.

Receptiſque oppidis, uirtute Venetorum Caramanus equum inſignem epiphiis, phaleriſque mire ornatum, pardumque ad hæc cicurem in Armeniæ ſyluis captum Mocenico Imperatori dono miſit, egitque ei per litteras ingentes gratias, quòd ipſius armis, militarique opera in paterni Regni partem eſſet reſtitutus, affirmans, fore, ut nullo unquam tempore tanti beneficii memoria apud eum interiturũ eſſet. Profligato itaque in Cilicia bello, Mocenicus in Cyprum cum claſſe uenit, ibique Regem graui morbo decubantem offendit. conſolatusque eſt eum, ut bono animo eſſet:

Not. Regis Cypri uerba.

at Rex ſalutem ſuam deſperans, Catherinam coniugem M. Cornelii ſummi Senatoris filiam, naſcituramque ex ea ſobolem Veneto Senatui commendauit, hortatusque eſt, ut ſi ipſe è uita excederet, pro Veneti Imperii maieſtate Regnum uir fortiſſimus, qui claſſem tum ductabat, ab omni tueretur iniuria.

Mocenici reſponſio.

Quin bono animo es, inquit, Mocenicus, Rex inclyte: breui enim conualeſcẹs, qui & ætate integra, & corpore adhuc ualido, robuſtoque uiges: ſed ſi (quod nollem) ut humana fert imbecillitas, aliter euenerit, eam tecum certam, indubitatamque ſpem feras, hortor, neq; me, neque Venetas opes Reginæ uxori tuæ a Senatu in filiam adoptatæ, poſthumæque proli, unquàm defuturas. atque cum his è Cypro digreſſus, Lyciam adhuc bello intactam aggredi ſtatuit. Paratis itaque omnibus, Mycram oppidum terra, marique inuaſit. & iã

Mycras.

bellicis machinis murus concuſſus erat, quum ad ſoluendam obſidionẽ Aiaxbegus

Aiaxbegus.

Lyciæ præfectus cum tumultuario agmine affuit. Epyrothicus eques uenienti illi intrepide occurrit, ac conſerto prælio utrinque diu pugnatum: demum hoſtium Duce Aiaxbego cadente, fuſi ſunt Turcæ, quorum ad centum, & quindecim capita haſtis infixa Epyrothæ in caſtra retulere. at fracti ſuorum clade Mycrenſes, Veneto, abiectis armis, ſtatim ceſſerunt; oppidumque direptum, ac incendio eſt abſumptum. hinc claſſis præda onuſta, ad Fiſcum è Rhodi regione admota: circumceſſusque ager a Peloponeſſiaco equite, ſociiſque naualibus fœde populatus, & iam maiora animo uoluens, in Helleſponti anguſtias claſſem agi iuſſerat, ut iis ſuperatis, in medios hoſtium fines penetraret.

Carlotæ.

Sed Oratorum Carlotẹ Cypri regis ſororis aduentus, nouusque Perſarum motus, Helleſpontiacæ expeditionis omittendæ cauſam prẹbuere. nam quod ad

Iacobi Regis Cypri mors.

Cypri rem, nunciarunt Oratores, per eos dies Iacobum Regem morbo conflictatum, ex humanis migraſſe, proinde Carlotæ nomine poſtulari, quæ in Rhodum è Cypro a fratre pulſa tranſierat, ut quando Regnum illi tanquàm ſorori hæreditario iure legitimè ſpectaret, ut Venetus uellet, amici regis olim filiam, & Aloyſii Sabbaudiæ Ducis uxorem a fratre illicito thoro nato, Regno pulſam, auxiliis iuuare, atque in paternum principatum reſtituere.

Mocenici reſpõſum graue.

Ad ea Venetus Imperator, ueteri Luſignanẹ domus cum Veneto Senatu amicitia memorata, recentique Petrini, Ioannis, Iacobique Regum fœdere, ac ſocietate expoſita, omnia dicere, quæ ſaluo gentium iure meritò præſtari poſſent, ſe publico nomine Carlotæ libenter conceſſurum: uerùm id minimè reticendum, quod eam ignorare nequaquam exiſtimat; Catharinam defuncti regis coniugem

gem Veneti Senatus per adoptionem filiam eſſe, hæredemque cum poſthuma prole iam prægnantem ab illo ex teſtamento ante mortem inſtitutã, ei in aſſerendo Regno Venetos non poſſe, iuſta ex cauſa deeſſe, idq; ſe in primis curaturũ, ut Regia ſoboles Veneto procreata ſanguine ſuã retineat dignitatẽ. iret igitur, & a Cypriis rebus Carlota abſtineret, quas ipſe pro maieſtate Veneti Imperii ab omni iniuria ĩ qualibet fortuna eſſet uendicaturus. Cũ hoc reſponſo Legatis a ſe dimiſſis, litteræ a Catherino Zeno ſuperuenere, quibus Mocenicus Vſoncaſſani nomine monebatur, ut in maritimã Ciliciæ oram primò quoque tempore cum tota claſſe adnauigaret, quò Rex diceret, ſe breui copias admoturum, ut ibi ſimul de ratione gerendi terra, marique belli ageretur. Quare continuò Helleſpontiaca expeditione omiſſa, in Ciliciam Venetus curſum auertit, atque in Myrrenorum agrum delatus, ueſtitatem in eo fœdam ædidit. Inde in Cyprum profectus eſt, ubi Leuocoſiæ ſedentem Reginam, de mariti obitu mœrore affectam, conſolari, hortarique non deſtitit, ut bono illa eſſet animo, nec ullum armorum impetum aliunde timeret, quum ipſe paratus ſit nil intentatum relinquere, ut Regnum illi incolume perpetuò ſeruetur. nam Rex antequam è uita deceſſiſſet, teſtamento condito, ſeptem commiſſarios inſtituerat, inter quos Andreas Cornelius Reginæ patruus, fuit, & Comes Rochaſſii, cũ Archiepiſcopo Regni, & aliis ex aulicorum numero: mandauitque, ut hi omnes Regni gubernatores eſſent, donec poſthumus ex Regina naſciturus, quæ aluum gerebat, ad adultam perueniret ætatem, ut per ſe Regnum adminiſtrare poſſet. quòd ſi ille abſque hæredibus mortẽ obiret, Catherina coniunx in regno ſuccederet. Habuit autem Rex ex illicito coitu tres liberos, in quibus puella ſex annorum ætate fuit, reliqui duo uirilis ſtirpis, ac annis iam graues. Patrum decreto ad Venetam urbem accedere iuſſi ſunt, ubi honorificè excepti, publicam ſtipem pro regali conditione, in qua nati erant, quoad uitam duxere, exegerunt. Mocenicus poſtea in Ciliciam iterum trãſit, & quum ad Corycum ſederet, poſt Pontificii Legati diſceſſum, qui in Italiam cum claſſe abiit, nunciatum eſt, bis Perſas cum Othomano conflixiſſe; primo autem prælio Turcæ fuſi, fugatique ingentem cladem accepere; altero Perſæ uicti, duplicique illa pugna, ad quinquaginta utriuſque exercitus hominum millia cæſa occubuerunt; ſed Perſæ uirtute ſuperiores, Turcæ arte, & ingenio fuere. His nunciatis, Mocenicus ſtatim ex Cilicia in Cyprum conceſſit: nam ob aduerſam prælii fortunam, Vſſoncaſſanus in aſperos Armæniæ montes, ubi uxor, & liberi erant, ſe recepit, & Othomanus Byzantium eſt reuerſus. atque hæc æſtate illa foris geſta. Poſtmodum Tronus Princeps numiſmate nouo excuſo, fraudatam pecuniam uiua, propriaque ſuimet effigie reſignauit, Tronumque appellatum, a Ducis agnominatione, qui non multò pòſt ex humanis deceſſit: menſeſque uiginti Rempubl. adminiſtrauit, & in Minoritana æde ad aram maximam nobiliſſimo ſepulchro tumulatur: Ducalemque patris optimi Principis imaginem Philippus filius uir alti animi inſculpi curauit, quæ media inter duas eximii operis ſtatuas poſita, tumulum mirè exornat. In Troni autem locum Nicolaus Marcellus præclaro genere ortus, ſurrogatur: uetuſtaque eo Principe Alexandri Romani Pontificis hiſtoria noua, excellentique figuratione cœpta eſt in comitio inſtaurari: Gentilis Bellinus, pictor eximius, opus confecit. eo quoque Principe argenteus nummus percutitur, quem Marcellum a Principis nomine dixere, profectuſque eſt etiam hoc tempore in Perſiam ad Vſſoncaſſanum Regem Ambroſius Contarenus, quem Senatus Legatum in eam prouinciam miſit, magniſque difficultatibus per montes, per ualles, per nemora per flumina, inter latronum, ferarumque pericula terreſtri itinere ſuperatis, ad Regem peruenit; patrumque mandatis expoſitis poſt quattuor annos in urbem multis laboribus agitatus rediit. Cyprus interim nobiliſſima inſula nouis motibus agitari cœpta eſt, Reginæque inſidiæ intentatæ ab Hiſpanis, qui Iacobi Regis conſenſu ſparſim Inſulam incolebant. acceſſit ad id malum Cyprii cuiuſdam antiſtitis, natione Cathelani, perfidia: nam is per id tempus, quo Rex uita deceſſit, apud Ferdinandum Regem Oratoris munere fungebatur: animumque ad Regnum per tyrannidem occupandum tacitè adiiciens, Ferdinando perſuaſit, ut filium ſuum ex concubina natum, Iacobi Regis filiæ & ipſi ſpuriæ, ſe authore, matrimonio locaret. Antiſtes igitur cum uno ex Regiis

Cath. Zeno litteræ

And. Cornelius.

No. Regis teſtamẽtũ.

Perſarum & Turcarum conflictus.

Tronus nummus.

Nic Marcellus. D. 69. ann. D 1473.

Marcellus nummus.

Amb. Cõtarenus.

No. nuptias. Belpratus

purpuratis, Belpratus nomine duabus longis nauibus in Cyprum curſum intendit. Et Mocenicus, qui Methoni cum claſſe tunc erat, Neapolitanarum triremium acceſſu audito, ratus aliquid inſidiarū, doliue ineſſe, confeſtim & ipſe præmiſſis duabus triremibus Dalmatis, mox & Victore Superātio Legato, cū octo aliis lōgis nauibus hoſtiū conatib. obuiā ire pergit: iubetq́; Legatū armis rē Cypriā ab oī iniuria tueri.

Victor Superantius.

Dū hęc Veneti parant, interim coniuratione iam antea, ab Hiſpanis antiſtite authore inita, ſumptis noctu Cyprii armis Paulinum Zapum ciuem Leuoſſianum inſignem, & Gentilem, Reginæ medicum, ſubito tumultu in regia aula obtruncant:

Cypri motus.

nocturno armorum ſtrepitu, diſſonoque populi clamore And. Cornelius, Reginæ patruus, uir magni ingenii, ſummæq́; prudentiæ excitus, in arcem confugere properauit: ſed a Ferrando præfecto non admiſſus: Conſilii inops inter duos muros arcis unà cum Marco Bembo ſororis filio, egregia forma adoleſcēte, tota nocte delituit: mox unius inditio, orta iā luce, proditus, accepta prius a coniuratis fide, quum in planum deſcendiſſet, iuſiurando, fideq́; poſthabita, cum Bembo nepote crudeliſſimè a Riccio Marino, & Triſtano Cibelletto, uiris ſeditioſis, obtrūcatur. Is poſtea Triſtanus Venetias ſub cuſtodiam adductus, adamante per os in ſtomachum recepto, ſeipſum interfecit.

Not. And. Cornelii, & M Bembi cædem

Not. Triſtani caſū.

Patrata inde cæde, coniurati, duce Antiſtite, palatium ingreſſi, regis filiam teneræ ad huc ætatis, quippe quæ ſeptem annos nondum attigerat, Ferdinandi Regis notho deſpondent. nuptiis in hunc modum celebratis, confeſtim Regius aulicus ad Ferdinandum regem mittitur, cumq́;, quid actum eſſet, edocet.

Not. ſponſalia.

decernuntur & ab inſulanis, coniuratisq́; Legati Venetias, qui coram patribus ſatisfacerent, lenirentque blandioribus uerbis Corneliæ cædis atrocitatem. compellunt ad hæc ex ſua ſententia Reginam ad Mocenicum Imperatorem ſcribere, Andream patruum ob inſolens & ſuperbum ingenium, dordidamq́; auaritiam a militibus cæſum; ſe tamen cum filio ad gubernaculum Regni ſedere, liberamque, ut antea, dominandi habere poteſtatem, Cyprioſq́; omnes in fide, & obſequio ſuo eſſe. Hæc omnia coacta eſt coniuratorum armis puella circumuenta perſcribere. illi tamen partium ſuarum ſtudioſos, arcibus, portiſque præficiunt, armatosque penes ſe habent, omniaque (inſulæ imperio ſibi arrogato) pro animi libidine agunt.

Geor. Cōtarenus.

Vnus tamē Georgius Contarenus, Reginæ perneceſſarius, magnique uir animi fuit, qui coniuratorum conſilia præſenti ingenio turbauit, effecitq́; ſua prudentia, ut Veneto (eiectis Hiſpanis) Regnum incolume maneret, atque ea de cauſa Contarenus Ioppe Comes à Regina declaratus eſt, qua dignitate ipſe, & liberi ſui ex his, qui maior natu eſſet, perpetuò frueretur.

Ioppe Comes.

Georgii Contareni filii.

Georgius autem tres habuit filios, Thomam, Iuſtinianum, & Iulium procuratorem, viros omnes animi dotibus perquàm claros, quorum hodie in Reip. adminiſtratione conſilia ſingulari prudentia plena habentur: & Thomam, qui maior natu eſt, Ioppenſi Comitatu inſignitum uidemus.

Coriolanus Cæpio.

Affuit interim Dalmata triremis, cui Coriolanus Cæpio præerat: qui ad Reginam profectus, Imperatoris nomine hortatur, ut bono ſit animo, nec nouo hoc tumultu turbetur; aduentare Superantium Legatum, cum octo triremium præſidio, Imperatorem quoque ipſum cum reliqua claſſe, poſt eum continuò affuturum; paratos eſſe Venetos totis uiribus, Regnum tueri, puerperamque, & infantem Veneto ſanguine procreatum, Regali in faſtigio armis retinere. Hoc nuncio Regina læta, ſuos omnes bene ſperare iubet: coniurati uerò trepidare, mœrere, angi.

Superantius Legatus.

Quarto inde die Legatus ab Imperatore præmiſſus affuit, qui tumultus cauſam diligenti examine inquirens, multos ex inſulanis in culpa eſſe cognouit. at illi, quæ acciderant, ineptis argutiis excuſantes, purgare ſe ſe a calumnia enixè ſtudebant; Corneliumq; cæſum ob eius auaritiam criminabantur, inſulanos tamen in priſtina Reginæ fide manſuros palàm prædicabant, Venetamque omni tempore amicitiam ſanctè, pieque culturos.

Superātii literæ ad Mocenicū

Superantius (ut uir acri erat ingenio) & ſi uidebat. Inſulanorum diſſimilem, alienamque a uerbis eſſe uoluntatē, tentauit eos tamen blando ſermone ad ſanitatem retrahere; hortatusque eſt, ut arces, & vectigalia Reginæ continuò reſtituerentur, ſi gratam Venetorum Cyprii amicitiam haberent. ſed contumaciter iis omnia agentibus, Superantius ad Mocenicum ſcripſit, Reginam nefaria paucorum coniuratione penè oppreſſam; ac niſi maturè ea ſubueniatur, fore, ut fortunis cunctis ſpoliata breui Regnum amitteret. Legati litteris Impera-

tor

tor excitus, ſtatim copias contrahit, & in naues imponit, ex Rhodoque profectus, in Cyprum cum tota claſſe peruenit. Eſt autem ipſa inſula perantiqua, & nobiliſſima, in Cilicio mari ſedet, obiecta ab Oriente Syriæ, uariisq; nominibus olim appellata, Achamantis, Ceraſis, Aſpelia, Amethuſa, & Machera, Crynon quoque, & Colynia uocitata, nunc Cyprus, in qua oppida quindicim priſcis temporibus hæc illuſtria fuere, Paphus, Palepaphus, Curias, Cythium, Coryneum, Salamina, Amathus, Lamphetos, Saloe, Amaſos, Epidarum, Arſinoa, Carphaſum, Citei, & Coloe: ſed noſtra tempeſtate quinque tantùm inſignia, cæteris uetuſtate collapſis: manent oppida, Leucoſſia, Regum ſedes, ac Metropolis totius inſulæ, Famaguſta, Paphus, Salamina, & Ceraunium. Cypri circuitum inæquali gyro quadringentorum uiginti nouem millia paſſuum Tymoſthenes ſcriptor prodidit: alii trecentorum ſeptuaginta quinque memorant. longitudo eius, quæ eſt, ab Ortu, & Occaſum inter duo promontoria Dynareta, & Achamantha, centum ſexaginta duo millia paſſuum extenditur. Ducentorum quidam numerum ponunt, atque alium alii. eſt autem Cyprus, amplitudine, opulentia, ubertate, nulla in toto Orbe inſularum inferior, uino abundat, oleo, ſale, frumento, ac ſalectiſſimo uellere quod gotonum appellant. habet & æris metalla, præcioſaq; fruticum genera: quæ omnia inſulanos ob Syriæ propinquitatem in mercibus permutandis, locupletes reddunt. Sed inſulæ infeſtiſſima una Locuſta, quæ uelut a cœlo demiſſa grando uoraci ore omnia deuaſtat. & niſi oua propriis nidis, cubiculisq; incolæ præmiis onerati, diſperderent, in infinitum prope numerum ſub torrida illa plaga Locuſta excreſcens, tritico, ac uellere dimidiæ ferè horæ momento miſerabiliter abſumpto, Cypriis pœſtem afferret. Ad inſulam igitur Mocenicus cum claſſe delatus, Famaguſtæ, quò primùm appulerat, expoſitas copias in patenti campo per ſpeciem recognitionis, Regina, ac Cypriis ſtupentibus, qui tum forte aderant, conſpectum dedit: luſtratoq; exercitu, ac armatis ſeptus, Regiam ingreditur. coniurati autem perterriti, audito antea armorum apparatu, ac Imperatoris aduentu, ex inſula exceſſerũt. Tum Mocenicus acerbiſſima quæſtione habita, de his, qui Corneliũ, Bembumque obtruncarant, ſceleris conuictos, medio Famaguſtæ foro capitali ſupplicio affecit; alios in ſuſpicionem criminis deuocatos exilio damnauit, noxios, ſonteſque uaſta inſula errantes proſcripſit: arcibus, è cuſtodia earum aduerſæ factionis hominibus expulſis, ſagittarii Veneti nominis uiri ſunt præpoſiti. Carlota autẽ ad Aegypti Regem cõfugerat, ut ab eo in Cypri Regnum reſtitueretur: Antiſtes quoque, nuptiarum, coniurationiſque author abſens damnatus. Ita Cypriis rebus maturo conſilio pacatis, Regina rerum potita, priſtinum Regale obtinuit faſtigium. poſtea Iacobo Marcello nouo Legato, in Cyprum accedente, publicæ litteræ eò cum Senatus conſulto perferuntur, quibus Cyprus prouincia Mocenico decernebatur. Per aliquot itaque temporis ſpacium ille in inſula cũ claſſe reſedit. Deinde quum omnia pacata uideret, Superãtio, ac Marcello Legatis cum uiginti triremibus, ad inſulæ, Aegeique maris præſidium relictis, poſt Reginam ſalutatam, a qua ſcuto eximii operis, purpureoque uexillo, ob res fœliciter in prouincia geſtas, donatus fuerat, in Peloponeſſum nauigauit: nam Turcę ingẽti armorum apparatu, Scodoram obſidione cinxerant: idcirco patres aucta claſſe nouum Imperatorem crearunt, Triadanum Grittum, uirum maritimis rebus clarũ, qui cum Aloyſio Bembo Legato ſtatim in prouinciam uenit. Eſt autem Scodra in ea Macedoniæ parte, quæ nunc Albania appellatur, oppidum munitiſſimum, ſedetque arduo montis ſupercilio, circumque exeſæ, ac præcipites rupes, nec procul eſt Lacus, qui octuaginta millibus paſſuum circuitu patet: ex eo Boliana fluuius oritur, ac iuxta Liſſum Dryno. Inter hos duos amnes planicies latisſima iacet, campique miræ feracitatis, ubi tam læta paſcua eſſe dicuntur, ut ab his pecora depelli quandoque neceſſe ſit, ne nimia ſagina pereant: cæduaſque ad maritimam oram ſyluas regio habet, ex quibus materies ad fabricandas naues commode extrahi poteſt. Comparatis itaque centum ferè armatorum millibus Othomanus Scodram aggredi ſtatuit: confeſtimque urbs oppugnari cœpta. erantque Turcorum duces Solymanus, & Alibegus uiri fortiſſimi, bellicæque machinæ innumerę, quibus muri die, noctuque concutiebantur. Mocenicus audita Scodræ obſidione ex Peloponeſſo

Cypri deſcriptio.

Leucoſſia ciuitas Regia.

Ac. Locuſtæ infeſtationem.

Noxiorũ punitio.

Carlota.

Iac. Marcellus.

Triad. Grittus.

Scodræ deſcriptio.

Not. Turcorum copias.

neſſo ſtatim Corcyram uenit,ubi litteras a Senatu accepit,qui in Scodra tuenda commune cum Triadano Gritto imperium illi decreuerat. Ambo igitur uigili cura aderant,omniaque agebant,ut Scodrenſis res aduerſus tantas hoſtium uires ſalua redderetur.

Leon. Boldu.

Primumque omnium Leonardum Boldunum ad Ioannem Cernouichium regulum,qui in Illyrici parte imperitabat,mittunt,ut contractis undique copiis, uti fidum decebat ſocium,Scodrenſibus aliquo modo ab ea regionis parte opitulari tentaret.quinque deinde triremes per Drynònem fluuium miſſæ,ad Lyſſi præſidium, ne

Vrbium munitio.

oppido hoſtis uicino potiretur: Dyrrachium quoque,Budua, Olchinum,Antibaris; urbes,maritimis,terreſtribuſque præſidiis firmatæ. Poſtea imperatoris ipſi Bolianæ oſtium cum claſſe ingreſſi, ad Sergii fanum in Scodrenſium conſpectu conſedere: ibique infra templum Barbari fluuii anguſtias ad Venetas triremes intercludendas cathena,& repagulis obſtruere,tacite conſilium inierant:adduxiſſentque omnino Venetos in ultimum diſcrimen,niſi id per transfugam mature Imperatores reſciuiſſent; qui periculo rei commoti,ſtatim iubent,decem ſtructas,ſelectaſque triremes ad fauces occupandas aduolare .iamque hoſtis ſub nauium acceſſum denſo agmine ad fluuii ripam conſederat.

Pugna circa bolianam.

Infeſtis igitur ſignis pugna ſubitò atrox utrinque oritur.Turcæ Venetos eminus ſagittarum multitudine,noſtri illos glande plumbea conficiebant, telaque ad hæc cuiuſcunque generis,lanceæ,ſecures,pila,ſaxa,contorta, emiſſaque, uiolentiſſimis ictibus,fœdam,miſerabilemque edebāt ſtragem. tectus ex triremibus Venetus in hoſtem ad omnem iniuriam expoſitum ferociter pugnabat, nullumque prope in confertiſſimum Turcorum agmen telum irritum emittebatur. quare quin-

Hoſtium cædes.

gentis,& amplius eo tumultuario prælio amiſſis,ac pluribus uulneratis, hoſtis ceſſit. Venetus uictor quattuor triremes ad loci præſidium reliquit, & cum cæteris ad priſtinam ſtationem reuerſus eſt.Plerique non Mocenici,ſed Triadani ſolius auſpiciis pugnatum ad Bolianam aiunt,quum nondum ille in prouinciam ueniſſet.Interea Turcę Scodram circumſedentes die,noctuque oppidi mœnia tormentorum ictibus quatiebant.ingensque earum ruina facta eſt;erat autem tum Scodræ prætor Antonius Lauredanus,homo magni, ac inuicti animi, qui proſtrata pluribus locis uidens mœnia,

Ant. Lauredanus.

craſſiſſimum aggerem earum loco erexit. Decreuerunt interim Turcæ oppidum totis uiribus oppugnare,paratiſque omnibus, acies armatas in Scodrenſium conſpectum producūt: cœptumque eſt a prima luce ad quartam uſque diei horam acerrime utrinque pugnari:conabanturque barbarorum manipuli ingenti multitudine,munitiones

Turcorū duces.

ſubire,armatique Duces Solymanus,& Alibegus Ianizeros claua ferrea in aduerſum montem tradunt,his ſagittariorum uis ingens additur, ad oppidanos è munitionibus telorum multitudine depellendos,omneſque (vt gentis mos eſt) horrendo clamore ædito,oppidum corona cingunt,ac per murorum ruinas irrumpere in urbem conan-

Scodræ oppugnatio.

tur. Tum Scodrenſes uenientem hoſtem intrepide excipiunt,ac ſaxis,teliſque coniectis eum a mœnibus amouent,nec tantùm ferro res geritur,ſed flammis, facibus, uimineis uaſis ardentibus,ac doliis ſaxis oppletis, quæ per montis decliuia deuoluta denſiſsima Turcorū agmina fœda ſtrage proſternebant. uerùm illi Ducum præſentia animante,per cadauerum aceruos belluarum more in ferrum, telaque ruebant. At Lauredanus nullo loco deerat,circumeundo,hortando,Scodrenſes orare, obteſtarique per egregiam ipſorum erga Venetum Imperium fidem,ut patriam,liberos, coniuges,armis tuerentur,immanisſimique hoſtis uim repellerent,qui ad nobilisſimi oppidi excidium anhelaret.His adhortationibus factum eſt,vt Barbaris cum cęde repulſis,ingenti tunc Scodra periculo liberatur.tria autem hoſtium millia ea oppugnatio-

Turcorū clades.

ne periiſſe Cæpio ſcribit,in quibus clari uiri,ac inſignes bellatores ad quattuordecim ſunt deſiderati:uulneratorum quoque magnus fuit numerus. nec Solymanus tamen caſtra a Scodra dimouit,oppidumque ſolita obſidione premebat, perſeueraſſetque tandiu illic cum omnibus copiis ſedere,donec ſi non ui, aut ferro,ſaltem fame,ac potus,cibique inopia ciuitatem domitam ad defectionem compuliſſet,niſi Pannonici armorum motus barbarum decedere coegiſſent. Veneti enim iam inde ex quo bellum cum Othomano Turcorum Rege ſuſcepere,Pannonum arma fœdere inito,in ferociſſimum hoſtem ſibi ſocia iunxerunt,decretamque ob id Matthiæ Regi annuum ſtipendium,

dium, ut ex ea prouincia in barbaros bellicoſiſsimus Rex erumperet: qui bis proſperè in eos pugnauit. dum Ioãnes Hemus pro Venetis Legatus in regio eſſet exercitu, mox Fr. Diedus, & Fr. Iuſtinianus eo munere apud Pannonum ſunt functi; nouiſsimè uerò Scodrenſi re Turcorum armis uexata, Seb. Baduarius è Senatu cum ingenti auri pondere in Pannoniam miſſus eſt: is non magis auro, quàm prudentia, ac ingenii dexteritate, ita Regis illius animum in omnes partes uerſauit, ut continuò armis in Thraciæ fines illatis, belloque Aſiæ indicto, tantum terrorem Othomano iniecerit: ut Eunuchum per litteras cum omnibus copiis ex Scodrenſi obſidione reuocauerit, & Pannõ ſub id tempus multa præclara in Turcas facinora edidit: nam ſexies cùm eis congreſſus, uictoriam ſemper reportauit, ac Sabazam oppidum cepit, mille & amplius ex regia cohorte interfectis, in eoſdem quoque Turcas Alexander Regulus, uulgo Scanderbecus appellatus, res præclaras bello geſsit, ac parua ſæpe manu ingentes barbarorum copias fudit, cuius martia uirtus multorum ſcriptis celebratur. Scodra ſeruata, Mocenicus Venetias ſe contulit, atque Senatum ingreſſus de rebus à ſe in maritimo imperio per bienniũ geſtis, diſſeruit, in quibus explicandis tali oratione uſus eſt:

Ioan. Hemus. Fr. Diedus. Fr. Iuſtinianus. Seb. Baduarius.

Scodra obſidione liberatur.

Scanderbecus.

Pet. Mocenici in Senatu oratio.

Immortales, Princeps inclyte, ac Patres conſcripti, Deo Optimo Maximo gratias ago, qui me poſt uarios Pelagi errores, poſt acerbos belli caſus, ueſtro conſpectui incolumem, uictoremque reſtituit: multaque ſcitu digna mihi dicenda hoc in loco. nam poſt Euboicam cladem, quum demandato mihi maris Imperio, in Græciam ueniſſem, res illius prouinciæ Turcorum metu non parum turbatas, bellico apparatu recreaui; Methonum, Coronum, Naupactum, Nauplia, Epidaurus, munitiſſima ueſtra oppida Chalcidico excidio perterrita, noua cõſilia agitabãt; affui ſtatim cũ claſſe, populisq; in ſpem erectis, omnia ſedaui: neque his contentus, ut aliqua ex parte Euboicam cladem reſarcirem, in hoſticum trãſgreſſus ſum in Aſiaque bello petita: nã Pergamenus, Gnidiusq; ager ferro, ignique deuaſtatus, Lyciæ, Chariæque ora maritima, cum inſula Delo, Naxo, Samo, claſſe uexata, Smyrna expugnata, & incenſa, Attalia penè capta. quid Sichinum, Corycum, Seleuciam commemorabo, oppida Ciliciæ, quæ armis recepta Caramanis ueſtro iuſſu patres conſcripti, reſtitui? & quum Cyprus Iacobi Regis obitu, inteſtinis ſeditionibus agitaretur, illuc cum claſſe nauigans, nobiliſſimam inſulam in Reginæ, Venetorumque fide continui; rebellium alios ultimo ſupplicio affeci, alij carcere, exilioque damnati ſunt. nouiſſime Scodra Othomanicis armis circumuallata, plurimos labores pertuli, inſomnes noctes egi, omniaque extrema paſſus ſum, ut inſigne, nobiliſſimumque totius Macedoniæ oppidum Veneto ſeruaretur imperio. itaque Turcæ magna clade a mœnibus repulſi, obſidionem ſoluerunt, clariſſimaque tunc Veneto nomini uictoria parta eſt. in qua plurimum Triadani Gritti uirtus laudanda, quem mihi ſucceſſorem patres conſcripti in maritimo hoc imperio dediſtis: qui dum impigrè rem gerit, publicumque in claſſe nauiter obit munus, Boliani cœli intemperie grauatus, Cathari nuper extremum diem ſuum clauſit. Aloyſii Bembi pariter fortitudinem extolli decet, qui ipſe etiam pro patria uigilijs, curiſque maceratus, morbo extinctus eſt: ſed ſupra omnes Antonius Lauredanus extollendus, hic maximus bellator rem Scodrenſem ſolus ſeruauit, barbarorum impetum ſolus ſuſtinuit: hoc duce, hoc propugnatore, Princeps Optime, Patres Ampliſſ. uicimus, amiſiſſet ſine tanti uiri præſidio Scodra libertatem, dirutum, deſolatumque Turcorum armis pulcherrimum oppidum nunc iaceret, niſi prætorem illis temporibus Ant. Lauredanum habuiſſet, cuius fortitudinem etiam hoſtes admirantur. extollite hunc uirum Patres Optimi, honoribus decorate, laudibus proſequimini, nemo pugnacior (ignoſcant mihi reliqui) nemo in omni genere laudis præſtantior hoc uno. reliquum eſt, ut Trierarchos, nautas, commilitones, naualemque omnem turmam uobis commendem, quorum uirtute, & opera, ſub meis auſpicijs præſtantiſſimæ res bello geſtæ ſunt. Scodrenſium quoque fidem egregiam, heroicam ſtrenuitatem amplectimini, dignique hi ſane habentur, ut

Mocenici geſta.

Ant. Lauredani laus.

tur,ut in ueſtram Patres Illuſtres gratiam admiſſi, publicam ſentiant munificentiam; ipſeque ego,quando patriæ natus ſum, uitæ meæ reliquum ei libens trado. utinamque is ſim,qui officium bello,paceque tale præſtare poſſim, quod præſentia requirunt tempora.uerum enim uerò quicquid in me eſt, totum id Reipubl. in perpetuum deuoueo, & togata, & bellica,ut lubet, opera mea utimini; curabo, ut natalibus, maioribuſque meis non indignus fortaſſe unquam eſſe uidear.

Laudatus eſt a Principe in Senatu de more Mocenicus. poſtridie circa templa gratiæ Deo Optimo Maximo actę, quòd res Macedoniæ proſperè imperio fluxiſſent.at Marcellus Princeps quintodecimo Ducatus ſui mēſe moritur, & ad Diuæ Marinæ ædem elatus,inſignem ſepulchri molem ſortitus eſt:cui Petrus Mocenicus recenti geſtarum in Turcas rerum gloria clarus magno omnium fauore ſucceſſit. Aſiaticoque adhuc in Græcia bello ſæuiente,nouam claſſem Veneti inſtruxere, eique Antonius Lauredanus Scodrenſis obſidionis fama percelebris,cum ſumma poteſtate præficitur: in prouinciamque delatus,inter Cyprum, & Ciliciam Cetheam unam Genuenſium, quæ precioſiſſima Turcorum merce plena erat,oppreſſit. & quum Othomanus maximis copiis Naupactum Aetholię maritimam urbem adortus eſſet,bellicisque operibus mœnia diruerentur,ſociis opem laturus,cum ualidiſſima claſſe Lauredanus ſtatim affuit: qui uigili cura erectus,commeatum,militem, arma, Naupactenſibus affatim ſuggerebat: tandem poſt quattuor obſidionis menſes fatigatus bello hoſtis abiit. in Lemnumque tranſgreſſus,inſulam ferro,ignique uaſtauit,&Coccinum in ea oppidum aliquādiu obſeſſum maturo claſſis Venetæ aduentu liberatur. Ferunt Lemnicam puellam Marullam nomine (nec enim hic ſexus ſua etiam laude caret) egregium muliebris fortitudinis ſpecimen dediſſe: quæ,cæſo pro portis Coccini parente,ſtatim eò,ubi ferrum miſcebatur,accurrit, ac ſcuto, enſeque iacentis arrepto, in hoſtem iam portam occupantem, irruit; fœmineaque hac unius audacia barbari cum cæde uſque ad naues fugati,ex inſula demum infecta re abierunt.ob hæc ab Imperatore puella ingenti pecunia donata dicitur.nec illa æſtate aliquid deinceps dignum mari geſtum. uerno autem ſequentis anni tempore Ioannes Georgius cum quinque triremibus, pluribuſque onerariis in Cyprum a Senatu miſſus eſt, ut inſulam hoc præſidio tueretur: nam fama erat,Ferdinandum Regem naualia parare arma,Cyprumque ſtatuiſſe inuadere: ſed rumores illi falſi fuere.Lauredanus interim nullo loco deerat, cum claſſeque huc,illuc uolitans,hoſtiū conatus diſſipabat, ſtrenueque, ac prudenter bellū hoc maritimum adminiſtrauit. at Mocenicus Princeps dum annū unum, menſes duos,Reip. præfuiſſet,naturæ cōceſſit,& in Gemellorū æde ſitus cōſpicitur,pedeſtriſq;, & loricata illi ſub toga ſtatua erecta eſt.ex hoſtiū manubiis.oratioq; in eius funere habita eſt a Dñico Boſſano, Cādiani uiri ampliſſimi filio. And.Vēdraminus Princeps poſt Mocenicū declaratus,patritius diuitiis,opibusq; præpotēs. reſq; cū Turcis per id tpſterreſtri bello parum proſperè geſta eſt; nam ad octo Turcorum millia in Epyrum tranſgreſſa, Croiam ferociter oppugnarunt. eſt autem id oppidum in Chaoniæ regione ſuper montis crepidine ſublatum, ac inexpugnabilem ſitum habet:quare fruſtra omnia circa Croiam ab hoſte tentabantur;nec unquam quicquam Barbari proficiſſent, niſi famis acerba oppidanos domuiſſet. acceſſit ad hæc recens clades, quam Venetis ferox Turca ad Tyranam iuxta Croiam intulit, ubi fuſæ, fugatæq; ſunt Venetorum copiæ, milleque & amplius ex noſtris cecidere,& in his Fr. Contarenus Legatus, uir peritia armorum clarus,ac centuriones pleriq;. hoſtium quoque multi ea pugna deſiderati, uictoriaque his non incruenta fuit. In Italia etiam non multò poſt fœdiorem cladem ab Othomano Veneti accepere: occluſerant enim hi perpetuo aggere in Foroiulii prouincia ad Soncium amnem quicquid uadi,camporumque erat,ex craſſis, proceriſque arboribus, quà hoſtis tranſiturus ſuſpicabatur; munitioneſque erectæ, ac circa Gorittianum pontem, & Aquileiæ paludes opus ingens extructum, uiæque flebis, ac repagulis,ramorumque truncis ad impediendum tranſitum obſeptæ ſunt: ibique ad tria millia equitum, præſidio impoſita: quibus munitionibus apparebat, fore, ut hoſtis Italia abſtineret.Sed poſt aliquod temporis ſpacium, quum minime hoſtilis incurſus

Pet. Mocenicus. D. 70.ann. D.1474.

Naupactū obſidione liberatum

No. Marullę puellæ fortitudinem.

Ioannes Georgius.

And. Vendraminus D.71.ann. D.1475.

Croia.

Venetorū cædes.

No. muniti ones in Foroiulio

ſus

ſus temeretur, infeſto agmine ex inſperato ſtatim ad decem Barbarorum millia in ulteriori Soncii ripa conſedere, ad quorum conſpectum ingens tumultus in tota prouincia ortus eſt. & Venetæ copiæ, quum hoſtis ferox adeſſet, nouis militum ſupplementis augebantur: nam pedites, equitesq́ue magno numero in Veneta caſtra confluebant. in his aũt oĩbus copiis Hierony. Nouellus Veronenſis, uir militia clarus, patrũ decreto Imperium habebat, aderantq́ue cum eo alii complures illuſtres bello uiri: conſultatumq́ue eſt inter eos, aperto ne campo cum hoſte dimicandum eſſet, an potius prælio abſtinendum. & poſt uarias dictas ſẽtẽtias, ſtatuerunt omnes temerè magis, quàm prudenter ita (fatis impellentibus) cum Barbaro confligere. omnem itaque equeſtrem aciem in tres formas Nouellus Imperator diuidit, peditum quoque ordines diſponuntur, uniuerſiq́ue admoniti, ut intenti ad mandata fortiter rem in hoſtem gerant. At Turcæ magno agmine, Duce Marbego, ad Goritianum pontem delati, Caſtellum proximum ſubitò occupant, præſidioq́ue fugato, circumiuctum agrum tumultuoſè excurrunt. ac non magis aperta ui, quàm inſidiis Marbegus agendum ratus, ad Liciniſium montem mille lectos equites intempeſte nocte tacito agmine properare iubet, eosque in inſidiis locat, mandatque, ut intenti ad erumpendum, ſignum expectent, ipſe uerò ubi illuxit, Soncio amne ſuperato, cum reliquis copiis ad Veneta caſtra ire pergit, præmiſſaque expeditiſſima equitum ala, ad pugnam noſtros elicit. nec Nouellus Turcorum congreſſum euitans prælium detrectauit. concurſum eſt itaque utrinque ad primum conſpectum, tanta pugnandi auiditate, ut præ propero curſu ordines confunderentur. ſed Barbari inſidiarum memores, uix bene conſerto prælio de induſtria ceſſere. urget infeſtis armis Venetus cedentem hoſtem, fugientemq́ue usque ad torrentem Gramam inſequitur. dum uero hic maiori conatu hoſtem Venetus alacer premit, ſtudetq́ue uictoria potiri, tum repente dato ad erumpendum ſigno, ex Liciniſii montis uertice Barbari coorti, ubi in inſidiis poſiti erant, terrificis clamoribus, & furibundo impetu in ſubiectam turmam effunduntur; tantusq́ue hac ſubita hoſtium impreſſione pauor Venetorum animos inceſſit, ut momento temporis, fortunæ facies mutata, pernicioſum noſtris attulerit excidium: nam Barbari in uicto prope agmine in prę lium ex inſidiis ruentes, feſſos iam Venetos, nouis, integrisq́ue uiribus a fronte, a tergo, a lateribus, inuadunt, opprimunturq́ue hoſtium multitudine, improuiſoq́ue impetu, qui in prima acie pugnabant, cæſique ad unum fermè omnes, alii ubi ſuorum ſtragem uidere, ac ferro omnia proſterni, in fugam uerſi, continuò cedere cœperunt; quos ferox hoſtis circumuentos, palantesq́ue paſſim trucidat, paucisq́ue ſeruatis, ingens reliquorum cædes facta eſt. periereq́ue in his fortiſſime pugnando Nouellus imperator cum filio adoleſcente, Anaſtiſeus Flamminius, Hercules Maluetius, Iacobus Baduarius, ac plerique alii ductores, & Cẽturiones; reliqui fermè omnes capti, & Marbegus hoſtium Dux, uulneratus. in hunc maxime modum ad Soncium amnem pugnatum, Venetaque res turcorum armis depreſſa, iacuit, atque ingens terror populos inuaſit, ex recenti exercitus clade, & ex uillarum, locorumq; direptione, & incendio: quod miſerabile, fœdumq; fuit, quum Barbarus ex inſita immanitate ferro, flammaq; omnia excindere ſtatuiſſet, idque ab eo inhumane factum: nam quicquid ferè uillarum, ac culti, amœnique agri inter Soncium, & Tiliamentum amnes fuit, hoſtili manu miſerabiliter conflagrauit. noſtrisq; hanc tanta clade illata, poſt paucos inde dies Barbari præda onuſti, Italiæ finibus exceſſere: multiq; ab his mortales abducti, ſtabularii, agaſones, fœminæ, pueri, in miſeram captiuitatem. copiæ autem ſubitariæ ab urbe, cum aliquot nauigiis in hoſtem miſſæ, dum is ferro, flammaque in Carnos graſſaretur. Venere in prouinciam a Senatu miſſi, Dominicus Georgius, Zach. Barbarus, Ioannes Hemus, & Candianus Bollanus, uiri ſummo ingenio, & prudentia, ut prouinciæ ſtatum recognoſcerent. miſſusq; cum magna equitum, peditumque manu Carolus Montonius, qui ad Barbarorum conatus inhibendos circa Gradiſcam ualidas munitiones erexit, ibique caſtra metatus, Veneta ſigna conſtituit. Vendraminus interim altero mundum Ducatus ſui anno circumacto, uita functus eſt, & ad ſeruorum ædem ornatiſſimo tumulo illatus, funebri Hieronymi Contareni, Bertutii filii, oratione decoratur. Iuſtitiæque Vendraminus adeò cultor fuit, dum principatum gereret, ut impunitum pro

prii

Turcorũ equitatus.

Hier. Nouellus.

Marbegus Turcorũ Dux.

Not. inſidias.

Pugna cũ Turcis.

Venetorũ clades.

Ductorũ cædes.

Not. deuaſtationem

Legati in Forum iulium miſſi.

Car. Montonius.

prii filii nequam adoleſcentis crimen non permiſerit. Ioan. Mocenicus in demortui

Ioan. Mocenicus. Dux 72. anno Domini 1477

præceſſoris locũ princeps creatur, fuitque is Petri Ducis frater, & Thomæ nepos, tria ſanè in principatus faſtigio Reip. Venetæ lumina. Cæſusq; eſt hoc fermè tempore domeſticis inſidiis Galeatius Sforcia, Mediolani Dux, ſacrorum hora, in templi ueſtibulo, percuſſoresq; fuere, And. Lampognanus, Carolus Vicecomes, & Hieronymus Olgiatus, iuuenes genere clari, & ætate florentes; quorum duo, dum fugam moliuntur, ab Ducis apparitoribus ſtatim eodem loco interfecti ſunt. Olgiatus autem paucis poſt horis captus, cæſa ceruicæ publicæ obtruncatur, qui antequam ferrum carnifex in eum ſtringeret, hæc latino ſermone, quòd litteras egregiè callebat, dixiſſe fertur: Mors acerba, fama perpetua, uetus ſtabit memoria facti.

Not. Galeatii cædem.

Not. Olgiati uerba.

Hoſtium copiæ ad Scodram.

Et Othomanus poſt hæc longè maiori armorum apparatu, quàm quadriennio antè, Scodram inuaſit obſeſſiſque undique itineribus ſub Turcorum acceſſum, Croiani fame domiti deditionem fecerunt, quum ſupra annum grauiſſimam obſidionem pertuliſſent. mox ad Scodram denuò itum, primumque Alybegus cum quindecim bellatorum millibus acceſſit; quatriduo pòſt Solymanus cum ſeptuaginta millibus ad Ortum conſidens, oppidum corona cinxit. nouiſſimè Rex ipſe affuit, innumerabili armatorum multitudine ſtipatus; ſtatimque omnis planicies, montisq; latera, ac ſumma iuga, tabernaculis, tentoriisque complentur; machinis ad hæc, bellicisque operibus continuò admotis, urbs oppugnari cœpit: in ea autem præter mille & quingentos oppidanos, ſexcenti mercenarii milites aderant, ſub quattuor centurionibus, Petr. Carolino, Anto. Cortonio, Franciſc. Sanſcrobario, & Michaele Spalatrenſi: urbique præſidebat Antonius Leggius, uir Patritius, & generoſo celſoque animo Turcæ;

Ant. Leggius.

igitur primo impetu Scodrenſia mœnia adorti, terribilem noſtris incuſſere terrorem, telaque hincinde inceſſanter emittebantur, ruebantque in ferrum omnes ex utraque parte, illi pro patria, pro libertate, pro parentibus, liberis, coniugibus, hi pro Regni cupidine, inhumanoque furore pugnantes. crudele itaque atroxque certamen obortum, plenæque iam cadaueribus erant antemurales foſſæ, plena mõtis decliuia, per quæ Barbarus irrepſerat: & quamuis multi in mortis diſcrimina ruentes, ſub mœnibus caderent; multi tamen integri ſubibant, conabanturque in Regis conſpectu præclarum aliquod ædere facinus, mortis nullo metu habito.

Pugna atrox.

Scodrenſes & ipſi inuictis corporibus, animiſque acerrimam ædunt pugnam, quæ in plures horas, ac multa cum cęde diſtracta eſt. Demum uicta Turcorum pertinacia è ſummo diſcrimine Scodra liberatur. bis autem oppidum paucis diebus oppugnatum ferunt, tanto furore, tantis conatibus, ut nihil minus ab utraque parte animis ſuccurreret, quàm mortis, periculi ue ullius diſcrimen. illudque admiratione dignum traditur, catellam pũgnãtium clamoribus conſternatam, ex loco ubi erat, quærulo latratu fugientem, undecim ſagitgitis tergo affixis, ad ſolitos lares accurriſſe: tanta poſtea miſſilium, telorumque omnis generis uis in oppido reperta eſt, quam in propugnatores barbari inter dimicandum coniecerant, ut ad furnos calefaciendos, & ad cibaria coquenda per multos mẽſes, nullo alio ferè lignorum genere, quàm ſagittarum faſciculis Scodrenſes uſi fuerint.

Not. de catella.

cæterùm repulſis cum cæde & ignominia ab oppidi mœnibus Turcis, Othomanus tamen obſidionem continuare ſtatuit, miſitque in Italiam ingentem Turcorũ manum: triginta enim equitum millia fuiſſe traduntur, qui ſecundò terram ipſam Foroiulienſem rapido agmine inuaſere, eo conſilio, ut Veneti finitimo ac domeſtico bello impliciti, Scodrenſes obſeſſos nullis leuare poſſent auxiliis.

Not. ingẽtem hoſtiũ equitatum.

Barbari autem circa Sonciacas munitiones, tumultuosè conſedentes, explicata acie, Venetos, qui inſtructis copiis aderant, in pugnam prouocabant. ſed Carolus Montonius, qui militare imperium in Veneto exercitu adminiſtrabat, ſuos intra uallum continuit, hoſtemq; certaminis auidum ad altum diem longa expectatione fatigauit: neque enim quicquam timore recentis cladis memoria auſus eſt committere, cunctandoque barbarũ è prouincia eiecit; qui ad radices montium conuerſo agmine, poſtquàm Venetum ad pugnam elicere non potuit, caſtra inde mouit, fineſque ſuos per Germaniam repetens, difficillimum aggreſſus eſt iter: nam per abrupta, & confragoſa mõtium, rupiumque loca, equitatus ductus, qui reſtibus alligatus, quando aſperrimæ cautes, & inuii acceſ

Not. Turcorum ferociam.

ſus

ſus tranſitum negabant, in ſubiectas ualles dimiſſus, in apertum euaſit: & quum iuga montis, qui Lăceæ dicitur, Alpini incolæ ad impediendum iter inſediſſent, Turcę magno auſu, quò ne feras quidem adire poſſe quiſquam putaſſet, ſcutis ſubnixi in arduũ montem per ſaxoſam & inacceſſam rupem ad hoſtem repſere. uiſo Turca territi illi, qui pręſidio erant, trepidare cœperunt, inde fuga arrepta, turpiter locus ab indigenis relictus. Sed dum hæc in Italiæ finibus geruntur, Othomanus in Epyrho circa Scodram bellicis operibus erectis, arctiſſima oppidum obſidione premebat. Dryuaſto interim capto, quingenti oppidani in Scodrenſium conſpectu Othomani iuſſu ferro cõtrucidati ſunt. Lyſſum quoque ad Drynonis ripam cum duabus triremibus Barbari occuparunt, in quibus ducentos remiges captos ante Scodram crudelis hoſtis interemit. tenuit inde ea obſidio octo menſes, ualido terra, aquiſque ad Bolianæ caput, militum præſidio impoſito, ne quà auxilium Venetus ulium obſeſſis poſſet immittere. in tanta autem rerum perturbatione cœptum eſt cum Othomano de pace agi, per Ioannem Darium Turcicæ linguæ peritum, Senatus ſecretarium:

Io. Dari'.

quæ poſt longas controuerſias, quum gens uictoriis, & ſecundis rebus elata, omnia ſibi aſſerere, nec cuipiam in qualibet fortuna cedere contenderet, his conditionis ſequuta eſt, quas accipere Senatus pacis ſtudio non recuſauit, ut Scodram Venetus Othomano traderet, & Tenarũ Laconiæ promõtorium cum Lemno Inſula.

Pax cum Turca.

atque inſuper ad explendam auaræ gentis ſitim, octo aureorum nummum millia illi perſoluentur, eo tamen nomine, ut in Pontum, ad aliaque Græciæ Emporia nauigatio Venetis negociatoribus tutò pateret. è Scodra autem omnes ferè oppidani ſuum uetus in Venetum nomen ſtudium ſequuti, læto animo egreſſi ſunt, relictaque patria, parentibus, uillis, prædiis, extorres fieri maluerunt, quàm ſub Othomanica eſſe ditione. ſtupuereque eorum conſtantiã, & fidem Barbari, nec ciuitas ingrata fuit, quæ Scodrenſes benigne amplexata, perpetuum illis ex publico ſalarium ſtatuit, beneficiaque pro conditione ſua, & priſtina fortuna unicuique perampla decreta.

Not. Scodrenſium fidem.

Nec miretur quiſpiam, ſi fortè iudicabit, Venetos indecora pace nomen ſuum dehoneſtaſſe: id autem iuſtiſſimis cauſis factum aſſeritur.

Not. excuſationem legitimã.

nam diu Veneti cum potentiſſimo Rege terra, mariq; bellum ſoli geſſere, nullumq; eis unquàm auxilium a Chriſtianis principibus latum, quin cum riſu, & gaudio clades eorum auditæ. itaque diuturno bello feſſi, neceſſariam, & ſalutarem Reipub. pacem Veneti complexi ſunt, populorumq́ue ſuorum indemnitati conſulentes, Imperii potius aliquam iacturam facere maluerunt, quàm in bello cũ ferociſſimo Rege perſeuerare, qui terreſtribus, maritimiſq; pollẽs uiribus, omnia uincebat, ad idq; potentiæ domitis terrarum gentibus peruenerat, ut inſuperabilis omnibus bellis haberetur. nec parum Veneti feciſſe uiſi ſunt, qui per uiginti, & amplius annos aduerſus potentiſſimum hoſtem belligerando, eius impetum ſuſtinuerint. multiſq; ob id terra, mariq; cladibus affecti, quum uiderent Pontifices, Reges, Principes Chriſtianos nõ ſolùm opẽ ſibi nullam afferre, uerùm etiam hoſtili in ſe animo eſſe, ſuo, ſociorumque periculo moti, pace, ut diximus, cum præpotenti Rege ſancita, ſe iure optimo grauiſſimi belli onere leuarunt.

Turcorũ expeditio.

Nec Turcæ tamen quieuere, qui dominandi cupidine accẽſi, bellaque ex bellis ſerendo, quum omnia proſperè ſibi cederent, æſtate ſequenti cũ ualida claſſe ex Boſphoro, & Propontide in Ioniam ſunt delati; eiectiſq; Regulis Cephaleniam, & Zacinthum armis occuparunt. & hæc mari. in Italia autem poſt Turcarum pacem Veneti pro Florentinorum libertate, ſocia aduerſus Sixtum Pontificem, Qui Paulo II. morbo apopletico repentè uita functo, ſucceſſerat, & Ferdinandum Regem arma iunxerunt. cæſo enim a coniuratis Iuliano Medice ciuitatis lõge principe, Laurentioque eius fratre ſuprà iugulum in ceruice grauiter uulnerato, maxima rerũ turbatio ſequuta eſt.

Iuliani Medices cædes.

Florentini enim tantorum uirorum caſu conſternati, in eius ſceleris cõſcios ferro ſtatim irruunt; necatiſque eorum plurimis, Saluiatum Piſarum antiſtitem, & Franciſcum Pactium nobilem Trapezitã, tanquàm cædis auctores, laqueo publicè ſuſpendunt.

Nota de Florẽtinis ſupplicio.

Atrocitatem rei Põtifex deteſtatus, Florentinos uno, eodemque tempore, & anathematis ſpiculo petit, & fœdere cum Ferdinando Rege, & Senenſibus inito, bello aggreditur. ſtatimque ualidus in Hetruriam exercitus ſub Alphonſi Calabriæ Ducis, & Federici Vrbinatis imperio immiſſus eſt, contra quem Florenti-

ni Venetorum adiuti opibus copiæ eduxere. Rubertusque Ariminenſis uir belli artibus clarus, illis præfuit, & in caſtris Fr. Michael Veneti Senatus nomine Legatus aderat,

Fran. Michael.

cum Carolo Montonio ualidiſſimi exercitus Duce, Vicecomes quoque, Eſtenſis, & Gonzaga Principes rem Thuſcam ſociis uiribus fauebant, & Bern. Bembum patres Florentiam miſſere, qui toto ferme biennio, quo Hetruria bello exarſit, publico decreto laborantes ſocios, conſilio, gratia, fauore, proſecutus.

Ber. Bembus.

eſt hoſtis interim ualido, florentique exercitu in æquum deſcendens, Rentium, Caſtellinam, Radam, Broiam, & Sabinum montem Florentinis ademit. at Car. Montonio Cortonæ uita functo, Rubertus Malateſta Hetruſcarum copiarum Imperator ad Traſimenum lacū conſedit, inde in Peruſinos fines tumultuoſe irrumpens, quędam hoſtium loca armis oppreſſit:

Pugna ad montem Sperellū.

poſtmodum ſtructa acie ad Montem Sperellū profectus, aduerſus Matthęum Campanum Pontificii exercitus Ducem pari armorū apparatu conflixit. pugnatumque eſt utrinque acerrima concertatione duabus ferme & amplius horis. Demùm primis hoſtiū turmis fœdè profligatis, reliquæ copiæ fuſæ, fugatæque ceſſerunt, impedimentaque omnia adempta, ac equitum ingens numerus captus. Sociorum clade Alphonſus, Vrbinasque permoti, in Rubertū ſtatim cum omnibus copiis feruntur: at ille per ocium ſe, & ſuos in pacatum recepit. nec æſtate illa quicquam aliud memoria dignū geſtum. ſub mediū uerò autumnum, quum hoſtium Duces reſciiſſent, Florentinorum exercitum tribunis, militibusque ob caſtrenſem diſcordiam extenuatum, ad Podiū Imperiale conſediſſe, ne delendi hoſtis tantā occaſionem amitterent, continuò quadrato agmine in eum ſpei pleni mouere. inopino autem, ac præferoci hoſtium incurſu nequaquam Thuſcus miles exterritus, Duce And. Burgenſi manum conſerere auſus eſt, diu tamen reſiſtere non potuit. Aragonii enim, Vrbinatesque magno impetu in ſummum iugum euadentes, ſubitum pauorem Thuſco iniecere, ſemelque turbàtis

Florentinorū clades.

ordinibus, ac in fugam diſiectis, claram eo die uictoriam Pontificiæ copiæ adeptæ ſunt. inde ad Collem oppidum itum, quo ui capto, Florētini fractis animis, ad pacem reſpicere cœperunt.

Laur. Medices.

miſſusque eſt Neapolim ad Regem Laurentius Medices, qui ſpōte etiam Legationem ſuſcepiſſe dicitur, vt periculoſo bello patriam liberaret, magniſque honoribus a Rege exceptus, in ſecretioraque colloquia admiſſus, pacem haud iniquis conditionibus impetrauit, ea autem firmata, Veneti ex Hetruria ſuas copias Antonii Donati, & Hier. Marcelli Legatorum ductu in Galliam reuocarunt.

Rhodus a Turcis inuaſa.

ac ſub id tēpus Othomanus magna claſſe ſub Meſith, & Achomath imperio comparata, eductaque, Rhodum inuaſit. Eſt autem ea Inſularum omnium ferè, quæ in Ionio, & Aegeo ſunt, non tam magnitudine, quàm ſitu, & amœnitate pulcherrima, centumque, ac uiginti quinque millibus paſſuum circuitu patet, triaque in ea oppida quondam non ignobilia extitere, Camyrum, Lyndum, & Salyſſum, nunc uerò tantùm Rhodus, liberi iuris ciuitas, & optimis inſtitutis ornata, Hieroſolymitanorum Equitum ſedes, penes quos totius rei ſumma eſt. Multis igitur uariisque armorum conatibus Turcæ uſi, Inſulam adoriuntur, ac diſiectis aſſiduo tormentorum ictu mœnibus, nonnunquam intra oppidum magno impetu irrupere, uerùm propugnatorum uirtute, cum cæde & ignominia hoſtis ferox a mœnibus repellitur. oppidumque eo tempore non tam humana, quàm diuina ope ſeruatum ferunt.

Not. miraculum.

nam uiri duo forma humana auguſtiore incenſis facibus ſæpe pro muris excubare uiſi ſunt, ac inter pugnandum minaci occurſu, ferroque ſtricto, in barbaros impetum feciſſe dicuntur. creditum uulgo, principū Apoſtolorum ſimulachra illa fuiſſe. Turcæque non multo poſt, ſiuè religione tacti, ſiue bellica Rhodiorum uirtute exterriti, ſoluta obſidione ex Inſula abiere:

Rhodus obſidione liberata.

Hidruntū a Turcis occupatū.

Othomanus re infecta è Rhodo digreſſus, in Calabriam cum claſſe uenit, Hidruntumque ſubitò incurſu adortus, bellico furore expugnauit. apparebat autem oppido tam uicino oppreſſo, maximum totius Italiæ periculum imminere, futurumque, ut breui magnā aliquam cladem Chriſtianæ rei ferox tyrannus infligeret. ſed diuina prouidentia factum eſt, ut medio belli apparatu ille extinctus, matura morte omnem metum ſoluerit, quem Itali conceperant.

Hidruntū recipitur.

& Ferdinandus ſtatim Othomano extincto, oppidum recepit. Veneti interea Coryctam Dalmatiæ Inſulam, quæ Vegia uulgò appellatur, imperio ſuo adiunxere, principatumque illum ſponte Veneto tradidit Ioannes Regulus

Bannis

bannis filius, nam & eum Pannon ad ſe armis trahere moliebatur. multæque, ac uariç bellicæ expeditiones in prouincia ſequutç ſunt. Demum Coryctano regulo ultro cedente, Inſula haud ignobili Venetus potitur. Poſt hæc Ferrarienſe bellum ſequutum, quod uarium, atroxque fuit: nam terra, marique ancipiti fortuna pugnatum, iuſtæq; cauſæ Venetos, in Herculem Ducem arma induere coegerunt. is autem Leonora, Ferdinandi Regis filia, in uxorem ducta, magna animo concepere cœpit; nec Venetam, ut antea, amicitiam ſincera fide colebat, quin contra antiqua fœdera ſalem circa Comaclum fieri ab hominibus ſuæ ditionis permiſserat, & in uectigalibus Reip. ſoluendis, fraude utebatur. erexerat ad hæc circa Caputagerem munitiones quaſdam, tanquàm Venetos occupaturos fines, quos ipſe ſuo ſtatuit arbitrio, Ducatusq; antiquiſſima iura uiolabat. nouiſſimè Magiſtratum Vicedominatus, quem Veneti in Ferraria ex fœdere habebãt, plurimis iniuriis ignominioſè affecit. ea propter indignati Patres arma, bellumque minabantur: priusquàm tamen in apertum bellum prorumperent, nunc per litteras, nunc per Oratores Herculem amicè monere uoluerunt, ut ab huiuſmodi iniuriis abſtineret, nolletque Venetum nomen nil tale de eo meritum a ſe alienare, qui in Borſium fratrem, amiciſſimum Venetæ Reip. principem, & alios ſuos maiores imitatus, Venetam amplecteretur ſocietatem, ac in antiquo amiciſſimi populi fœdere perſeueraret, quod ei bene uerteret. His adhortationibus, quum homo alioqui ingentis ſpiritus, & noua affinitate elatus, minimè moueretur, tentarunt patres per Sixtum Pontificem in ueteri illum amicitia retinere. ſed fruſtra omnia fiebant, dum ille aſsentationibus inflatus, ſana conſilia deſpicit: quare Pontifex ſocia cum Veneto arma coniunxit, bellumque inde conſtanti animo ſuſceptum. tenuit tamen uariis dictis ſententiis, ea conſultatio plures dies. Mocenicusque Princeps pacis amator nullo modo bellum Herculi inferendum eo temporç cenſebat, ac talem orationem habuiſſe fertur.

Veneti Vegiã requirunt.

Bellũ Ferrarienſe.

Not. Ferrarienſis Ducis in Venetos iniurias.

Pontificis fœdus cũ Venetis.

Neſcio, Patres conſcripti, an unquam maioris momenti cauſa ad hunc Senatum in conſpectu ueſtro uenerit. proponitur enim hodie bellum, cuius flamma ingens in tota Italia ex citatura eſt incendium: nos autem illud extinguere debemus, qui pacis ſemper ſtudioſi fuimus: uidendumque, ac diligenter curandum, ne præpoſtera noſtra ulciſcendæ iniuriæ cupiditas in aliquod graue diſcrimen Rempu. conijciat. alieno etenim tempore res tanta mouetur, feſſa iam longo bello Othomanico ciuitas, feſſi ſocij, feſſæ uectigales, urbes quietem quandoque exoptant, diu bellis terra, marique Patres optimi agitati, uix reſpiratis, nunne præſto eſt acerba memoria Turcici furoris, qui Foroiulienſem prouinciã deſolatam pene reddidit? uidimus fumantia tecta, uicinumque hoſtem, ſtrepitumque armorum exhorruimus. aliusque nunc recens paratur terror. Herculem enim hũc bello aggredi vultis, armis iniurias uindicaturi: at ego incertos belli caſus timeo, Fortunæ uarietatem, rerum humanarum inconſtantiam. & ſapientes ſecuram pacem dubijs Martis euentibus ſemper præpoſuere. In nos, patres optimi, mihi credite, Itali, exterique Principes peruicaci, hoſtilique ſunt animo: quòd ſi in hunc Herculem arma mouebimus, Italia omnis inuidiæ facibus agitata, aduerſus nos in unum conſentiet; ſocijsque ſtatim armis, Pannon, Hiſpanusque inſurgent, potentiſſimi Reges, & Herculi arcta affinitate coniũcti, hos reliqui Italiæ Principes cum militiæ flore ſequentur, Ferrarienſemque potius, quàm Venetam rem ſaluam eſſe curabunt. Adde Eſtenſis Ducis excellentes in re militari uirtutes, ſummus is princeps, egregius bellator habetur, diuitijs abundat, armis, fauoribus, clientelis, regijs affinitatibus, populorum beniuolentia. difficillimum itaque reor, hunc poſſe debellari, tot innixum uiribus. diſpendia quoque me mouent, & pecuniarum profuſio, quæ bellum abſumet: nam ualidiſſimæ & maritimæ, & terreſtres copiæ parandæ erunt, quum nulli dubium ſit, quin Ferdinandus Rex ad primos belli motus, pro Genero ſtatim exercitum, claſſemque contrahet, ad eiusque auxilium terra, mariq; aduolabit: quod ſi Pannonica quoque arma acceſſerint, in magno diſcrimine, Patres con-

Mocenici. P. oratio.

Nota.

Herculis Ducis bellica uirt.

 ſcripti,

ſcripti (utinam mentiar) res ueſtræ conſtitutæ erant. at Pontifex nobis fœdere iunctus, Eccleſiaſtica ſubminiſtrabit auxilia, communem hoſtem oppugnabit. Dij faxint, ut ita eueniat, at uereor, ne & ipſe dolo malo agat, ſucceſſibusque noſtris inuidens, inexpectatam aliquam cladem infligat. Tutius igitur eſſe cenſeo, rem differre, armaque continere, non quia id honeſtum, iuſtumque ſit, ſed quòd alieniſſimo tempore res tanta mouetur. Imitamini patres optimi maiores noſtros, qui pacis ſtudium ſequuti, tot ſæculis raro cuiquam principũ bella, uimque intulere, Venetumque non tam belli, quàm pacis artibus, imperium auctum, florebitque perpetuo, ſi uim, armaque continuerimus, ſi amice cum omnibus patres conſcripti egeritis, quod profectò Reipublic. ſalutare erit: atque ut tandem dicendi finem faciam, ad pacem patrij inſtituti memores, quanto poſſumus, maiori animi affectu uos hortamur.

Vbi Princeps perorauit, multi ex ſenioribus patrum eius ſententiam, opinionemq; approbabant: ſed Bern. Iuſtinianus ea tempeſtate Senator, Oratorque præſtantiſſimus, longe ab his diſſentiens, ſic locutus, orſusque eſt.

Ber. Iuſtiniani oratio.

Prudenter ſanè, & diſertè Princeps noſter optimus de bello, & pace, hoc in loco diſſeruit, ſingularemque laudem meretur, qui ad clauum Reip. ſedẽs, ea in medium affert, quę patrię ſalutaria eſſe arbitratur, mihi uerò: ignoſce Princeps optime, alia mẽs eſt. Herculem enim iſtum odi, & deteſtor, cuius acerbiſſimæ iniuriæ iuſtam nobis in eum arma mouendi cauſam præbent. Quis ueſtrum neſcit, patres conſcripti, tyrannicam huius inſolentiam, ac inexpiabile in Remp. Venetam odium? quæ unquam euidentiores iniuriæ? quæ maiores offenſæ patere poſſunt? quas in nos, plusquàm hoſtili animo Hercules iſte effudit, antiquas immunitates ueſtras ſanguine partes neglecto diuino, humanoque iure toto principatu ſuſtulit, ueſtri Imperij finibus uiolatis munitiones inſolitas propria authoritate erexit, Vice dominum, qui ueſtro nomine cum poteſtate ampliſſima Ferrarię reſidet, quia honeſtiore uia non potuit, uelut impium, & ſchiſmaticũ Chriſtiano cœtu, ſacrisque per contumeliam excludi paſſus eſt. Has iniurias patres optimi ęquo animo feretis: inſurgent in uos unius exemplo alij finitimi principes, ac de induſtria quærent, qua ratione Veneti Imperij fines occupare poſſint. Armis igitur agendum eſt, quãdo tanta arrogantia hoſtes utuntur, licetque uim ui repellere: nec dubitandum, ne ciuitas omne belli onus ex imperij dignitate ſuſtinere ualeat. hæc enim iamdiu armis aſſueta bellicas uires, priſtinamque ſtrenuitatem reſumpſit: opes ad hæc adſunt ampliſſimæ tam publicæ, quàm priuatæ, iuuentus armigera, militaribusque innutrita ſtudijs, ſtipendiaque noſtra clari bello duces ſequentur, ac equitum, peditumque ſelecta manus, unde florentiſſimo exercitu contracto, quidnam formidãdum erit? Ex Pannonia forſan motus aliquis orietur, nihil profectò ex hac parte timeri oportet, quum Rex ille perpetuum, atroxque cum Federico Imperatore diu gerat bellum, Turcos quoque infeſtiſſimos habet, qui Pannonias, uicinosque ad Danubium fines incurſare, popularique non deſinunt: ac ſatis, ſuperque Rex ille facturus eſt, ſi aduerſus Othomanica, Germanicaque arma Regni fines tueri poſſit. Ferdinandum ſocerum Princeps Optime memoras, hunc uis, pro Genero Hercule terra, marique arma continuò ſumpturum: eum autem Patres Ampliſſimi, parum timeo, quippe qui uix bene adhuc priſtinas uires recepit, Hidruntinæque cladis memor, arma prorſus abhorret. Sed fac Rex ille ferrum moliatur, nos contrà illi exercitum, claſſemque obijciemus, quæ maritimam Apuliæ, Calabriæque oram deuaſtabit. Itaque domeſtico bello implicitus, uellet, nolletque Ferdinandus a Ferrarienſi expeditione auocabitur. Adde, quonam modo cum inſtructis copijs ex Calabria in Ciſalpinam Galliam tranſire poterit, ad ferendum Genero auxilium, quum omnia loca, per quæ tranſitus faciendus,

Not. iniurias.

Ferdinandus Herculis ſocer.

tiendus Pontifici peteant, cum quo ſocia arma iunx iſtis: eccleſiaſticæ enim ditionis præter Larium, ut ſcitis, Sabinia, Vmbria, ac Picenus eſt ager. nunquid igitur, Pontificis armis obſtantibus, alatos Ferdinandus habebit milites, qui præpeti penna per aerem delati, huc aduolent? deſtitutus profectò omnibus auxilijs, meritas ſuæ peruicaciæ Hercules nobis dabit pœnas. ulciſcimini igitur iniurias, ignominiam delete: iſtamque Patres optimi, patientiam, ne dicam mollitiem animi, exuite. quidnam expectamus? ut bellum, quod iamdiu animo euoluit, contractis undique in unum fœdere inito, totius Italiæ uiribus ipſe prior uobis inferat? tum è ſomnio excitabimur, qui nos, ut uideo, in præſentiarũ occupat, tum ui, armiſque agemus, quibus nunc uti recuſamus. non his artibus maiores noſtri tam amplum terra, marique Imperium adepti ſunt, bellando, audendo, rem Venetam auxere. benignitate antea uſi ſumus, in ampliſſimoque eum noſtris armis collocauimus Ducatu; nunc iiſdem ingratiſſimum principem deijciamus; omneſque intelligant, ſcire Venetos, iniurias ulciſci. Ite igitur Patres optimi, & maiorum noſtrorum ueſtigia ſequuti, qui ad retinendam publicam dignitatem ſemper accenſi fuere, Ferrarienſem Ducem bello perſequemini, ac incendium hoc uicinum, quod, noſtra patientia, tot flammas excitauit, quia aliter non licet, armis reſtinguite.

No. Eccleſiæ ditionem.

Senatus, etſi iam antea Herculis iniuriis laceſſitus per ſe ſatis ad bellum inclinabat, uehementi tamen Iuſtiniani oratione adhuc magis impulſus, armis agendum terra, marique contra Ferrarienſes miro conſenſu decernit; bellumque pro concione populi hoſti publicè indictum, tanta alacritate exceptum dicitur, ut incredibilis uocum fauor ex tota concione ſublatus, non obſcura ſuſcepti belli comprobationis ſigna reddidit, tumque manifeſtè apparuit, quanta apud omnes totius ciuitatis ordines Ferrarienſe nomẽ inuidia, atque odio flagraret. præter itaque terreſtres ingentes copias, quibus duo Ruberti, Seuerinas, & Malateſta, fortiſſimi imperatores præerant, duplex claſſis decernitur, una quæ ſub Victoris Superantii auſpiciis Apuliæ, & Calabriæ littora ad Ferdinandi motus inhibendos infeſtaret; altera, quæ per Padi fluenta Damiano Mauro Duce in hoſtium fines ageretur. multi autem ex plebe, ſociarumque urbium non magis prædæ cupidine, quàm odio in Ferrarienſes, ad ſubitum belli apparatum exciti, ſine ulla ſtipendii mercede Veneta ſigna ſunt ſequuti. adhortationes quoque mutuæ, populareſque uoces. paſſim tota urbe exaudiri, alterque alterum ad Ferrariæ excidium inuitare. primo itaque belli conatu per Tartari fluminis ſtagna haud procul a Leniaco oppido in hoſticum copiæ ductæ, Rubertum Seuerinatem Imperatorem habuere, & Antonium Lauredanum Legatum. cæterùm præſens admonet occaſio, ut de Galliæ Ciſalpinę ſitu hoc in loco pauca ſubiiciam. alluitur ea terra a Meridie, & a brumali ortu mari Adriatico, ab Aquilone autem montibus ferè perpetuis, aſperiſque cincta: excurruntque hac parte Apennini iuga, qui Lyguriæ incubant, atque hinc Hetruria, atque Vmbria relictis, Anconem uſque montium illa aſperitas extenditur. Tyrrheni hæc antiquitus loca tenuere, eoſque propriis ſedibus Galli terræ fœcunditate allecti, expulerunt, qui poſtea citra, ultraque Padum conſedentes, clariſſimas urbes, Veronam, Brixiam, Cremonam, Bergomum, Mediolanum, condidiſſe dicuntur. hoſque intra fines, atque Alpes, Lebetii, Inſubres, & Cænomanes, gens Gallica ſedes tenuere, ultra uerò Padum Boii, Eganes, & Senones, unde poſtea Gallia dicta, & a Longobardis procedente tempore, qui in ea terra per ducentos circiter annos rerum potiti ſunt, Lombardia nuncupata. clarique in ea gente Reges fuera, Alboinus, Luithprandus, Rachis, Aſtulphus, & Deſiderius, in quo Longobardicum Regnũ deſiit. In hac prouincia præter ampliſſimas urbes, magna, claraque extant flumina, Ticinus, Olius, Atheſis, Abdua, Mincius, & Padus, qui & a Græcis Eridanus appellatur, in gremioque hunc Veſuli montis ortum habere aiunt, in planiciem inde ille lapſus, magno impetu ad Meridiem primò defluit, præcipitemque ab Oriente per profundas ualles, ac patentes campos trahens curſum, haud minus triginta auctus fluminibus ſex oſtiis in Adriaticum mare euoluitur, ita ut nec magnitudine, nec rapiditate Danubio, Niloque inferior haberi poſſit. Augent Padum præter tot flumina, liquatæ

Bellum in Ferra. decernitur.

Seuerinas Malateſta

Duplex claſſis.

Galliæ Ciſalpinæ deſcriptio

No. Lõgobardorum Reges.

Padus.

tæ niues circa Caniculæ ortum, ipſe autem ſuis lætus incrementis, aquarumque abundanti profluuio Ferrariam uſque delabitur. Polyneſſumque facit, ſciſſuſque in plures partes, diuerſum agit curſum. nec celeberrimi quoque deſunt lacus, Larius, Verbanus, Benacus, Iſeus, Lambrus. Secũdo autem loco Atheſis inter Ciſalpinæ Galliæ flumina poſt Padum celeberrimi nominis habetur, qui & ipſe plurifariam ſciſſus Rhodigianam Poleſinum facit, ex Arbonaque monte labitur, ac mediam interſecat Veronam, inde infra Leniacum decurrens, per ſtagna, & paludes ad Caſtagnarium cognatis aquis ſe placidè inſinuat, ac duobus oſtiis circa Foſsiones, & Brundulum in mare prorumpit. Venetæ igitur copiæ in hoſtium fines delatæ, ad Crucellam primùm, mox in Mellariam oppidum ductæ, quod in Padi ripa poſitum eſt: primoque impetu miles Venetus hoſtium munitiones arci ſubiectas ferociter adortus, ui expugnat, oppidumque ſtatim amiſſa arce capitur. at hoſtes profundam foſſam Veneto obiecerunt, qua tamen ſtatim tumultuario opere repleta, ad Caſtrumnouum oppugnandum Seuerinas exercitum admouit: eoque deditione potito: haud leues excurſiones ab equitibus Græciſque antecurſoribus in hoſticum fieri cœptæ, ingenſque uis mortalium, pecorumque è Ferrarienſi abducta, in caſtra quotidie agebatur, ex qua fama uoluntariis militibus ſpe prædæ Veneta caſtra adeo ſunt repleta, ut breui ſupra triginta armatorum millia in illis connumerarentur. his igitur cum copiis a Caſtronouo ad Ficarolum Venetus proceſsit, ſuperataque ingenti foſſa, quam hoſtes ad impediendum trãſitum manufecerant, iam oppidum bellicis machinis quatiebatur. excituſque rei periculo Federicus Vrbinas hoſtium Imperator cum ualidis copiis ex Ferraria, Hoſtiliam uenit, unde ex propinquo Venetos aggredi poterat. tum Seuerinas id ueritus, continuò motis caſtris cum omni bellico apparatu in tutum abiit. Padanum interim aggerem inter Mellariam, & Hoſtiliam tumultuario opere reſcindi iuſſit, ne ea parte in Venetos hoſtis impetum faceret. denuoque ad Ficarolum Seuerinas caſtra admouit, atque, ut non uno tantùm loco Venetus hoſtem fatigaret, Adria urbs uetuſtate inſignis naualibus armis petita eſt, ad quam expeditionem Chriſtophorus Amulius, Damiani Mauri Padanæ claſſis Imperatoris iuſſu, cum lembis, ac minoribus nauigiis ferociter mouit. primo autem certamine oppidum Ferrarienſis miles egregie eſt tutatus, reiectique Veneti cum cæde, a mœnibus receſſerunt: ceciditque Dominicus Erizus uir fortiſſimus, poſtea redintegrato prælio periculorum omnium obliti nauales ſocii munitiones intrepide ſubiere, & quamquam loci natura inexpugnabilis propè eſſet, quippe qui aquis, paludoſaque uligine, magna ex parte cingitur; Venetus tamen cunctis difficultatibus ſuperatis, impigre rem egit: nam hoſte è propugnaculis deiecto, in mediam urbem irrupit, cædeſque oppidanorum, ac militum primo ingreſſu a uictore ira to, & ultionis cupido paſsim ædita eſt; tecta quoque direpta, atque incenſa multis urbis locis. demum Amulius pietate motus, ne eo die Adria Veneto nomini cognata euerteretur, ſuos a præda, & cæde edicto reuocauit. Comaclum quoque iiſdem diebus in Venetorum poteſtatem uenit, nauigiaque ibi aliquot ad præſidium relicta: & quum ex altera parte claſſem aduerſo Pado Maurus in hoſtiles fines ageret, ingens citra, ultraque flumen accolarum fuga facta eſt; in oppidaque, metu acti, cum coniugibus, & liberis agreſtes ſe receperunt. communierat autem Hercules Padum ad Piloſellam tribus ligneis caſtellis, unumque medio amne poſitum ualido firmaret præſidio, reliqua circa ripas erexerat, in quibus ingens bombardarum, telorumque uis inerat, ac ſexcenti equites cum equitum numero penè pari, ſub Sigiſmundo Eſtenſi, & Ioanne Bentiuolo, ducibus. at Maurus hoſtium apparatus parum timens, audax capit cõſilium: caſtella enim claſſe adortus, acerrimum cum hoſte prælium terra, aquiſque commiſit, ac utroque loco Venetus egregie uicit: nam & in ripis Eſtenſes ſuperati, uictique ſunt, & caſtella armis, uique expugnata, ac incendio abſumpta. inde extra, leuaque tanta parta uictoria, nauales ſocii cum mercenario milite circa flumen, agrumque hoſtilem prædatum miſsi: illi uerò in Ferrarienſe nomen odio accenſi, uillas, uicoſque, & tecta latè circumpadanis campis ſparſa fœdè diripiunt, gregeſque, ac armenta abducta a dominis ad naues in prædam aguntur: atque ita populabundus, terra, aquiſque Venetus, ingentem Ferrariæ incuſsit terrorem. & claſsis ſub idem fere

Atheſis.

Not. Venetorum copias.

Fed. Vrbinus.

Chriſt. Amulius.

Adria urbs a Veneto capta.

Comaclũ capitur.

Dam. Mã-ſi in Pado geſta.

tempus,

tempus,quo Seuerinas terreſtres copias Ficarolum admouerat,eò appulſa, oppidum circumſedit;quo ſtatim militum corona cincto,bellicis tormentis res geri cœpta. nec Vrbinas,qui cum ualida peditum,equitumq́ue manu ad Stellatam è regione conſederat,ſuorum diſcrimen ocioſe tueri,ſed quum æneas machinas uir bello acer in aduerſa ripa conſtituiſſet,cuncta Veneto infeſta reddebat.affligebanturque milites asſiduo fuſiliũ machinarum iactu,ita ut non arma,non uallum,non aggeres,uiolentos ictus ſuſtinere poterant,at ſolo omnia æquata proſternebantur. nec Venetus tamen Ficarolum armis,obſidioneque premere omittebat:cõmiſſaque inter nautas,& milites Ferrarienſes in Padana inſula tumultuaria pugna,hoſtes profligati ſunt, ſeptuagintaque ex his capti, in uictoris poteſtatem uenere. nec multò pòſt Eſtenſis pari fermè clade Venetum affecit:nam quum Antonius Martianus,Ductor fortisſimus,Seuerinatis iuſſu cum duabus peditum cohortibus ad muniendum locum infra Ficarolum profectus eſſet,Hercules ad eum opprimendum tacito agmine aduolauit. ſubito igitur acceſſu Martianum adortus,Venetam acie primò turbat,mox iniecto pauore loco ſummouet: at Martianus ſuos hortando, aliquandiu hoſtium impetum repreſſit. uerùm inclinata ſemel acies reparari amplius non potuit;itaque uicti Veneti ceſſere, captuſque eſt Martianus,& Falcarius,Duces,& cum his complures milites, multi quoque ibidem cæſi.pulſo inde Veneto,locum poſtea hoſtes communiere, qui ualido præſidio firmatus,magno Ferrariæ adiumento fuit. Seuerinas interim,ut Herculem aliis locis bello fatigaret,copiarum partem ſub Fracasſi,& Ioannis Mariæ filiorum auſpiciis,cum Petro Marcello Legato ad Rhodigianæ Poleſini oppida expugnanda mittit. iuuenes autem paterna ſequuti imperia,in prouinciam ſtatim cum exercitu, proficiſcuntur,primoque acceſsu Gugelmum, & Turris Donaria in ſtagnis capta ſunt: pari inde fortuna Rhodigium,Lendenaria,Abbatia,armis ſubacta: in hiſque oppidis expugnandis,plurimum eſt elaboratum,prælijs,inſidiiſque,& certaminibus, in quibus præter alios clari nominis uiros, Hieronymus Martianus Antonii filius,iuuenis impiger,occubuit.nouis populis Veneto imperio adiunctis,ad confirmandos eorum animos Auguſtinus Barbadicus,uir claro ingenio, ſummaq́ue in Rep. authoritate, qui tum Pataui præfectus erat,decreto patrum Rhodigium acceſſit; ibique ſummo honore a populo exceptus,ad Venetam ſanctè, conſtanterque amicitiam colendam blanda oratione omnes cohortatus eſt. Barbadico autem decedente, Petrus Triuiſanus prætor in prouinciam uenit;eique intra paucos dies uita functo, Rubertus Venerius ſucceſsor in prætura datus eſt,uir pacis artibus admodum clarus, qui populorum animos tyrannicis deprauatos imperiis,comitate, manſuetudine, dexteritate ingenii, non ſolùm in fide continuit,ſed magnopere etiam confirmauit. & Seuerinas ad Ficarolum rem & ipſe proſperè geſſit,qui longioris moræ impatiens,quum nihil aſſidendo proficere uideret, ſtatuit oppidum acerrima oppugnatione aggredi; muriſque iam propemodum bellicis operibus, uique armorum ſolo æquatis, per ruinas armatæ acies in oppidum irrumpere tentarunt: magnoque impetu promurale arcis primò captum eſt. inde miles ferox certamine ad mediam uſque noctem protracto, hoſtem territum munitionibus deiicit,denſoque agmine,pluribus locis in oppidum irrupit. Eſtenſes, ubi rem perditam uidere, in fugam uerſi, abiectis armis,uictori ceſſerunt: multi tamen ferro ſunt oppreſſi, nec pauci aquarum undis aborpti, qui ſe ſe in flumen metu acti præcipitarunt. Venetus Ficarolo potitus, mœnia, ac turres irrequieto opere reſtituit, oppidumq́ue ad uſum belli opportunum egregie communiuit. interim circa Autumnum graui cœli intemperie oborta,plurimi de exercitu morbo contracto periere,inter quos Maurus Padanæ claſſis præfectus, & Lauredanus Legatus, præter innumerabile militum uulgus,extincti ſunt. urbinas quoque hoſtium Dux acerba ualetudine conflictatus,Ferrariæ interiit. & hæc æſtate illa in Gallia geſta. in Flaminia uerò Rubertus Malateſta hoſtem & ipſe armis uexabat: cæterùm quum ſub primos Venetorum conatus, Alphonſus,Calabriæ Dux,Ferdinandi patris iuſſu cum quattuor millibus armatorum tentaſſet ad Herculem ſororium tranſire, ut eum bello leuaret,& Columnenſibus,Sabelliſq́ue adiuuantibus, qui apertè Vrſinorum inuidia a Pontifice deſciuerant,in agrum Romanum deſcendiſſet; Veneti,ne res Eccle-

ſiæ

Ficarolum oppugnatur.

Ferrarienſiũ cædes.

Venetorũ clades.

Not. oppida Poleſini capta.

Augu. Barbadicus.

Petr. Triuiſanus.

Rub. Venerius.

Ficarolũ a Venetis capitur.

Mauri, & Lauredani interit'

Vrbinatis mors.

Alphõſus.

ſiæ in aliquod diſcrimen conijcerentur, ſtatim Malateſtæ iubent, ut citato agmine ad vrbem graui bello, Alphonſique armis liberandam properet. Senatus imperata fa-

Rubertus Malateſta.

cturus Rubertus ſtatim ex Flaminia cum ualido exercitu mouit, Romæque appropinquans, Pontificis copias ſuis adiunxit. Alphonſus audito Malateſtæ acceſſu, in Veliternum agrum magnis itineribus ſe recepit. huc Venetus imperator pugnandi auidus, quadrato agmine proficiſcitur, in hoſtemque ſpei plenus uadit, nec Arragonius prælium detrectauit. certatum eſt igitur utrinque magnis animis, habebat ferox Hiſpanus lectiſsimum equitatum, ac peditum uim ingentem: ſed in Venetis caſtris maior bellatorum numerus erat. ſex horis acerrime utrinque dimicatum. inſtabatque Malateſta manu, uoce, imperio: cõtrà, Calaber ad uictoriam aſpirans, ſuos in prælium accẽdebat. demum Pontificius, Venetusq; miles bellatorũ numero melior hoſtẽ deuicit.

Ruberti uictoria.

conatusq; eſt Alphonſus ſæpe aciem reparare, qua iam inclinata, ac in fugam omnino uerſa, nobiliſsimam Rubertus uictoriam reportauit. cæſi captique multi ex hoſtium exercitu, qui honeſtos ducebant ordines. Alphonſus autem cum paucis equitibus ex acie dilapſus, in pacatum abiit, ouansque urbem Malateſta ingreſſus, ingentem captiuorum numerum, militariaque Aragonenſis Regis ſigna prælio adempta, Pontificis, populiq; Romani oculis ſubiecit, ipſeque per hæc ſingulare decus conſequutus, intra paucos dies ſummo omnium mœrore uita deceſſit. percrebruit

Ruberti Malataſtæ interitus.

rumor, hoſtium inſidiis eum ueneno ſublatum, ſed nimio potius æſtu, & labore armorum martium uirum fatalis hora abripuit. ſepulchrum eius Romæ Cæſarianum illud habet, Veni, vidi, vici; lauream pontifici retuli. & hæc in Latio, & in Gallia Rubrii par menſes Venetorum partes ſequuti, in Sforcianas opes impetum fecere, uariaq; fortuna utrinque bellatum. illi tandem Inſubrum armis fatigati, præpotenti hoſti ceſſerũt. & Seuerinas quum diu ęger decubuiſſet, morbo iam leuatus, in caſtra rediit, in quibus

Lucas Piſo.

Io. Hemus

ſummæ rei præerant, donec ille ualetudinis cauſa abfuit, duo Legati, Lucas Piſo, & Ioannes Hemus: ſed Piſone poſtea ob ægritudinem domum rediens, Federicus Contarenus, & Fr. Sanutus, noui Legati in caſtra uenerunt. nilq; eo tempore memorabile geſtum, aeris inclementia militibus, nautisq; adhuc languentibus. His autem uertente eam Autumno, in priſtinam ualitudinẽ reſtitutis, ne amplius tempus tereretur, undique arma parari cœperunt: miſitq; Seuerinas Fracaſſum filium iuuenem impigrum cum ualido equitatu, ad munitiones in Ripa Padi ad Obſcurum Lacum ab Eſtenſibus eiectas oppugnandas, quas ille bellicis machinis ita comminuit, & concuſſit, ut diſiecto hoſtis præſidio, apertus ſit Venetis nauibus citro, ultroq; commeantibus, fluminis

Victor Superantius.

ad eum locum tranſitus. ex altera quoque parte Victor Superantius, qui ſuperiore anno maritimum tenens imperium, Calabriæ, & Apuliæ littora fœdè populatus fuerat, in Padũ, iuſſu Senatus, cum una & uiginti triremibus, biremibusq;, & minoribus nauigiis circa quattuordecim, delatus, in aduerſam Padi ripam non procul ab Argenta municipio, ſupra quadringentos equites, ac milites, nautaſque ſexcentos expoſuerat, eo conſilio, ut Ianiolum, oppidum quod ad Vaterni Oſtium ſedet, oppugnaret.

Hoſtium Duces.

In eos igitur ex militari licentia uagos, palanteſque Sigiſmundus Eſtenſis, Nicolaus Corregianus, & Hugo Seuerinas, hoſtium duces cum tribus, & amplius hominum millibus ex Argenta ſub ſignis egreſſi, repente impetum fecere, improuiſoque incurſu Veneti primò turbari ſunt, inde Andrea Burgenſi Cẽturione fortiſſimo animante, in unũ coacti, ferociter in pugnã ruunt, contractumq; eſt ſubitò ingens, cruentumque certamen, accurrentibusque ex propinqua claſſe ſociis naualibus, hoſtium aliquantò repreſſus eſt impetus. pugnabant hi tamen acerrime, locumque retinere totius uiribus enitebantur; dum trecenti Peloponeſſiaci equites ſubito a latere apparuere, quibus conſpectis tantum terrorem Herculani animis concepere, ut ſubito Sigiſmundus, aliique Duces magno terrore concuſſi, ne circumuenti ad unum caderent, fugam moliri cœperint. Vallareſſia ad hæc triremis inſeſſis a tergo aquis, terrorem hoſtium auxit: omnes itaque abiectis fœde armis profugiunt, alii aquis, alii ferro oppreſſi, ca-

Not. Superantii uictoriam.

dunt; capiuntur plurimi, pauci incolumes, ſaluique euaſere, in quibus Sigiſmundus fuit, qui uelociſſimo equo uſus, ex acie præcipiti fuga Argentam penè ſolus abiit, cæteri Duces, Corregianus, Seuerinas, ſeptuagintaque alii circiter armorum ductores

in

in Superantii poteſtatem uenere, quos ille omnes Venetias captiuos miſit, cum ducentis æratis, ac micantibus galeis, cataphracto hoſti ademptis, quæ in inclytæ uictoriæ memoriam publico loco ſuſpenſæ ſunt. his fœliciter a Superantio geſtis, Seuerinas ut & ipſe præclaro aliquo facinore exiſtimationem ſuam retineret, ſtatuit, tranſmiſſo Pado, Ferrariam copias admouere, pontemque ex galeonibus infatigabili ſtudio conſtrui mandat: ipſe autem cum Hemo, & Sanuto Legatis nocte profectus, ad mille circiter paſſus procul a loco, ubi hoſtis aderat, copias ponte iam flumini impoſito, traiicere cœpit. laboratum tamen prius eſt, deficientibus nauibus in iungendo ponte; quo Legatorum induſtria tandem perfecto, omnis exercitus, in hoſticum ultra flumen traducitur. tum uero Eſtenſes, qui loca circa Padum præſidio tenebant, Venetorum aduentu territi, ſuiſque diffiſi uiribus, munitiones, præſidiaque cuncta deſeruere, ac Ferrariam celeri curſu ſe trepide receperunt. hoſte inde decedente, omnia continuò circa Padum Venetus miles occupauit, apertoque irrumpendi aditu, in Ferrarienſem agrū prædabundus ſe effudit, ubi uillas, ac ſuburbana tecta ferro, flammaque crudeliter deuaſtauit. ad Parcumque uſque uoluptarium ad feras capiendas locum, quadrato agmine eſt progreſſum, nouoque ponte, ac firmiore priori illo Pado impoſito, ad mille paſſus florentiſſimæ Venetorum copiæ circa Ferrariam conſederunt; atque ut ab hoſtium incurſu caſtra tuta redderentur, conuerſus Seuerinas ad præſidium, quod ab Eſtenſi milite iuxta flumen relictum fuerat, muniendum, latiorem amplexus planiciem foſſa uicenùm pedum profunda irrequieto opere ducta, firmiſſimum circumquaque illi aggerem cum propugnaculis, & pinnis, tormētorumque ui ingenti ad hoſtem procul ſummouendum impoſuit, præfixiſque propinquo Ferrariæ loco Venetorum ſignis, ad portas urbis ocioſe adequitat. completque omnia metu. ciues his bellicis horroribus circumuallati, uno ore actum de ſua, omniumque ſalute prædicare, actum de Herculis principatu, hoſtem nimis acrem, præpotentem, iratum imminere, ſuperaſſe tot flumina, ſtagna, paludes, ſigna ſuperbiſſima ante urbem ſtatuiſſe, nil reliquum iam eſſe, niſi ut aut iniquiſſimas pacis conditiones, aut frenum accipere ciuitas tot malis circumuenta cogeretur. hæc illi dolere, lamentari. Venetus interim uigili cura omnia moliri, quæ ad uictoriam maturandam pertinere arbitrabatur, arma, pecuniæ, milites commeatus affatim præbiti, nilque omiſſum, quod hoſtem domitum, debellatumque redderet: idque ſequutum breui omnino fuiſſet, niſi Sixti Pontificis inexpectata defectio, uictoria è manibus Venetorum extorta, rem Ferrarienſem penè deploratam ſeruaſſet: nam poſt Ruberti Malateſtæ obitum, prælium que in Veliterno agro fœliciter commiſſum, id quod ad rem Venetam fouendam Pontificis animum potius inflammare debuit, ille ſtatim a priſtina ſocietate alienatus, ad hoſtes defecit. ueritus enim Sixtus, ne Hercule principatu eiecto, Venetorum potentia nimis excreſceret, ſtatim cum eo, ac Ferdinando Rege, totiuſque Italiæ principibus fœdere percuſſo, Venetos per litteras monuit, ut continuò ab armis diſcederent, abſtinerentque, non ſolùm deinceps a Ferrarienſi bello, ſed reſtituerent etiam Herculi quæcunque ad eam diem armis terra, aquiſque illi ademiſſent: eoque conſilio id facere Pontifex atteſtabatur, ut Italiam bello liberaret, Chriſtianiſque Principibus pacem redderet, quum ad Pontificem ſpectet, qui uicem Dei gerit in terris, diſcordias Principum è medio tollere, ac ea procurare, quæ Reip. Chriſtianæ ſalutaria eſſent, ut concordibus poſtea animis ferrum in infideles uertatur. patres ea denunciatione moti, cuius antea a Franciſco Diedo Oratorem tum Romæ publico nomine agente, certiores facti fuerant, etſi ſtatuerant, inchoatam uictoriam proſequi, cenſuerunt tamen Sixto reſpondendum, litteraſque Ber. Iuſtinianus uir ſingulari eloquentia, ac eruditione præditus, Senatus nomine ad Pontificem exaraſſe dicitur, quarum hæc ferè ſumma fuit,

Seuerinatis apparatus.

Parcus.

Not. munitiones circa Ferrariam.

Veneta ſigna ad Ferrariam

Not. Ferrarienſium querelas.

Sixti Pōt. defectio.

Fœdus cū Italiæ principibus in Venetos.

Ber. Iuſtiniani litteræ.

ut quæ nuper egerat ſua Sanctitas, ciuili Senatus tulerat animo, Venetoſque grauibus laceſſitos iniurijs ad arma nunquàm recurrere uoluiſſe, donec Pontifex prius bellum approbaſſet; eiuſque authoritate, & hortatione Herculi arma illata: nec patres tamen dicere, a pace abhorrere, quin ueteri Reipub. maiorumque inſtituto libenter ad eam reſpicere; ſed rem indignam proponi, quum nil aliud ſit, Senatum hoc tempore ad arma depo-

ma deponenda hortari, quàm venetum nomen, quum iam prope debellatum eſſet, omnibus irridendum exhibere: ſapienter nihilominus Beatitudinem ſuam facere, quæ, ut optimum decet Pontificem, paci, ac tranquillitati Italiæ conſulat; uerùm ſatis ſuperque apparere, fraude, doloque Venetam rem peti, quod dum uiceſimum prope annum cum Othomano terra, marique bellum gereretur, ſtuduerat que Venetus, ut communem hoſtem procul Italia armis diſtineret, nemo tamen conſpiraſſet in Barbaros, qui rem venetam grauiter premebant: nunc uerò periclitante Hercule, ad arma omnes concurrere, ad pacemque iniquam ſub quietis Italiæ ſpecie ſuſcipiendam patres imitari. ſed id plane agi, ut uictoria a Veneto auferatur. neque id dictum ſua Sanctitas credat, aut propter eius Beatitudinem, cui ſemper & honos Dei, & gregis ſui pax, atque tranquillitas ita cordi fuit, ut ob eam rem multa, magnaque incredibili ardore animi, & charitate perſecerit, longè plura, maioraque in hoc ſuo Pontificatu ipſe acturus, ſi per eos maximè, qui nunc paci patrocinari uidentur, Sanctitati ſuæ, cuius piiſſimum eſt propoſitum, licuiſſet; neque Caſtellæ Reges. *propter Reuerendiſſ. Dominos Cardinales, quorũ ſanctiſſimũ deſideriũ communis Chriſtianorum pacis perſpicuum, clarumque eſt, aut propter Sereniſſimos Caſtellæ Reges, quibus omnibus penè ſeculis puriſſimo amore, & ſincera beneuolentia Veneti deuincti fuerint; dictum fortaſſe fuerit, propter nonnullos alios, quibus neque pax, neque bellum poteſt ſatisfacere, Venetæque fœlicitati hi inuidentes, omnes adhibent artes, ut ea aliquo modo offuſcetur: demum, quod ad arma deponenda attinet, ſtatutum in Senatu eſſe, bona illius uenia, bellum proſequi, cuius fœlix exitus omnino expectari poterat, quum ſummus ipſe Pontifex author, impulſorque fuiſſet.*

Hæc, & alia in hanc ſententiam a Veneto ſunt perſcripta. Pontifex autem diuini, humaniq; iuris, ac priſtini fœderis oblitus, ubi Senatusconſultum de proſequendo Alphõſus. bello allatum eſt, anathematis ſpiculum ſtatim in Venetos detorſit. Alphonſus interim (iam apertis ex pontificio fœdere itineribus, cum duobus equitũ millibus, in quis quadringenti Turcæ fuere, Hidruntina obſidione in ſeruitutem redacti, Ferrariam celeri curſu uenit: ſed non multò pòſt illa Barbarorum manus Aragonenſem exoſa militiam, ad Venetos transfugit, & Calaber paucis diebus Ferrariæ moratus, inde Mediolanum conceſſit; decretoq; ad Caſale maius in Cremonenſi concilio, ubi plurimæ Italorum principum aderant legationes, bellum Venetis communi ſociorum nomi- Fed. Gonzagæ. ne indictum eſt, copiarumq; imperium, ac totius rei ſumma Federico Gonzagæ Mantuano Principi demandatur. Patres ſubita tot Principum conſpiratione permoti, ad Renatus Lothoringiæ Dux. res ſuas maturis uiribus firmãdas ex Gallia per Antonium Vinciueram, ſcribarũ unũ, Renatum Lothoringiæ Ducem militari diſciplina clarum, in Italiam ingenti ſtipen- Barth. Victhurius. dio accerſunt. Cum ducentis igitur ille equitibus, ac mille peditibus, Alpibus ſupera- Nic. Foſcarenus. tis, in Italiam tranſiit, cui Tridentum uſque officii gratia patrum decreto Bartholomeus Vetturius, & Nic. Foſcarenus obuiam proceſſere, ad maturandumq; iter Gallũ Pet. Priolus. hortati ſunt, qui Allobrogas, aliaſq; Alpinas gentes ſecum ducens, in Veneta caſtra ſe M. Ant. Maur. contulit: ad eaq; Petrus Priolus, & M. Ant. Maurocenus Legati aduenere. in Mediolanenſem autem agrum cum copiarum parte Seuerinas nouo Senatus conſulto tranſire iuſſus eſt, ut Inſubrum arma intra Galliæ fines ſuo acceſſu contineret, exciretq; aliquẽ motum, qui facilè in urbe oriri poterat, per homines aduerſæ factionis. Sed nil actum eſt, quin iratus hoſtis arma aliquanto citius induit, quàm quiſquam putaſſet. nã con Lud. Sforcia. ſpectis Venetorum ſignis, Ludouicus Sforcia cum ualidiſsimo equitatu ex Parmenſi agro, unde Rubrios regulos eiecerat, in Cremonenſem ſtatim duxit; collatiſq; cum Alphonſo caſtris, in Seuerinatem, tranſmiſſo Abdua, properatum: at ille cum copiis, quas habebat, prælium detrectans, Bergomum ſe recepit: inde Olio flumine iuxta Palatiolum ſuperato, inſtructa acie ad nouos Vrceos conſedit. contrà, hoſtis Hetruſcis, Romaniſque copiis mirifice auctus, arma ubique in Seuerinatis conſpectu per prouinciam circumferebat: occupauit præterea quicquid Brixienſis agri inter Mallam fluuium, & nouos Vrceos patet; oppidiſque ad deditionem compulſis, magno terrore cũ

cta

ĉta in Cænomanis ſunt repleta. Venetus tamen imperator hoſtium uiribus impar nullo loco deerat, nunc a fronte, nunc a latere ſe illis ex improuiſo oſtendens; miraq; arte uſus eſt, ut ſocios tueretur. Vrceisq; ualido præſidio firmatis, ad Zenonem tria paſſuum millia a Brixia cõſedit, quam urbem paulo ante Zacharias Barbarus proprætor ingreſſus, ab omni hoſtium incurſu tutam reddidit. fuit autem hic Franciſci illius filius, qui bello Philippico eandem urbem Brixiam a grauiſſima obſidione ſua eximia uirtute liberauit, dignus certe tanto parente filius, a quo Hermolaus ille Græca, Latinaq; eloquentia uir inſignis procreatus eſt. Variæ interim bellicæ expeditiones æſtate illa uſque ad principium Autumni ab Alphonſo, & Seuerinate in Bargomenſi, Brixienſiq; agro factæ dicuntur, ubi oppida quædam uiribus ſuperior hoſtis Veneto ademit. circa uerò Padum Gallis magna ex parte morbo conſumptis, Renatus Lothoringiæ Dux audita Ludouici Regis morte, a quo tutor filiorum, Regniq́ue, teſtamento relictus eſſet, cum ea armatorum manu, quam in Italiam ſecum adduxerat, in tranſalpinam Galliam rediit, cuius diſceſſu haud multum Venetus permotus dicitur, quum ipſa gens ſuapte ingenio ſuperba, aſsiduas in ſocio exercitu ſeditiones gereret, quo accidit, ut ſæpius leuisſima ex cauſa inter Italos, & Barbaros milites inimico animo ſit cum cæde dimicatum. & in mari ſub uernum anni tempus Aragonia quadraginta triremium biremiumq́ue claſsis, ſub Federici Ferdinandi Regis filii ductu, e Neapoli profecta, Anchonæ portum inſedit: aduerſus eum continuò patres naualem apparatum ingentem ad retinendum maris Imperium ex urbe emiſſere: ſummæq́ue rei præficiunt Iac. Marcellum uirum, Senatoremq́ue maritimis ſtudiis clarum. ipſeque ſtatim in Dalmatiam profectus. Iadere ſubſedit, ut nautas remigesq́ue quotquot poſſit, in naues cogeret. proſcriptisq́ue impunitas promiſſa, ut turmis undique paratis, claſsis celerius inſtrueretur: omniaque diligenti ſtudio curabantur, ad hoſtem ex ea ſtatione deturbandum. Sed dum commeatus, atque alia, quibus ad rem gerendam opus erat, expediuntur, hoſtis, quia parum tutum cernebat tam propinquo loco eſſe, uento uelis repente datis, ex Ancona digreditur, triduoque poſt Veneta claſsis ad pugnandum parata affluit. peperit ea res apud ciues ingentem Marcello inuidiam, eiusque mora ſuſpecta, infamisque habita eſt, quaſi de induſtria tempus is timiditate animi protraxiſſet, ne cum hoſte dimicare cogeretur. & hæc uulgus. æquiores autem rerum æſtimatores Marcellum rectè feciſſe iudicabant, qui inermes naues, ſine milite, ſine remige hoſtibus temerè in prædã obiicere noluiſſet. at tum, quum claſſem optime inſtructam haberet, in hoſtem ſtatim directis proris impetum facere minime dubitaſſet; facile eſſe domi ſedendo, loquendoq; uincere, armisq;, non uerbis prælia committuntur. His rumoribus in urbe iactabatur Marcelli fama, ille uero ſui in Remp. ſtudii conſcius, uulgi uoces alto animo aſpernebatur. Et Aragonius ex Ancona digreſſus, ubi altum tenuit, ad leuam in Illyricum tranſiit, Lyſſamque inſulam ſubito cum claſſe adortus, eam ferro, & igni exciſam, deſolatamque penè reddidit. inde ſtatim in Cunzulam tranſmiſit, admotaque claſſe, oppidum bellicis operibus aggreditur. erat tum inſulæ præfectus Georgius Viarus homo conſtantis, intrepidiq; animi. is, ubi hoſtem adeſſe ſenſit, cunĉta ſtatim in oppido ad defenſionẽ parat, turres, mœnia, machinis, telis propugnatoribus firmat, circa portas prꝭſidia diſponit, munitiones tumultuario opere erigit, ipſe ferro cinctus, omnibus locis adeſt. at hoſtis rẽ armis gerens, oppidũ uariis modis expugnare conatur, nunc bellatorũ multitudine fretus, ſcalas pluribus locis vno tẽpore admouet; nunc crebris bombardarum ictibus muros quatit, alii eminus ſagittas in propugnatores emittunt, alii ſub mœnibus poſiti, ferro, dolabrisq́ue muros effringere tentant, omnia armorum ſtrepitu, fragore bellico Aragonius miles implet. cæterùm ea fuit Viari præfecti uirtus, ea oppidanorum fortitudo & conſtantia, ut non ſolùm hoſtilem impetum ſuſtinuerint, ſed aliquos etiam temerè mœnia ſcandere auſos cum ipſis ſcalis è ſummo præcipites egerint. artem etiam uiribus Viarus addens, ad perterrefaciendos hoſtes, rem nouam commentus dicitur, ut repentè ſublato ingenti è ſummis mœnibus clamore diuulgandum curauit, Marcellum cum claſſe aduentare, maritimeque a Veneto adeſſe auxilia. iubet itaque in uulgatæ rei argumentum toto

oppido

Zach. Barbarus.

Her. Barbaro.

No. hoſtiũ claſſem.

Iac. Marcellus.

Not. de Marcello.

Lyſſa.

Aragonia claſsis Cũzulam oppugnat.

Geor. Viari uirtus.

No. Viari artem.

oppido campanas pulſari, hilarem clamorem tolli, aliaque lętitiæ ſigna confingi. qua rei nouitate, inſtantisque periculi magnitudine perculſus hoſtis, quingentis & amplius circa mœnia bellatoribus in oppugnatione amiſſis, trepide in altū abiit.

Curzula liberata obſidione.

At Veneta claſſis, Aragonia abeunte, Corcyram uenit, ad Adriaticum tuendum ſinum, ubi multis leuibus commiſſis prælijs, citro, ultroque clades illatæ, nunquàm tamen de ſūma rerum dimicatum. & hæc mari. Terra uerò, cōſederat Hiſpanus cum inſtructis copijs ad Calcinatum, apparebatque inde ad Lunari oppugnationem tranſiturum; idcircò

M. Anto. Maurocenus.

M. Ant. Maurocenus Legatus Imperatoris iuſſu, cum ualida militum manu eò tutādi oppidi cauſa profectus eſt. aderat &

Iac. Meddius.

Iacobus Meddius uir patritius, militesque aliquot mercenarii. Nouo itaque Legati præſidio Lunatēſes muniti, nullam amplius hoſtium uim timere uidebantur, tum Alphonſus omiſſa Lunati oppugnatione. in Veronenſum agrum copias duxit, iratusque ob id Aragonio Gonzaga princeps, Mantuam abiit: nam Lunatum, & Piſcheriam ſociis armis oppugnare, ſuisque rebus adiungere uehementer optabat. patresque id ueriti, nauigia pleraque ad Peſcheriæ, & totius Benacenſis oræ præſidium quàm celerrime inſtruxerant, quibus

Pet. Duodus.

Petrus Duodus homo impiger præfuit. Circa Padum uerò Veneti haud ſatis proſpero Marte cum hoſte pugnarunt: nam quum Thomas Imulanus magni nominis ductor cum aliquot peditum centuriis in Stellatinæ arcis munitiones impetum feciſſet, ſociique nauales, Duce And. Zanchano, mixti militibus ſtrenue in hoſtes rem gererēt. iam parte arcis capta, Eſtenſes cedere uidebantur, ſed de induſtria deditione in longum protracta. Hercules hoc temporis ſpacio ex Ferraria ſuis laborantibus opem laturus, cum expeditiſſimo equitatu ſuperuenit, atque improuiſo Venetis circa arcem ſe oſtendens, tantū terrorem illis iniecit, ut ſtatim miles,

Veneta clades.

nautaque in fugam uerſus, hoſti ceſſerit; præcipitesque omnes ad flumen dati ſunt. Suſtinuit tamen Imulanus ab initio nonnihil hoſtium impetum, ſed ſemel inclinata acie fuga ſiſti amplius non potuit, multi itaque in aquas proiecti impetu fluminis periere, nonnulli imperitia natandi, hæſitantes circa

Imulani interitus.

ripas ferro oppreſſi, plures tamen capti, & in his Imulanus fuit; qui leui uulnere accepto, ſequenti nocte in hoſtili hoſpicio expirauit; uenenoque ſublatus fuiſſe creditur. ſunt, qui non uiolentia, fraudeve, ſed nimio mœrore animi uirum bellicoſum ſubitò extinctum aiunt, quum aduerſam prælii fortunam ęgerrime, impatiēterque uir celſi, elatique animi tuliſſet.

Io. Hemi obitus.

Ioannes quoque Hemus Legatus eodem ferme tempore dum ſuis ad Stellatam ex caſtris auxilio exire properaret, peruicaci equo in præceps effuſus, animam ſubitò efflauit: eius loco Iacobus Meddius, nec multò pòſt Frāciſcus Tronus Legati in caſtra uenere, amboque exiguo temporis interuallo cœli inclementia extincti ſunt. Dum hęc circa Padum gerūtur, in Gallia Ciſalpina interim Alphonſus, Carpineto occupato, Mincium amnem ſupra Vallegium tranſgreſſus eſt: motis inde ſignis Godium uenit, hinc per Mantuanos fines in Veronenſum agrum prædabundo agmine præceſſit. Villafrancaque oppido media planicie potitur, terroreque maximo cunctis illius regionis populis iniecto, uſque ad Veronæ mœnia ferociter adequitauit. miſſæ & aliquot cohortes, quæ munitiora loca occuparent; hæ modico negocio Scallanam inſulam, Vigaſium, & Sāguinetum ui, armorumque minis ad deditionem compulerunt. uentum inde ab hoſte uſque ad Atheſis ripas, quo conſpecto, ultra flumen trepidatum eſt, peruaſitque ille terror Vincentiam, & Patauium uſque, ac fuga

Agreſtiū fuga.

paganorum ex agris in uicinas urbes, in municipia, Caſtellaque paſſim factas; delectusque tumultuarii habiti, quibus hoſtium audacia reprimi aliquo modo poſſet. & Calaber ſub id tempus ad Villamfrancam cum omnibus copiis conſederat, aduerſus quem Seuerinas præter Benaci ripam ducens, circa Vallegium apparuit. è Lunatoque M. Ant. Maurocenus Legatus digreſſus, in Seuerinatis caſtra uenit. Alphonſus motis repentè ſignis in Brixienſes abiit, improuiſaque hac profectione, omnes nouū aliquid moliri uirum indomitum ſuſpicati ſunt, id quod breui palam factum in lucē uenit. nam ad munitiſſimum oppidum Aſulam Calaber citato agmine profectus, rem fœliciter geſſit, uixque in conſpectu loci fuit, quum ſine aliquo maiori conatu inſigne

Aſula ab hoſte occupatur.

oppidum deditione ſubita occupat. Aſula ab hoſte capta, defixit omnium animos incredibili ſtupore inexpectatæ huius rei nuncius, quum munitione, ſitu, fideque ciuiū,

oppidum

oppidum inexpugnabile haberetur. Seuerinas interim ad Calcinatiū conſedens, omnia loca, quæ in Brixienſi, Veronenſique amiſſa fuerant, Calabro abeunte, armis recepit: auctoque nouis militum ſupplementis Veneto exercitu, ad hoſtem ire ſtatuerat. Alphonſus autem re ad Aſulam fœliciter geſta, traditaque Mantuano Principi ex fœdere oppido, ad Ferrariam obſidione leuandam continuò mouit. afferebantur enim

Not. Herculis querelas.

ab Hercule Sororio litteræ querelarum plenæ, nihil is aiebat, aduentum ſuum in Galliam profuiſſe, quum ad alios, non ad ſe, res ab eo præclaræ bello in Venetos geſtę ſpectarent, Ferrariam arctius, grauiusque quàm antea obſidione premi, Veneta ſigna terra, aquiſque in conſpectu urbis eſſe, foſſa, uallo, munitionibus mœnia circumquaque cincta, Padi ripas armis, ac præſidiis Venetis teneri, omnia circa Ferrariam aduerſa, formidoloſa, hoſtilia; orare ſe proinde illum, ac pro mutua beneuolentia, & affinitate, uehementer obteſtari, ne ſe, ne Leonoram dilectiſſimam cōiugem, ſororem ſuam, ne paruos nepotes, pulcherrimi principatus hæredes, in tanto diſcrimine deſereret, eniteretur que totis uiribus, donec fauor amicorum Principum adeſſet, fortunaque ſecunda aſpiraret, circa Padum Venetas opes aliquo modo frangere, ut urbs grauiſſima obſidione ſaltem ante hyemem, quæ iam inſtabat, hoſtiumque armis leuaretur. His itaque adhortationibus ferociſſimi Ducis animo permoto, noua expeditio paratur. Alphonſusque ipſe coacto ingenti æquitum, peditumque agmine ſub noctem Aſula profectus, terreſtri itinere Hoſtiliā feſtino curſu ire pergit. Rubertus per exploratores cognita hoſtis celeri profectione, ratus, quod erat, ad res Venetas circa Ferrariam infeſtandas illum properare, ipſe quoque ſub aurora cum duabus expeditiſſimis co-

Not. Ruberti ſollertiam.

hortibus ex Brixienſi profectus, Veronam uenit, ibique præſidum Fr. Diedi, & Fran. Marcelli diligentia nauigiis pluribus celeriter comparatis, militibusque in ea impoſitis, confeſtim in hoſtem ſecundo A theſi itum: reliquæ Venetorum copiæ, ſub Fracaſſo filio, & M. Ant. Mauroceno Legato, Seuerinatem Imperatorem ſequutæ ſunt, ut ſi qua occaſio pugnandi neceſſitatem obtuliſſet, pares, iuſtasque uires ad confligendū Venetus haberet. Secundo itaque fluuio Seuerinas uectus, eodem pene tempore, quo & Calaber affuit, circa Caſtrumnouum iuxta Ferrariam ſe ſuis improuiſus oſtenderit, tum Seuerinatei milites ingentem clamorem ſuſtulere, ad quem ſubitò perculſus hoſtis, miratusque, quid nam uellent ſibi uoces illæ ex proximo redditæ, quis Dux, q̄

Not. Alphōſi uerba.

copiæ, quæ noua præſidia ea eſſent: mox ubi Alphonſus cognouit, Seuerinatem cum copiis aduenisse, conuerſus ad ſuos, Alas ergo habuit hic ſenes capularis, inquit, non pedes, qui nos longinquiori loco poſitus, curſu, & celeritate uicit: iratusque infecta re retro Hoſtiliam cōceſſit. Multaque poſtea ſub id tēpus in Cœnomanis geſta reperio, nunquam tamen totis uiribus dimicatum, ſed diu in capiendis Aragonius Galliæ oppidis, Venetus in his recipiendis, laboratum. ac militari imperio in tanto belli turbine rectè adminiſtrato, media bruma, copiis in hiberna dimiſſis, Seuerinas ad patres

Seuerinatis ad urbem acceſſus.

cum aliquot illuſtribus uiris Venetias acceſſit, cui Mocenicus Princeps, Senatusque ferè omnis Bucentauro obuiam officii gratia prodiere, exceptusque eſt is ſummo honore, ac maximis, ampliſſimiſque muneribus publicè donatus: nam in Patauino agro Cittadellam oppidum inſigne habuit, in Veronenſi Montorium ſuburbanum amœniſſimum, in urbe, ſpecioſas, magnificaſque ædes; pari quoque munificētia patres Rubrios Regulos proſequuti ſunt, magnumque auri pondus ex ærario eis penſum, poſtea aliquot expeditionibus hinc inde ſine memorabili euentu factis, pax tentata eſt,

Fed. Cornelius. Zach. Barbarus.

ad quam pertractandam Federicum Cornelium, & Zach. Barbarum Oratores, ambos uiros eloquentia & authoritate inſignes, Cæſenam uſque patres miſere. ſed re diu p̄ Legatorum altercationem iactata, pacis actio antiquatur. Veneti interim de belli euētu ſolliciti, ac Sixto Pontifici non parum irati, quòd eius conſilio & ſuaſu, bello difficili & periculoſo eſſent impliciti, eoque iam penè fœliciter, & ex ſententia confecto, ſubitò ille defectione Venetam rem in ſummum adduxiſſet diſcrimen, ad omnes ferè principes Chriſtianos Oratores mittere ſtatuerunt, qui de Pontificis iniuria quærti, aduerſus illum auxilia, opemque publico nomine implorarent, ac conciliū cogerent, ubi fas eſſet, Sixti iniuſtitiam accuſare. miſſi itaq; ſunt in Germaniam ad Federicum

Seb.Baduarius, Ant.Lauredanus. Paulus Piſo. Nico. Foſcarenus.

Imperatorem Seb.Baduarius, Ant.Lauredanus ad Galliæ Regem, ad Auſtriæ Ducẽ Paulus Piſo, in Belgas ad Maximilianum Cæſaris filium, Nic.Foſcarenus. patres uerò quamquàm per Legatos hæc agebant, nihilominus ad retinendam publicam dignitatem, bellum ſummo ſtudio repararunt: nam ueris initio hoſte ex hybernis digreſſo, nouis ſupplementis tam terreſtres, quàm maritimas copias augere placuit, ex Peloponeſſo itaque Epyro, & Dalmatia, ad mille & ducenti expediti equites, naualesque ſocii in Italiam amplo ſtipendio accerſiti ſunt, ii cum reliquis copiis Seuerinatis Imperatoris iuſſu circa Variolam, & Scorcianum illis præſto affuere, coactoque iuſto, ualidoque exercitu Venetus in hoſtem uadit, & in Pado naualis turma unius triremis, cui

Chriſto. Duodus.

Chriſtophorus Duodus præerat, quum tumultuari ſubita defectione cœpiſſet, ad hoſtem, qui iuxta Philocinam, in ulteriori fluminis ripa conſederat, transfugit, uixque Duodus præfectus euaſit. at remiges ubi primùm in hoſtium caſtra uenere, confeſtim ab eis ſpoliati, turpiterque eiecti ſunt, patres referẽtibus triumuiris Aduocatoribus, ut documento aliis in poſterum eſſent, omnes publicè proſcripſerunt, ut ſi quando intra Imperii fines deprehenſi, in poteſtatem ueniſſent, pro deſertoribus, infidiſque ſociis more maiorum capitali ſupplicio afficerentur, ac ſub hos fermè dies Porcus centurio, ſupraque dici poteſt, Veneto nomini infenſus, capitur, perductusque ad Ioãnis

Not. de canali.

Canalis conſpectum, qui Mellariæ præſidebat, percunctatus ab eo fuiſſe dicitur, nunquid Mellariæ portis clauum affigere uellet, quemadmodum iureiurando, in contumeliam facere paulò antè comminatus fuerat, eoque tacente, fabrile ſcalprum, malleum, clauum, inſtrumentaque alia Canalis iuſſit illi afferri. tum Venetus, Perfice, inquit, homo uaniſſime, quod te facturum, dum liber eras, tam inſolenter iactabas, & quod uictor non potuiſti, uictus, ne periurus ſis, facito: quod, ut ille peregit, miſſus eſt poſtea Venetias ad ſupplicium, & hæc terreſtri expeditione circa Padum, in mari autem

Marcell' Gallipolim aggreditur.

Marcellus claſſis Imperator Corcyra ſub ueris exitum profectus, Gallipolim urbem in Salentinis oppugnatum ire ſtatuit, habebat Venetus claſſem quinquaginta, & ſex nauium, in quibus erant triremes ſexdecim, optime inſtructæ, & maiores quinq;, cæteræ biremes, aliaque minora nauigia. cum his Marcellus in Calabriam delatus, Gallipolim armis terra, marique aggreditur; non prius tamen uim inferre ſtatuit, q̃ petito colloquio oppidanos hortaretur, ad deditionem uoluntariam faciendam. ſed quum illi ſuperbo reſponſo reddito, ad arma reſpicerent, tum claſſe Marcellus littorum appulſa, ac militibus, nautiſque in terram expoſitis, iubet ociùs arma expediri, urbsque ſtatim acerrime oppugnatur, primique ante alios Dominicus Delphinus,

Not. præfectos.

Aloyſius Garzonius, Conſtantius Lauredanus, Thomas Duodus, triremium præfecti, ſignis illatis, urbem fatigant, & iam terra, marique Venetus intrepide ſcalas muro applicuerat, cædebanturque, ac depellebantur ex propugnaculis hoſtes, mœniaque his deturbatis, pene capta erant; reſiſtebant tamen adhuc oppidani. at Marcellus ex prætoria naui unumquenque appellans, hortatur, ut rem ſtrenue in hoſtem gerant, increpat etiam, ſi quem intuetur, turpi formidine pugnam declinare, illum ſignis, & uoce adiuuat, alium præmio accendit; denique medio pugnæ ardore dum optimi imperatoris munere defungi ſtudet, ita fato rapiente, tormento ſtatim hoſtili pectore

Not. Marcelli caſũ.

medio, quod inſigni lorica armatum erat, ictus, exanimis procubuit, ſtabat haud procul Nicolaus Sagudinus ſecretarius, cadentemque uidit imperatorem, & ne quis eum iacentem inſpiceret, ſubitò pallio operuit, inde cadauere è conſpectu pugnantium amo-

Not. Sagudini hortationem.

to, prælium ipſe accendit, hortaturque ſuos, ut pergant uincere, accepiſſe imperatorem leue uulnus, ac tantiſper abfuturum, donec plaga a medico obligaretur, ipſi uerò uirtutem ſuam interim oſtenderent, pergerentque urbem ſine Imperatore expugnare, nobiliſſimaque uictoria potiri. hæc ille. totis itaque uiribus Venetus incumbens,

Dom Maripetrus.

undique hoſtem fatigat, ac in primis Dominicus Maripetrus onerariarum præfectus ſuos impellit; illi autem per tela, per ſaxa, in hoſtem eunt, demumque tranſcenſis

Gallipolis capitur.

mœnibus, portiſque refractis, oppidum a Veneto expugnatur, ac prima irruptione cæſi ex Gallipolitanis complures, direptæ domus, ferro, flammaque ſæuitum. Vis poſtremò a uictore repreſſa eſt, edictumque, ut cædi ciuium, fœminarum pudici-

pudicitiæ, templisque parceretur. Gallipoli capta, Neritum, Rechaliſca, & alia pleraque uicina oppida continuò deditionem fecere. totaque prouincia Veneta arma plurimum expauit. Oppidum interim Maripetrus, qui Marcelli locò ſummæ rei præerat, egregio opere communiuit, ut ibi ſtabilem belli ſedem aduerſus Ferdinandi motus haberet. uerùm enim uerò ubi is Veneta arma in mediterranea Regni penetrare uidit, tum impendentes Martis caſus, proximumque hoſtem præpotentem reformidans, ad pacem Ferdinandi animus, quam antea prorſus abnuere uidebatur, inclinauit. Nuncius autem Gallipolitanæ uictoriæ Venetias allatus, ob Marcelli interitum haud ſatis lætus ciuitati aduenit: caſus enim fortiſſimi uiri æquè omnibus grauis, acerbusque fuit. his mari geſtis, Alphonſus, qui in Cremonenſi copias habebat, motis ſtatim inde caſtris, ad Quintianum conſedit, & Veneti Olio ſuperato, Calcem, & nonnulla alia oppida Aragoniis antea armis occupata, ſubito in curſu recepere. Calaber quoque parum in ocio fuit, qui motis repente ſignis nouos Vrceos bellico apparatu petiit. Seuerinasque celeriter inſequutus, in hoſtium conſpectu improuiſus aderat, nouiſſimè è Turbulis profectus, ad Zenonem iuxta Brixiam caſtra metatus eſt. hic de pace inter Duces ex propinquo cœptam agi, quæ nunciis citro, ultroque miſſis, longiorem aliquantò moram habuit. Et ſub id tempus, dum de pace agebatur, aut certo non multò ante Venetus circa Ferrariam parum proſpere pugnauit: ſubito etenim incurſu plures peditum centuriæ in Eſtenſes circa urbem ex Veneta ſtatione procurrerant, omniaque iis pauore complentibus, Ferrariæ, uicinisque oppidis uehementer trepidatum eſt: quo motu Hercules Dux, coacta ſtatim fortiſſimorum militum manu, euocatisque aliis copiis, tacito agmine in Venetum uadit, inopinantemque, ac imparatum aggreditur. is uero turbatis ordinibus, in fugam ſubitò actus, per foſſas, & aggeres præceps datus eſt. multi autem cecidere, plures uulnerati, captique ſupra quadringenti. & hæc ultima hoc ſociali bello pugna fuit, quod biennii, ſeu paulò plus ſpacium exceſſit. pax autem ſtatim ſequuta huiuſcemodi habuit conditiones, ut Veneti Aſulam, Romanium, & quicquid hoſtium armis occupatum in Gallia amiſiſſent, reciperent, priſtinisque cunctis immunitatibus gauderent, tam in Ferraria, quàm eius finibus, adhæc, Rodigium, Lendenariam, Abbatiam, Adriam, oppida iuſto bello parta retinerent: ipſi uerò Mellaria, & Ficarolo Herculi reſtitutis, præſidia, & munitiones, circa Padum erectas demolirentur. Gallipolim quoque, & quæ in Calabria, maritimis occupaſſent armis, Ferdinando reſtituerent. & hunc exitum habuit Ferrarienſe bellum, quod Veneti ſoli aduerſus omnes Italiæ principes, terra, mari, fluminibus geſſere. gratiſſimaque uniuerſæ ciuitati, ſociiſque populis pax fuit, quæ ex Reipubl. dignitate ſancita, Venetum nomē inſigni laude honeſtauit: proinde gratiæ primùm circa Diuorum aras piè actæ, ſupplicationesque triduo inſtitutæ, totaque urbe nocturni ignes, & alia lætitiæ ſigna publice per plures dies ædita ſunt. indicta ad id ex Senatus decreto haſtarum certamina, & aurigationes, ad quas ingens mortalium ex tota Italia concurſus factus eſt: mediaque area equeſtre præludium repręſentatum, certaruntque tres Seuerinatis filii, Rubrii Parmenſes, Leo Ludouici Sforciæ filius, & Iulii Camertium Principis ex fratre nepos, iuuenis rarę indolis, & magnę expectationis. ſumptuoſiſſimi autem illorum fuere apparatus, ac admirabilis pompa eorum qui in certamen uenerunt: ſinguli enim uicenos quinos, deſultorios equos auro, purpura, uerſicolorique ex ſerico opertorio inſtratos habuere, armisque ipſi fulgentibus, militarique deſuper ſagulo conſpecti, in certamen prodierunt: ac centum hominum millia tanto ſpectaculo interfuiſſe dicuntur, cui Mocenicus Princeps cum primoribus patrum excelſiore ſuggeſtu præſedit, unde & Eſtenſis Hercules acerrimus nuper hoſtis cum Seuerinate, & aliis uiris illuſtribus ſpectator affuit: aureus, & argenteus pannus certantibus propoſitus, ex æquoque omnibus præmia tradita. Sed Mariotus adoleſcens, patria Parmenſis, quia ſuprà ætatem ſtrenue haſta decertaret, incredibili populi fauore phalerati equi precium accepit, nullusque omnino in tanto diuerſarum gentium concurſu tumultus ortus eſt: unius ſolius mi-

Ferdinandus ad pacem inclinat.

Actio de pace.

Pugna Veneto aduerſa.

Pax, & eius conditiones.

Not. Ludorum celebritatē.

Not. concertatores

Mariotus Parmēſis

litis temeraria uox ludos penè turbauit, qui Ruberti nomen iterato acclamans, nefariæ cuiuſdam ſeditionis motum excire uidebatur: ſed eo ſtatim Decemuirum iuſſu laqueo ad geminas columnas publice necato, tumultus omnis ſedatus eſt. Creauitque Sixtus Pontifex complures Cardinales, in quorum numero fuit, Petrus Foſcarus patritius inſignis. Confecto autem bello, Ducariæ ſedis pars, quæ antea conflagrarat, ne informis, dirutaque iaceret, cœpta eſt inſtaurari: & paulò pòſt peſtilentia ciuitatem inuaſit, eaque in autumnum paulatim aucta ingentem & fœdam in populoſiſſima urbe fecit uaſtitatem. Alia quoque atrocior procul domo clades acceſſit: exierunt enim ad Anglica negocia de more quattuor triremes, earumque penes Bartholomęum Miniũ erat imperium, ſed quum hæ ingenti emenſo maris ſpacio Ibericum proſpera aura nauigarent Oceanum, ecce Columbus iunior, Pyrata ea tempeſtate inſignis, cum ſeptem longis nauibus ſub noctem circa promontorium, quod Vincentii caput hodie dicitur, ex inſidiis erumpens, Veneto fit obuius. iter autem ſuum proſpero uentorum flatu Venetum proſequentem Pyrata tota nocte uelis, remiſque innixus, inſectatus eſt. poſt ubi dies illuxit, quum iam triremiũ puppibus proxime hæreret, continuo ui, armiſque omnia miſcens, Venetum aggreditur. exceptis ferociter irruentem hoſtem & nauium, & bellatorum numero potiorem, pluribuſque horis atrociſſime utrinque pugnatum eſt: & Venetus pyratis nullo modo cedens, ab his impie obtruncatur, ad trecentique ferme ex turmis eo certamine occubuere, in quibus fuit Laurentius Michael, & Ioannes Delphinus ambo Patritii, quorum uirtus ea dimicatione non obſcura fuit. demum deditione facta triremes a Pyratis capiuntur, nautæque, qui ſuperfuere, in Lyſbonæ, Luſitaniæque littora expoſiti ſunt: factáque eſt omnibus ab Olyſponenſi Rege abeundi poteſtas, uiaticoque, & indumento unuſquiſque donatus, regis ſenſit munificentiam. Ferunt autem uetuſtum hoſpicium Veneto nomini cum Luſitaniæ Regibus antiquitus intercedere: idque ex eo euenerit, quòd olim, quum ex ea gente Rex Venetias ignoto habitu uiſendæ urbis gratia cũ paucis acceſſiſſet, multis hoſpitalitatis, honorumque officiis tanquam priuatę fortunę homo a patribus exceltus, grati animi memoriam in poſteros uſque tranſmiſit, regaliſque illa ſtirps Venetã ſemper ſancte, pieque coluit amicitiam. Hac a Pyratis clade illata, ciuitas non parum commota, præſentem iniuriam grauiſſime tulit. conſtabat autem ad ducenta & amplius, aureorum nummum millia ex raptis precioſiſſimis mercibus amiſſa: ſed ultionem in aliud tempus diferendam patres cenſuerunt. miſere interim ad Regem in Luſitaniam Hier. Donatum Oratorem, uirum Philoſophiæ ſtudiis clariſsimum, qui publico nomine ei gratias ageret, quòd pio ſtudio amicus Rex Venetarum triremium turmas Columbi prædonis iniuria littoribus Olyſponenſibus diſiectas, erranteſque, hoſpicio, & uiatico iuuiſſet. & in Italia Hieronymus Riarius, Sixti Pontificis nepos, & Imolæ, Forliuiique Princeps in cubiculo a ciuibus conſpiratione occulte inita, occiſus, in forum de palatii feneſtra proiicitur. Galeotus quoque Manfredus, Fauentiæ Dominus, uxoris inſidiis periit. ac ſub id tẽpus in Foroiulienſi agro, repentino Pannonici equitatus incurſu non nihil tumultuatum eſt: ſed ille in Italiam a Matthia Rege aduerſus Federicum Imperatorem miſſus aduenerat, pacatiſsimeque per Venetorum fines progreſſus, quum nulla bene gerendæ rei occaſio ſibi oblata eſſet, Italia exceſsit. Miſereque patres ad Federicum Imperatorem Antonium Bolduum, & ad Matthiam Pannoniæ Regem, Dominicum Bollanum, Oratores, ad emoliendas eorum iras, ne inter ſe bello contenderent. Legatorum itaque perſuaſionibus, pace compoſita, Reges ab armis retracti ſunt. & Rubertus Seuerinas magnis pollicitationibus ab Innocentio Octauo Romano Pontifice per Legatos accerſitus, Senatu nõ permittente, neque omnino recuſante, in Flaminiam primùm, inde Romam cum duobus filiis, Fracaſſo, & Galeatio, ad eius ſtipendia tranſiit. urgebatur enim Pontifex Ferdinandi armis: Vrſinorum quoque opes Apoſtolicæ Sedi infeſtæ erant, multáque hinc inde ſequuta ſunt armorum geſta: ea autem ſigillatim ennarare prætermittam, ut pote ad rem Venetam parum ſpectantia. Mocenico autem interim anno Ducatus ſui ſeptimo uita functo, & in Gemellorum templo inſigni tumulo condito, ubi Hier. Mollinus eleganti eum oratione laudauit. Marcus Barbadicus omnibus fermè

Pet. Foſcarus Cardinalis.

Barth. Minius.

Clades Venetorũ a Pyratis illata.

No. Venetorum hoſpitalitatem.

Hier. Donatus.

No. Principũ cædẽ

No. Legationem.

M. Barbadicus. D. 73. ann. D. 1474.

ſuffragiis in demortui locum Princeps a pátribus creatur. & uacãte ob Mocenici Principis mortem Ducatu, a quinque uiris correctoribus, Zach. Barbaro, equite & procuratore, Fed. Cornelio, M. Barbadico, Pet. Priolo, & Th. Triuiſano, lata lex eſt, quam ſupremum partritiorum concilium iusſit, ut poſt hac a Seniore conſiliario Ducalis infula gemmis ornata noui Principis capiti ad ſuperiorem palatii arcum publice imponeretur, hac uerborum præfatione: Accipe coronam Ducatus Venetiarum quum antea priuatorum manibus Principes ueteri inſtituto intra domeſticos Ducarii parietes eam aſſumere conſueuiſſent: & in Barbadico Principe, id primò ſeruatum eſt. magnoque is Remp. charitatis ſtudio amplexus, ad Ducarii inſtaurationem animum adiecit. Molesque eius cura, & diligentia ad conſummationem ſuperbo opere perducta eſt. Placuit ad hæc, ciuitate peſtilentia grauiter laborante, triumuiros creari, quibus negocium datum, ut quantum humanæ uires poſſent, ſaluti omnium in leuanda lue publicè conſulerent. & hæc domi, foris autem in Cyprum aliquot peditum centuriæ ab urbe ad Regni præſidium ſunt miſſæ. nam Syriæ inſula propinqua Sultani arma reformidabat. & per id tempus Maximilianus, Federici Imperatoris filius, Rex Romanorum a Germanis proceribus eſt declaratus: huiuſcemodi autem filii electionem Federicus pater Venetis ueluti amicisſimo populo ſtatim per litteras ſignificauit: ea propter ad utrunque nobilisſima decreta legatio, misſique Dominicus Triuiſanus, & Hermolaus Barbarus, Zachariæ procuratoris filius, ex Patauina Achademia in urbem paulò antè reuerſus, uir Græcis, Latinisque litteris eruditisſymus, qui publico nomine illis non ſolum regalem, Cęſaream que appellationem gratularentur, ſed pacem, fęduſque priſtinum confirmarent. Ambo ob egregias animi dotes equeſtri ſunt dignitate donati. Hermolausque is tantum Graio ualuit eloquio, ut decem, & octo natus annos, Græcè ſcribere exorſus, in Latinum conuertit ſermonem, Rethoricam Ariſtotelis, Dialecticemque uniuerſam, Dioſcoridem quoque poſtea, & Plutarchum de Iſide, & Oſyride, ac Themiſtii Peripatetici Paraphraſim Phyſicem interpretatus eſt. edidit & Plinianas caſtigationes, cum quæſtionibus Geometricis, & compendiis Galeni; item de conſcribendis hiſtoriæ præceptis, de cælibatu, de re uxoria, de Aſtronomia, & contra barbaros philoſophos elegantiſſima opuſcula, libroſque perſcripſit. Ingenioque is uir plane fuit perſpicaciſſimo, ac prope diuino. Romæ poſtea dum apud Innocentium Pontificem pro Rep. oratorem ageret, mœrore animi confectus obiit. nam Aquileienſe ſacerdotiũ repudiare a Senatu coactus eſt, quod illi Pontifex contulerat. lege enim cautum erat, ne quis Legatione publico nomine perfungens, munera, beneficiaque ulla a Pontifice acciperet. itaque Hermolaus publicæ offenſæ dolore tactus, intra paucos dies extinctus interiit, qui immortalitate ob ingenii præſtantiam dignus erat. Epitaphiumque hoc eius ſepulchrum Romæ habet.

No. nouũ decretum de Principe.

Triũuiri ſanitatis.

Dom. Triuiſanus, Her. Barbarus.

No. Hermolai eruditionem & compoſitiones.

Her. Barbari interitus.

Barbarus Hermoleos Latio qui depulit omnem
Barbariem, hic ſitus eſt: utraque lingua gemit:
Vrbs venetum uitam, mortem dedit inclyta Roma,
Non poterat naſci, nobiliusque mori.

Poſt hæc quum Barbadicus per nouem menſes Reip. præfuiſſet, è uita ſummo ciuitatis mœtore deceſſit, incredibileque deſiderium ſui reliquit ob ſolertem, rectamque eius adminiſtrationem: nam ubertate, pace, opulentia, rerumque omnium copia eo tempore ciuitas floruit, ac publicis, priuatisque incrementis adeò res Veneta tum potens, claraque erat, ut ab urbe condita, nullum conſtet beatiorem ciuitatis ſtatum fuiſſe. Acceſſit ad hanc temporum fœlicitatem, quòd Veneti tunc terra, marique pacatè agebant. uenitque illis ipſis diebus ad patres ex Aſia Bayſethi Legatus, cum amplis muneribus, nec cubantem Principem adire potuit; qui quum iam exigua ſpe animam traheret, conuocatis in cubiculum ad ſe quattuor filiis, multa ad eos grauisſimo ſermone allocutus fuiſſe dicitur, ut memores ii perpetuò eſſe deberent beneficii a patria accepti, quæ ex priuato ordine ad ſummum dignitatis faſtigium genitorem euexiſſet: ideoque impenſius niti oporteret, ut quam ipſe morte præuentus non potuerit, filii grato animo debitam patriæ pietatem exoluerent. hæc, atque alia fatus, paulò pòſt

No. fœlicem ciuitatis ſtatum.

expirauit,& in Charitatis æde aureo tumulo locatur, eiusque manibus filii poſt funebram orationem a Paulo Piſone facundiſſime habitam,mira pietate parentarunt. ciuitas uehementer illius interitu turbata eſt,incredibili omnes affectu lamentari, admirari prudentiam,prædicare iuſtitiam,manſuetudinem,candorem animi,cęteraque præclara uitæ ornamenta.quo factum eſt,ut ſummo omnium conſenſu, repulſis, Ber. Iuſtiniano,Th. Triuiſano,& Pet. Priolo,uiris ampliſsimis, Auguſtinus Barbadicus eius frater Princeps elegeretur: ita enim perſuaſum ferè omnibus erat, neminem aliū creari poſſe,qui defuncto ſimilior futurus eſſet. accedebat quoque in Auguſtino præſentiæ dignitas,ac maieſtas quædam,decorque eximius canæ barbæ, & ad pectus uſque propexæ,cuius conſpectus uenerabilis reddebatur;ſpecieſque eius, ut de Priamo dictum fuit,digna erat Imperio,uigebatque tum Italia in tranquillo, pacatoque ſtatu.miſsique ſunt ad Innocentium Pontificem Seb.Baduarius, & Bar.Bembus,Oratores,ad renouandum publico nomine cum eo fœdus. Innocentius poſtea Pontifex in Cardinalium collegium cooptauit Mapheum Gerardum Patriarcham Venetiarum, uirum ſummæ in Deum pietatis Aegyptioque Rege nouum quid mari Syrio moliente, Veneti claſſem inſtruxere, cuius Franciſco Priolo demandatum eſt Imperium : is in Cyprum delatus, bellicos Sultani motus ita compreſsit, ut omnia breui pacata redderentur, Venetiaſque poſtea claſſem Priolus incolumem reduxit.

Pau. Piſo.

Aug. Barbadicus D.74. an. D.1486.

Legati.

Maph. Gerardus Cardinalis.

PETRI

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber decimus.

NOuus ex Germania motus Italiam,quum aliquandiu ea prouincia ab armis reſpiraſſet,bello repentè inuoluit; idq; ob ambiguos circa Benacum fines,& Argenti fodinas, inter Sigiſmundum Auſtriæ Ducē, & Venetos conflatum ita exarſit,ut crudeliſſime ferro,flammaq; diu eo bello ſit ſæuitum. Arcuenſium autem Regulorum impulſu, qui in Sigiſmundi fide erant,arma ſunt ſtatim Venetis illata,qui ad uim hoſtium propulſandam erecti, copias contrahunt, fineſque tueri mandāt aduerſus Barbarorum conatus:nam illi nullo prius indicto bello, per Tridentinum agrum rapido agmine effuſi,Roboretum oppidum hoſtiliter inuadunt, magnaque ui adhibita, ad deditionem faciendam Venetum compellere tentant: ipſe uerò intrepide hoſtem ſuſtinet. erat enim ibi præfectus Nicolaus Priolus, cum Franciſc. Craſſo centurione uiro fortiſſimo, qui rem impigre in Germanos gerentes, oppidum aliquandiu ſtrenue tutati ſunt; auctis poſtea uiribus, quum Roethi, Vindelici, Norici, Suithenſes, magna manu in hoſtium caſtra adueniſſent, oppidum præter arcem amittitur, circonſedentibuſque Germanis Venetæ copiæ ſub Ruberti Seuerinatis imperio eò celeriter mouere, uerùm priuſquàm in prouinciam acceſſerunt, arx Romboreti quoque in hoſtium poteſtatem uenit, miſſique Priolus, & Craſſus in Germania captiui. Iulius interim Camertium Princeps, Senatus, litteris ex Vmbria accerſitus, copiarum Imperium recepit, parique iure cum Seuerinate, exercitum Venetum regebat, placuitque his concordi animo ponte Atheſim iungere, ut citra, ultraque aduerſus Germanorum inſultus ſuis præſto ſubſidio eſſent. dimicatumque aliquoties inter partes uaria fortuna, ſed leui, tumultuarioque congreſſu. una ſingularis pugna ſatis celebris,& memoranda fuit, duorum ex utroque exercitu uirorum fortium, qui ex prouocatione in Pratalinis campis circa Atheſim,permittentibus Imperatoribus, in ſingulare certamen prodiere; ex Italis Antonius Maria Seuerinatis filius,ex Germanis, Georgius Gombergius,ambo militari gloria, & ætate Florentes,concertatores fuere. equeſtris primùm inter eos pugna commiſſa, qua haſtis ex aduerſo infeſtis,acerrime utrique congreſſi ſunt.mox ex equis deſilientes,pedeſtre prælium capeſſunt,gladioq; aliquandiu uſi, parem uirtutem facilè oſtenderunt.poſtremò, abiectis gladiis,ſe ſe conſertis manibus complectuntur, amboque poſt uarios conatus,ac pedum,membrorumque laborioſam concertationem, in latus concidunt:hìc Germanus aliquanto humi depreſſior,pugione, quo ſe in hunc uſum accinxerat, bis infra inguina Seuerinatem improuiſo ſauciat; confeciſſetque haud dubie inermem in ea corporis parte repetitis ictibus, niſi ferox alioqui iuuenis ſe uictum dolens, frendenſque uoce declaraſſet. attolentes itaque ſe ambo è certamine diſcedunt. Seuerinas ad uictoris libitum in caſtra hoſtium equo ſedens perducitur, ac mox in libertatem reſtitutus, ad ſuos rediit. Nec poſt multos hos dies ad Rapacionem parum proſpere a Venetis in hoſtes pugnatum eſt: nam ſubitario propè commiſſo prælio Germani in Seuerinateos milites irruentes, eorum plurimos interfecere, uixque Dux ipſe Seuerinas euaſit, cecidiſſetque procul dubie hoſtili ferro,niſi

Bellum inter Sigiſmundum, & Venetos.

Roboretum.

Nic. Priolus.

Iulius.

Not duellum.

Seuerinas uict.

ro, niſi Antonius Maria filius, & Venantius, Camertium Princeps, iuuenes impigri, ferocius pugnam ciendo, omnem in ſe Germanarum cohortium impetum auertiſſent: qui, dum Ducem ſeruare ſtudent, eo liberato, ipſi capiuntur. biſque fortunæ temeritate paucis diebus Seuerinas filius ab hoſte intercipitur. & per idem tempus Veneti in Sugana Valle ad Griuium cum hoſte congreſſi, proſperè pugnarunt, duplici Barbarorum præſidio circa uallis fauces capto, flammiſque abſumpto. Contrà, Germanus ad Celacium duas peditum centurias ex Venetis per inſidias oppreſſit. Sed, ut eſt fortuna in rebus bellicis uaria, & inconſtans, non multò pòſt noua clades Germano in eius finibus repenſa eſt; cecidereque ex hoſtibus complures, tectaque direpta, & incenſa, ad locum, qui Burgus uocatur.

Seuerinas bis ab hoſte captus.

Gaudentius hoſti Dux.

His geſtis Gaudentius, Amaſiæ comes, qui in caſtris hoſtium copiarum Imperium habebat, deficiente commeatu, militeque in dies ſtipendii inopia abeunte, ne aliquam maiorem cladem adiret, Roboreti arce incenſa, cum exercitu nocte tacito agmine in Germaniam conceſſit, & Veneti continuo oppidum recepere, immiſſæque inde in Theleſinos Alpium accolas aliquot cohortes, ferro, & igni omnia fœdarunt. Seuerinas autem, quum hoſtis receſſiſſet, ne ea temporum opportunitate abuteretur, cum Legatis, Luca Piſone, & Hier. Marcello cœpit occulte agere de bello in Tridentinum agrum transferendo: inuitoque, ac diſſentiēte Piſone, Legato, uiro prudenti, hæc ſuſcepta eſt expeditio, qui multis diſſeruit rationibus, hoſtes minimè in ſuis finibus tentandos eſſe, futuramque cladem quaſi uates prædixit.

Not. Marcelli ſententiam.

Contrà, Marcellus uir ferox, Piſonis collegæ conſilia ueluti timida aſpernabatur, ac ex dignitate Reip. eſſe aſſerebat, Veneta arma in hoſtilem agrum inferre, fœliceſque ſucceſſus gloriabundo ore iactans, in Germaniam florentes Reip. copias traducere Imperatorem cohortatus eſt. Placuit autem primùm, ne quid a tergo hoſtile relinqueretur, Ibanium, & Nomum expugnare.

Ibanium, & Nomū oppida capta.

Admotis itaque bellicis machinis, deditione facta, oppidis Venetus potitur, nec multis inde diebus interiectis, ponte Atheſi inter Petram, & Biſſinum impoſito, in hoſticum Seuerinas copias traiecit: & quum in ripa fluminis caſtra poſuiſſet, nullo Imperio miles prędæ auidus cōtineri potuit, quin temerè ſine ordine huc illuc e caſtrorum munitionibus effuſus uagaretur, omniaque terroris, & fuga complet. Qui in agris erant, uiſo hoſte, celeri curſu Tridentum delati, nunciant, Venetum adeſſe: duæ itaque Germanorum equitum alæ, totidemque peditum cohortes, & cum his oppidanorum turba plurima ſubito tumultu porta erumpunt, Venetoſque palantes, ac prædæ intentos aggrediuntur:

Not. Venetorum fugam.

ii autem (mirum dictu) uix cōſpecto hoſte in fugā acti, cedere trepidè cœperūt; & ad pōtē, abiectis turpiter armis, feſtinantes, ceteros pauoris comites ſecum trahunt. Seuerinas tanto tumultu excitus, eò penè ſolus accurrit, ac uoce, manuque ſuorū fugā ſiſtere tētata, uerū animis ꝑterritis uanū Imperatoris in retinendo a fuga milite ſtudiū fuit: quiſq; enim per ſe ſalutē effugio quærens, ultra pontem in pacatum abire nitebatur. inſtat ferox Germanus, in trepidanteſque infert ſigna; tum aperta fit fuga, in qua dum alius, aliis obuius, colluctanſque medio ponte, incredibili omnia tumultu miſcet, armatorum pondere, multitudineque fugientium pons confractus, præruptuſque repente ſoluitur, præcipiteſque decidere in ſubiectum amnem plurimi equites, pediteſque, qui conglobati ex pōte pugnabant.

Seuerinatis interitus.

Seuerinas quoque eo caſu in flumen prolapſus cum toto equo periit, unus autem Guido Rubrius Parmenſis circa amnis ripam ſuorum equitum ala ſeptus, non ſolum Germanorum impreſſionem fortiter ſuſtinuit, uerum etiam temerè uictorem progreſſum auertit; huiuſque ſolius uirtute reſtituta Veneta res eſt, cecidere tamen tum ferro oppreſſi, tum uorticoſo, uiolentoque amne abſorpi complures uiri fortes. ex hoſtibus quoque non pauci occubuiſſe dicuntur. Seuerinatis corpus circa ripam fluminis inuentum hoſtes Tridenti honorifice ſepeliendum curarunt. At Veneti ea clade accepta, nouis aucto ſupplementis exercitu, in hoſtem arma inducere iterum ſtudebant, aliquotque expeditiones in Roethos, Theutonas, aliaſque Alpinas gentes proſperè ſunt factæ, ſed parum memoria dignæ, quando hoſtes tenues uires haberent.

Pax cum Sigiſmundo.

Interim de pace actum, Sigiſmundo iam ad eam ob principum Germanorum diſcordiam reſpiciente, quæ his conditionibus confecta eſt, ut redditis utrinque captiuis, fines, de quibus ambigebatur, Venetis intacti manerent. De Ibanio, & Nomo op-

pidis

pidis ex hoſte captis, Innocentius Pontifex iudicaret, ea autem Venetus tamdiu teneret, quoad Pontificis declaratio ſequuta eſſet. Pace confecta, res Italiæ aliquandiu quietæ fuere. prodigiaq; ſub id tempus quædam uulgata, mentes hominum conturbarunt: nam bicipitem infantem Pataui puerpera enixa eſt; atque alter puerulus Venetiis editus, in omnium oculis apparuit, habens in uertice genitale membrum; & ex gallinæ ouo prodigioſè Baſiliſcus in patricia domo natus totam urbem ſtupore repleuit. Noua inde cura Venetorum animos inceſſit, quum ſubito allatum fuiſſet, Bayſethem per idem tempus opulentam Byſantii claſſem comparare, quæ in Aegypti Regem inſtrui dicebatur: ob idque Othomanus per Legatos a Senatu petiit, ut in Cyprum claſſem illi liceret appellere: quod ipſum patres negarunt, addubitare autem ciuitas, ne uim aliquam Bayſethes & Reginæ & Venetis rebus inferret. Claſſem itaq; magno ſtudio ſtatim cõparat, & ea (Turca Aegyptum petente) in Cyprum nauigauit. manſitque eo tempore pax Venetis cum Bayſethe terra, & mari inuiolata. ſtatuit poſt hæc Senatus, quũ ſuſpicio incidiſſet, aliquos rerũ nouarum cupidos, in Cypri inſula eſſe, qui ad occupandum Regnum occultas, nefariasque Reginæ inſidias molirẽtur. Vt ad tutiorem inſulæ ſtatum, Regina in patriam reuocata, Cyprus in Reip. fidem reciperetur, miſſus eò ſtatim eſt Frã: Priolus claſſis Imperator, qui Regno ualidis pſidiis firmato, populorum animos in Veneti Senatus fide, & beneuolentia confirmaret, & ut Regina maiori cum dignitate in patriam reduceretur, Georgius Cornelius; eius frater, uir alti animi, Senatus iuſſu in Cyprum nauigauit ſororemque allocutus, cum ea non minus prudenter, quàm magnanime egit, ut Regia ſede relicta, in patriam ipſa, poſtquàm maritum, & filium immatura morte abreptos amiſiſſet, ſecum accederet, ubi ab omnia tuta periculo libera, fœlixque regalem uitam duceret. quandoquidem Venetus Senatus, non minus illam in patria quàm ſi in Regno maneret, Reginã, filiæq; loco omni tẽpore eã eſſet habiturus. Fratris igitur blandientis cõſilium puella ſequuta, cui tamen diu refragata fuerat, quum regiæ poteſtatis aſſueta, priuatæ fortunæ ſtatum deſpiceret, fratrique lachrimans dixiſſe fertur, ſe inuitam, nollentemque Regno excedere. itaque Senatus Venetus magis ab illo, quàm a ſe ipſa Cypri Regnum accepiſſe gloriari poterit. E Cypro igitur illa in patriam multis Regni proceribus comitata nauigauit, urbemque ei appropinquanti Barbadicus Princeps, Senatusque ferè omnis Bucentauro, aliiſque minoribus ingenti numero nauigiis obuiam proceſſere: exceptaque eſt Regina ſummo honore, & ad Eſtenſes ædes per mediam urbem triumphanti ſimilis deuecta, ſtatimque Georgius Cornelius publico decreto, de patria bene meritus equeſtri dignitate ornatur; ſecutum inde recens decus, quòd M. Cornelius, Georgii filius, altæ indolis adoleſcens, ad Cardinalatum ab Alexandro VI. Summo Pontifice aſſumptus fuit, unaque Dominicus Grimanus vir doctiſſimus. Regina autem aliquandiu cum ſuis in priuata domo uerſata, mox Aſulo amęniſſimo in Taruiſino agro oppido a patribus tradito, ibi regiam tenuit. Primusque Locumtenens Fr. Barbadicus creatus, Cypri Regnum publico nomine gubernandũ ſuſcepit. Poſt hæc Veneti Petrum Diedum ad Aegypti Regem oratorem miſere. Et Othomanica claſsis per id tempus ex Helleſponti faucibus egreſſa, inexpectato aduẽtu ad Corcyram tumultuoſè cõſedit, eodemque impetu terreſtris Turcorum exercitus in Epyrhum ſubito irrupit. quem motum Veneti haud ocioſis auribus audire potuere. continuò itaque Corcyra ualido militum præſidio munitur, & ex Methone cũ naui una optimè inſtructa And. Lauredanus uir impiger eò acceſsit, necnõ aliæ naues ex urbe, & proximis inſulis ſub Laurentii Paſqualici ductu miſſæ, ad Corcyrenſes tutandos. Sed uia illa Othomanica in Chimerinos terra, mareque uerſa eſt. Sedeſque hi populi habent in Acrocaraunis, loco aſpero, & inhoſpitali, tributumque aliquandiu Bayſetho pendere obſtinat recuſarant, freti loci natura. Petiti igitur ob id ſunt bello, terra, marique, cuius terrifico apparatu illi per moti, inuictiſsimi Regis armis ceſſere. Chimerinis autem ad imperium retractis, Othomanica claſsis pacatè retro abiit, & Veneti magno ſunt metu liberati. Noua deinde diſcordia inter Maximilianum Romanorum, & Carolum Galliæ regem, nuptiarum cauſa, ſuborta, Veneti miſſis Oratoribus Regum animos placare tentarunt. Germanicaautem Geor.

Prodigia.

Turcorũ claſſis.

No. Venetorum cõſilium de Cypro.

Fr. Priolus.

Geor. Cornelius.

Not Reginæ honores exhibitoi.

M. Cornelii. D. Grimanus, Cardinales.

Fr. Barbadicus.

And. Lauredanus.

[Not. Legationes.] Contarenus, & Paulus Piſo, Gallica Fran. Capellus, & Zach. Contarenus legatione functi ſunt, ac precibus, hortationeque obtinuerunt, ut Reges armis, belloque abſtinerent. Miſſi quoque & in Hiſpaniam Hier. Leonus, & Geor. Piſo, ut Ferdinando Regi publico nomine Bethicam uictoriam gratularentur. Habuit & M. Dandulus, Pānonicam ad Vladislaum legationem, ut Regi amico communem Senatus lętitiam declararet, ob adeptum Mathiæ illius ſummi Principis loco opulentiſſimum Regnum. & hæc a Venetis per Legatos cū Regibus diuerſis Orbis partibus amice tractata. Atq; [Camalio pyrata.] iiſdem fermè temporibus maritimæ Venetorum res a Camalio pyrata hoſtiliter infeſtabantur: quare ex Ionio And. Lauredanus in Lybicum mare cum aliquot onerariis delatus, prædonem ſæuiſſimum in ea Aphricæ ora adeptus eſt, diuque inſectatus, ex alto trepidum, fugatumque compulit ad littus, pyraticiſque aliquot nauibus partim captis, partim incenſis, liberum, apertumque nauigantibus mare reddidit. Secutū eſt poſtea magno Italiæ motu Gallicum bellū, quo Carolus Rex breui admodū [Bellū Gallicum.] temporis ſpacio euocatus a Ludouico Mediolani Duce, Neapolitanum Regnum ſubegit, Accerſendi autem in Italiam Gallica arma, hæc potiſſimum cauſa fuit. Galeatio. N. Sforcia Inſubrum Principe complures ante annos per inſidias interfecto, Ludouicus frater Bona uxore Galeatii a Regni procuratione reiecta, quę filium poſt uiri mortem ſuſceperat, Principatum nepotis loco adminiſtrabat, eumque dolo malo agens, ita porro educarat, iiſque moribus inſtituerat, ut omne ſtudiū ad id intēdiſſe uideretur, ne puer deprauato ingenio ullam ad frugem unquam perueniret: nam quum illum rei militaris ſcientia, litterarum ſtudiis, optimiſque artibus, & diſciplinis Regia fortuna dignis excolere debuiſſet, contraria ratione laxis habenis puerile ingenium luxu, inertiaque eneruari paſſus eſt: idque agebatur, ut quum ad adultam perditis moribus nepos perueniſſet ætatem, Principatu indignus uideretur, ſibiq;, & filiis Imperium nefario dolo ipſe aſtrueret. Poſt hæc Ioanni Galeatio nondum plane [Ioan Galeatius.] puberi (ſic enim illi erat nomen) Alphonſus Ferdinandi Aragoniæ Regis filius, Iſabellam filiam in matrimonium collocarat, ex eoque etiam liberi ſuſcepti, a Principatus tamen gubernatione, paternaque ditione Ioannes Galeatius a patruo dominandi cupido amouebatur: id quum grauiſſimè ferret, Alphonſus aſſiduis prope filiæ [Iſabella Alphonſi filia, Ioā. Galeatii uxor.] litteris, nunciiſque permotus, unaque auus Iſabellæ Ferdinandus, ad quos puella flebiles ſæpe litteras ſcriptitabat, ab utroque auxilium in tantis ſuis malis implorans, primo hi blandioribus uerbis a Ludouico petere cœperunt, uellet pro ſua fide, atque iuſtitia Nepoti iam adulto, ac ex ephœbis egreſſo aliquando tandem Principatus habenas tradere, paternæque illum ditionis, rerumque ſuarum ſut iuſtum eſt, compotem facere. Ea poſtulatio quum hominem ingentis ſpiritus nil moueret, grauioribus cum eo minis agere neceſſe fuit. Poſtremò Alphonſus, Ferdinandusque indignitate rei per [Alphonſus & Ferdinandus.] motì, quando nec precibus, nec comminationibus quicquam proficiſſent, ad id deuenere, ut dicerent, ſe ſe illum aperto bello perſecuturos, ni Ioanni Galleatio, quo cum affinitatem, uti cum Principe, illuſtri, atque alto ſanguine procreato, contraxiſſent, regiam poteſtatem, & paternum ſtatim Imperium reſtitueret. His Ludouicus auditis tanto non Regum minas, atq; potentiam ueritus, ne maximo ampliſſimoq;, Principatu priuari cogeretur, quem ſibi uni, ac filiis ſuis uendicare animo propoſuerat, male ſanum conſilium cepit, euocandi in Italiam Carolum Galliæ Regem, qui Neapolitanum Regnum antiquo Andegauienſium iure ſibi debitum, armis ſubigeret. Celatis itaq; ea de Re Alexandro Pontifice, Venetoque ſenatu, cum quibus paulò antè ſolemne fœ[Car. Barbianus orator.]dus percuſſerat, ſub ſpecie ſalutandi Regis, ad eum Carolum Barbianum Oratorem miſit, hortatum, ut id bellum Rex magno animo ſuſciperet, ſuaſq; illi opes, copiaſq; terra, marique pollicetur, quibus Gallorum uiribus adiunctis, facillimum factu eſſe, modò in Italiam armatus prorumperet, eo regno potiri. Huiuſcemodi Ludouici adhortationes apud Regem iuuenta, atque animo ferocem plurimum momenti habuere, diu tamen in deliberando hæſitatum eſt, ob propoſitas belli difficultates: nam multi ex Gallorum principibus Regis tranſitum ultra Alpas ad Italicum bellum diſſuadebant, [Gallorum diuerſæ ſententiæ.] ingentiaque pericula proponebantur, quum traducendi eſſent exercitus in alienas, & remotas a Galliæ finibus regiones inter armatas, & bellicoſas gentes eundum,

& cum

& cum ferociſſimo hoſte arma miſcenda, Italiæque expeditiones Gallico nomini ſemper infauſtas fuiſſe commemorabant: alii Regis potentiam extollentes, ſecundisſimos belli ſucceſſus augurabantur, Italorumque uires eleuabant: addebantur quoque Principum inter ſe odia, & disſidia; quæ omnia potentisſimo Regi certam uictoriam ſpondebant. Bello igitur approbato, ad quod & Antonius Salernitanus Princeps, & Bernardinus Biſiniani regulus Neapolis extorres Regem incitarunt, copiæ tam equeſtres, quàm pedeſtres ingentes parantur, uerum prius quàm Rex ex Gallia ad deſtinatum bellum mouit, per Peronem Baccium Legatum ſuum Venetis ſignificauit, ſe ad legitimum hæreditario iure Regnum Neapolitanum uendicandum cum copiis in Italiam deſcendere, pacatéque per Venetorum loca ſe tranſiturum pollicetur, adepto autem Regno in Turcas ſtatim omiſſa Italia ipſe terra, marique arma illaturus eſſet, omnem præterea Apuliam, & maritimam Adriatici a dextra, leuaque ſinus oram Venetis offert, ſcire etiam Regem cupere, quo in ſe animo Senatus eſſet futurus, uelletque in antiqua amicitia, & ſocietate ſecum perſeuerare, fœduſque in Ferdinandum iungere, quod ſi facere negaret, nullam ſaltem amico Regi, Galliſque iuſtum bellum gerentibus Venetus iniuriam inferret, ab armiſque abſtineret, ad ea ita a Senatu reſponſum, cupere patres, ne Italiæ ſtatum bello Rex turbaret, quando nulla inde iniuria, nulla offenſa eſſet in Gallicum nomen profecta, quòd ſi Carolo omnino ſtaret animo fixum, bellum proſequi, iure ueteris amicitiæ ab eo poſtulabat, ne Venetos in fœdus, bellumque traheret, quod eſſet media Italia atrociter gerendum, quam ex maiorum inſtituto tranquillam, quietamque ſemper patres optaſſent, boni proinde Rex conſulat, ſi non ſocia contra Ferdinandum arma patres decernant, ſi oblata noua maris Imperia renuant, nec id animi timiditati, ſed hæreditariæ modeſtiæ aſcribat, illud autem patres conſtantiſſime polliceri, nunquàm fore, ut Venetus Regem iniuria afficeret, eiuſque motibus, quod ad Neapolitanam rem ſpectet, uires ſuas opponeret, quum in Regis amicitia, & obſeruantia ſi per eum ſteterit, perſeuerare Veneta Reſpub. perpetuò ſtatuerit, & cum his Legatus è curia dimiſſus, eratque interim Italia in noui belli expectatione erecta, Alpeſque iam Carolus cum florentiſſimo exercitu tranſcendere cœperat, quum Ferdinandus Rex dolore animi confectus, ſubitò obiit, Alphonſuſque filius in Regnum ſucceſſit, qui ſocia ſtatim cum Alexandro Pontifice arma coniunxit; tentauit & Venetos in fœdus pellicere: uerùm illi neutras partes ſecuti ſunt, ſincerumque, ac æqualem Regibus cultum præſtitere, non tamen in tanto Galliæ motu ocio obtorpuerunt. at ne qua improuiſa uis aliunde ingrueret, & claſſe, & exercitu imperium muniri placuit: naualemque cum ſumma poteſtate Antonius Grimanus uir amplisſimus obtinuit adminiſtrationem, iuſſuſque eſt, omnem maritimam oram ab Adriatico ſinu dextra, leuaque uſque in Græciam diligenter tueri. nam Gallica claſſis Genuæ opulentisſima parari dicebatur, cui Salernitanus Princeps præerat. at Carolus pacato agmine per Mongeneuram faciliori uia Italiam ingreſſus, ad Aſtam primùm peruenit, in Flaminiam inde tranſiit, ibique apud Cæſenam Ferdinãdum Calabriæ Ducem cum exercitu ad confligendum parato obuiam habuit, eumque leui certamine iniecto facile in fugam uertit. inde Carolus ſex equitum millibus ſeptus, Ticinum proficiſcitur, ubi Ioannes Galeatius graui morbo preſſus iacebat. ad ad eũ aũt uiſendũ Rex accedens, ualetudinis ſuę caſum grauiter ferre, non obſcure prę ſe tulit, quã diligenter curare, ac bono eum animo eſſe humaniſſimis uerbis hortatus eſt. tũ Iſabella uxor ad Regis pedes in conſpectu omniũ aduoluta, eius opẽ in tanto Alphõſi patris periculo profuſis lachrymis implorauit, ſupplex orans, ut arma piiſſimus Rex a Neapolitano Regno amoueret, nec rẽ Aragonenſem bello excindi pateretur, quãdo nulla iuſta cã intercederet, ut inuicta Gallorũ arma nobiliſſimũ Italiæ Regnum inuaderent: ſatis, ſuperque mariti ſe miſeram acerba ægritudine conflictari, in quo exigua ſalutis, uitæque ſpes eſſet. Turbarunt non parum Regis animum puellæ mixtæ lachrymis preces, atque eius formæ, & uenuſtatis eximius decor: uerùm iacta iam belli alea, armiſque obſtrepentibus, quæ modo non ſine maximo Gallici nominis dedecore deponi poterant, inchoatam Rex expeditionem ex ſua dignitate proſequendum exiſtimauit. Poſt modum è Ticino Rex digreſſus, Placentiam uenit, proceſſeratque

Pero Regis orator

Senatus Reſponſum.

Ant. Grimanus.

Ioan. Galeatius.

Not. de Iſabella.

ſe ratque

ſeratque eò unà cum Rege Ludouicus, officii gratia, atque ibi de Ioannis Galeatii nepotis morte nũcio accepto, Mediolanum ſtatim rediit, per urbemque in ueſte Regia armatis ſeptus, incedens, ſalutari ſe principem a populo lætatus eſt, quum gubernatoris appellatione antea ſummæ rei præſideret, a multiſque in ciuitate odio habitus, ꝙ uir regnandi cupidus, infœlicem nepotem ueneno enecaſſe creditus fuerit, ut ſolus imperaret.

Io. Galeatii mors.

At Carolus ex Mediolani finibus digreſſus, Florentiam ire cõſtituit. ea res omnium animos turbauit, quo motu Legatio ſtatim a Florentinis ad Venetos decreta eſt, qua Thuſcus enixiſſimè petebat, ut ſibi patres conſulerent, quid in tãto rerum turbine agendum eſſet. multùm enim Florentini Venetorum prudentiæ, uertuti, fœlicitati tribuentes, Senatus conſilia omninò ſequi ſtatuerant.

Not. Florẽtinorũ inſtantiã.

tum a patribus re mature diſcuſſa, ne quid certi in medium afferretur, quod communi ſocietati officeret, in Florentinorum Legatis reſponſum, haud ſatis patres rectè ſcire, quid in tanto Italiæ motu agendum ſit, quum plerumque eueniat, ut quæ maturo conſilio, & recta ratione conſtituta fuerint, in contrarium fortunæ temeritate rapiantur: proinde ad Deorum immortalium opem confugiendum, in quorum arbitrio, & diſpoſitione cuncta ſunt poſita, atque eos plenè ſcire, quid pace, belloque terrarum Principes aut ſequi, aut fugere oporteat.

Not. Senatus reſpõſum.

At Rex, dum hæc Thuſcus per Legatos agit, in Hetruriam cum exercitu profectus, Sarzanam primùm Florentinis ademit, deinde & Liburnium, & Piſas, quod oppidum, Petro Medice ciue primario rem ad Gallum trahente, a Florẽtinæ Reip. imperio, ditioneque amouit, & in libertate conſtituit.

Piſarum libertas.

inde Florentiam cũ inſtructiſſimis copiis proficiſcitur, urbemque armato equo ſedens, lanceamque manũ geſtans, ingreſſus eſt, territiſque omnibus poſt aliquot dies libris auri duodecies centies imperatis, fœderibusque conſcriptis, ciuitate pacatus exceſſit. Hic Carolo adhuc ſedenti duo a Venetis Oratores Dominicus Triuiſanus, & Antonius Lauredanus, ſummo ingenio utrique præditi, officii gratia affuere:

Oratores Veneti,

ille uerò Romã ſtatuit proficiſci, Senaſque adiens, urbem magnis affecit incommodis. inuito demum Pontifice, & Columnenſium fauoribus adiutus, Rex cum omnibus copiis Romam Flumentana porta ingreſſus eſt, noctuque Gallicum agmen in urbem immiſſum. armatorum autẽ numerus uarie traditur, ad quadraginta millia, qui rem augent; alii quinque & uiginti millia peditum, equitumque fuiſſe memorant, in quibus plurimi ex tota Italia ſpe prædæ, & nouarum rerum cupidi Gallorum caſtra ſponte ſequuti fuerant,

Not. Gallorum copias.

ad Diui Marci ædes Rex eſt diuerſatus, & Pontifex in Adriani molem ſe recepit. tumultuatũque aliquoties in urbe militum inſolentia, cædeſque non uno loco inter Gallos, Romanoſque editæ. cæterùm Cardinalium ſuaſionibus, qui frequentes circa Regem aderant, in colloquium cum Pontifice in Vaticanum Carolus uenit, quẽ humiliter ad pedes demiſſus de more adorauit, ueneratuſque eſt, pacemque cum eo ſanxit quibuſdã conditionibus.

Pax inter Pont. & Gallum Regem.

nec multis inde diebus interiectis, Rex cum toto exercitu Roma digreditur, manuſque una Gallorum continuò per Sabinos in Campaniã irrupit. Aquilaniq́ue, conſpectis regiis ſignis, ſtatim ad Gallos defecerunt. eſt & circa Fucinum in Marſis trepidatum, magnaque populorum ea in ora ad Carolum inclinatio ſequuta. eà propter Alphonſus Rex ſuis opibus diffiſus, fortunæ cedere ſtatuit, Regniq; coronã Ferdinando filio tradita, ad præſentem inuidiam leuandam cum quinque triremibus in Siciliam nauigauit. nam populi eum, quia ſuperbe & auarè ſemper imperaſſet, parum diligebant. maiori autem filium ob amabile, miteque ingeniũ pietate, cultuque proſequebantur.

Alphonſi fuga.

At Ferdinandus Regno a patre per manus accepto, & ſi Pontificis ſociorumque deſtitutus eſſet auxiliis, cum omni tamen robore copiarũ, quas colligere potuit, intrepide in Gallos ad Germanum uſque oppidum proceſſit.

Ferd. Regnũ a patre ſuſcepit.

erãt enim illi ad quinque equitum millia leuis, grauiſque armaturæ, cum fere totidem mercenariorum peditum millibus, imparque omnino his copiis hoſti præpotenti habebatur.

Ferdinandi copiæ.

ueritus itaque ne a Gallo circumueniretur, ad Vulturnum iuxta Capuam caſtra tranſtulit, & Galli ad Corbionem conſederunt, in quos, ſunt qui dicant, Ferdinãdum maioribus auctum copiis, explicata acie impetum feciſſe, præliumque a Gallis detrectatum, ut potè, qui ſedendo uincere Aragonium ſperabant, incertoſque Martis caſus, dubiamque prælii fortunam uerebantur. Neapolim poſtea ille profectus, ciuium

animos

animos ſua præſentia confirmauit.non diu tamen in fide populi permãſere:nam Gallis paſſim fortuna arridente,Capua primùm,mox & Neapoli Carolus potitur;curſumque uictoriæ ſequens, duodecim dierum ſpacio totum Regnum fœliciſſimè ſubegit, omnibus urbibus,oppidiſque ſe ſe ultrò dedentibus, præter Brunduſium in Apulia, & Gallipolim in Salentinis.Ferdinandus uerò res ſuas perditas reſpiciens, cum duabus, & uiginti triremibus in Enariam inſulam ſubitò tranſmiſit, euentum ibi belli expectaturus, qui ſibi infauſtus, aduerſuſque accidit; cedereque potentiſſimo hoſti coactus eſt. & Alphonſus pater dolore animi confectus in Panormitano agro priuatus moritur. Egit autem Carolus per Legatos Venetos, qui ſibi in comitatu, officii cauſa ſemper affuere,perque regias literas Senatui gratias,quòd fidem ſibi, atque ſocialem beneuolentiam, quam pollicitus fuerat,conſtanter præſtitiſſet; ac porrò Rex nullam armorum infeſtationem a Veneto ſenſit,dum ad Regnum Neapolitanum occupandum bello incumbit.interim fama de aduentu Caroli in Italiam, deque ſucceſſu rerum ſuarum ad Turcas in Aſiam perlata, ingentem terrorem Barbaris incuſſit: nam Rex palàm dictitauerat, Neapolitano Regno ſubacto, bellum ſtatim Turcis ſe terra,marique illaturum:tantus proinde omnes eas gentes terror inuaſit, ut ex Epyrhi,Acharnaniæ,Macedoniæque maritimis oris trepida fuga ſe introrſus omnes reciperent,atque in longinquas,remotaſque a littoribus latebras emigrarent. ex litteris etiam Ant. Grimani ad Senatum conſcriptis,cognitum eſt, quum is Aetholiæ littora circa Naupactum nauibus longis præteruueheretur,Turcas eam eſſe Gallicam claſſem exiſtimantes,omnes trepide aufugiſſe, uacuaque littora, maritimaſque ubique oras reliquiſſe; quo facile conſtat, ut ſi Gallica ſigna illis in locis tunc conſpecta fuiſſent, Turcorum res in maximum diſcrimen incidere potuiſſe. Bayſethes quidem Rex iam inde,quum primùm Carolus in Italiam aduenit,proſperaq; ei omnia effluere cognouit,ueteres triremes reficere,nouaſque diligenter exædificare cœpit,militumque magnã manum parauit,ut, quum uellet,eorum opera ſine mora uti poſſet. Cæterùm quũ Gallus non contentus Neapolitano Regno,ad totius Italiæ imperium anhelaret, Veneti futurorum ſoliciti, tantis Caroli ſucceſſibus non parum animis commoueri poterant: alii quoque Italiæ Principes,atque exteri Reges Gallorũ arma perhorrebant. Venerunt itaque ex tota fermè Europa ad Venetum Senatum Legati,ita,ut uno tempore decem Regum,ac Principum Oratores ſint circa curiam obſeruati;quibus procurantibus,fœdus tandem ictum eſt inter Alexandrum Pontificem, Maximilianum Cæſarem,Ferdinandum Hiſpaniæ Regem,Venetos,Inſubres,Eſtenſem,& Gonzagã aduerſus Carolum, & Francorum gentem: in cuius fœderis pertractatione Hiſpanum Oratorem,Laurentium Suarem,elegantiſſimi ingenii uirum,Hier. Donatus in Apologia ſua pro Venetis hæc uerba in curia alta uoce enunciaſſe refert,uulneri,quod Chriſtianæ religioni a iuuene Rege, duce furore,atque licentia illatum eſſet, medelam in ea ciuitate repertam eſſe,quæ a ſenum prudentia,ratione, modeſtia, æqua poteſtate, atque optimis conſiliis regebatur.Romæ uerò Petrus Nardinus Collineus, uir doctiſſimus,pro fœderis initi congratulatione, ad Pontificem in publico conſiſtorio breuẽ habuit orationem, quam in hac hiſtoriæ parte exſcriptam locare placuit, ut ea apud legentes Venetæ erga Romanam ſedem fidei,pietatiſque in perpetuum teſtis ſit.

Not. Gallorum ſucceſſum.
Alphonſi mors.
Not. Turcorum pauorem.
Bayſethes
Not. Legatorum numerũ.
Not. fœdus.
Pet. Nardinus.

Dijs tutelaribus, Dijs humani generis præſidibus gratias imprimis agendas puto, Beatiſſime Pater,qui hodiernum diem fauſtũ,fœliçemque futurum non ſolùm Italiæ, ſed uniuerſæ Chriſtianæ Reip.pollicentur, qui tecum tres maximos Principes orbis terrarum conſpirare uoluerunt;induxeruntque,ut in commune bonum de percutiendo ſalutari fœdere cogitarent.Nam quum Italia ſedis tuæ munimentum inter ſuperum, atque inferum mare poſita ſit,hoc Hiſpana,illud Veneta claſſe cuſtodiente;nihil eſt,quod a maritimis hoſtibus timeas.hoc uſi conſilio Romani maiores noſtri nullas mortalium amicitias pluris feciſſe uidentur,quàm Regum Hiſpaniæ ſocietates,tum quia illos erga ſe fide ſingulari præcellere,tum quia in bello plurimum poſſe cognouerant.ſed adiuncto Veneto Senatu,iſta glorioſa fœderis conſpiratio multo tibi,quàm Romanis,auctior fiet. Scis

Oratio.
Laus Venetorum.

enim Venetos Principes omnibus Pontificibus egregiam obedientiam præſtitiſſe: non ignoras, illos per quinquaginta & amplius annos Turcarum rabiem, atque furorem terra, marique ſuſtinuiſſe, qui ſoli armati, & multo ſanguine ſuorum effuſo, cæteris propugnatoribus ociantibus, Chriſtianam libertatem ab imminenti ſeruitio uendicarunt. Cæterùm Italia ingrata defenſori ſuo inuidere cœpit, quem amare, complectique debuerat, non ob aliud credo, quàm quòd tantæ magnitudinis aſpectum, tantæque uirtutis eius fulgorem æquis oculis tolerare non potuit. & reliqua, quæ in oratione ſequuntur, breuitatis cauſa omittimus. Hæc enim tantùm de Venetis pauca conſcripta apponere æquum duxi. Fœdus autem, ut Bembus tradit, initum, ſancitumque eſt in annos uigintiquinque, pridie Kalendas Aprilis, Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimoquarto, tuēdi, ſeruandique cauſa maieſtatem, authoritatemque Romani Pontificis, & Italię libertatem: in quo quidem fœdere expreſſum eſt, ut equitum triginta quatuor millia, peditum uiginti conſcriberentur, ſuo cuique ex confœderantis ſigillatim attributo numero. nam Alexander Pontifex equitum quattuor millia dabat, ſex Maximilianus Imperator, Ferdinandus Hiſpaniæ Rex octo, Veneta Reſp. & Ludouicus Mediolani Dux totidem; peditum uerò ſinguli quattuor millia addebant: quòd ſi quis æquitum, peditumque ſuam aſſignatam partem aliquo caſu mittere in tempore non poſſet, ſexcētenas auri libras in ſtipendium conferat, ut exercitus pro illo conficiatur. idem de claſſe ſtatutum, ut pecuniam ſoluat, cui parandarum nauium facultas deſit, an lex eius fœderis fuit, magno, diuturnoque ſilentio compreſſa, ita ut quum Philippus Argentonus, Caroli Regis Legatus, in curiam quotidie uentitaret, nil penitus de fœdere potuit cognoſcere, donec in Collegium accitus, omnia Principis ore percepit, expoſitisq; confœderatorum nominibus, mens penè hominem reliquit: tametſi Princeps ſedenti ad dextram Legato dixerat, ea quæ facta eſſent, non propterea ea ratione eſſe facta, ut quiſpiam bello infeſtaretur, ſed ut pace ſeruata, armorum incendia ab Italia arcerentur. demū Legatus reuocato ad ſe pauliſper animo, Quid, inquit, meus Rex cum exercitu ſuo in Galliam reuerti non poterit. Tum Princeps hilari uultu, ille uerò, inquit, poterit, ſi amicus, pacificusque redire uoluerit; nosque illum omnibus officiis excolemus. quo reſponſo accepto, diſceſſit. Ferturque, ubi ille è curia digreſſus, in forum domum iturus uenit, ad ſcribam Senatus, qui eum officii gratia comitabatur, conuerſus, Rogo te, inquit, ſodes, mihi uerba ea repetes, quæ Princeps mecum in curia dudū habuit. nihil enim iam eorum memini: adeò hoc fœdere in Regem ſuum inito, eius animus turbatus erat. Legati poſt hæc Veneti, qui ad Carolum initio aduentus ſui in Italiam a Senatu miſſi fuerant, domum ſunt redire iuſſi: ipſe interea Carolus Rex accepto fœderis, de quo dictum eſt, nuncio, ut Italiæ itinera ad repetendam Galliam ſibi armis aperiat, armatorum octo millibus Regni præſidio relictis, cum reliquo exercitu Neapoli egreſſus eſt; Romamque petens, Pontificem exterruit, ad cuius præſidium miſſa eſt a Veneto Senatu, & a Ludouico Duce ingens armatorum manus. Rege tamē Romæ appropinquāte, Pontifex urbe exceſſit, ſeptusque magno peditum, equitumq; numero, ad Ciuitatem ueterem peruenit, quibus diebus Carolus Rex ex Aulicis ſuis hominem ad Senatum miſit, rogatum, quæſitumque, utrum Veneti amicone, an hoſtili in ſe animo eſſent. ad quæ Princeps paucis reſpōdit, illud in Rege ipſo poſitum eſſe, qui cum uictore exercitu in Italia ſedet, amicuſne in hac fortunæ proſperitate, an inimicus Reip. eſſe uelit. Atque is poſtea nūcius, & Argētonus uetus Regis Legatus, unà Venetiis diſceſſere. Florentini autem fœdere uulgato, quod Pontifex cū Cæſare, Ferdinando Rege, Veneto Senatu, ac reliquis Principibus percuſiſſet, maximè lætati sūt, nouasque militum copias celeriter conſcribere, ſe ſeque ualidioribus præſidiis communire cœperunt; ut, ſi Carolus in eos uim, armaque inferret, parata ad repellendum hoſtem auxilia haberent. Rex interim a Ludouico Mediolani Duce maximè omnium ſe deceptum, illuſumque eſſe dictitās, auertere ab illius Imperio Genuam ſummo ſtudio curauit. itaque Petri Fregoſii Cardinalis ſuas in partes traducti opera uſus, eum, & Obiectum Fliſcum, unaq; præfectum ex ſuis Seguſinorum Principem, cū undecim triremibus ad Lyguſtica littora nauigare iuſſit, quæ Genuenſes maritimis incurſionibus

Not. fœderis conditiones.

Phil. Argētonus.

Not. Principis uerba.

Pontificis fuga.

Motus in Genuenſes.

bus plurimum infeſtarunt. comparato interim Veneti ingenti exercitu, cuius imperium Fr. Gonzagæ Mantuano Principi Senatus demandarat, rem armis gerere cœperunt: omniſque exercitus cum ſociorum appendicibus in Parmenſi agro ad Tarrum amnem, qui ex Appenino labitur, conſedit, nil in Gallos moturus, ut Senatus iuſſerat, niſi primùm ab his iniuria profecta eſſet. Carolus autem cum magna copiarum parte, ut ſuprà memoratum, a Neapoli ſub ſignis digreſſus, Romam uenit, triduoque ibi cũ exercitu hoſtiliter uerſatus eſt, inde ad uicina oppida delatus, Thoſcanellam, & Montemflaſconum cepit, & diripuit, Pontremulum quoque in Appennini faucibus, & Nouariam Sforciæ ademit: in colloquiumque cum Pontifice Rex uenire tentauit, quo nõ impetrato, in Eccleſiæ, ac ſociorum res omnia hoſtilia exercuit. Communi itaque periculo Veneti commoti, Gonzagæ imperatori mandarunt, ut Gallorum uim ferro arceret, ſociorumque res tueretur. Armis autem Gonzaga agendum ratus, cum hoſte dimicare ſtatuit, qui iam ad dextram Tarri fluminis ripam quadrato agmine incedebat: cœperatque Venetum telis, tormentiſque quieſcentem inceſſere. tum Gonzaga, ut iuuẽta ferox erat, & prælii cupidus, conuerſus ad Melchiorem Triuiſanum, & Lucam Piſonem Legatos, qui armati in acie aderant, Quid ſtamus, inquit, in tanta bene gerendæ rei occaſione? laceſſunt nos Galli, Italicam uirtutem extinctam reputantes. ad ea Triuiſanus, Age igitur Imperator, ſigna in prouocantem infer, atque paternæ, auitæq; uirtutis memor, Barbarum hodie Italicis uiribus protere. nec ulla deinceps prælii mora fuit. canentis ſtatim Imperatoris iuſſu bellicis ſignis, uno tempore in Gallorum aciem ferociter ex aduerſo eſt procurſum, turbatuſque primo cõgreſſu hoſtis loco pellitur: confuſum autem penè certamen erat, maiorique animo, quàm conſilio utrinque pugnatum. nam equites peditum centuriis temerè immixti prælium ciebant, tetraque pugnantium colluctatio iuxta fluminis ripam reddebatur. fuit nihilominus circa Gonzagam Imperatorem pugna ſecundiſſima: ille etenim omnium primus, ut erat corpore prævalido, in aduerſam aciem equo inuectus, armatum hoſtem, qui ſibi obuiam ex Gallorum legione furens uenerat, lancea transfixit: alii quoque a noſtris equo deiecti interficiuntur: quo facto peruaſit ſubitus metus uſque ad Regem, qui medio imperatoriis cultus inſignibus erat agmine; eaque creſcente certamine, ut quidam tradũt, exuta depoſuit, ne conſpectior haberetur, ſi aduerſa pugna contingeret. cæterum Galli Rege adhortante, monenteque multa ui connixi, Venetum iniquo loco dimicãtem primo turbant, mox ferocius inſtantes, per decliuia in præceps agunt, qua fortunæ ſubita mutatione, multi uiri illuſtres, armorumque peritia clari, alii ſuper alios ad retinendum militare decus fortiter mortem occubuerũt, in quibus ex Venetis fuere Rodulphus Gonzaga, Ioannes Piccininus, & Renutius Ferneſius; & ex Regiis Iulianus, & Daſſonius, alarum Legati, Vardeuſque Hippotoxatarum Dux, multi quoque alii ex utraque parte deſiderati, erumpente poſtea ex Venetis caſtris leuis armaturæ Epyrothico equitatu, Duce Ber. Contareno uiro fortiſſimo, in hoſtium impedimenta, magnus Gallis incuſſus eſt terror; & niſi prædæ intenti milites Veneti, ſpacium reſpirandi hoſtibus dediſſent, Rex eo die uictus, fugatuſque fuiſſet. uerùm dum hoſtium ſpolia miles auarus diripit, clariſſima è manibus Italorum uictoria emiſſa eſt, non pauci tamen ex utroque exercitu uiri clari cecidere, nam ad tria millia unius ferè horæ ſpacio, quo pugnatum eſt, interfecta dicuntur: parique propè clade diceſſum. ſed res Veneta eo ſuperior fuiſſe traditur, quòd impedimẽtis Gallo ademptis, Regius exercitus male habitus, ad montium radices ſe primùm receperit, & Veneti in caſtra redierunt. immiſſuſque eſt equitatus ad perſequendum hoſtem. Borboniuſque, & Miolenſis Duces in ea trepidatione capiuntur, maiorique omnino clade Regii in fuga affecti fuiſſent, ſi Ioan. Fran. Seuerinas, Ludouici Sforciç copiarum ductor, celeritatem in eis perſequendis maturè adhibuiſſet, quam de induſtria neglexiſſe fertur, ut euadendi ſpacium Gallis concederet, quas Aſta urbs proxima ſeruauit; Seuerinatiſq; eã præcipuè cura fuit, ut Gallos ibi in tutò ſiſteret, idque ex Ludouici Sforciæ Ducis conſilio factũ dicitur, ne Gallorum exercitu deleto, uictricibus armis Venetus Italiç leges daret. ob huius autem prælii ſucceſſum a Senatu ſupplicatio decreta eſt, gratiæque Diis immortalibus omnibus templis actæ, qui ciuitatem dubiam, ſuſpenſamque tantarum rerum expe-

Not. Gonzagæ ſtrenuitatem.

Not. cædẽ clarorum uirorum.

Not. occiſorum numerum.

Io. Fr. Seuerinas.

expectatione, fuga hoſtium liberaſſent: multi tamen adhuc, uariiq́ue utriuſque partis terra, mariq́ue armorum conatus fuere: nam circa Genuã eo ipſo die, quo Rex ad flumen Tarrum ancipiti cum Venetis prælio dimicauit, naues longæ, onerariæq́ue maiori ferè ex parte Reip. inſtructæ ſumptibus, obſeſſam in Rapalitano portu a Genuenſibus claſſem Gallicam, arcemq́; ibi ualido munitam præſidio expugnarunt, præfecto cum nauibus capto, in quibus mulieres erant captiuæ permultę è Caieta a Gallis abductæ, raptæq́ue; auri quoque, & argenti ingens uis reperta, quod e ſacris ædibus illi expilarant, dum homines rapaces, amenteſq́ue Deos negligunt. & paulòpoſt Carretii principes magna armatorum manu Entimilium oppidum, quod ad Occidentem Solẽ eſt, receperunt, omniſq́ue utrinque ora miro ſucceſſu breui ad Genuenſes rediit. atq; hæc quidem in Lyguribus, tam terreſtri, quàm nauali martis apparatu geſta ſunt. & ex altera parte in Supero mari, Ant. Grimanus Venetæ claſſis Imperator, in Apuliã profectus, Monopolim inuaſit, urbemq́ue nõ ſine magno certamine adortus a Gallorum poteſtate ereptam ui cepit, in qua oppugnatione Petrus Bẽbus nauis longæ prę fectus tormenti pila ab hoſte interficitur. captæq́; urbi Nic. Cornelius prætor datus eſt. Pulignanũ deinde, & Molã, munitiſſima oppida, Grimanus eadem hora expugnauit, Venetoq́; adiecit Imperio: quibus geſtis non parũ Sforcia Dux lætari uiſus eſt, petiitq́ue a Senatu, ut Legatos ex principibus ciuitatis ad ſe duos mitteret, qui ſecũ in tã dubio tẽpore cõi Italiæ rei conſulerent, ut totus terrarũ orbis intelligeret, Venetũ, Inſubrẽq́; ad utriuſq; in Italia Imperii maieſtatẽ tuendã, libertatemq́; conſeruandam, in unũ cõſentire. itaq; primò Lucã Zenum, & And. Veneriũ, uiros inſignes Legatos Senatus creauit: ſed ab his legatione ꝓ ingraueſcentẽ ætatẽ renunciata, M. Georgius, & Benedictus Sanutus, ad id muneris eorũ loco ſuffecti, Mediolanũ ad Sforciã ire iuſſi ſũt. inter hæc ut benemeriti de Rep. uiuẽtes, mortuiq́;, qui fortiter, atq; amãter pugnãdo ad flumen Tarrũ cõtra Gallos Remp. geſſerant, iuſta ꝑmia reciperent, ſtipendiis, immunitatibus, honoribuſq́; ſinguli cõd ecorati ſunt. itaq́; Senatus Veneti pietas, liberalitaſq́; in oẽs mira, ꝑdicabiliſq́; extitit. poſtea quã Ludouicus, Venetuſq́; Nouariam caſtra admouiſſent, hoſteſq́; Duce Aloyſio Aurelianenſi Regis propinquo, ex oppido in noſtros ſæpe erũpentes, tumultũ, terroremq́; incuterent, ſecundiora tamen cũ iis ferè ſẽper Veneti, ſociiq́; prælia fecerunt, in quibus omnibus Bernardi Contareni uirtus admirabilis cõſpecta eſt. & quũ oppugnatio difficilis, diuturnaque uideretur, ob ualidas munitiones, & robuſtã militum manũ, communi cõſilio oppidũ arcta obſidione cingi placuit; inſeſſiſque itineribus, ne commeatus importarentur, fame Gallos noſtri domare ſtudebant. conabatur Rex contrà obſeſſis frumenta immittere, copiaſque nouas contrahere, ut Aurelianenſem obſidione liberaret: è Gallia quoque conſcriptis ad Reginam litteris, auxilia euocabat; accerſitique Heluetii a ſuis conuallibus, pagiſque, & uicinis montibus, ut & ipſi opem ferrent, ſed ſtipendiorum æra deerant. itaque deficientibus auxiliis, & urgente rei frumentariæ inopia, in ſummo periculo res Nouariæ conſtitutæ fluctuabant: tantaque rerum omnium egeſtas urbem premebat, ut iam cibo, potuque omni conſumpto, multi interirent, compluresque putridis farinis, aut pane hordeaceo, furfureoque ueſcentes, uitam infœlicem trahebant. ſuſtinuereque ſupra uires humanas Galli hæc acerbiſſima diu obſidionis incommoda, quę occultis ſæpe nunciis, literiſque Regi ſignificabantur: & quum ſuprema calamitas urbi immineret, Rex ut Aurelianenſem, Galloſque reliquos ab interitu, excidioque inſtanti eriperet, pacem ab hoſtibus petere conſtituit. itaque per Argentonum uirum prudentem tentare Gonzagam ea de re cœpit. is cum Ludouico Duce, & Venetis Legatis de Regis poſtulatis loquutus, eorum animos pacis deſiderio inflammauit, Sforciamq́ue imprimis, de cuius re potiſſimum agebatur, belli ſacietas ceperat, proinde libentiſſimè ad pacis mentionem aures ipſe præbuit, qui iam quieſcere potius, quàm alendis exercitibus, opes profundere, & bello periclitari malebat. parua itaq; temporis mora interiecta, induciæ primùm factæ, deinde pax a Rege, atque Ludouico iis conditionibus firmatur, ut Nouariam Rex Duci Sforciæ redderet, ipſeque quinquaginta aureorum nũmum millia Aurelianenſi Principi ſolueret, ob expenſas belli tempore in Nouaria factas, tum ex myriadibus auri, quas a Sforcia Duce Rex in Neapolitanum

Claſſis Gallorum uicta.

Ant. Grimani geſta in Apulia.

Legati ad Sforciam.

Ber. Contareni.

Nou. famẽ

Pax cum Gallis, & eius conditiones.

politanum bellum mutuo acceperat, dimidium ei rependeretur, reliquum Regi cederet. de nauibus in Rapali portu captis, eæ omnes Gallis reſtituerentur; Triultius ab exilio reuocatus eſſet, bonaque ſua reciperet, quæ fiſco applicata, & publicata fuerant: nulla Sforcia auxilia Ferdinando Regi mitteret; & Carolo liceret, quantam uellet claſſem Genuæ, & in Lyguribus comparere: Gallorum copiis per Inſubrum fines tranſitus pateret, captiui utrinque reſtituerentur, & adiungendi ſe ſe huic paci duorum menſium ſpacium Veneti haberent. His exiguo tempore in Italia bello geſtis, Alexander Pontifex huiuſcemodi ad Venetos literas ſcripſit, officii plenas: quibus facile patet, quanta tuendæ Eccleſiæ inclinatio in Veneta gente fuit, eritque ſemper Chriſtianiſſimæ ciuitatis uiuax fidei ardor. aduertantur igitur Apoſtolicæ litteræ:

Alexander Papa VI. Duci Venetiarum, Dilecto filio, Auguſtino Barbadico. Licet omnipotens Dominus multorum Chriſtiani orbis fidelium Principum, quos ſacroſancta mater Eccleſia, cui Domino diſponẽte præſidemus, per ſacrum baptiſmi lauacrum ſibi regenerauit in filios, ipſam ſponſam ſuam, magnifica prole exornauerit, atque muniuerit, ut in afflictionibus eius promptam illi opem ferre non differant: tibi nihilominus, generoſoque Senatui tuo, inter cæteros Principes ſæpenumero magna cum fiducia, & materna quadam familiaritate in tribulationum anguſtijs conſtituta, uulnerum ſuorum communicauit incendia: nec deſiderio ſuo fruſtrata, ſalutaribus conſolationum ueſtrarum fomentis illico obtinuit, recreari. nos uero quàm primum fuimus ad ſummi Apoſtolatus apicem ſublimati, ad tutandum contra peruerſorum hominum machinamenta Beati Petri Apoſtolorum Principis patrimonium, robuſtiſſimum in tuo religioſiſſimo potentatu præſidium collocauimus. nec nos noſtra feſellit opinio, quum tu ſemper pro corde in noſtris, & huius ſanctæ Sedis neceſsitatibus opportuno aſtiteris fauore. conturbarunt deinde Italicæ pacis amœnitatem Gallici tumultus: & irrumpente maximo, & ualidiſſimo cum exercitu in Italiam, & ad intima noſtrarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ terrarum cum ingenti omnium calamitate, penetrante ipſo Galorum Rege, ac Regnum noſtrum Siciliæ citra Pharum uiolenter occupante; ex iniuncto nobis diuinitus officio paſtorali, poſtquàm uidimus, eundem Regem exhortationibus, & monitis noſtris paternis non moueri, clamauimus inceſſanter, & aliorum noſtrorum, & Eccleſiæ filiorum, tuamque imprimis opem implorauimus; eorundemque Regni, & patrimonij, ac totius Italiæ ab externis nationibus liberationem procurauimus. Tu autem dilectiſſime fili, clamores, & mærores noſtros nequaquam ſurda aure ſub diſſimulatione pertranſiſti: Sed ſuaſionibus, hortamentiſque noſtris obtemperans, quamprimùm nos terrore Gallico cuncta proſternente, perculſos, almam Vrbẽ deſeruiſſe, Galloſque, ut reliquas ſtrages pretermittamus, ciuitatem noſtram Thuſcanenſem hoſtili impetu inuaſam cædi, & occiſioni crudeliſſime expoſitam, pene deſolatam reliquiſſe, intellexiſti: immenſis eueſtigio tuæ potentiæ uiribus exurgens, pro noſtra, & eiuſdem eccleſiæ defenſione, deuotionis tuæ ſolitæ uexillum explicuiſti: coacto ſiquidem maximo, robuſtiſſimoque equitum, peditumque exercitu, parataque ualidiſſima claſſe pro noſtra, & illius, quæ nobilitatem tuam Chriſto genuit, matris Eccleſiæ imprimis, & conſequenter Italicæ patriæ, ac ſociorum defenſioni terra, marique nullis ſumptibus, nullis laboribus, nulliſque periculis parcendo, audentiſſimè decertare, ſicut erat licitum, iuſtum, glorioſumque putaſti. pulſi ſunt, quamuis non incruenta uictoria, incomparabili tua, tuorumque uirtute inuaſores Eccleſiæ, & occupatores Italiæ; ereptaque eſt eorum manibus claſſis tuæ armis Apulia, maioraque in dies, pro reformanda, ſtabiliendaque ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac totius Italiæ libertate, & tranquillitate, abſte, tuiſque impigerrime, & conſtãtiſſime geri, indubitata certitudine ſperamus. Maxima ſunt hæc dilectiſſime fili, glorioſiſſimaque ardentiſſimæ tuæ erga nos & hanc ſanctam ſedem deuotionis documenta; quæ ſicut claritate, & magnitudine ſua, om-

No. Alex. Pont. litteras ad Venetos.

Nota.

No. de Venetis pro Eccleſia.

nium corruptibilium, monumentorum menſuram exuperant: ita profectò immortali laude, ſempiternaque memoria digna ſunt. Quamuis igitur hæc multoties cum dilecto filio

Hier. Georgius Legatus.

Hier. Georgio, equeſtris ordinis uiro probatiſſimo, apud nos Oratore tuo fideliſſimo, ſicut merebantur, extulerimus, ipſique iniunxerimus, ut dignas tibi, Senatuique tuo, noſtro nomine gratias ageret, exiſtimemuſque ipſum hac in re, ſicuti in cæteris ei commiſſis ſolitus eſt, ſapienter, & integerrime ſe habuiſſe; nobis tamen non putauimus, ſatisfactum eſſe, niſi perpetuo quoque litterarum noſtrarum breuiuſculæ laudationis teſtimonio tam præclaras a te, Senatuque tuo res geſtas æternitati commendaremus, conteſtantes, immenſas nos uobis pro tot, tantiſque meritis, & obſequijs gratias debere, quas, ſi unquàm dabitur occaſio, nos uobis rependere beniuolentiſſimo animo non tardabimus. Verùm quia perſeuerantia eſt illa, quæ in bonis operibus ſola coronatur a Domino; nobilitatem tuam toto cordis affectu exhortamur, & obſecramus in Chriſto, ut cunctis uiribus, omnique conatu ad propulſandas turbationis Italicæ reliquias, ſedulo uelis intendere, ut illam in priſtinæ dignitatis, & quietis decorem, amœnitatemque diebus noſtris, ſicut uehementer optamus, tua præſertim opera reſtitutam uideamus, quod: etſi ſponte tua te facturum certo ſciamus, noluimus tamen committere, ut glorioſo operi exhortatio noſtra deeſſet, quod te, Senatumque tuum apud Altiſſimum cœleſti triumpho decorabit, & in terris immortali fama laudatiſſimos reddet. Dat. Romæ, apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die XXI. Auguſti. M.CCCC.XCV. Pontificatus noſtri anno tertio.

Sed Hiſtoriam proſequamur, quæ interciſa in his Pontificiis litteris conſcribendis, curſum ſuum huc uſque continuit. accidit autem, ut quum multa Ludouicus in Venetos parum beneuole, amiceque ageret, ſuiſque imperaſſet, uti flumina, itineraque

Not. Sforciæ conſilium.

cuncta, quà eſſet exercitui Reip. tranſeundum, armis, præſidiiſque communirent, ne, ſe inuito, Venetæ copiæ in ſuos fines ſe recipere poſſent, ingens noſtros ex hoc facto indignatio cepit, Ludouicique perfidiam omnes deteſtabantur, Imperatoreque, ac Legatis uaria animis uoluentibus, neque ſatis tutum, celeremque eius rei exitum reperientibus. tum Bernardus Contarenus Epyrothici equitatus præfectus, qui in conſilio

Ber. Contareni animoſitas.

aderat. ego, inquit, iter uobis domum, ſi annuitis, uiri fortes, patens, atque tutum comparabo. ad ea quum Legati quonam id ille modo, quoue conſilio eſſet facturus, ab eo quæſiuiſſent. hodie, inquit, more ſolito uos, & Ludouicus unà eritis, communibus de rebus acturi; aderunt cum eo ſui Duces, aulicorumque inermium turba, ueſter nobiſcum Imperator, præfectique, & ductores ſedebunt, fores claudentur, quid agendum diſceptabitur. tum ego Ducem tanquàm allocuturus, hoc uobis gladio, quo me cinctum uidetis, obtruncabo. ea cæde patrata, nemo ex ſuis in nos ferro inſurget, qui Ludouicum tacito odio proſequuntur, impietatiſque eius memoriam tenent, qua in Ioannem Galeatium nepotem ſuum uſus eſt, morteque eius omnes gaudebunt, paucis exceptis, qui nunc urbe abſunt: facileque, eo cæſo, eueniet, ut totius Italiæ imperium uobis comparabitis, iniuriaſque ab eo acceptas nullo publico diſpendio ulti, ueſtram dignitatem retinebitis. erat Contarenus celſa, & ingenti corporis ſtatura, uireſque in eo immanes, uaſtæque, ac bellicus, militariſque uigor eximius, ita ut quod de cæde Sforciæ pollicitus fuerat, facile perfeciſſet. Contareno a Legatis laudato, ea de

Not. prudens Decemuirum reſponſũ.

re, ne quid temere ageretur, illi ſtatim arbitrariis notis ſcriptas litteras ad decemuirum præſides dederunt, rogantes, uti reſcriberent, ſtatuerentque quid agendum. reſponſum eſt, ex Reip. dignitate non eſſe, ut id facinus committeretur, neminemque fraude, & inſidiis opprimere Venetos conſueuiſſe, proinde Contareno patres iubere, ut a cæde abſtineat, impiumque facinus omittat. Ludouicus interea ſuorum admonitione prudentiori uſus conſilio, ſententiaque priore reiecta, ab incœpto deſtitit, & copiæ ſtatim ex Nouarienſi agro in Reip. fines in pacatum abiere, in hybernaque dimiſſæ ſunt. At Carolus Rex propenſa ſuorum omnium uoluntate, multoque ipſe cupidius, traiectis Alpibus, in Galliam conceſſit, cuius redditus ingentem ſpem omnibus præbuit, quòd breui Italia ab inſolenti Gallorum dominatu libera euaſura eſſet, unde

de magnis in cœlum laudibus & Venetus Senatus, & Sforcia Dux, uno omnium ore ferebantur, qui arreptis armis, prudenti, & magnanimo conſilio obſtitiſſent, quo minus tam inſignis Orbis pars in exterorum ſeruitutem collaberetur: uterque tamen noua Imperia appetens, priuatiſque exardens affectibus, Gallica, Hiſpanaque arma commouit, quæ Italiæ iterum quietem turbarent, ut poſtea dicemus. Ferdinandus autem [Ferdinandus Rex.] paucis diebus poſt Caroli diſceſſum, ex Sicilia profectus circa Neapolim conſedit. nō obſcuris enim multorum uocibus, uotiſque accerſebatur. ſpei itaque atque fiduciæ plenus, ab Enaria proſpera aura naues ſoluit, atque ad littus Neapolitanum claſſe appulſa, milites non longe ab oppido in terram expoſuit. ſed a Gallis Aragonii reiecti, in fugam uertuntur, Rexque de tota re deſperans, quòd ab Neapolitanis nihil ſibi auxilii emiſſum fuerat, ad Enariam, unde uenerat, dolens reuertebatur. at illi ægre id ferentes, [Neapolitanorum ſtudium in Ferdinandum.] armis ſtatim arreptis, Gallos partim urbe eiiciunt, partim in arces refugere cōpellunt, magnuſque tumultus exortus, omnia conturbat. id Ferdinando ſtatim renunciatum, ſpe priſtina recipiendæ urbis eius animum impleuit: quamobrem celeriter expedita cum triremi Neapolim contendens, magno populi conſenſu in urbem receptus eſt, arcibus quoque, Gallis excedentibus, Ferdinandus potitur: tum naues Gallicæ ſexdecim numero, quæ in Neapolitano portu erant, metu concepto, ne interciperentur, uelis ſtatim ſublatis, egreſſæ, ad inſulam Megarem in tutum ſe receperunt, & Ferdinādi claſſis ad Baias ſubſtitit. ad famam autem receptæ Neapolis uicini populi, Nolani, [Populi in Ferd. fidē reuerſi.] Attelani, Capuani, aliaque oppida tam in ora Magnæ Græciæ, quàm ſecundum littora Tyrrheni maris, certatim in Ferdinandi fidem rediere. In Calabris tamen, & Brutiis Galli, Aragoniique inter ſe arma miſcebant, ac multi, uariique prœliorum caſus illis contigere. nam circa Ebulium non procul a Sarno pugnatum eſt, ubi Aragonius uictus ceſſit, & alio loco Gallus Obenigno Duce profligatur, fortuna nunc triſtia, nunc læta bello miſcente, Ferdinandus interim ad Regnum recuperandum toto animo intentus, arma, milites, pecuniam undique parabat: contrà, Carolus nouas in Italiam copias miſit, bellumque diligenter inſtaurat, ut tanto labore quæſita armis retineat. cæterùm Aragonius Rex, quatenus uires ſuas aduerſus Caroli potentiam pares, tenueſque eſſe agnoſcebat, per Legatos cum Venetis pactus eſt, ut illi Gonzagam Principem cum tribus equitum millibus in auxilium in Campaniam mitteret, quicquid autem auri ob id a Venetis expenſum foret, ipſe integra fide perſoluere pollicebatur, ac Tranum, Hidruntum, Brandusium Apuliæ urbes Venetis tantiſper oppigneratas dabat, quouſque expenſam eo bello pecuniam exolueret. [Not. fœd' cum Ferd. Rege.] inito in hunc modum fœdere, Senatus iuſſu Mantuanus Princeps cum ualidis copiis, & Paulo Capellio legato in prouinciam uenit, quorum uirtute, ac auxiliari Veneta manu Ferdinandus poſt multos armorum conatus uniuerſum breui temporis ſpacio Regnum terra, marique recepit, atque ita Veneti maritimis Apulię oppidis potiti ſunt. [Not. Apuliæ urbes oppigneratas & deditas.] inde paulò poſt, Ferdinandus uix in Regno firmatus, uita deceſſit. Federicuſque patruus nepotis loco abſque liberis extincti, Rex eſt ſalutatus. Orto deinde inter Florentinos, & Piſanos bello, quum iſti libertatem defendere, illi contrà oppugnare, & opprimere tentarent, Veneti ex fœderatorum omnium conſenſu pro Piſanorum libertate aduerſus Thuſcum arma induerunt, [Bellum Piſanum.] miſſiſque auxiliaribus copiis rem Piſanam aliquandiu ſtrenuè tutati ſunt, ac multum, diuque in Hetruria armis bellatum. & Piſani a Florentino nomine abhorrentes, Venetorū ſponte Imperio ſe ſubiicere uoluere. reque in Senatu magnis contētionibus iactata, M. Bollanus uir ſapientiſſimus Piſas [M. Bollanus.] minimè recipiendas eſſe cenſebat, grauiſſimaque oratione habita, ſenatuſconſultum in eius ſententiam factum eſt, ut urbs in libertate retenta, aduerſus Thuſcorum arma a Veneto defenderetur. eratque Italiæ ſtatus per hæc aliquanto inquietior. nam Florentini omni cura, diligentiaque adhibita, magnis copiis celeriter contractis, non ſine ſpe potiundæ urbis, Piſas caſtra admouerunt: multis tamen oppugnationibus fruſtra tentatis, Thuſcus hoſtium armis ab oppido reiectus, expulſuſque eſt. & in Calabris Tarentini Ferdinandi morte cognita, quum ad eam diem Gallorum fidem ſequuti fuiſſent, Cæſare Ferdinandi defuncti fratre notho, magna armatorum manu oppidum obſidente, ut illud ſibi occuparet, concilio coacto, quid nam agendum in tam dubia fortuna

tuna inter ſe ciues quærebant. ea re longis, ſecretiſque diſceptationibus agitata, ac tribus dictis ſententiis, una ut Federico, altera ut Regi Turcarum, tertia ut Venetæ Reip. quæ iuſtum, moderatumq; habet Imperium, urbem traderent, ita ſententiaque hæc magno ſtudio accepta eſt. Vexillo itaque in foro medio Reip. ſublato, auxilium, opemque ab Aloyſio Lauredano Monopolis præfecto Tarentini per litteras, nuncioſque implorarunt.

Tarentum Venetis ſe ſubiicit.

tum ille ſtatim, ne quid temerè ageret, ea de re Senatum certiorem fecit. Tarentinorum deinde Legati Venetias ad patres acceſſere, orantes, ut oppidum Veneti nominis ſtudioſiſſimum in fidem reciperent. Complures autem dies in ſententiis dicendis in Senatu conſumpti: nam res difficilis, arduaque proponebatur. decretum tandem eſt, ut Tarentum Senator Legati nomine mitteretur, qui pro Rep. urbi præeſſet.

And. Zanchanus.

Itaque And. Zanchanus ad id muneris lectus eſt, iis tamen mandatis, ut ciuitatẽ Federico conciliaret, non ut eam Venetus occuparet, ſuæque ſubiiceret poteſtati. Sed priusquàm Zanchanus nauem conſcenderet, Tarentumque proficiſceretur, Alexandri Pontificis, atque Hiſpaniæ Regis legati, itemque Sforciæ Ducis in curiam delati, patres monuere, ne ſe in cauſa Tarentinorum immiſcerent. Quare ne laborem cum inuidia Venetus ſubiret, Zanchani patrum decreto ad Tarentũ profectio reuocata fuit. Verùm Senatu curante, Tarẽtini poſtmodum honeſtis conditionibus in Federici Regis fidem, & gratiam recepti ſunt: quod ad leuandum inuidiam prudenter a Veneto factum, cunctis gentibus ſingularem Senatus animi moderationem declarauit.

Not. Senatus Veneti liberale factum.

Interea circa Piſas Venetis copiis bellum gerebatur. Ludouicus quoque auxilia ex fœdere ſubmiſit, hoſtiumque equitatus cæde facta, in fugam uertitur. ſequuta ſunt etiam ipſis diebus multa, uariaque certamina, quibus Franciſcus Siccus hoſtium præfectus ex accepto uulnere interiit:

Fr. Siccus.

& per hæc bellorum geſta, fortuna partium res inſtabili curſu uariante, complures dies elapſi ſunt, quum utri eorum ſuperiores in bello eſſent, nulli hominum ſatis conſtaret, uariamque, ac dubiam fortunam res modo proſpere, modo aduerſæ reddebant. interim Piſani commeatus inopia propter armorum infeſtationem, & anni tempus grauiter laborantes, ad patres miſere, qui opem implorarent. Tanſmiſſa itaque pecunia ingens frumenti uis Genuæ comparata eſt, quæ Piſas mari aducta, ciuitatem eſurientem recreauit. miſſi eò quoque quingenti ſub Iuſtiniano Mauroceno prefecto Epyrhotæ equites, qui ſtrenuam, fortemque operam ſociis præſtitere:

Iuſt Maurocenus.

& ut ualidioribus auxiliis res Piſana fulciretur, Ioannes Bentiuolus è Bononia, uir fortiſſimus, ſoluto illi per Venetum Senatum, & Alexandrum Pontificem ſtipendio, in bellum euocatur: ſimul & a Sforcia poſtulatum, ut ſuam Bentiuolo ſtipendiorum partem ex fœderis icti formula itidem mitteret. id ille ſalua fide negare quum non poſſet, ſe facturum recepit: nec tamen quicquam miſit, diemque de die ducens, rem impudentiſſime trahebat, ut planè fœderis oblitus, hoſtium partes fouere uideretur: quin Heluetii quadringenti, quos Sforcia mercede conductos Piſas antea miſerat, domum ad pagos ſuos diſceſſerunt, quum emeritum ſibi ſtipendium a Sforcia non ſolueretur. Tum Piſarum ciuitas in Sforciæ auxiliis parum fidens, ad Venetos ſecundò nuncios cum his mandatis miſit, uelle, ac decreuiſſe Piſanos unius Senatus poteſtati ſe ſe committere, ſignaque Reip. ſubtollere; rogare proinde, ut eorum conſenſu id ſibi eueſtigio facere liceret, quando Iuſtitia, pietas, fideſque in Veneto Senatu ſola, in Italia eluceat.

Not. Piſanorum in Venetos inclinationem.

Patres Piſanis collaudatis, quòd ea ergo Rem publ. uoluntate, ea mente, ſenſuque eſſent, aliam opportuniore tempore occaſionem accidere poſſe memorarunt, qua id illi quum uellent, tuto facere liceret, nunc uerò cęteris rebus omiſſis, libertatem, & ſua uirtute, & Venetis opibus tueri curarent. bonoque animo iis eſſe iuſſis, dimiſſiſque, in belli curam ſtudio conuertuntur, triremeſque ſex Reip. mari euagatæ aliquot Florentinorum nauigia in fugam uerterunt; quæ magnum impedimentum infeſto curſu afferebant, ne frumenta, neve reliqui commeatus, ac alia præſidia comportari Piſas poſſent. Hoſtium igitur nauibus uel diſiectis, uel fugatis, captiſque, omnis inediæ timor ſublatus eſt. terreſtres quoque copiæ rem proſpere in hoſtes geſſere: nam caſtella aliquot ſunt ab iis modico negocio capta, & ſecundiora etiam prælia commiſſa, in quibus hoſtium Legatus Petrus Capo interficitur.

Pet. Capo tus interitus.

In Græcis autem equitibus uirtus plurima enituit, qui multas fœlices incurſiones in hoſtem

ſtem

ſtem fecere, prædæque ſæpe ingentes hominum, pecorumque abactæ ab illis ſunt, & commeatus intercepti, qui in hoſtium caſtra comportabantur. & dum hæc ad Piſas geruntur, è Gallia Tranſalpina nuncii trepidè uenerunt, Regem Carolum redditum in Italiam cum maximis copiis parare, in uia quidem ipſum iam eſſe, pauciſque diebus ad Lugdunum fore: quam ob rem Ludouicus facilior aliquanto redditus, a Senatu per Legatos quæſiuit, uellet ne, ſi Carolus infeſtis armis in Italiam accedat, ſibi auxilia ſubmittere: nam probe intelligebat, ſua animi proteruia, peruerſiſque conſiliis, quibus ad labefactandam rem Venetam dudum uſus eſt, ſe planè promeritum, ne quã ſui curam, rerumque ſuarum protectionem Reſp. ſumeret. ad hæc Senatus reſpondit, tametſi Piſano hoc bello magnis impenſarum oneribus terra, marique implicita ciuitas eſſet, Sforciaque parum grate ſe in Remp. geſſerit, patres tamen in eo tuendo, atque Italiæ libertate conſeruanda, non defuturos.

No. Sforciæ petitionem.

poſt hæc M. Beatianus Senatus ſcriba ad Heluetios miſſus eſt, qui eis Reip. nomine ingentia præmia polliceretur, ne Gallorum ſtipendia ſequerentur.

M. Beatianus.

rex quoque Maximilianus ab Alexandro Pontifice, Veneto Senatu, & Sforcia Duce in Italiam communibus expenſis euocatur, ut eſſet, qui Regem Carolum authoritate ſua, & armis deterreat, ne Alpes traiiciat, maximeq; triũ menſium ſtipendiorum æra Maximiliano ea expeditione cõi conſenſu ſunt decreta, nã quadringẽtas, atque octuaginta auri libras Senatus ex ærario ſoluebat, Ludouicus totidem, Alexander partem dimidiam: ad eumque in Germaniam Fr. Foſcarus Legatus miſſus eſt, ut profectionem ſuam Maximilianus cum exercitu in Italiam maturaret.

Maximilianus in Italiam euocatur.

Fr. Foſcarus.

Qui accepta a patribus pecunia, ad iter ſtatim ſe accinxit, in Comenſemque agrum primùm uenit, eum Sforcia cum uxore Beatrice, & ex Aulicis ſelectiſſimo quoque obuiam profectus, honorificè excepit, pranſique una uenatum iere: quo motu Aurelianenſis Dux Aſtam oppidum communiuit, ueritus, ne Maximilianus eò primùm omnium ſuas copias hoſtiliter admoueret.

Maximiliani Regis in Italiam aduẽtus.

ille autem, ut Philippum filium Belgarum Regem ad ſe adeuntem conueniret, in interiores Germaniæ oras ſe recepit, qua ſubita profectione, multis ſuſpicio iniecta, ne ille amplius in Italiam reuerteretur. rediit tamen poſt paucos dies, ad quem miſſi ſunt a Senatu Legati duo, Antonius Grimanus, & M. Antonius Maurocenus, qui uenientem exciperent.

Ant. Grimanus ex Ant. Mauroc.

Accidit autem, ut dum Derthonæ eſſent, obuiamq; in uia forte facti Legatis Florentinorum ſalutem blando ore dicerent, & illi eis illiberali contumacia ne uerbum unum quidem reddidere: poſtridie iterum obuii, quum elato inceſſu Oratoribus noſtris petulanter de uia minimè cederent, Maurocenus, qui egregie corporis forma, & celſa ſtatura eminebat, alterum ex Legatis Florentinorum, ita manu perpulit, ut in lutum ille prouolueretur; conuerſuſque ad eum, Diſce (inquit) maioribus tuis cedere. atque ita Venetus cum ſumma dignitate duplicem iniuriam ultus eſt.

Not. Mauroceni Legati factũ.

atque illis ipſis diebus Henricus Britanniæ Rex inter confæderatos recipi uoluit. Maximilianus poſtea ad Vegeuenum uenit, inde Piſas ire ſtatuerat, ut bello finem aliqua conditione imponerat. Sforciaque id magno ſtudio curabat, eo conſilio, ne Piſæ ſub Reip. ditionem redigerentur: quod ne eueniret, plurimum uerebatur, nilque eorum, quæ rem turbare, impedireque poſſent, prætermittebat. Genuam igitur a Derthona Maximilianus profectus, complures dies in Lyguriæ finibus ſe continuit, ut parata claſſe in Thuſci maris oras nauigaret: idoneam autem nactus tempeſtatem Nonis Octobris (ut Bembus tradit) claſſe conſcenſa, in qua octo longæ Venetorum naues ſub Dominici Maripetri imperio fuere, & duæ Genuenſium, cum decem onerariis, in altum prouehitur, Arnique fluminis, ſuperata ingenti tempeſtate, oſtium ingreſſus, nauicula armatis ſeptus, cum eodem præfecto Piſas peruenit.

Not. Claſſem.

coactoque ciuitatis concilio, blandeque omnibus appellatis, ſuã operam bello aduerſus hoſtes obtulit: Trituritæque oppidi arcem, quæ mari undique alluitur, oppugnare inſtituit, unde ab hoſtibus res frumentaria impediebatur, ne Piſas importaretur, urbſque ob eam cauſam annonæ penuria laborabat.

Triturita.

itaque Legatis Venetis, qui exercitui præerant, mandatum, ut ad remorandos hoſtes, in diuerſas partes equitatum emitterent, trecentique milites Heluetii è nauibus cum tormentis ſub ſuis Ducibus egreſſi, occupare collem iubentur, qui è regione arcis eſt. iamque res armis geri cœperat, tum Trituritani portis magno impetu erumpunt, præliumque commit-

Pugna naualis.

Veneti propulſarent, cum quinque triremibus, aliiſque minoribus nauigiis in hoſtes impetum fecere, qui claſſem non exiguam, nautis militibusque refertam mari agebãt: contractoque certamine diu acriter ab utriſque continenter horas ferme quattuor pugnatum eſt. nauigia tandem commeatum conuehentia Arni oſtium ingreſſa, Piſanos fame laborantes cibariis recrearunt. terreſtre etiam prælium ad Ceuæ oppidum in Lyguribus rem Epyrota in hoſtem feliciter gerente, Venetis proſperum fuit. Increbreſcente uerò paſſim fama, Carolum Regem omnino aut ipſum in Italiam aduenturum, aut magnos exercitus tranſmiſurum; Senatus decreuit, ut omnes Reip. copiæ ad Padi ripas ſe conferrent, ut aduentante hoſte Venetos fines, ac ſociorum res tuerētur. Ea opinione de Carolo, Gallorumq́ue aduentu, & belli timore populorum Italiæ animis illabente, Triſtanus Saurognanus è Foroiulii Decurionibus, homo Reip. amantiſſimus, Ber. Bembũ, Petri Cardinalis ampliſſimi patrem, in decemuiratu præſidem, adiiſſe fertur, obtulitq́ue, ſi ſibi permiſſum ſit, clam ſe curaturũ, ut Carolus Rex per cubiculi miniſtrum ueneno tolleretur, atque Italia hoc facinore a Gallorum armis liberata conquieſceret. At Bembus, tametſi certo ſciret, eam rem patres non laturos, ueteri tamen maiorum inſtituto, re cum collegis communicata, atque ab ipſis ad conciliũ perlata, Triſtano ad ſe uocato de communi patrum ſententia Bembus ita reſpondere iuſſus eſt, eiuſmodi contra hoſtes inſidiis ad eam diem nunquàm patres uſos fuiſſe; a maioribuſq́ue ſuis didiciſſe, ut potius aperta ui, ac uirtute, quàm dolo contenderent. neque enim per ſcelus quenquam, ſed iuſtitiæ armis uincere Venetæ Reip. licere; magiſq́ue Deos immortales, & publicum decus, quàm humanas res ſibi cordi eſſe. Prudens ſane, ac memorabile factum, illiq́ue perſimile, quo Romani Conſules, C. Fabricius, & Q. Aemilius in Pyrrho ſeruando uſi ſunt, qui eum per litteras monuere, ut medici inſidias caueret, in calce litterarum ita ſcribendo: Hæc nõ tui gratia nota fecimus tibi, ſed ne mors tua nobis calumniam afferat, quaſi uirtute te nequiremus ſuperare, dolo contendiſſe. uale. Eandem Veneti Romanos ſpiritus gerentes, in hoſte ſeruando ſane operam præſtitere. & hæc in Italia circa Piſas geſta. Ad Pyreneum autem ſaltum Galliæ, & Hiſpaniæ Reges bellum inter ſe gerebant: ſex poſtea menſium inducias reſpirandi paululum ſtudio fecere, quibus etiam decretum, ne ſocii, fœderatiq́ue bello laceſſerētur: quamobrem a Carolo Rege Triultio imperatum, ut armis abſtineat, nec Ludouici, & Venetorum rebus toto induciarum tempore turbam, aut uim inferat. Ea intellecta re Senatus ſuas & ipſe copias domum reuocauit. & quod minimè in tanto armorum motu, Principumq́ue diſſidio expectabatur, ſubitum ocium allatum eſt. ob idque Senatus Dom. Triuiſanum, & Ant. Bolduum ad Hiſpaniæ Regem Legatos miſit, qui publico nomine procurarent, ut ex induciis ſemeſtribus pro Italiæ, & totius Reip. Chriſtianæ quiete, & tranquillitate diuturna pax fieret. Iis autem in Legationẽ profectis, Bolduus, magno, præſtãtiq́ue uir ingenio in itinere aduerſa ualetudine correptus, Genuæ interiit. Poſt hæc dum induciarum tempus labitur, Patres Piſani belli non obliti, auctis copiis Italo milite, & Epyrotha equite, eas ad rem Piſanam tuendam in Florentinos emiſere: nil tamen, quod magnopere memoratu dignum eſſet, eo tempore geſtum. certabaturq́ue ſæpe utrinque leuioribus præliis. Miſſa eſt poſtea ad Senatum Ludouici Legatio, quæ ad componendas Piſanorum cum Florentinis controuerſias patres perblandè hortaretur, admoneretq́ue eos diſpendiorum in bello alendo, & quantis Italia turbationibus conflictatur, in qua ſtatim omnia pacis, & quietis plena erunt, ſi Piſæ poſitis armis Florentino populo reſtituantur. Romæ quoque eademmet cauſa per Hiſpaniæ, Aragoniæq́ue Regum, & Ducis Mediolani, Oratores cũ Marco Lippomano Veneto Legato pertractata eſt; conatiq́ue ſunt illi coram Pontifice perſuadere, cohortariq́ue Venetum, ut pro communi ſalute, atque Italiæ pace, Piſæ Florentinis reſtituerentur, quo facto cunctis ſtatim diſcordiarum, belliq́ue ſeminibus extirpatis, nunquàm amplius extera arma timenda erant, quæ Italiam turbarent. Florentiniq́ue ſtatim, urbe ſua recepta, in fœdus, amicitiamq́; cum aliis aduerſus Gallorum motus coirent. Sed Venetis alia mens, aliud cõſilium erat: neque enim æquum cenſebant, alienumq́ue a fide data illi putabant, Piſanam rem deſerere, nihilq́ue iniuſtius fieri poterat, quàm auxilia, paucorum libidine, ſubtrahere præſtantiſſimæ urbi,

Not. Triſtani Saurognani audax facinus.

Not. prudens reſponſum.

Not de Romanis

Not. inducias.

Ant. Boldui interitus.

M. Lippomanus.

Not. Venetorum fidem.

cuius

cuius libertatem armis retinere percupidè fœderati omnes antea ſanxerant: nunc uerò Piſas in Florentinorum poteſtatem tradere, quidnam aliud erat, quàm fidem uiolare? quam ſi alii negligere uidentur, Veneti ſemper eam in qualibet fortuna omnibus ſeruare ſtudent. Agebaturq́; in hac Piſarum reſtitutione de Reip. Venetæ dignitate: quæ, quum fœderatorum omnium conſenſu arma pro Piſanorum libertate induiſſet, magnasque opes effudiſſet, illis paulatim ſe ſubtrahentibus, Veneti ſoli belli totius onus ſuſtinere coacti ſint, moleſtiſſimumque Senatui eſſe, quòd id bellũ Veneti ſuſcepiſſe dicerentur, ut Piſas ampliandi Imperii libidine accenſi, ſibi ſubiicerẽt: quod utique falsum eſt, quum ſponte oblatum illius urbis dominium toties abnuerint, pro cuius ſolùm libertate tuenda tot labores ſubiere, tot opes effuderunt, claſſibus, exercitibusque contenderunt, ut Italiæ gloriæ, retenta eius dignitate, refloreſceret: ob eaque Venetus uerè affirmare poterat, quòd ſua uirtute, opibusque conſeruata eſſet Italia,

Not. Venetorum bellicas actiones.

quatenus nec apud flumen Tarrum aliis uiribus, armisque, pugnatum eſſet, neq; Neapolitanum Regnum aliis armis, uiribusque defenſum, quàm Venetorum authoritate, & potentia; ſolisque eorum armis, copiisque Nouaria deditionem facere coacta eſt. iiſdem quoque Carolus Rex in Galliam fugienti ſimilis tranſire compulſus fuerit. & hæc omnia a Venetis facta eſſent communis pacis ſtudio, & ſalutis Italiæ deſiderio. quæ, ſi uti acta ſunt, homines parum intelligunt, obliuionique mandantur, nolle idcirco patres aliorum exempla ſequentes, & fidem, ac dignitatem Reip. turpi infamiæ nota ſugillare, quando in primis ex conſeruatione libertatis Piſanorum, ſecuritas, ſalusque totius Italiæ dependeat. Hæc omnia Legatum Lippomanum in reſponſionem afferre Senatus iuſſit;

Car. Regis interitus. Ludouic' Rex.

quæ quum Romæ magno fœderatorum diſſidio agerentur, Carolus Rex in Araboſia urbe morbo apopletico correptus, ſubitò è uita deceſſit. Salutaturque Rex eius loco Ludouicus Aurelianenſis, alto, ſublimique inter Gallos genere ortus, cum quo Veneti fœdus, ſociaque arma iunxerunt. at ille Mediolani Ducatum, qui poſt Philippi Vicecomitis mortem Aurelianenſium domui legitimè ſpectabat, armis ſibi uendicare ſtatuens, magnum in Italia bellum exciuit.

Th Zen'.

uarii deinde armorum conatus ad Piſanam rem tuendam in Venetis fuere: miſſaque noua militum præſidia ſub Thoma Zeno Legato ad Piſarum urbis cuſtodiam, negatoque a Sforcia tranſitu, per Herculis Ferrariæ Ducis fines, traiecto Pado, copiæ eò peruenere: Græcique equites crebris excurſionibus magnas clades hoſtibus intulerunt, & ad Butrium, Populoniamque, Iacobo Saurognano Duce, proſpere pugnatum. Mari quoque res ſecundæ Venetis fuere: nam quum longa maior nauis ex earum numero, quæ ad mercaturam quotannis in uarias regiones proficiſcuntur, Aloyſio Georgio præfecto, inter nauigãdum ad Maleæ promontorium iter faceret,

Arriges.

in Pyratarum claſſem, Arrige Turca Duce, incidit; ea erat nauium onerariarum duarum, totidemque triremium, ac biremium quinque. Tum nautico more ſtatim ſigno dato a Turca, ut Veneta nauis uela demitteret, non intermiſſa nauigatione, plenisque uelis Georgius ſolitũ curſum tenuit: quod ubi Pyratæ conſpexerunt, iniuriam ſibi magnam illatam reputantes, quod ille ſigno non paruiſſet, nec uela depoſuiſſet, ab utroque ſtatim latere Georgii nauem ſuis triremibus, aliiſque nauigiis furibũdo impetu cinxerunt, unde ſagittarum, telorumq; magna uis emittitur: propinquiorique acceſſu Turcæ nauem Venetam conſcendere annixi ſunt, iniectoque igni uela combuſſerunt.

Pugna cũ Pyratis.

ſed tanta Georgii præfecti, remigũ, nautarum, peregrinorumque uirtus fuit, ut quum ab hora diei ſexta, uſque ad quartamdecimam inceſſanter pugnatum eſſet, Turcæ priores receptui canentes, ſuis omnibus cum nauigiis retroceſſerint. quadragintaque ex his eo certamine cecidere, ex Venetis quinque tantùm, ſed complures uulnerati, & in his præfectus Georgius, uir pugnax, qui quattuor transfixus iaculis non tamen periit. Arriges autem, miſſis ad Georgium nuntiis, qui ſalutem illi ſuo nomine dicerent, magnumque, ac fortem uirum eſſe teſtarentur, pacem, amicitiamque cum illo beneuolè iniit.

Ber. Ciconia.

In Punicis etiam littoribus Bernardus Ciconia Perucam Pyratam ſe dedere coegit, naui eius ſtuppis ab urinatoribus è Carina exemptis, periclitante.

And. Lauredanus.

Andreæ item Lauredani uirtute Petri Cantabri claſſis ad Oricellam in maritima Calabriæ ora, poſt atrox certamẽ incenſa eſt, nouemque ex ſuis reſte ſuſpenſis, cantaber ipſe ore ſaucius effugit. Et in Hetruria Florentini

rentini

rentini poſt cladem circa Butrium acceptam, Paulum Vitellium uirum fortem è Romano agro ad ſua ſtipendia euocarunt, & Vitellotio eius fratri præfecturam equitum tradunt. Sforcia autem omni ſtudio, arteque curabat, ut Piſas Florentini reciperent, aperteque eis fauebat, ne Veneti ea urbe potirentur, palamque eius Legatus in curia dixerat, nullo modo Ludouicum Laturum, ut Piſæ Venetis ſubiicerentur. Tum Barbadicus princeps ei reſpondens, aſſeruit, quòd bellum Reſp. in Florentinos cauſa Piſarũ ciuitatis tuendæ, non ſibi ſubiiciendæ ſuſcepiſſet: ſociis quidem omnibus id approbantibus, Sforciaque ipſo in primis magnopere adhortante, qui belli etiam æquam partẽ ſoluere pollicitus eſt: quantas uerò impenſas Senatus fecerit in copiis parãdis, in claſſe conflanda, omnibus ſanè patere, & frumenta Veneto ære coempta, & bellica inſtrumenta Venetis nauibus aduecta Piſani ſæpe recepere: ſoliſque Reip. ſumptibus, ac maritimis, terreſtribuſque uiribus, reliquis confœderatis oſcitantibus, res eorum ſeruatæ ſunt: nam Sforcia non modò ſuas domum copias, quas ex fœdere dare tenebatur, reuocauit; ſed hoſtes etiam Piſanorum milite, pecunia, conſilio, rebusq; omnibus fouit, & adiuuit; quem imitari Venetus prorſus negat, perfidiæque uti turpiſſimum ſemper eſſe putauit. His ſermonibus ſecretò habitis, Legatus tempus ſe dixit ſumere, dũ ſcire poſſit, quid ad illa reſponderi Sforcia in animo habeat. Paucisq; poſt diebus molliores ad Senatum e Mediolano litteræ uenere, quibus quidem non ſocium modò, atque amicum, ſed planè filium Reip. Sforcia ſe eſſe declarabat, æquiſſimumque ſibi uideri, quam pecuniam in Piſis tuendis ciuitas ex ærario deprompſerit, eam totã Reip. reſtitui: itaque ſi uelint, cum reliquis fœderatis, ſociiſque principibus, rationem patres ineant, quonam id modo agi commode poſſit, ſe nihil impediturum, quominus expenſum, erogatumque aurum Venetus recipiat, ut bello finis imponatur. Sed dum hæc domi curantur, Florentini æſtate ineunte, copiis auctis, duplici prælio, & ad Lunam, & circa Caſſinam non exiguam ex Venetis armatorum manum fuderunt, cõpluribus captis, cæſiſque, in quibus Ioannes Gradonicus fuit, uir patritius. Ita re male geſta Senatus exercitu reſtaurando, tantus in eo ſeruandæ fidei ardor erat, nouos ſtatim milites conſcribit, & Guidus Vbaldus Metaurenſium Dux caſtris præficitur, Legatusque Petrus Marcellus creatur. Vrſini quoque in militiam aſciti ſunt, quos Petrus Medices patriæ extorris in Florentinos bellum gerere impulerat, hos autem, unaque Græcos equites, qui æſtiua in Taruiſino agro habebant, quique tum mercede conducti ex Aetholiæ finibus uenerant, in Flaminiam Senatus mittendos cenſuit, ut alio itinere Piſas ſe conferrent: nam Sforcia per ſuos fines tranſitum Veneto præbere omnino negabat, itinereque omnia ita clauſerat, ut ne tabellarius quidem eò ire poterat. compluresque dies, quid in Hetruria agebatur, Senatum latuit, apertaque in Sforcia defectio conſpecta eſt, qui Genuenſium etiam animos a Veneta ſocietate alienauit. Hæ igitur iniuriæ patres in Sforciæ odium plurimum accendere, ad quas uindicandas tempus, occaſioque a Venetis expectabatur. Interim quum Florentini exercitum ſuum nouis militum ſupplementis auxiſſent, Butrium aggreſſi, per deditionem oppidum occuparunt, atque eo in poteſtatem redacto, Vitellius hoſtium Imperator inhumana crudelitate uſus, omnibus tormentorum libratoribus, ne amplius exercere artem poſſent, dexteras præcidi iuſſit, ſuaque cuiuſque collo appenſa, eos dimiſit. Suſceptis autem ſingulis patres annuam, quoad uiuerent, ex ærario ſtipem tribuerunt. in augendis quoque copiis, quæ attenuatæ erant, a Venetis cura impenſa. Balioneſque è Peruſia cum magna militum manu ſunt euocati, qui per Fauentinorum fines, Iacobo Venerio Legato procurante, Piſas peruenere, ex alia parte Vitellius hoſtium Imperator cum omni exercitu ad Piſanum uicum caſtra poſuit, oppidumque acriter, diuque oppugnatum, ac tormentorum ui ingenti ruina mœnia diſiecta, reiteratiſque præliis oppidani exterriti deditionem fecerunt. leui quoque clade ad caſtellum Vico Piſano proximum Venetus affectus eſt. Iis rebus geſtis, Florentini Herculis Ducis Ferrariæ aſſertione, in ſpem uenerant, bellum cum Venetis confici poſſe, ut pax Italiæ redderetur: decretaque ſtatim legatione, Guidus Antonius Veſpucius, & Ber. Ruccellai Florẽtinæ ciuitatis longe Principes ad Venetos mittuntur, ut eorum animos circa pacis conſilia tentarent: qui in curiam admiſſi, poſtquàm Remp. ſuam excuſarunt, cuius Oratores

Not. Barbadici P. reſponsio.

Not. Sforciæ artes.

Clades duplex.

Io. Gradonici interitus.

Petr. Medices.

Butrium ab hoſte captum.

Iac. Venerius.

Legati Florentini.

res ad eam diem ad Venetos profecti non fuiſſent, apertè poſtularunt, ut patres a Piſarum defenſione amotis armis ſe abſtinerent, nec amicum populum, qui nunquam Venetos læſiſſet, impugnare uellent. & quatenus ſemper Iuſtitiæ fama Veneta gens ubique terrarum laudem tuliſſet, eandem nunc in præſenti cauſa exerceret, tribuendo unicuique quod ſuum eſt, nec aliena temerè uſurparent, ne ſapientiſsimi, iuſtiſsimique Senatus fama ſugilletur. Ad ea Princeps reſpondit, ſatis liquere, quòd nullam iniuriam a Florentinis Veneti acceperint, nec idcirco rem Piſanam tuendam ſuſcepiſſent, ut eis aliquo modo officerent, ſed ut libertati Italiæ, ea ſeruata, conſultum foret: & quum ſoli Florentini in Italia Gallorum partes ſequuti fuiſſent, communis utilitatis ratio omnes confœderationis Principes induxerit, ad ferendam Piſanis ſub publica fide opem, ut eorum libertas intacta maneret: quòd ſi cæteri promiſſorum, fideique datæ obliuiſcerentur, nolebant Veneti, contra uetus Reip. inſtitutum, patriosque mores, in re tam indigna eos imitari: uerùm ſi quid a Florentinis proponeretur, quod Piſanis libertatem ſeruaret, tum palam Venetus omnibus notum faceret, quòd neque dominandi cupiditas, neque ullius commodi ſui ratio in cauſa erant, ut in Piſarum defenſione tandiu perſeueraret. Actum itaque eſt, per aliquot dies de modo compoſitionis inter utranque partem, arbitro Regis Hiſpaniæ Oratore, qui honeſtas conditiones propoſuit. iis tamen reiectis, bellum proſequi placuit, unde Veneti nouis militibus per Italiam conſcriptis, Carolum Vrſinum, & Bartholomęum Liuianum, uiros fortes præfecere. Inter hæc Paulus Vitellius hoſtium Dux Librafaram oppidum cepit, omniaque proſpere agens, cum auxiliaribus Sforciæ copiis, Piſas urbem in magnum diſcrimen coniecerat, ad quam liberandam patres intenti, Franciſcum Mantuæ Principem exercitus ſui Imperatorem declararunt, in quo ad mille grauis, leuiſque armaturæ equites eſſēt, & tria millia peditum Prætores Taruiſii, Vincentiæ, Veronæ, Brixiæ, Bergomi in ſuis finibus conſcriberent, qui ad Mantuanum Principem in caſtra irent, ut Piſas uel inuitis hoſtibus, per quorum fines iter eſſet faciendum, peruenire poſſet, Legatumque ei Nic. Foſcarenum patres ſublegere. Sed dum lentius omnia fiũt, nec promiſſæ copiæ adſunt, reiectis Venetis, Mantuanus Princeps Sforciæ adhæſit, copiarumque ſuarum Imperator declaratur. & Liuianus, cui antea Senatus præfecturam equitum tradiderat, in Caſentinum agrum cum armatorum manu profectus, Bibiennam oppidum occupauit, inde Popio fruſtra tentato, ex hoſtili agro in tutum abiit. Poſt hæc Vitellius ad Piſas caſtris poſitis, quatere muros magno impetu tormentis cœpit: id quum parum propter mœnium firmiſſimam ſtructuram profeciſſet, crates in latitudinem quoquo uerſus pedum denum, in altitudinem ſenum magno operariorum ſtudio inter ſe firmiter coniunctas noctu muris tacite admouit, militeſque armis, cratibuſque tecti, ut murum ſuffoderent, imperauit. Piſani autem intrepide hoſtes è propugnaculis repellentes, foſſam mira celeritate intra muros profundam duxerũt, caſtelliſque, & præſidiis munierunt, ad hoſtium ſubitam uim propulſandam: tum illi turri oppidi tormentorum impetu deiecta, per ruinas in urbem irrumpere coacti ſunt, ſed foſſæ latæ obiectu, & oppidanorum armis magnum ſuis periculum. certamque cladem inſtare Vitellius cognouit: receptui itaque cani iuſſit. pauciſque poſt diebus ab urbe caſtra amota, quo pacto Græci equites portis effuſi, caſtellum Calcem deiecto præſidio expugnatum diripuerunt. Volaterranum deinde percurrentes agrum, præda onuſti, Piſas reuerſi ſunt. Et ex altera parte Liuianus caſtellum Orniam breui temporis ſpacio cepit: inde & Qualianum. alięque hinc inde ſequutæ ſunt expeditiones, belliciq́; ſucceſſus, ſed hi leuiores, & qui legentibus tædium afferre poſſunt. Alia interea grauiora, his omiſſis, quæ & rerum ordo poſtulat, proſequamur. Afferebatur enim crebrioribus ex Aſia nunciis, Bayſethem Turcorum Regem, ingentem claſſem parare: quem maritimum armorum motum in Remp. ordiri patres ſuſpicabatur, cum aliis de cauſis, tum propterea, quòd Nicolaus Peſareus, claſſis Legatus, dum circa Mythilenem in nauim onerariam unius ex Bayſethi Regis Ducibus incidiſset, & ſignum nauticum de more dediſset, ut Turcæ uela dimitterent; illi non ſolùm parere uoluere, ſed diſploſis tormentis, teliſque emiſſis, uim inferre auſi ſunt. cecidítque prætoriæ triremis armorum magiſter, quem Armiraglium uocant: plurimique ex nautis interfe-

No Venetorũ fidẽ.

Nouæ copiæ.

Nic. Foſcarenus.

Bibienna.

Popium.

No. munitiones.

Ornia.

Qualianũ

Nic. Peſareus.

interfecti,uulneratique fuere. tum Peſareus ira percitus, arma ſuis uti extemplo cape rent,imperauit,atque in hoſtilem nauim impetu facto,eam poſt atrox certamen expugnauit,cumque omnibus,qui pugnæ ſuperfuerant,alto mari depreſſit. Byzãtii autem a magno ſtudio claſſis parabatur: quare patres,ut Bayſethi animum explorarent, Andr. Zanchanum Legatum Conſtantinopolim miſerunt, qui a Barbaro benigne exceptus, nihil hoſtile ab eo in Venetos moueri cognouit, pacemque cum amiciſſimo populo ſe ſeruaturum Bayſethes aperte pollicitus eſt.patres autem eius fidem ſuſpectam haben tes,ne maritima ora præſidiis deſtituta in tanto Turcorum apparatu maneret,ualidiſſimam claſſem decernunt,eiuſque imperium Ant. Grimano ſummo ciuitatis conſenſu ſecundum demandatur.ferturque,ut Bayſethes Venetos falleret, fœdus quidem cum Zanchano renouaſſe,idque Latinis conſcriptum litteris ferendum ad patres dediſſe.eſt autem in Turcorum legibus, ut quæ ſuæ linguæ uerbis ſcripta expreſsè non ſunt,ea ſeruare minime tenentur.erat tunc Byzantii And. Grittus, qui mercaturam ea in urbe,totaque Thracia annos complures exercuerat, uir præter egregiam corporis formam,morum grauitate,prudentia,ac liberalitate inſignis,eique nationi apprime charus,Grittus;quum Turcorum inſtituta quàm optime calleret, Zanchanum admonuit,ut curaret,quòd fœderis tabellæ Thraciis litteris obſignarentur, ne Venetos fallendi pro legis obſeruatione Bayſethes cauſam haberet. Zanchanus iuxta Gritti monita re tentata,nihil efficere potuit,ad urbemque rediit,cum renouato fœdere,Latinis ad fallendum ſcripto litteris,quod Venetos in maximam ſuſpicionem induxit: atque ea de cauſa id Rex Barbarus facere iudicatus eſt,ut Venetos ſub data fide imparatos,atque inermes ſubitò adoriretur.miſſis quoque legationibus Sforcia,& Florentini,nihil eorum,quæ Bayſethi animum in Remp.irritaret,intentatum reliquerunt,quamobrem Veneti ut muniti ad omnes caſus eſſent,maritima arma incredibili ſtudio parabant.poſt hæc ad Ludouicum nuper Galliæ Regem delectum, Legati ſunt ad eum ire iuſſi tres gratulatum Reip.nomine,uiri inſignes, Antonius Lauredanus, Nicolaus Michael,& Hieronymus Georgius.attuleruntque Regi munera ſexaginta Aquilas in Creta inſula captas,quibus Reges in aucupiis,uenationibuſque uti ſolent. Legatis in Galliam profectis,Ludouicus Rex ſub alto ſilentio propoſuit,conſtitutum ſibi eſſe, in Italiam cum potenti exercitu tranſire,ac Mediolani Principatum,qui ad ſe hæreditario iure ſpectabat,armis repetere,gratumque ſibi admodum fore, ſi Veneti ſecum ſocia arma coniungerent.Legati de his Senatum per litteras certiorem ſtatim fecere, illudque addiderunt,Sforciam nihil prætermittere,per amicos Regios, orando, pollicendo,ut ipſe in Regis ſocietatem reciperetur. patres re per plures dies in Senatu agitata,dubiis animis conſultationes trahebant: nam plerique conſiderabant, periculoſum eſſe, maximum, potentiſſimumque Regem ſibi finitimum in Italiam adducere; qui ſi Mediolano potiretur,potentia,uiribuſque auctus,ſuperbe, auareque imperitaret.alii Sforciæ nomen oderant, neminemque eo in Principatu Reipub. pernicioſiorem eſſe apertè aſſerebant,quem per multos annos experti fuiſſent; uerebanturque, ſi Regis ſocietatem repudiarent, ne is ſtatim commutata uoluntate in Reip. excidium cum Sforcia ſe coniungeret,qui ut bellum a ſe auerteret, quaslibet a Rege conditiones erat accepturus: recentes quoque, ac ueteres Sforciæ iniuriæ ciuium animos ad uindictam expetendam incitabant. aliqua etiam in Senatu propagandi fines imperii cupiditas inerat,iuſto præſertim bello,ad quod ſuſcipiendum ex patrum numero Antonius Grimanus uir magna in Rep. authoritate maximopere ſuadebat. contrà Melchior Triuiſanus ab eo diſſentiens,Gallorum reiecta ſocietate Sforciam in Mediolani Principatu retinere utile Reip. eſſe cenſebat. decretum tamen eſt, cum Rege ſocia arma iungere,his conditionibus,ut Ludouico Sforcia Principatu eiecto, Mediolanum, ac reliquas urbes Rex ſuæ poteſtati adiiceret,præter Cremonam, quam urbem cum Abduana glarea Veneti haberent,darentque ipſi in id bellum equitum ſeptem, peditum ſex millia: quo quidem fœdere magna in Italia facta eſt rerum mutatio, conſultumque rei Venetæ forſan melius fuiſſet,ſi Italus,& non alienigena Princeps Mediolani imperium habuiſſet. nam illius potius,quàm huius uicinitas præoptanda erat: quod Sforcia tacite animo reputans, quum quis ei ſuorum inter ſermocinandum,

Nauis Turcorũ expugnatur.

Claſſis apparat'.

No. Turcorum legem.

Andr. Grittus.

Legati Veneti.

No. Patrũ ambiguitatem.

Ant. Grimanus, Melch. Triuiſanus.

Fœderis conditiones.

Not. de Sforcia.

conſenſuros cum Rege Galliæ Venetos contra illum diceret; Bono ſis animo, inquit: nunquàm id Senatus decernet, ne præpotentem Regem finitimum habeat, & uos potius, quàm Gallum Imperio ſuo uicinoſo optabit. ſed ubi fœdus concelebratum audiuit, ſæpe ſe ipſum Sforcia accuſans, qui nunquàm id credere potuerit, Ioãnem Franciſcum Seuerinatem, armorum Ductorem inſignem, quem quidem cum inſtructis copiis ad Piſanum bellum Florentinorum auxilio mittere ſtatuerat, retinuit, nec a Mediolano diſcedere permiſit, ut Aſtam uerſus, ubi iam Triultius ingentem armatorum manum cogere nunciabatur, eum proficiſci iuberet. Interea Piſano exardente bello, quum in Metaurenſium Ducis fines Nicolaus Vrſinus cum Veneto exercitu perueniſſet, ut Bibiennam peteret, ubi qui in præſidio erant, annonæ penuria laborabant, in difficillima itinera incidit & propter hoſtium copias, & ingentes niues, quæ montes, pleniciemque paſſim operuerant. Tum ciuitas uoracibus belli expenſis iam defeſſa, multiſque rerum difficultatibus agitata, de pace cogitare cœpit, ad quam omnium animi inclinati erant, ob propinquos Gallici belli motus, & Rex Piſanam cauſam in manus ſuas reponendam poſtulabat, quam expedire honeſtis conditionibus pollicebatur. Facultas autem a Venetis, Florentiniſq; Herculi Duci Ferrariæ tradita eſt, ut, auditis partium iuribus, rem ipſe ex æquo componeret. euocatuſque ad rem tranſigendam Venetias Hercules, ad urbem acceſſit, cum quo ſimul Florentinorum Legati, Ioannes Baptiſta Ridolphus, & Paulus Antonius Sodorinus aduenere; treſq; a patribus Senatores delecti, uiri ampliſſimi, non ſuffragiis, ſed uoce, & nominatione, ut Herculi qui pacis ſequeſter erat, præſto adeſſent, ſi quid petere, aut cognoſcere ille uellet: atque ad Principem, ac patres in curia renunciarent. tantam tamen in Herculis pollicitationibus patres fidem habuere, ut nihil eum facturum putarent, quod non ex Reip. dignitate eſſet. Ab hac autem opinione diſſentiens Georgius Cornelius unus ex Principis Collegio, uir prudentia clarus, Herculis declarationem in curiam afferri cenſebat, ut ſi quid in ea a patribus aboleri, aut in melius commutari uellent, mature liceret. Tum Cornelius admonitus, ut hæc miſſa faceret, ne Herculi fides dubia, ſuſpectaque redderetur, qui liberam iudicandi poteſtatem haberet, actionem conticeſcẽs omiſit. Quare, ſicuti Bembus tradit, octauo Idus Aprilis Hercules ſententiam hanc tulit, ut remiſſis, abolitiſque utrinque iniuriis, abductiſque præſidiis, Piſæ Florentinis reſtituerentur; ſoluerentque ob id illi Venetis per duodecim annos quindecim aureorum nummum millia: Bibiennam quoque, & quicquid Venetus in Caſentino occupaſſet, Florentinus reciperet; ueteribuſque Piſano populo immunitatibus ſeruatis, liberam urbis poteſtatem Florentinis ille permitteret, aliæque conditiones appoſitæ, quibus ad priſtinam ſeruitutis ſpeciem Piſæ aliquo modo recidere uidebantur. Biduo pòſt Hercules ad ſalutandos patres in curiam acceſſit, quorum nemo fuit, qui non eius ſententiam ueluti iniquam damnaret, uel etiam qui non de eo magnopere queſtus ſit, quòd fidem quam Reip. in conſulendo Piſarum libertati, dederat, minimè ſeruaſſet. Itaque è curia reuerſus, dum mediam per urbem incederet, uerbis cõtumacibus, & ſibilis a populo exploſus eſt, domumq; mœſtus rediit. Ita Piſano bello confecto, Gallicum ſtatim ſucceſſit, quod communibus cum Rege armis in Sforciam Veneti geſſere, pro eoque ſacris in Diui Marci æde ſolenni ritu celebratis, foro apparatiſſimo uerba fœderis præconis uoce in uulgus pro ſuggeſtu recitata ſunt, quæ dum pronunciantur, uentus ſubitò coortus uexillum Reip. templi turriculis adeò implicuit, ut uexilli pars eo impetu abſcideretur: quod quidem prodigii loco habitum eſt. Nec multo poſt prioribus Legatis redeundi in patriam facultate permiſſa, eorum loco Marcum Georgium, & Benedictum Triuiſanum Senatus in Galliam ad Regem creauit. ille autem æſtate media ſuis in Italiam ſub Ioannis Iacobi Triultii imperio copiis præmiſſis, Lugdunum uenit. Senatus exercitu & ipſe comparato, eius adminiſtrationem ad Melchiorem Triuiſanum, & M. Ant. Maurocenum, Legatos, detulit. At Sforcia Gallica, Venetaq; arma extimeſcens, ſi quo pacto Venetos placare poſſet, Oratorem ſuum ad Senatum mittere curauit: quumque is Ferrariam appuliſſet, ut Venetias accederet, a patribus in urbem non recipitur. Interim Triultii armis Sforcianæ res hoſtiliter uexabantur. Venetorum quoque infeſtatione Liuiano Duce circa

Olium

Nic. Vrſinus.

Ad pacem inclinatio

Hercules Dux Ferrariæ pacis ſequeſter.

Florentinorum Legati.

No. Georgii Corn. prudentiã

Pacis Piſanæ conditiones.

Not. De Hercule,

Not. prodigioſam rem.

M. Georgius, Ben. Triuiſan.

Exercitus Legati.

Olium cædem in peſſum ibant, quando urbes, populique ad Gallos, Venetosque ab Inſubrum Imperio fere omnes deficerent. Itaque Sforcia Dux ratus ſe tantas hoſtium uires ferre non poſſe, Mediolano digreſſus, in Germaniam abiit, ibique Maximilianum Regem, ut præſentiſſimo erat ingenio, in Gallos armare ſtuduit; parique arte uſus, curauit, ut Bayſethes Turcorum Imperator ruptis fœderibus Venetum terra, marique armis aggrederetur. At Ludouicus Rex poſt primos Triultii conatus cum florentisſimis copiis in mediam Inſubriam progreſſus, non ſolùm Mediolano cum munitisſima arce, Bernardini Curtii proditione, potitur, ſed totum Sforciæ Ducatũ, populis ad Gallorum obſequium ſponte accurrentibus, occupat. Veneti quoque ex altera parte cum magna armatorum manu, ſub Liuiani ductu mouentes, Cremonam urbem amplisſimam, Picegatonum, Carauaggium, Soncinum, Caſtelionum, oppida ſibi ex fœdere ſpectantia, fœlicisſimo uictoriæ curſu in poteſtatem ſuam redigunt. inexpugnabilemque Cremonæ arcem Petrus Antonius Batalea, uir bello inſignis, qui eam Ludouici Sforciæ Ducis nomine præſidio tenebat, uoluntaria deditione Venetis tradidit, atque ob eam cauſam ipſe cum liberis, & poſteris grato animo in patritium ordinem aſſumptus fuit; donatusque præterea domo urbana ſuper canale maius in Viti uico & fundo, & uilla in Veronenſi agro ad Montoriũ. miſere autem Patres congratulatum pro adepto Mediolani Ducatu ad Ludouicum Regem quattuor hos Oratores uiros inſignes, Ben. Triuiſanum, M. Georgium, Nic. Michaelem, & Ben. Iuſtinianum: profectique deinde ſunt Cremonam, a Senatu delecti ad ius dicendum, regendamque eam urbem nuper imperio partam duo amplisſimi Senatores, Dom. Triuiſanus eques, & Nic. Foſcarenus. Accidit autem, ut dum urbem ingresſi, magna ab omnibus lætitia, ſummisque honoribus excepti fuiſſent, uoces quædam ſine certo authore Ducis Sforciæ nomen ſæpius acclamantes ad eorum aures peruenerint: quod graue, indignumque omnibus uiſum eſt. tum Triuiſanus (ut erat ſingulari prudentia præditus) conuerſus ad ciues, & populum, qui frequens officii gratia aderat, Non miramur nos, inquit ſubridens, aliquot eſſe in hac urbe qui adhuc Sforciæ Ducis nominis ſtudioſi ſint: ſed nil ueremur, quin parem hæc ciuitas erga Venetam Remp. fidem, affectumque, dum eius adminiſtrationem experta fuerit, retineat: cæterùm edicimus, ne poſt hac amplius has uoces quisquam publice emittat. Ita prudentiſſime locutus, ingentem moderati animi eo die gloriam Triuiſanus apud omnes adeptus eſt. creaturque Cremonenſis arcis præfectus Petrus Donatus, uir impiger, ſingulisque oppidis prætores dati. At Rex Aſiæ Bayſethus, qui Gemen fratrem (alii Zizimum appellant) ne paterni Imperii conſortem haberet, Regno expulerat, timens ſecundos Venetorum, Gallorumque in Italia ſucceſſus, Sforciæ quoque ſtimulis impulſus, claſſem ingentem comparauit, qua proſpere geſtarum rerum curſum remorari poſſet. animaduertebat enim ſe eiecto Principatu Sforcia, Galli, Venetiq; Italiam ſubigerent, dominandi cupidine accenſi (ut ſunt moralium ingenia) Aſiam ii continuò formidabili bello, coniunctis ſimul terra, marique uiribus, inuaſuri eſſent. Ad reſtinguendum igitur tantum incendium Othomanica arma ſunt mota, maritimamque Bayſethus expeditionem ſuſcepit. Statim autem Antonio Grimano claſſis Imperatori, uti profectionem aduerſus nauales Turcorum motus maturaret, patres iuſſerunt; mandatumque, ut omnia ille in Turcas hoſtiliter agendo enixe ſtudeat, oram maritimam, ac rem Venetam a perfidiſſimi hoſtis iniuria ſtrenue defendere. Grimanus autem Senatus imperata facturus, omni cura & uigilantia claſſem inſtruxit, & cum ea in Peloponeſſum delatus, hoſtem ab Italiæ curſu, Venetisque finibus auertere curabat. Nec Othomanus in ocio fuit, cuius ad octo equitum millia repente in Dalmatiæ oram irrupere, magnoque illato terrore, omnia fuga, & trepidatione replerunt: alia quoque manus in Foroiulienſem ager delata, ad Liquentiam uſque prædabunda proceſſit. tum, periculo ita poſcente, And. Zanchanus in Carnos cum militum præſidio miſſus eſt, & in Aetholiam, & Achaiam Fr. Ciconia: Corcyrenſis autem rei cura And. Lauredano uiro fortiſſimo demandatur. Latum etiam, ut complures biremes, aliaque minora nauigia ornarentur, quæ maris Adriatici præſidio eſſent, contra biremes Turcarum, quorum ingens numerus ad Eloi fluminis oſtium iuxta Aulonem ſtare dicebatur,

Sforciæ fuga.

Nob. Venetorum ſucceſſus.

Petr. Ant. Batalea.

Legati Veneti ad Regem.

Dom. Triuiſanus.

Nic. Foſcarenus.

Nob. Triuiſani prudentiam.

Pet. Don.

Zizimus.

Turcorum claſſis.

Ant. Grimanus.

And. Zanchanus.

Fr. Cicon.

And. Lauredan.

Aug. Mari petrum.

batur: præfectumque Venetæ biremes habuere Auguſtinum Maripetrum uirum ſtrenuum. Ob bellicos hos motus tributum ſubſidii nomine ciuitatibus imperatum eſt, ſuamque unaqueque earum partem lubenter, atque alacriter in ærarium contulit. Alexander etiam Pontifex Maximus ex ſacerdotalibus prouentibus, qui in imperio Reip.

Sacerdotale tributũ. No. ingentem Turcorũ claſſem.

cenſentur, tertiam amplius partem in id bellum, quod maximum, & periculoſiſſimum uidebatur, Senatui conceſſit. Iis rebus confectis, æſtatis magna parte elapſa, Turcorum claſſis trecentarum prope uarii generis nauium, ex Helleſponto in Euboeam ſubito tranſmiſit; inde Methonum uerſus nauigans Venetum mari medio obuium habuit, qui ad confligendum paratus circa Sphagiam inſulam claſſem inſtructam agebat. Sed Turca non congredi auſus, ſe in portum longum recepit. erat autem Venetus numero

Venetorũ claſſis.

nauium inferior, quippe qui ſexaginta tantùm longas naues habebat, triremes maiores uiginti, cetheas quinquaginta, biremesq́; & alia minora nauigia pene totidem, ſed maritimæ rei ſcientia, bellicoq́; apparatu lõge Barbaro præſtabat: ſtatuitq́; ob id Grimanus Imperator habito cũ legatis, & pręfectis cõſilio cũ hoſte medio mari cõfligere.

Legati in claſſem.

Legatiq́; erãt, Nicolaus Peſareus, Dominicus Maripetrus, & Symeõ Gorius; nauibus uero pręerat Aloyſius Marcellus. atque eo ipſo tempore, dũ pugna paratur, And. Lauredanus è Corcyra in claſsẽ aduenit, Grippos undicim, & naues onerarias quattuor ſecum adducens uiris fortibus plenas: exceptusque eſt a tota claſſe incredibili omnium plauſu, & gratulatione, ſtatimque Imperatoris iuſſu nauem maximam aſcendit, ut cũ ea primus in hoſtem uadens, prælium capeſſeret. erat enim Lauredanus uir maximè

And. Lauredani uirtus.

fortis, & in armis ſtrenuus, naualemq́; diſciplinam in Veneta gente unus omniũ egregie callebat. Itaque illo uiſo Grimanus non parum turbatus fuiſſe dicitur, fauoremq́; uulgi in eo extollendo extimuit, ne ſi quid proſpere geſtum eueniret, omni ſibi laude prærepta, uni Lauredano palma tribueretur. Interim hoſtis non multos poſt dies è portu Sapientino cum tota claſſe agreſſus, ad Iuncum conſedit nec procul terreſtris exercitus, cui præerat Rex ipſe Bayſethes, è Theſſalonica digreſſus, ſequebatur; qui antequàm inde diſceſſit, ciues Venetos, qui Byzantii negociandi cauſa commorabantur,

Not. And Gritti uita periculum.

in uincula coniici iuſſit, in quibus fuit Andreas Grittus, de quo ſupra mentionem fecimus, isque duriore aliquanto conditione, quàm reliqui omnes in cuſtodia conſtringitur, interceptis eius litteris, quas ipſe ad Naupacti prætorem charitate patriæ impulſus, omnibus de rebus, deque Regiis conſiliis conſcriptas occultè dederat, uixque ſupplicium, pœnamque capitis effugit, ſed eximia corporis forma Gritto ſaluti fuit; purpuratis ei fauorem, opemque mature præſtantibus. In mari uerò dũ ambæ claſſes propinquæ eſſent, circa Sphagiam inſulam haud procul a Methone, Venetus ubique ex alto occurſare, nunc a fronte, nunc a tergo uim intendere; demum quum Othomanica claſſis ſublatis anchoris in portum longum ſe recepiſſet, inde paulò poſt egreſſa, cõfligendi ſtudio in altum prodiit, tum Veneto cum ea dimicare ſtatuente, primùm Al-

Albanus Armerius

banus Armerius uir pugnax, unius nauis præfectus, cetheam hoſtium immẽſæ magnitudinis, bellatoribus, armisque refertam ferociſſime adortus eſt. Armerium in certamen ruentem And. Lauredanus cum alia naui ſequutus, alterum hoſtilis Cetheæ latus, magno impetu inuadit, iniectisque confeſtim cathenis, ferreisque harpagonibus, ueluti ſtabili ſolo atrox pugna conſeritur; cruorque utrinque ad primum prælii congreſſum ingens effuſus eſt, obtenebratusque aer telorum multitudine pene uidebatur: diu tamen, & atrociter dimicatum, tanto poſtea animorum ardore res eſt a Venetis geſta, ut Turcæ deſperatione acti, quum iam propè ſe debellatos uiderent, iniectis

Naues cõburuntur.

ſubitò flammis, Venetas naues cum omnibus ferè propugnatoribus concremarint; ambuſtique uexillum Diui Marci in manibus tenentes, Armerius, & Lauredanus, pro fi-

Armerii & Lauredani interitus.

de, pro patria glorioſe expirarunt: licèt Bembus (quod plurimum admiror) Armariũ Conſtantinopolim captiuum abductum, necatumq́; ibi, ac ſectum in duas partes fuiſſe ſcribat. quo in certamine Stephanus etiam Othobonus ciuis patrię amantiſſimus pãdorę illius nauis nobiliſſimæ ductor, fortiter pugnando cecidit. Antoniique patris uirtutem æmulatus eſt, cuius ſuperioribus annis ad Chalcidem in Barbaros non obſcura pugna fuit, nauigioque eius tormenti hoſtilis ictu perforato, incenſoque ægre inter fluctus, flammasque uitam ſeruauit. Nec ingrata fuit ciuitasquæ eo ipſum liberos, po-

ſterosque

ſterosque multis immunitatibus, muneribusque donauit. At Turcorũ plurimi ex propria cæthea, igni eam quoque corripiente, in ſubiectum mare deſilientes, ſuorum occurſu, qui ſcaphis eos exciperent, ſeruati ſunt. pauciſſimi autem ex Venetis euaſere, qui cum totis nauibus, ferro, flamma, & aquis extincti miſerabiliter perierunt: quod ſpectaculum ita omnium animos conſternauit, ut pauci poſtea aperto mari congredi auſi fuerint. unus tantùm Vincentius Pollanus ſua cum triremi in confertiſſimas hoſtium naues ferociter inuectus, acerrime depugnauit; ſed quum ſolus innumerabili Turcorum multitudine penè circumuentus eſſet, uento ſecundo adiutus, præter ſpem omnium, per mediam Turcorum claſſem incolumis ad ſuos rediit: quo unius facinore apparuit, hoſtem facilè deleri potuiſſe, conſtansque multorum opinio fuit, ſi Veneti Duces eo die in conſerendo prẹlio imperiis parere uoluiſsent, hoſtis facile ingenti cũ Veneti nominis gloria, deleta eius claſse, debellari potuiſset. Multi Grimanum imperitiæ, ac timiditatis accuſant, qui tanta bene gerendæ rei occaſione uti neſciit, aut potius noluit. alii a Duce culpa amota, triremium præfectos, inobſequentes, contumacesque damnant, eorumque inſolentia factum aiunt, ut nobiliſſima uictoria ea die è manibus Venetorum ſit extorta. His geſtis Grimanus Imperator cum tota claſse Corcyrã uerſus curſum tenuit, inde dextrum Peloponeſſi littus legens, ad Prodonum iactis anchoris conſedit, eo conſilio, ut quod ad Sapientiam factum non fuerat, Euboico mari in hoſtes fœlicius ageret. at illi haud procul a terra nauigantes, ad Papatus portum proceſserunt, ubi pleræque naues a Veneta claſse diſiectæ fuere. Acceſſit poſtea Zacinthum Gallica duarum, & uiginti triremium claſſis, quam Rex ad tuendos Rhodios armauerat, ſeque etiam ipſum per litteras, & Legatos in id bellum Reip. obtulit. & Grimanus cum tota claſse Veneta Zacinthum celeriter profectus, cum Gallica poſt mutuas ſalutationes ſe coniunxit, ad quam quidẽ Rhodii & ipſi naues onerarias optime inſtructas tres addidere. claſſis interim Turcarũ, cuius Camalli ductor erat, ĩferius aliquanto ad eum locum, in Achaiæ ore, qui Torneſium appellatur, ſe recepit. tum Veneti, Galliique eam aggredi communi conſilio decreuerunt. ſperabantque uiribus aucti, Barbaros facile profligare. in eos itaque nauali apparatu adnauigatum eſt: at illi obuerſis ad terram puppibus, fugam circũſpectare uidebantur: leuibus tamen aliquot præliis ex occaſione certatum, ac miſſilium, tormentorumque hinc inde pugna fuit, & nunquàm totis uiribus concurſum. Dum Venetus, Turcaque dubium, ac incertum rei bellicæ exitum animis proponunt, uelisque ſæpe explicatis diuerſum iter utraq; claſſis alto habuit, congreſſumque apertè detrectabat. Galli autem quũ aduerſo quodam facto nil proſperè mari a noſtris geri conſpicerent, è Græcia relicto Veneto cum tota claſse abierunt: & Turcæ in Naupacti ſinum ſunt delati, quorum inſidias, & loci anguſtias Veneti timentes, abducunt inde claſsem, Zacinthumque celeri curſu repetunt: qua occaſione uſus hoſtis, Naupactum aggreditur, urbemque olim inſignem, eò etiam Bayſethe Rege cum terreſtribus copiis accedente, deditione ab oppidanis facta occupat. Ea clade accepta, recẽtique adhuc noxa ambuſtarum nauium patres permoti Grimano imperium abrogant, eumque ſtatim Venetias accerſitũ triumuiri Aduocatores, uiri magnæ, priſcæque ſeueritatis Nicolaus Michael, M. Sanutus, & Paulus Piſo in comitiis ad totius ordinis ampliſſimi conſpectum cauſam dicere iubẽt. Grimanusque malè adminiſtrati imperii publice conuictus, in Abſyrthidum unam in Lyburniæ ora, Oſsarus nunc inſula appellatur, omnium ſententiis relegatus eſt. ſed uir celſi, elatique animi ægre tam uile exilium paſsus, tacita fuga ex inſula elabitur, Romamque ad Dominicum filium Cardinalem ſe contulit: & ne maritima ora nauali præſidio careret, nouus claſſis Imperator Melchior Triuiſanus, Legationem Caſtrenſem ad Cremonam gerens, creatus eſt, & in eius locum Nic. Foſcarenum patres ſurrogarunt. Triuiſanus autem ſtatim in prouinciam accedẽs, Cephaleniam inſulam bellico apparatu inuaſit, oppidumque adortus, armis, machiniſque illud undique terra, marique cinxit: uerùm firmo Turcorum præſidio initum Veneta non ſolùm arma ſuſtinuit, ſed etiam a mœnibus Turca miles oppugnatores cum cæde repulit. Triuiſanusque re infecta abſcedere coactus eſt, ex quo non parua poſtea iactura Venetis rebus acceſſit: ſiquidèm hoſtis in omnem occaſionem intentus, proxima æſtate claſsem nouis

Griman⁹ accuſatur.

Gallorum claſſis.

Camalli.

Naupacti amiſſio.

Aduocatores.

Ant. Grimani damnatio.

Melch. Triuiſan⁹.

Cephalenia fruſtra oppugnata.

nouis triremium,militumque ſupplementis auctam ex Naupacti ſinu eduxit, quæ in Peloponeſum, Duce Achmat Baſſa, profecta, Methonem applicuit. mox & Bayſethus Rex cum cētum,& quadraginta armatorum millibus affuit, continuoq; oppidum terra, & mari terribili eſt oppugnatione petitum . diſiecti æneis machinis muri, turres concuſsæ, in tectaque uſque urbis immiſſis ſupernè ſaxorum molibus bellicus furor peruaſit. cominus poſtea a Turcis in conſpectu Bayſethi certatum tanta rabie, ut cateruæ militū multitudine ſuorū in pugna ruentiū a tergo impulſæ ac in præceps actæ, foſsas vrbis inter murorum ruinas innumerabili corporū ſtrage repleuerint. cæſique ex vtraque parte pugnando plurimi. defenſa eſt tamen vrbs egregiè a Veneto: ad eam interea quū quattuor triremes commeatibus,& bellicis inſtrumētis onuſtæ, quarum præfecti erant, Ioānes Maripetrus, Aloyſius Michael, Alexāder Gotius Corcyrēſis,& Nicolaus Cucarus Hidruatinus patrum iuſſu adnauigaſſent, ut ſubſidium obſeſſis aſferrent, ii per medias hoſtium ſtationes plenis uelis in portum urbis curſum direxere: uerùm multis obiicibus ingreſſus a Methonenſi fuerat dudum obſtructus , ne hoſtis portum occupare poſſet. uento igitur ſecundo, ac ui ſua ſub muralibus uadis triremes impactæ, quaſi cœlitus miſſæ omnium oculos in ſe illico uertunt . accurriturque eò a tota ciuitate, ac milites, oppidanique pariter relictis murorum cuſtodiis, cæteriſque urbis locis ad excipiendum præſidium præ nimia lætitia portum , mareque petunt. quam callidus hoſtis occaſionem nactus, facto repentè impetu, urbem magno agmine aſcēſis mœnibus, quæ defenſoribus nuda erant, ingreditur, ac longè, lateque Turca uictor unumquenque obuium cædit; obtruncanturque ſine ullo ferè diſcrimine armati, inermeſque, periitque unà cum pleriſque aliis fortiter pugnando Antonius Centanus prætor, interficitur quoque Andreas Falco, urbis Epiſcopus, uir ſanctiſſimus,& Antonius Fabrius præſidii præfectus, ac prius oppidum ſubita irruptione captum eſt, quàm armato hoſti occurri in tanto ſtrepitu potuerit. Methone in hunc modum capto, Corono inde, Iuncoque hoſtis deditione potitur. Naupliaque mox fruſtra tentata, ad quam Paulus Contarenus tuendam ſe ex Turcorum caſtris receperat, uallo urbis equi ſaltu ſuperato. Bayſethes uerò cum claſſe, exercituque uictore, incolumis Byzantium rediit. & Triuiſanus his Reipub. aduerſis mœrore affectus, non multò pòſt è uita deceſſit. eo defuncto patres ſtatim Benedictum Peſareum uirum nauali arte inſignem ad imperium maris ſuffecerunt, qui aſſidua nauigatione ſtatim in Græciam delatus , ad uiginti turcorum biremes medio mari intercepit. Barbaroque intra Helleſponti fauces profecto, Iuncum recuperauit, inde Zacinthum petens, Conſaluum ibi Ducem cum Hiſpana claſſe a Ferdinando Rege miſſum inuenit. iunctis itaque uiribus Peſareus Cephalleniam fruſtra antea a Triuiſano oppugnatum, armis aggreditur; primiſque conatibus non mediocriter utrinque eſt laboratum, tanto demum animorum ardore, tanta ui rem Veneti,& Hiſpani terra, marique geſſere, ut uictis hoſtibus , maiorique ex parte cum Giſchare præfecto, aut cæſis, aut conterritis, ac fugatis, oppidum expugnarent; uniuerſaque inſula Ionio mari haud ignobili Venetus fœliciter potitus eſt, eique Aloyſius Salamonius Rector præficitur. & regia claſſe hoc facinore ædito, domum abeunte, Peſareus Corcyram uenit, ubi per exploratoriam ſcapham, certoque comperit inditio, nouam Turcorum duodecim longarum nauium claſſem ſedere in Ambracio ſinu. ad eam autem opprimendam celeriter profectus, audax capit conſilium. per ſinus enim anguſtias, quas hoſtes magno numero inſederant, cum octo triremibus tacitè ingreſſus in Barbaræ claſſis conſpectu improuiſus apparuit, ac ſtupentibus, trepidantibuſque hoſtibus, triremem unam ſubito ad eos perterrefaciendos incendit, ulteriuſque per internos ductus progrediens, undecim alias inſtructas, roſtrataſque naues a Venetarum puppibus uigilantiſſimus Imperator religare iubet: frementibuſque circa littus barbaris, per denſa tela, crebroſque tormentorum ictus ex medio ſinu in altum abductas ouanti ſimilis Corcyram pertraxit. Interim Camalius, Pyrata ea tempeſtate inſignis, tumultuaria claſſe Bayſethi iuſſu ex Helleſponti faucibus in altum exierat, qui in Peloponeſſum curſu maturato Iuncum ſubitò adortus recepit, tribuſque in portu triremibus oppreſſis, inde aliò curſum tenuit. & Peſareus præfectum Carolum Contarenum, quo dedente, Camalius Iuncum occuparat, in poteſtatem redactum, ca-

pitali

Achmat.

Methonis oppugnatio.

Triremiū præfecti.

Methonē a turcis captum.

Noſtrorū cædes.

Paulus Contarenus.

Triuiſani mors.

Ben. Peſareus.

Conſaluus.

Cephallenia a Venetis capitur.

Triremes turcorum captæ.

Car. Contareni ſupplicium.

pitali ſupplicio affecit.nec multò pòſt aliud aggreſsus eſt facinus.ſtabat enim ad Eanthem fluuium in Macedoniæ ora Bayſethi claſsis: ad eam itaque delendam Peſareus animum adiiciens,aliquot tecta nauigia,quæ uulgo Barbotæ uocantur, inſtruenda occulte curauit,

Barbotæ.

impoſuitque in his ſub Marci Aurii ductu ex turmis naualibus uiros lectiſsimos,qui oſtium fluminis tacite ingreſsi, ſubito incurſu Turcicas naues adorirentur,eaſque incendio abſumerent;quod facile eueniri poſse uidebatur,dum tutam hoſtis ſtationem,intra ſocios,amicoſque fines habere credit.uerùm re præcognita,Turcæ parati,Venetos ſub primum appulſum inſidiis excipiunt, eoſque male habitos toto fluuio,telis,misſilibuſque inſequuntur.at dum Venetus è Turcorum manibus ægrè elapſus,ad fluminis oſtium peruenit,ut ad ſuos rediret, in aduerſam uentorum uim, æſtuantiſque pelagi fluctus incidit,colluctatique multum remiges,militeſque, ut imminentem tempeſtatem ſuperarent,uicti tandem pertinaci uentorum flatu , naufragium circa proximum littus fecere;

Clades Venetorum ad Eanthē

hoſtiſque eos omnes, qui ſupra ducenti fuiſſe dicuntur,cæſos,captosque oppreſſit,ac in his Aurius præfectus,qui ſe poſtea ingenti pecunia redemit.

M Aurius captus.

Et ſub id tempus,dum hæc in Græcia fiunt,Alberti Sarmatiæ Regis Legati,ex Pollonia Venetias acceſſerunt, Senatumque hortati ſunt, ut aduerſus Turcas bellum gereret;Regem quoque ſuum paratum eſſe,ex Sarmatis Bayſethem armis aggredi,adiuturumque pro uiribus Pollonum cum Turcis bellare aſſuetum, rem Venetam.gratias Regi Senatus egit,pollicitusque eſt,rem in Turcas terra, marique fortiter gerere,modò & Regia adeſsent auxilia , quibus Venetus fultus facile communem hoſtem reprimere poſſe ſperabat . Conſaluo poſtea de Republica ad Cephalleniam bene meritò ius comitiorum cum ciuitate a Senatu datum , muneraque uirtutis ergo tradita , quæ Gabriel Maurus lectus a patribus publico decreto ad eum in Siciliam detulit.

Gratitudo patrum in Conſaluū.

Et in Germaniam per id tempus duo Oratores a Venetis ad Maximilianum miſſi ſunt,Hier.Donatus,& Ant.Lauredanus,uiri eloquentia clari, ut Germanos in Turcas concirent. Exarſitque etiam hoc tempore(Cæſare Borgia authore)nouum,graueque in Italia bellum. is enim Alexandri Pontificis filius , Cardinalatum,ad quem à patre promotus fuerat,per aliquot annos in Romana curia ſplendidiſſime geſſit:

Cæſar Borgia Pōt.filius.

Eccleſiaſticam poſtea dignitatem perteſus,ea ultro ſe abdicauit,uxoreque ex nobiliſſima Francorum gente ducta , ad dominium temporale ambitioſe animum applicuit,quod paterno fauore ſibi facile in terra Italia aſtrui poſſe ſperabat . militari itaque ſuſcepto imperio,Romanum exercitum in Forliuium primò duxit,urbique uis illata ea de cauſa ferebatur,quòd tributum diu Forliuienſes Apoſtolicæ ſedi pendere recuſaſſent:oppidoque tandem Borgia eſt potitus. ad fauentiam poſtea caſtra admouit,urbemque fame domitam in poteſtatem ſuam redegit. Aſtorgiuſque Princeps Borgiæ iuſſu Romæ necatur.

Aſtorgius

Bononiæ quoque is ſtatum turbare molitus eſt, ſed fruſtra res mota , Bentiuolis omnia ad patriæ ſalutem maturo conſilio agentibus : excitatique ſunt ob hæc magni bellorum motus in Italia,quum ferox iuuenis dominandi libidine arderet,cæcoque furore ageretur in occupanda aliena ditione:hoſque illi animos ſuprema Pontificis patris authoritas dabat,uxoriſque præclarum ſtemma , quæ Regem ipſum,Gallorumque Principes arcto conſanguinitatis gradu tangebat. Fœdus præterea ſub id tempus inter Ludouicum Francorum , & Ferdinandum Hiſpaniæ Reges ictum eſt aduerſus Federicum Aragonenſem,qui Campaniæ,Apuliæ, & Calabriæ imperitabat:iſque tandem magnis cladibus affectus, regno pellitur ,

Fed.regno pulſus.

Gallique Apuliam cum Capua,& Neapoli armis ſibi uēdicarūt:& Hiſpanis Calabria ceſſit. ſtatimque patres treis in Galliā Oratores miſere,Senatores illuſtres,uiroſque ampliſſimos, Dom. Triuiſanum,Hier.Donatum,& Fr.Capellium,qui Neapolitanam uictoriam, fœliceſque belli ſucceſſus,amico & ſocio Regi publico nomine gratularentur.

Legati in Galliam.

Iuere, & in Pānoniam Legati, ad Vladiſlaum a Senatu miſſi,Seb.Iuſtinianus,& Victor Superantius: mox & Petrus Paſqualicus in Luſitaniam,qui omnes ad bellum gerendum contra Bayſethem reges hortarentur.

Alii Legati.

erant enim Veneti plurimum Turcico bello occupati , reſque eorum maritimæ in Græcia hoſtium armis grauiter infeſtabantur. At Peſareus (eo quo erat animi uigore)ſtrenuam patriæ operam nauali imperio præſtabat, Gallorumque forte amicam claſſem ad Melum aſſecutus, conſilium cum Gallis Ducibus

Gallica claſſis.

ſtatim

ſtatim capit, Lesbum inſulam oppugnandi, eoque utraque claſſis profecta, Mythilenem urbem acerrime, milite è nauibus deſiliente, terra, marique inuadit, & pars murorum æneis machinis diſcuſſa, prolapſaque corruit; biſque nauta, ac miles utriuſque claſſis muros aſcendit, nec tamen Turcæ ceſsere, quia oppido ſtrenue defenſo. Galli, Venetique obſidionem ſoluere coacti ſunt; & Regia claſſis a Veneta digreſſa, in altum repente uela fecit. Peſareus uerò ex Pario in

Rechius prædo palo infixus.

Melum inſulam curſum intendit, ubi Richius truculentus prædo captus, Imperatoris iuſſu palo infixus eſt, atque igni combuſtus. Poſt hæc Alexium oppidum, quod ad Drynum flumen in Epyrhi ora poſitum eſt, Georgii Caſtriotę uiri Reip. amantiſſimi hortatu, in Venetorum fidem conceſſit. ex altera parte Turcæ occaſionem nacti, qua Dyrrhachii prætor, cœli ſalubrioris gratia ab urbe diſceſſerat, ut morbo affectus, ualitudinem curraret, noctu furtim ſcalis ad murum poſitis, ſe in oppidum intulerunt, interfectiſque paucis, qui ſomno expergefacti, arma cæperunt, Dyrrachio ſunt potiti. Et Alexander Pontifex, ne tanto bello Venetis pro fide pugnantibus deeſſet, uiginti triremes ſuis ſumptibus, ac ſacra pecunia armandas curauit, eiſque Iacobum Peſareum Paphi Epiſcopum cum imperio præfecit, ciueſque Veneti ſingulis triremibus ſunt adlecti.

Aluixium oppidum.

Dyrrachii amiſſio.

No. de Zeno Cardinale.

Per eos etiam dies Ioannes Baptiſta Zenus è Cardinalium collegio Patauii moritur, grandi pecunia, argentique fabrefacti magno pondere ex teſtamenti tabulis Sacerdotum Collegiis, Zenæ familiæ, ac Reip. relicto. laudauitque eum ad urbem delatum Angelus Gabriel, in Principis, & patrum conſpectu, qui ampliſſimum funus publice currarunt, ſpecioſumque illi ex ſolido ære ſepulchrum in D. M. ſacello poſitum eſt, celebranturque quotannis menſe Maio eius exequiæ, quibus Princeps, frequenteſque patres pullatis togis interſunt. Donanturque ſinguli eorum, aſſe, quem perpetuò Senatoribus per D. M. Procuratores ſoluendum ipſe legauit. unde Zenus licèt mortem obierit, perpetuis tamen his interiis, parentalibuſque ſacris quodam modo ad uitam quot annis reuocatur. Sed dum hæ res foris, domique obueniunt,

Aug. Barbadici. P. Interitus.

Aug. Barbadicus Princeps poſt. XV. annum exactum, quibus Reipub. ſapienter præfuit, uita deceſſit, & iuxta Marci fratris buſtum magnificentiſſimo tumulo reponitur. Laudatuſque eſt a Dominico Venerio And. Procuratoris filio. ac noua lege in Comitiis triumuiri creati ſunt, inquiſitores appellati, poteſtaſque eis ampliſsima tradita, circa œconomicam adminiſtrationem, quàm Dux in eo faſtigio obſeruare debet: primique in eo magiſtratu Ant. Lauredanus, Leon. Grimanus, & Ant. Tronus eliguntur.

Inquiſitores.

Leó. Lauredanus. 1525. anno Dom. 1401.

Barbadico patres Leon. Lauredanum Ducem ſurrogarunt, uirum prudentia, conſilio, & pietate inſigni: multis autem, uariiſque fortunæ caſibus, ſub eius Principatu (ut ſuo loco dicemus) Reſp. iactata eſt, hoſtiumque ſigna in extremis ſtagnorum littoribus præfixa, ac non procul ab urbe conſpecta, nouum, inſuetumque Venetorum animis incuſſere terrorem. ſtetit tamen in tot aduerſis immota patrum uirtus, quæ collapſum poſt uarias belli clades reſtituit imperium. Acceſſit autem per hos dies Vladiſlai, Pannoniæ Regis, uxor ex Gallia ad Venetam urbem, quam Princeps Lauredanus cum patrum primoribus obuiam progreſſus, Bucentauro honorificentiſſime excepit. multi uero, & exquiſiti honores regiæ puellę in amicorum Principum gratiam habiti.

Not. Ludorum varietatem.

Ludoſque publice ciuitas magnificentiſſimos egit: nam procurſu Cymbarũ mediis aquis in magna populi frequentia, ueluti in Olympico agone eſt certatum. celerrimaſque nauiculas puellæ ſuccinctæ, remis agitarunt. Actus quoque eſt in comitio nocturnis luminibus Myceneæ Helenæ raptus, ubi affuit Regina. Saltauitque in Orcheſtra nobiliſſimis ad tempus Auleis extructa. Dein Veneta urbe puella digreſſa, frequenti comitatu, magniſque muneribus publice donata, Seniam triremi delata eſt, in Pannoniam ad uirum abitura. Relegatiſque ſunt per id tempus in Cyprum Gabriel Bonus, & Fr. Falerius quadragintauiralis conſilii præſides, ſub pœna capitali, ne inde iniuſſu magiſtratus abſcederent, quatenus legem Reip. pernicioſam ferebant, ut centum nummos, hoc eſt, libram auri, Quæſtores urbani ſingulis annis ex ærario patritiis omnibus numerarent, qui re familiari tenui, anguſtaque premerentur, quod liberæ ciuitatis, & benè inſtitutæ Reip. iura quodammodo corrumpere uidebatur. Interim Peſareus Imperator Leucada claſſe admota, ferociſſimè aggreditur,

Not Damnationem in Patritios.

nunc

nunc oppidum uulgo Sancta Maura dicitur,in maritima Macedoniæ ora poſitum .Corinthiique eam terram a continenti quondam aſciderunt,breui Euripo operosè immiſſo & ponte ſuperpoſito, quem Venetus cum parte claſſis ſub primum occupauit appulſum,atq; ut rei militaris ratio poſtulat,diligenti ſtudio,curaque,obiecit uallum hoſtibus, ſi forte a terra Maurēſibus opem laturi affuiſſent. interficiturq; tormēto ictus in ea oppugnatione a Turcis Gabriel Superantius,triremis unius præfectus. Nec multò pòſt tria equitum millia ex proximis Turcorum locis magno agmine aduenere, ſuosque armis,ac ui obſidione leuare uidebantur. Eſtque circa uallum, Veneto ſtrenue pugnante,atrociter dimicatum,multique ex hoſtibus equeſtri illo congreſſu ſunt interefecti,alii uulnerati,nonnulli capti,reliqui in fugam uerſi retro abiere, ſtatimq; oppido deditione ab inſulanis facta Venetus potitur. Summam autem, & ſingularem *Leucada Veneti occupant.* Peſareus ex hoc facto tulit laudem,cuius uirtus triplici oppugnatione plurimum enituit,quum ipſe imperatorium munus circa Leucada fortiſſime obiiſſet. Mirum enim fuit,qua ui oppidum ſit adortus, quo conſilio, qua conſtantia irruentem a fronte hoſtem repulit, qua animi magnitudine Maurenſes minis belli territos deditionem facere coegit, *Not. Peſarei ſtrenuitatem.* ut in dubium prorſus uenerit,maiori ne fortunæ ſucceſſu, an imperatoria uirtute uictoria illa Veneto contigerit,quæ Bayſethi ferociam adeò fregit, ut ad pacē ſubito ille reſpicere cœpit. ea autem per Zachariam Friſcum Byzantii tractata, his cōditionibus ad poſtremū ſancita eſt, *Zach. Friſcus.* ut Cephallenia retenta, Venetus Bayſetho Leucada redderet. contrà Turcus terra,marique arma a Venetis finibus amoueret,ac ponticam nauigationem tutam negociatoribus præſtaret, *Pax cum Othomano.* redderenturque hinc inde res ablatæ. Othomanico per hunc modum Veneti bello leuati, ad ſolitam maris negociationem rediere,miſſiſque onerariis pluribus triremibus, ad Aegypti,Syriæ, Græciæ, & Gallici Oceani emporia,ciuitas ad priſtinum maris ſtudium conuerſa eſt. ac per id tempus adeò aſpera,horridaque hyems fuit,ut omnia urbis per gyrum æſtuaria congelauerint, *Not. glaciem.* neque pedibus modo, ſed in equis etiam homines ex continenti per aquas glacie concretas in urbem uentitarent. Meſtrinuſque prætor ad Diui Secundi fanum,per duo ferè millia paſſuum quadriga uectus peruenit, Canalique magno alta glacie conſtricto per ludi ſpeciem Græci haſtati aquis inter ſe concurrerunt, *Notandū.* quod prodigii quidem loco fuit. Turbatā eſt autem Reip. tranquillitas,dum Galliç,ac Hiſpaniç Reges Venetos ad nouum fœdus ſecum ineundum per Legatos unuſquiſque ſollicitè requirunt. fuereq; multi ex patrum numero,qui Gallicæ ſocietati fauebant. Hiſpanum alii amplectebantur,propoſitæque ab utroque Regum magnæ,ac honorificæ erant conditiones. uiſum autem patribus, re in Senatu magnis contentionibus iactata,ad publicam dignitatem pertinere, nihil ex eo fœdere immutare, quod cum utroque Regum iam antea ictum ſolenniter habebant. ceterùm gliſcente motu, quem in Italia Borgia tyrannice concitauit, Veneti haud ſolliciti, anxiique non eſſe poterant, *Borgia.* multique Italiæ Principes, in Vmbria, Hetruria, Flaminia,ac Latio, Borgiæ armis,ac inſidiis, miſerabiliter periere, Vrſinique, ac Baleones, cum Vrbinatibus penè deleti, reliqui autem domo profugi, Venetias ueluti in tutisſimum ſe ſeportum recepere. Ab Hiſpanis quoque,& Gallis uaria fortuna in Italia bellatum multæque utrinque clades illatæ,ad poſtremum Gallis, Apulia, Campaniaque eiectis, res ſecundæ Hiſpanis fuere. Obiit interim Alexander Pontifex, ueneno,ut fama uulgauit, epoto, *Alex Pontificis obitus.* quod illi pecunia corruptus pincerna in menſa propinauit. Pium III. eius loco Cardinales ſtatim creauere,qui Senenſis patria fuit, Pii II. ex ſorore nepos, periitque poſt ſextum,ac uigeſimum diem,quàm ſedere cœpit, *Pius. III.* uir magni animi, ac raræ innocentiæ, qui ſtatim a ſua creatione illud frequenter in ore habuit, non armis opus eſſe amplius,de paceq; & Religione,in toto orbe Chriſtiano oībus cogitandū: ſed ſplēdorē illū,quē terris cœleſtis prouidentia oſtenderat, *Pii mors.* repente mors immatura abſtulit. in demortui igitur Pii locum Iulianus Cardinalis Oſtienſis ex Sauona oriundus Pontifex creatur, Iuliique II. appellationem ſuſcepit: qui dum priuatam uitam ageret, magnis fortunæ caſibus agitatus fuerat,& quod mirum eſt, remo triremi Pyratica addictus,acerbam diu captiuitatem paſſus fuiſſe traditur. Interim poſt Alexandri Pontificis patris interitum Borgia in cunctorum odia incurrit, nouaſque in eum res populi,

Ceſe-

Ceſenates, Ariminenſes, Fauentini, Forliuiani, qui ſuæ ditionis erant, moliri cœperunt, primùmque Pandulphus Malateſta, Borgiano præſidio eiecto, Ariminum Venetis tradidit, ad eamque urbem regendam Dominicus Maripetrus miſſus eſt. Malateſta autẽ Cittadellam celebre in Patauino agro oppidum a Senatu habuit, ubi mero, legitimoque imperio in perpetuum cũ poſteris frueretur. Conceſſerunt ad hęc Lamonię uallis accolę in Venetorum fidem, & paulò pòſt Borgiana, re paſſim inclinante, Breſſegella, Ruſſium, Tuſſignanum munitiſſima oppida in deditionem uenere. Sed in Fauentia ſubigenda diu laboratum: nam oppidani Heſtori de Manfredis fauebãt, qui urbis imperio familiæ ſuæ hæreditario potiebatur. Florentini quoque quantum poterant, totis uiribus obſtabant, ne urbs in Venetam poteſtatem redigeretur, qua ſubacta, de uniuerſa Flaminia actum eſſe arbitrabantur. At Veneti ſummo ſtudio ad Fauentiam perdomandam intenti erant, copiisque contractis ſub Ioanne Baptiſta Carratio, peditatus ductore, & Chriſtop. Mauro Legato, urbs obſideri cœpit: mœniaque pluribus locis crebris tormentorum ictibus demolita ſunt. oppidani tamen acriter reſiſtebant, ꝙ urbs egregie communita eſſet, adauctis poſtea militum ſupplemento. copiis, miſſoque in caſtra a Senatu Nic. Foſcareno uiro toga, bellique ſtudiis claro, ut is cum collega Mauro bellum adminiſtraret, poſt aliquot oppugnationes, oppidani deditionem . fecerunt, clariſſimaq; urbs æquis pactionibus Veneto ceſſit imperio, publicaque Heſtor munificentia cultus, dignam principe uiro Venetiis uitam diu egit. Poſt hæc octo Oratores ad patres Fauentini miſere, ut ciuitatis ſuæ nomine obſequium, obedientiamq; præſtarent, atque in legationem profecti hi annumerãtur, Pet. Paulus Caſalius, eques Hieroſolymitanus, And. Recuperatus iureconſultus, Baptiſta Mengolinus leg. Doctor, Iob Blanchetus, Petrus de Spadis, Gabriel Mirotus, Thomeus. q. Pauli, Philippus Bezolinus: qui omnes benigne a principe, & patribus in curia excepti ſunt, collaudatique; & dimiſſi, lætiſſimis animis in patriam rediere. Fauentiaq; quadringentorũ militũ præſidio ſub Lazari Craſſi ductu munitur, arci quoq; cum ualida mercenariorum manu Aloyſius Diedus uir fortis præficitur. At Valẽtinus Borgia toto pene principatu exutus, Romæ in Vaticano aliquandiu ſe tenuit, Vrſinorumque factione terrefactus, urbe exceſſit, ut ſaluti ſuæ conſuleret. nec fatum tamen imminẽs diu uitare potuit: deſtitutus enim ab omnibus in aduerſa fortuna, uti eueniri plerunque ſolet, inimicorum inſidiis captus, in Hiſpaniam ſub cuſtodia mittitur, indeque fugiens, ad Ioãnem Regem Nauarræ ſe cõtulit, qui poſtea ad Vianam oppidum Regiis immixtus militibus, ab hoſte Cãtabro pilo traiectus interficitur. Per breuem deinde temporis curſum armorum uacatio in Italia fuit, rerum poſtea humanarum inconſtantia graue, atroxque bellum in eadem terra renatum Venetos acerbis fortunæ caſibus immiſcuit, tantamque rerum mutationem, & futura mala dirum prænunciauit incendium, quo nauale, qui Arſenatus patrio nomine uocatur, cum omni ferè maritimo apparatu ſubito conflagrauit: nam ſulphureo puluere fortuito igni correpto, uis ſubitò flammarũ ingens debacchata eſt, ac præter aliquot opifices, qui proxime ſteterant, uoraci flamma hauſtos, ardentium tignorum fragmenta in altum ſublata, ſupremo æthere uolitare conſpecta ſunt. Eclypſis quoque, & Solis deliquium ſequutum, luxque in terris fuſca, obtuſiorque aliquandiu latuit. Superuenit nouiſſimè terremotus, quo nullũ grauiorem, formidabilioremque multis abhinc annis ciuitas ſenſit: patresque, dum Senatus forte haberetur, in publicum attoniti prodiere, ac tota urbe uiri, fœminæque penatibus deſertis, cum liberis, paruulisque in apertum exibant: nonnullaque is motus aurei templi ſimulachra, ſublimesque ſtatuas diſiecit, prę̨ter Diui Marci marmoream effigiem, quæ ſublimi loco in perpetui imperii omen in ſuo permanſit ueſtigio. multæque ædes, ac turres ſacræ ruinis deformatæ ſunt; Diuique Marci turris terribili tremore ita concuſſa fuiſſe dicitur, ut ueluti paluſtris harundo uento inflexa. moles illa huc illuc agitaretur. placandasque eſſe has cœleſtes minas piis per omnia Deorũ delubra ſupplicationibus, Patriarcha Antonius Contarenus, uir optimus cenſuit, Diiq; immortales orati, ut iram ſuam a Repub. euerterent. Ad Põtificem poſtea patres octo Oratores ciuitatis lõge Principes creauere, ut congratulationis munere Romæ publico nomine peracto, ſalutarent, ac uenerarentur ſummũ de more Chriſtiani orbis Principem,

[Marginal notes:] Arimini. — Flaminiæ oppida. — Io. Baptiſta Carratius. — Nic. Foſcarenus. — Fauentia Venetis dedita. — Fauentini Legati. — Al. Died⁹. — Valentini Borgię interitus. — Nox Arſenatus incẽdium. — Ingens terremotus. — Ant. Contarenus Patriarca.

cipem, Legatioque hæc demandata eſt Dom. Triuiſano, Hiero. Donato, Ber. Bembo, Paulo Piſoni, And. Gritto, Leon. Mocenico, Nic. Foſcareno, & And. Venerio, omneſque hi in Latoclauo urbem ingreſſi, inſigne ſpectaculum præbuere. Poſt hęc Pontifex Venetos occultè oderat, bellumque in eos ad tantum euectus faſtigium, nocte, dieq; meditabatur. Sed altius belli, odiiq; cauſas repetere operęprecium uidetur, ut Hiſtoriæ cognitio clarior, dilucidiorque pateat. non tam belli, quàm pacis artibus partum terra, mariq; ampliſſimum Venetus obtinebat Imperium. multa autem in Gallia Ciſalpina, in Flaminia, in Apulia, in Carnis oppida a Veneto iniuſte occupata Reges querebantur, atque ex eorum dignitate eſſe putabant, coniunctis armis ea repetere: nam ad id potentiæ terra, marique Venetum Imperium peruenerat, ut cunctis Europæ Regibus formidini eſſet. itaque tum liuore, inuidiaque, tum metu de ſumma rerũ ſtimulante, in Reip. excidium cupientiſſimis animis conſpiratum eſt. nam nemo Regũ per ſe ſolus præpotentem opibus, Imperioque Venetum bello aggredi audebat. uariis illi itaque modis arma inter ſe iungere ad rem Venetam inuadendam, debilitandamque annixi ſunt. initiumque tam atrox bellum habuit a Iulio Pontifice Maximo, qui Franciſci Soderini Cardinalis Florentini ſtimulis impulſus, Ariminum, & Fauentiam a Venetis tanquàm Eccleſiaſticæ ditionis urbes repoſcebat, quę iam antea a Borgia occupatæ poſt eius obitum ultrò in Venetorum fidem conceſſerant. Romæque eo tempore Senatus nomine Antonius Iuſtinianus Legationis munere fungebatur, cui Pontifex longiori ſermone cum eo habito, animi ſui ſenſum aperuit, Venetos dicens, iniuſtæ facere, qui plurima Flaminiæ oppida ad Eccleſiaſticam ditionem ſpectantia, & inter cætera Ariminum, & Fauentiam, armis occuparent: proinde rem ſua erga Romanam ſedem fide, & obſeruantia dignum facturos, ſi urbes iniuſtis armis patres Eccleſiæ ſponte reſtituerent. ad hæc Iuſtinianus reſpondens, ſummis Pontificẽ precibus orare cœpit, ut hæc ſua Sanctitas miſſa faceret: nec Venetos de Rep. Chriſtiana benemeritos pro ſua ſumma iuſtitia in rerum diſcrimen deuocaret, quando Veneti è Borgiæ tyrannica poteſtate Ariminum, & Fauentiam in fidem ſuam recepiſſent. in ſententia tamen Pontifex inſiſtens, Angelum Epiſcopum Tyburtinum Venetias Legatũ ad patres miſit: isque in curiam admiſſus, Pontificis mandata expoſuit, patresque hortatus eſt, ad reſtituendas urbes, ut Eccleſia Borgiano tumultu amiſſa recipiat, in priſtinamque dignitatem reſtituatur. patres autem ex ueteri Reip. inſtituto rem ad Senatũ retulerunt, ubi multa ab eloquentiſſimis uiris in utranque partem dicta, diſputataque fuere: tandem cenſuit Senatus, ut Legato Princeps ex decreto publico ita reſponderet, patres dolere, Pontificis animum ex iniuſta cauſa a Veneto nomine alienatum eſſe; exploratum autem id omnibus, legitimo titulo Venetos Ariminum, & Fauentiã urbes poſſidere, easque a Borgiæ tyrannide ereptas, iuſtis armis ſibi uendicaſſe, pro quibus cenſum Apoſtolicæ ſedi pendere uicario nomine patres non recuſaturos, nulloque unquàm loco deinceps defuturos, ſalua Senatus Veneti dignitate, ad Romanæ Eccleſiæ ditionem tutandam, ac amplificandam. Hoc reſponſo Pontifex uehementer commotus, iram ad tempus diſſimulauit, Oratoriq; Iuſtiniano ſæpe poſtea affirmaſſe dicitur, quatenus agnoſcebat, Eccleſiæ uires non eas ſuppetere, quæ tutò Venetis obiici poſſent, euocaturum ſe in Italiam exterorum Regum auxilia, ad Romanam dignitatem tuendam aduerſus eos, qui illam tam temerè impugnarent: atque ita minacibus dictis facta reſponderunt. miſitque Iulius Legatos ad Ludouicum Galliæ Regem, & ad Maximilianum Cæſarem, ac utrunque illi in Venetum nomen execrabili odio accendere annixi ſunt. contrà, ad reſtinguendam Regum inuidiam per Oratores ſuos Senatus eorum animos delinire, purgareque obiecta tentauit: atque illi identidem nequaquam fœdus, quód cum Rep. ictum habebant, uiolare unquàm ſub regia fide ſpoſpondere.

Marginal notes: Legati ad Iuliũ Pontificem. — Regum cõſilia in Venetos. — Ant. Iuſtinianus. — Epiſcop. Tyburtinus. — Senatus reſponſũ. — Pontificis minæ.

PETRI IVSTINIANI

PATRITII VENETI,

ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber undecimus.

Legati Cæſaris ad Venetos.

VT Iulio Pontifici Maximilianus gratam rem faceret, duos Legatos Venetias miſit, qui Senatum ſuo nomine hortarentur, uti Apoſtolicæ ſedi Fauentiam, atque Ariminum reſtitueret: nam id proprium muneris ſui eſse dicebat, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Pontificiſque rerum procurationem ſuſcipere: quod ipſum ſi Senatus ſponte facere recuſet, cauſam ad iudices remittat, ſe curaturum, ut idem pariter Pontifex agat: ipſe quoque, ſi ex partium conſenſu diſceptationis eius arbiter eſset, pro rei æquitate ſententiam ferret. Legatis Princeps, conſulto Senatu, quum multas cauſas, iuraque Reip. circa Fauentiam, & Ariminum enumeraſſet, id unum modò affirma-

Senatus Reſponſ.

bat, Reip. actionem, iuſque illis in oppidis, ſatis, ſuperque eſſe apertum, & notum, nec ulla amplius declaratione indigere: proinde patres id in dubium ponere negabant, quod per ſe patẽs, clarumque abunde eſſet. eo reſponſo accepto, Legatorum alter Romam profectus, urbe diſceſſit; alter apud Senatum permanere eſt iuſſus. inter hæc Ludouicus Gallorum Rex, & Maximilianus Cæſar fœdere inuicem contraxere, quum

Ioan. Laſcari.

per Legatos de iis, diu multumque diſceptauiſſent. quibus confectis, Ioannem Laſcarem Byzantinum Gallorum Rex ad Senatum miſit, per quem patres hortabatur, ut aliqua cum Iulio Pontifice ad concordiam ratio iniretur, qua firmata, unanimi poſtea ſtudio omnes de bello ſacro in Turcas cogitare poſſent. addebat & illud, ſibi cum Maximiliano Cæſare conueniſſe, pacemque & beneuolentiam inter ipſos conſtitutam, ſtabilitamque, non ut per eam quiſpiam infeſtaretur, ſed id factum Regni, Imperiique utriuſque tuendi cauſa. reſponderunt patres, nihil ſe ſe prætermiſiſſe, orando, pollicendo, uti Iulium placarent: & licèt Alexander Pontifex Fauentiam, & reliqua Fla-

Reſpõſio.

miniæ oppida Borgiæ filio libera, immuniaque tradiderit, uelle tamen patres ſe ſe cenſum Romanæ Eccleſiæ pendere, aurumque ſignatum pro Fauentia, & Arimino quotannis perſoluere. deinde Senatum lætari, Gallos, Germanoſque inter ſe pacem, ſocietatemque firmaſſe; illud tamen admirari, contra fœderis formulam Regem inconſulto Senatu cum Cæſare conueniſſe, quum neutri ſine alterius uoluntate fœdus, pacemque cum Rege Principeve ullo facere liceret. ad ea Legatus, tempus quattuor menſium ad nouum fœdus amplectendum ſtatutum eſſe reſpondit; itaque in patrum poſitum eſſe poteſtate, id ut ludet, facere. pax tamen, Senatu non appellato, clanculum inter Reges confecta, ſuſpicionem non paruam iniiciebat, alicuius tacitæ & occultæ in Remp. conſpirationis, quæ poſtea ſequuta eſt, ut de ea ſuo loco dicemus. Ac per hos

Hier. Troni ſupplicium.

dies ſerui inditio, qui ab eo uapulauerat, Hieronymus Tronus, comprehenditur, quòd pecunia corruptus ſuperioribus annis Naupacti arcem, cui præerat, hoſtibus tradidiſſet. decemuirum iuſſu, ex ſuperiori curiæ loco ad rubri lapidis columnas reſte ſuſpenſus, enecatuſque eſt. & nuncio ex Hiſpania accepto de obitu Iſabellæ Reginæ, pudiciſ-

Vinc. Quirini.

ſimæ, ac eximiæ uirtutis fœminæ, patres ſtatim Vincẽtium Quirinum Oratorem creauere, qui demandata legatione in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem proficiſceretur, cum quo de uxoris morte publico nomine condoleret, & Philippum Maximiliani filium in Belgis Regem ſalutaret, congratulareturque ei de acceſſione Regni, in Hi-

ſpaniæ terræ parte,ut teſtamenti tabulis per Iſabellam ſocrum declaratum fuerat:quibus ipſa Philippum generum Caſtellæ Regni hæredem inſtituit. Conflagrauitque hoc tempore domus Reip.per ampla trans Riualtum,quæ Fonticus appellatur, ubi cuiuſcunque generis merces,quæ aut in Germaniam deportandæ eſſent, aut ex ea prouincia in urbem conuehendæ congerebantur : magnaque ex hoc incendio plurimarum mercium iactura facta eſt:eam poſtmodum ædem illo ipſo anno ciuitas a fundamentis,arcubus,fornicibuſque communitam,inædificatamque,ne ignis unquam corrumpere poſſet,in magnificentiorem multò formam reſtituit.

Fontici incendium.

Poſt hæc Ludouicus Gallorum,& Ferdinandus Hiſpaniæ, Reges inter ſe fœdera iniere: quæ res ſuſpitionem patribus de parum ſincero Ludouici in Remp.animo auxit, quum etiam nihil Rex antea de ipſo fœdere Senatui ſignificaſſet. At Ferdinandus Legato ſuo ad Venetos miſſo,Patribus renunciauit,propter noua illa inita cum Gallorum Rege fœdera,nihil ſe de ueteri ſuo erga Remp.affectu,beneuolentiaque imminuiſſe,quam non retinere modò,atque alere,ſed augere etiam omnibus officiis in dies ſingulos percuperet.

No. Fœd.

Et ex Aphrica Tunetis Regis Legatus ad Senatum uenit,muneraque attulit,quattuor miræ pernicitatis equos,totidemque aquilas,& canes uenaticos: petiitque ut triremes ad mercaturam patres in Aphricam mitterent,ac fœdus, amicitiamque Regis ſui nomine cum Rep.inſtituit. Legatus autem liberaliter acceptus,muneribusque donatus, ex urbe in patrias oras,conceſſit.

Tunetis Regis Legatus. No. munera.

Venere etiam ex Norimbergenſi ampla, & libera in Germania ciuitate Legati, qui exemplum Venetarum legum a patribus petiuerunt, quas uti ſanctiſſimas,prudenterque inſtitutas ciuitas illa ſequi optabat. id quidem frequens Senatus concedendum cenſuit: legesque in Germaniam perductæ ſunt , quibus ad hunc diem Norimbergenſes utuntur.

Legati ex Norinberga.

Et per id tempus Alexium in Epyrho oppidum, quod Veneti antea per deditionem occuparant, Bayſethi Regi Senatus decreto reſtituitur.

Alexii opidi reſtitutio.

Deceſſitque hoc tempore è uita M.Ant.Sabellicus,qui res Venetas eleganti ſtylo conſcripſit.laudauit autem illum funebri oratione publicè Egnatius. Creati ſunt poſt hæc Georgius Piſanus,& M. Dandulus Legati ad Ferdinandum Regem, qui ex Hiſpania Neapolim acceſſerat,ut de eius in Italiam aduentu publico nomine gratularentur; & Philippus,Maximiliani Cæſaris filius,in ipſo ætatis flore uita functus eſt, reliquitque poſt ſe duos filios,Carolum,& Ferdinandum,amboque,ut ſuo loco dicemus, ad Imperiale faſtigium fœliciſſima domus Auſtriæ ſucceſſione peruenere.

Legati Veneti in Hiſpaniam. Philippi Max. F. interitus.

Recepitque Bononiam Pontifex,Ioanne Bentiuolo urbe eiecto, quem ciues maximo odio ob iniuſtam eius adminiſtrationem proſequebantur;facileque in antiquum Romani Pontificis fidè rediere. Dehinc Ludouico Gallorum Rege in Italiam cum exercitu properante,ut Genuenſium ciuitati,quæ ab eo libertatis ſtudio defecerat, bellum inferret , non parum Itala res turbata eſt. Ille autem recepta paucorum dierum curſu Genua,Lyguſticaque omni ora,Mediolanum ſe contulit. Statimque Dominicum Triuiſanum,& Paulum Piſonem,Patauii præſides,Senatus Legatos ad Regem de uictoria gratulatum miſit:exceptique ſunt ab eo Oratores multa comitate.

Dom. Triuiſ. Paul. Piſo.

Inde Rex in Lyguriam reuerſus, cum Ferdinando Rege apud Sauonam in colloquium uenit, & quum unà ibi uterque dies aliquot fuiſſet,Ferdinando abeunte, Ludouicus & ipſe in Galliam profectus eſt. Rumore autem increbreſcente,Maximilianum de Italia inuadenda cogitare, ſtatuere Veneti ad tuendos Reip.fines, militum ſtatim delectum habere : certuſque agreſtium hominum numerus conſcribitur, qui rei militari bellicæ diſciplinæ exercitatione aſſuefierent:iiſque immunitas omnium rerum data, quo paratiores in quolibet hoſtium incurſu ad obeunda belli munera eſſent; & quum neceſſitate cogente uocarentur ad ſigna,e ueſtigio armati conuenirent. Itaque nunc quidem in cunctis Reip.finibus, uicis, pagiſque deſcripta eſt agreſtis pubes,quæ militari re exercetur, ac promptam, celeremque Reip. nauare operam quandocunque parata eſt.

Noua militiæ inſtitutio.

Interim Maximilianus Cæſar ad accipiendam de more Imperii coronam cum inſtructis copiis deſcendere ſtatuens, Venetos in ſuas partes trahere,& a Gallorum ſocietate reuocare nitebatur. tentataque apud patres res ea eſt per nobiliſſimos Germaniæ Oratores. Ad hæc etiam Cæſar Vinc. Quirinum, qui apud eum per id tempus legationis munus publico nomine magna cum laude obibat,de tranſitu ſuo in Italiam admonere uoluit;iuſſitque,ad pa-

Legatio Maximiliani ad Venetos.

Aa 2 tres

tres ſcribere,ſe pacatè per Veneti imperii fines ad accipiendam Romæ coronam tranſiturum.nullo autem Oratori Quirino per plures dies reſponſo dato,nouiſſimè aliam legationem Maximilianus ad Senatum miſit,qua eadem petebat,pollicebaturque,pa

Cæſaris poſtulata.

catiſſimum iter ſuum fore;adiiciens,ſi ex fœderis formula,qua Gallo Regi Veneti tenebantur,non poſſent Maximiliani rebus ſatis honeſtè fauere,apertè affirmabat, nullam fidem,nullum iuſiurandum in Gallo Regi eſſe,nihil penſi habere,quo minus rem ſuam ſpreto gentium iure agat.Cæſar uero ſanctè, ac inuiolabiliter fœdera, quæ maxime expetebat, omni tempore cum Veneta Rep. ſeruaturus eſſet. uellent igitur patres ſocia cum Cæſare arma iungere.certiore autẽ per litteras a Senatu Gallorum Rege de Maximiliani poſtulatis reddito, incredibili indignatione, atque odio in Venetos Cæſar accenſus eſt,quòd conſilia ſua Veneti inimico Regi aperuiſſent; atque hinc Camaracenſis fœderis cauſa potiſſimùm orta fuiſſe dicitur,de fœdere poſtea ineundo

No. Senatores.

actum eſt.Dominicus Maurocenus,Paulus Barbus,& And.Venerius,uiri ætate, conſilio, & prudentia longè clari ad Germanam amplectendam ſocietatem patres hortabantur.uicit tamen ſententia ſeruãdi cum Gallo fœderis;reſpondendumque in hunc modum Cæſaris Oratoribus Senatus cẽſuit:Si Maximilianus in Italiam ſine exercitu

Senatus reſponſũ.

per Reip.fines proficiſci Romam uellet,paratos eſſe Venetos læto animo tranſitum ei præbere,miſſurosque officii gratia ſuos Oratores, qui Cæſarem publico nomine honorifice excipiant: uerùm ſi ille uiam armis, ferroque tentaret, pro fœdere ſeruando, quod cum Gallorum Rege antea patres ictum habebant, armatas Veneti acies ad prohibendum tranſitum obiicere ex fœdere coacti erunt. Hæc ubi in Germaniam perlata ſunt, Maximilianus indignatus, quòd Veneti Gallorum ſocietatem ſuæ prætuliſſent, nec ei pacate tranſituro per fines Reipublica iter dare uellent,bello iniuriam uindicare ſtatuit; ſtatimque Vinc. Quirinum Oratorem è Germania diſcedere iuſſit,coactuſque circa Tridentum,& Noricum copiis, in Italiam ex

Geor.Hemus.

his locis deſcendere uidebatur. ea propter Veneti,Georgio Hemo Prouiſore declarato,in fines Veronenſium eum cum iuſta armatorum manu accedere iuſſerunt,ut ab eo latere,ſi quid hoſtis moueret,Imperium muniretur.duo quoq; alii Legati,And.Grit-

And. Grittus Geor. Corneli⁹.

tus,& Georgius Cornelius a Senatu creati ſunt,quorũ alter in Roethos,alter in Carnos cum copiis proficiſceretur:nam inde etiam in Reip. fines uelle prorumpere duplici exercitu Germanos litteris,nunciiſque trepide afferebatur. ita imperiis ſorte partitis,Gritto Roethi,Cornelio Carni prouincia euenit. nulla tamen in Rethis hoſtiũ maior uis fuit,quin repreſſi,& repulſi ſæpe illi ex Reip.finibus turpiter ceſſere.At in Carnis Liuianus,qui exercitui præerat,& Cornelius Legatus rem in hoſtes fœliciter geſſerunt:nam quum illi ſubitò impetu cadubrium ad flumẽ Plauim expugnaſſet, ubi Pe-

Pet.Ghiſi

trus Ghiſi prætor captus eſt,in uindictam Liuiani animus ſtatim accenditur, in hoſteſque propere itum,quos Venetæ copiæ in Cadubrinis campis ferociter adortæ magna clade profligarunt,plurimique præter militum uulgus, ex Germanorum primoribus ſunt obtruncati. Cadubriumque eodem temporis momento non ſine difficili oppu-

Germanorũ clades. Goritia capta. Tergeſtũ expugnatum. Fr. Capellus,Dom. Grittus. Iuſtinianus Maurocenus. Portus naonis. Ioan.Raublerius. Paulus Linctaſtenius. Ant. Condulmeri⁹

gnatione recipitur, in qua Carolus Malateſta adoleſcens egregius,ſaxo ab arce percuſſus,cum nonnullis uiris fortibus interiit. Liuianus poſtea in hoſticum cum uictore exercitu tranſgreſſus,Goritiam iuxta radices Cottiarum Alpium armis adortus capit: parique fortuna uſus Tergeſtum terra, marique circumuallatum expugnat,claſſemque Hier.Contarenus agens,rem fœliciter circa eam urbem geſſit:alia quoq; minora Hiſtriæ oppida debellata Liuianus Veneto adiecit imperio. Tergeſtiniſque ſtatim Fr.Capellus prætor datus eſt,& Dominicus Grittus lectus, qui Goritiæ arci præeſſet: Iuſtinianus autẽ Maurocenus, uir impiger,& planè fortis, totius oppidi adminiſtrationem haberet,quo tempore Portuſnaonis oppidum uoluntaria ciuium deditione in Venetorum fidem conceſſit: aliaque ſequuta ſunt circa Piſinum, Poſtoinamque oppida belli geſta,quæ Venetis ferè omnia proſpera,ac ſecunda fuere. Poſthæc Maximilianus aduerſam,dubiamque fortunam ueritus, per Ioannem Raublerium Legatũ ſuum pacem a Senatu petiit: ea uerò abnegata,induciæ poſtea in triennium pactæ sũt, quas cum Paulo Linctaſtenio Cæſaris nomine Zacharias Cõtarenus Venetus Orator publico nomine firmauit.eas uerò inducias Galliæ Rex moleſtiſſimo tulit animo,qua

tenus

tenus abſque Ioannis Iac. Triultii, & Caroli Guifredi aſſenſu, qui res Gallicas in Italia Regis nomine procurabant, induciæ confectæ fuiſſent, quibus ſubſcribēdo neuter eorum affuerat: deque his Rex grauiter conqueſtus eſt cum Antonio Condulmerio Reip. Oratore. Hinc itaque Regis animus alienatus, Venetam amicitiam minus ſtudio ſe colere cœpit, & Maximilianus Cadubrinæ cladis memor, totque oppidorum alienatione permotus, iniuriæ authorem Venetum occultè oderat, mox in apertā inimicitiam prorumpens, horrendum Camaracenſis fœderis incendium excitauit. Ferdinandus quoque Hiſpaniæ Rex Germanica ſequutus eſt arma, & Iulius Pontifex ex inſito, ueterique in Venetum nomen odio, ob Fauentiam, & Ariminum eccleſiæ urbes occupatas, Regibus facile adhæſit. Ferturque paulò ante a Pontifex dum relaxandi animi cauſa Roma digreſſus, nauicula Cētum cellas peteret, & cum eo Georgius Piſo Venetus Orator, altero Legato Ioanne Baduario in Vrbe ob inualetudinem ſedēte, ueheretur, familiari in colloquio, quum iam ira eius deferbuiſſet, cōuerſus ad Piſonem hilari uultu dixiſſe, Cur Senatus aliquos mihi ex ciuibus ueſtris nō proponit, quibus Arimini, & Fauentiæ uicarium tradem imperium, Romanaque ab his capiat cenſum Eccleſia; & ita Veneti uoti compotes facti urbes illas ſub ciuium ſuorum nomine legitimè poſſidebunt? Pontifici autem Piſo inconſulte reſpondit, non conſueuiſſe Venetos ex priuata conditione ciues ſuos Reges facere. nec de his poſtea Piſo, ingenii auſteri uir, collegam ſuum, nec Senatum reddidit unquàm certiorem, qui fortaſſe re mature diſcuſſa ſalutari conſilio futuris malis opportuna remedia adhibuiſſent: ſed uel fortunæ, ſatiue acerbitate, uel potius diuino ita euenit conſilio, ut Veneta Reſpu. quæ opibus, potentia, famaque ad eam diem toto Orbe illuſtris, late terra, marique fines imperii propagaſſet, in inuidiam principum Chriſtianorum adduceretur, aduerſaque tanta ſubiret, ut ab his mortales documenta acciperent, omnia fortunæ ſubiecta eſſe, ac res humanas ineuitabiles, aſſiduasque pati uiciſſitudines. Demum Pontificius, Germanicus, Gallicus, & Hiſpanus, Oratores ad Camaracum in Belgis oppidum fœdus ſimul publico Principum ſuorum nomine in Venetos percuſſerunt. Acceſſere & huic fœderi Eſtenſis, & Gonzaga, ſolicitati & Britāniæ, & Pannoniæ Reges ad ſocia arma iungenda, ut ex omni parte Venetus communibus, confœderatiſque Principum Chriſtianorum armis oppreſſus deleretur. Miſſusque eſt a Gallorum Rege de illius gentis more caduceator Venetias, ut patribus bellum indiceret: qui ueſte liliis aureis (ut accepimus) intertexta ornatus, in curiam aſcendit, arrogātiq; ſermone, Tibi, inquit, Princeps, & uobis Veneti, tanquàm alieni Imperii uſurpatoribus, raptoribusq; infidis Ludou. Regis mei nomine bellū, indico; repetiturusq; ea armis ipſe uenit, quæ uos ꝑ uim & iniuriam, a ueris dominis ablata, tam diu iniuſte tenetis. Tum Princeps, ad caduceatorem pacato uultu conuerſus, Nihil Galle hæc Reſp. in Italia, alibiue iniuſtæ poſſidet, neque fidem unquàm cuiquàm fallit, cuius obſeruatores ſemper conſtantes fuimus. Abi, & noſtro nomine Regi tuo nuncia, bellum, quod nobis tam arroganter indicis, Deorum immortalium ope fortiter propulſabimus; quos ſperamus propitios hoc bello habituros, & eoſdem aut in hac mortali uita, aut apud inferos ob rupti fœderis ſcelus, Gallorum impietatis uindices fore. atque ita ille dimiſus, honoribusque & officiis exultus, Veneta urbe abiit. & hæc eſt confœderatio, cuius exemplar (ut tanti Europæ motus origo planior habeatur) in hac Hiſtoriæ parte, qua bellum hoc Camaracenſe deſcribitur, a Gallico extractum idiomate, ponendum duxi, in quo quidem grauiſſimum totius Regum, Principumque Europę in Rempubl. odium, ne immanem dicam rabiem, cernere eſt. Maximilianus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, & Hungariæ, Archidux Auſtriæ, Burgundiæ, Lothoringiæ, Barbatiæ, Stiriæ, & Carinthiæ: ac Marchio Sacri Rom. Imperii, &c. Recognoſcimus, & præſentium tenore notum eſſe uolumus uniuerſis, quòd quum ſanctiſſimus in Chriſto pater, & Dominus, Iulius, diuina prouidentia Sacroſanctæ Rom. uniuerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex, Dominus noſter reuerēdiſſimus ſæpius, & repetitis uicibus nos pariter, & Sereniſſimū, atque Excellentiſſimum Principem, Dominum Ludouicum, Regem Franciæ, fratrem noſtrum chariſſimum, alioſque Chriſtianos Principes. inſtantiſſimè admonuerit, ut

Fœdus Cameracenſe.

Geor. Piſo.

Ioan. Baduarius.

Not. Pontificis oblationē.

Not. Piſonis reſpōſum.

Not. caduceatoris arrogantiam.

Principis Reſponſum.

tamquàm ueri,& deuoti filii Eccleſiæ uellemus,ad cõſeruationem Chriſtianæ Reip. intendere,quæ in dies a truculentiſſimis Turcis,& cæteris infidelibus maximas iacturas patitur,ac etiam ad conſeruationem iurium,& bonorum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, atque Beatitudinis ſuæ,totis uiribus noſtris aſſiſtere ad recuperationem eorum, quæ poſtpoſita fide, omniq́ue religione contempta, nulla habita ratione,æqua, honeſta, & iuſta,Veneti pluribus iam annis de Beati Petri,& Sanctæ Rom. Eccleſiæ patrimonio tyrannicè inuaſerunt, uſurparunt,& occuparunt,ac de præſenti nullo iuſto titulo indebitè occupant, & detinent.cui exhortationi ſanctiſſimi. D. N. Nos Imperator præfatus pro ſyncera noſtra in ſedem Apoſtolicam obſeruantia (ut par eſt)parere uolentes,huiuſcemodi defenſionem, & conſeruationem Reip. Chriſtianæ, nec non incrementum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ iuxta maiorum noſtrorum ueſtigia, & exempla,tam quàm etenim illius aduocatus,& protector cum ſummo deſiderio amplecti, & ſuſcipere fuimus ſemper ex animo inclinati; conſiderantes etiam grauiſſimas iacturas, iniurias rapinas, & damna, quæ præfati Veneti nedum ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ, ſed & ſacro Romano Imperio, domui Auſtriæ, Ducibus Mediolani, Regibus Neapolitanis, & aliis multis Principibus uiolenter intulerunt, illorum bona, poſſeſſiones, ciuitates, oppida, perinde ac ſi in communem omnium perniciem conſpiraſſent, tyrannicè occupando, & uſurpando: propter quod non ſolùm ſalubre,utile,& honorificũ,ſed & omnibus prædictis neceſſarium eſſe exiſtimamus,ut omnibus ad iuſtam uindictam excitatis,tandem ad reſtinguendam inſatiabilem Venetorum cupiditatem,& dominandi libidinem,tãquàm ad commune incendium accurratur,iunctisq́ue uiribus,& armis,bona per eoſdem Venetos ablata,& occupata recuperentur,& reintegrentur;eaque de cauſa nuper Illuſtriſſimam Principiſſam Margaritam Archiduciſſam Auſtriæ, Duciſſam Burgundiæ, relictam uiduam Sabbaudiæ, filiam noſtram chariſſimã ad ciuitatem noſtram Imperialem Gameracẽſem miſimus, quæ uigore pleni & ſufficientis mandati noſtri tamquam ſpecialis noſtra in hac parte procuratrix poſt concluſam generalem pacem inter nos, & ſupranominatum Sereniſſimum fratrem noſtrum Regem Franciç cum Reuerẽdiſſimo in Chriſto patre, D. Georgio de Amboſia tit. ſancti Sixti, ſanctæ Rom. Eccleſiæ presbytero Cardinale Rothomagenſi,ac ſedis Apoſtolicæ per Franciam de latere Legato,facienti ſe in hac parte fortem nomine ſanctiſſimi D. N. etiam iam dicti ſereniſſimi Regis Franciæ fratris noſtri ad hoc deputato procuratore, ac cum ſpectabili Iacobo de Albion milite,Sereniſſimi Regis Aragonum Oratore,& ad hoc etiam ſpeciali procuratore,tractauit,iniuit,fecit,concluſit,& iurauit,ac litteris ſuis roborauit, fœdus,confœderationem,unionem,& ligam,contra ipſos infideles,ac etiam contra Venetos,iuxta capitula,puncta,& articulos.quarum litterarum,capitulorum,punctorum, & articulorum tenor de uerbo ad uerbum ſequitur, & eſt talis. In primis, quia hodie nos cum præfato Domino Cardinali Rothomagenſi Legato,& ex prædictorũ ſacratiſſimi Domini Imperatoris,& Chriſtianiſſimi Frãcorum Regis nominibus iniuimus,& concluſimus pacem generalem,atque confœderationem,in qua etiam inter cætera ſanctiſſimum in Chriſto patrem,& Dominum,D. Iulium II,diuina prouidentia. S. Roma. Eccleſiæ ſummum Pontificem,Dominum noſtrum obſeruandiſſimum, & ſereniſſimum Aragoniæ Regem incluſimus,atque utrique parti adhuc facultatem reſeruauimus, infra quattuor menſes poſſe alios ſuos confœderatos nominare,& eidem paci,ſeu confœderationi includere. Et quoniam Veneti in maximum præiudicium ſanctæ ſedis Apoſtolicæ,ſacriq́ue Romani Imperii,& Dominorum Auſtriæ,ac Chriſtianiſſimi Regis Franciæ ad cauſam Ducatus Mediolani,ipſiuſq́ue ſereniſſimi Regis Aragoniæ ad cauſam Regni Neapolitani iamdudum tyrannicè, & uiolenter occuparunt, detinuerunt,& præſentialiter uſurpant,occupant, & detinent quàm plurimas prouincias,urbes,& dominia,ipſis ſacratiſſimo Domino Imperatori,& Regibus prẹnominatis,ſingula ſingulis referendo pleno iure pertinentia; tractatum,& conuentum eſt, inter nos nominibus antedictis,quod nec ſacratisſimus Dominus Imperator,Romanorum,nec Chriſtianisſimus Francorum Rex debeant,nec poſſint Ducem,& Dominium Venetorum,aut eorum ſubditos,nec alios communes hoſtes, contra quos mouendum bellũ, pro

Not. iniuſtam caſumniam.

Not. male dicentiá.

Margaritha.

Geor. de Amboſia Cardinalis.

Iac. de Albion.

Excluſio Venetorũ a fœdere.

pro cōfœderato, uel cōfœderatis ſuis nominare, ſeu huic paci, & confœderationi hodie factæ qualitercunque includere, quinimò præfatus Dux, & Dominium Venetorum, atque eorum ſubditi, a præfata pace & confœderatione prorſus debeant eſſe excluſi. Item actum eſt, & conuentum, quòd ſit una ſpiritalis liga, unio, amicitia, atque confœderatio inter ſanctisſimum dominum noſtrum Papam, & inter prædictos ſacratisſimum D. Imperatorem Romanorum, & Sereniſſ. Franciæ, & Aragoniæ Reges, contra ipſum Ducem, & dominium Venetorum, atque eorum ſubditos, pro recuperatione, ſeu reintegratione omnium deperditorum. Item pro celeriori huius rei expeditione actum & conuentum eſt, quòd ipſi ſanctisſimus D. N. & ſerenisſimi Franciæ, & Aragoniæ Reges, & ipſorum quilibet cum ſufficienti militum, & peditū exercitu, ac cum artellaria neceſſaria teneantur infra diem primam Aprilis proximè uenturam pro recuperatione antedicta, communibus armis eoſdem Venetos hoſtiliter inuadere, nec prius a prædicta inuaſione, ſeu guerra, aut armis per aliquem eorum deſiſtetur, quàm omnino & integre Apoſtolica ſedes recuperauerit Rauennam, Ceruiam, Fauentiam, & Ariminum, earumque diſtrictus, ac alia oppida Imolæ, & Ceſenæ, cum omnibus earum iuribus, & pertinentiis, ac omnia alia, quæ de ſtatu, & iuribus Eccleſiæ Romanæ dicti Veneti occupant, & detinent. & Præfatus ſacratisſimus dominus Imperator recuperauerit, Roueretum, Veronam, Paduam, Vincentiam, Taruiſium, Forumiulium, cum territoriis, ac pertinentiis eorum, nec non Patriarchatum Aquileienſem, cum ſingulis ſuis pertinentiis; omniaque alia loca, & dominia per ipſos Venetos in hoc ultimo bello capta, & occupata ex terris, & Dominiis domus Auſtriæ. & pari modo ipſe Chriſtianisſimus Francorum Rex recuperauerit totaliter Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, Geradadam, cum ſingulis ipſorum locorum diſtrictibus, territoriis, at pertinentiis, & generaliter omnia ea, quæ fuerunt antiquitus de Ducatu, & domo Mediolani, ac prædeceſſorum ipſius Chriſtianisſimi Regis in eodem Ducatu. & ſimiliter ipſe ſerenisſimus Rex Aragonum recuperauerit ea omnia, quæ ipſi Veneti de Regno Neapolitano, & ex præceſſoribus in ipſo Regno quouis modo abſtulerunt, & uſurparunt, ac de præſenti quo uis colore uſurpant, detinent, & occupant, uidelicet, Tranum, Brunduſium, Otrantum, & Gallipolim, ac omnia alia, quæ de Regno Neapolitano per eos occupantur. Item poterunt etiam Illuſtris Dux Sabbaudiæ pro Regno Cypri, & Dux Ferrariæ, & Marchio Mantuæ pro recuperatione eorum, quæ dicti Veneti eis detinent, & occupant, ſe huic ligæ adiungere, & in hac cōfœderatione ſe includere. Itē ꝙ ēt ſit facultas ſerenisſimo Regi Angliæ ſe includēdi in hac cōfœderatione, & liga contra Venetos, ſiue ad offenſionē, ſiue ad defenſionem tantùm, ſiue ad utrunque, pro ut ei melius uidebitur: ac pleraque alia huic fœderi ad Camaracum per partium Oratores aſcripta fuere, quæ nos breuitatis cauſa omittimus. Ea autem Reges ſocii ſigillorum ſuorum munimine roborari iuſſere, die quinto Ianuarii, Milleſimo, quingenteſimonono. At patres in tanto Europæ totius motu ad Imperium tutandum conuerſi, ſedulò copias, commeatuſque parare, urbes communire, ac cuncta diligenter curare, quæ futuro bello uſui fore uiderentur. ueneruntque Senatus iuſſu è Creta, Sagittarii, qui Zegdari vocantur, agreſte, ac ſemiferum genus hominum, & ex Peloponeſſo, ac tota Grçcia equites leuis armaturæ, Stratiotæ uulgo nuncupati. deinde ex Campania, Apulia, Lucania, Latio, & ex Ciſalpina Gallia delecti milites ueterani, & tyrones, uiri fortiſſimi: cenſaque ſunt in caſtris Venetis ſupra triginta peditum, ac decem leuis, grauiſque armaturæ equitum millia, quarum omnium copiarum imperium Nic. Vrſino Petiliani Comiti, a Senatu demandatum eſt, multique cum eo aderant clari bello Duces, Barth. Liuianus Gubernator exercitus, uir acer & intrepidus, Petrus Montanus, Ioannes Paulus Manfronus, Citolus Peruſinus, Dionyſius Naldus, Ioannes Græcus, Lactantius Bergomenſis, Franciſcus Gambara, Ioannes Siccus, Sonzinus, Benzonus. Legati autem erant, Geor. Cornelius, & And. Grittus, uiri ſummi, & amplisſimi. Parique armatorum nu mero hoſtiles copiæ in campum eductę, Rexque ipſe Ludouicus aderat cum omni ferè Gallię nobilitate, ac magna Heluetiorum manu, inter hęc Ioannes Laſcaris, qui apud Venetos pro Rege Oratorem agebat, in Galliam redire iuſſus eſt: ſimili modo Ant. Condulmerius Reip. Legatus domum a Rege dimittitur,

Diuiſio Imperii Venetorū inter Reges.

Zegdari.

Stratiotę.

Nic. Vrſinus.

Not. Venetorum exercitu. Ductores Veneti.

Legati in exercitu.

Ioannis Laſcari.

Ant. Condulmari'.

mittitur,

mittitur, ad quem torque aureo dono allato, ſe Regis muneribus non egere reſpondit, quando is hoſtili in patriam eſſet animo, belloque eam proſequeretur. Terque ita

Ioan. Iac. Caroldi.

que repudiato, ſtatim iter arripiens, è Gallia diſceſſit. Ioannes etiam Iacobus Caroldius Mediolano abiturus, ad Triultium ſalutandum acceſſit. tum ille Pudet me, inquit, Caroldi huius belli, quod in Remp. parari uideo: nam iniuſtum eſt, quum nulla in re Veneti Gallorum ſocietatem uiolarint. Interim in Flaminiam Pontificiæ cópiæ ſub Fr. Vrbinatis auſpiciis irruperant, bellumque ab ea parte Venetis illatum, quibus etiam a Pontifice ſacris interdictum eſt. Et ex Hiſpania, Germaniaq; noua ſociis Gal-

Zach. Lauredanus. Mar. Georgius.

lis auxilia aduenta, renunciabantur: totaque Europa in Venetos arma terra, marique parabat. Quare patres, ut hoſtibus undiq; occurrerent, Zachariam Lauredanum cum inſtructa biremium, celociumq; claſſe in Benacum aduerſus Germanos miſerunt, & Marinum Georgium Bergomum, ſi forte inde aliqua ab iis bellica uis repéte ingruat: alia quoque claſsis inſtructa eſt, quæ Apuliæ littora tueretur; eamque Ioannes Maurus uir impiger ductauit, & Arimini tuendi Aloyſio Armerio prouincia decreta. Laurentius autem Sagredus maritimam Flaminiæ oram, & Seb. Maurus cum armatis

Io. Maurus. Al. Armerius. Laur. Sagredus. Seb. Maurus.

cymbis proxima fluuiorum Padi, Atheſisque oſtia tueri iuſſi ſunt. Primoque ad Ponteuicum Venetus exercitus conſedit: hoſtes uerò ſub ſignis ex Mediolano ad Abduã uſque progreſsi, omnia fuga, & terrore complerunt. Carolusque Damboſia, & Ioannes Iac. Triultius primi agminis in exercitu Gallico ductores fluuio repente ſuperato iuſſu regis Triuilium oppidum ſubito aggrediuntur, territiq; inſolitis belli minis qui

Triuilium ab hoſte captum.

diu in pace floruerant, oppidani ſtatim deditionem fecerunt: captiq; ſunt a Gallis præſidii ductores Vitellius, Naldus, & Braccius, cum Paulo Memmo prætore, & Iuſtiniano Mauroceno Peloponesſiaci equitatus præfecto, quod infauſtũ Venetis belli omen fuit. Triuilii inexpectata defectio, omnia circum oppida plurimum conterruit, fugaq; paſſim ex agris facta eſt, Gallis cuncta igni, ferroque uaſtantibus. Carauaggium inde

Ber. Taiaperius.

hoſtes, cui Bernardinus Taiaperius præerat, armis tentarunt, ſed eos cum cæde a mœnibus Venetus repulit. Et ex alia parte Fr. Gonzaga cum Gallorũ auxiliari manu in Abduanã glaream prorumpens, Caſale maius ſubita ciuium proditione cepit, cuius

Al. Bonus. Fed. Contarenus.

oppidi Aloyſius Bonus prætor erat, in poteſtatemq; hoſtium uenit. eodemq; armorũ impetu Aſulam Gonzaga aggreditur, ubi Federicus Contarenus uir impiger cũ mercenario milite aderat, hoſtemq; is facile ab oppugnatione male habitũ reiecit. At in Flaminia Pontificius miles Breſegellam bellico apparatu ferociter inuaſit. oppi-

Io. Paulus Manfronus.

dum autem ædito monte ſitum, octingentorum militum præſidio munitum irritos hoſtium facile reddebat conatus. Nec procul aberat Ioan. Paulus Manfronus cum Venetis copiis, qui proximum collem inſederat, ut oppidanis ſubſidio feſtinanter eſſe poſſet, ſi res ita exigeret. Et hoſtes in dolum uerſi, propinquo in nemore inſidias poſuere, paucique ex his ad oppidum accedentes Venetum in certamen prouocant, qui laceſſitus in Breſegellenſium conſpectu prælium capeſſere non dubitauit. ancipitique aliquandiu Marte pugnatum, eruptione poſtea ex oppido facta, Venetus egregie uincebat, tum dato a Pontificio Duce ſigno hoſtium armata acies ex inſidiis ſubito prodiit, ſub cuius improuiſum acceſſum, Manfroniani primùm turbati ſunt: deinde Eccleſiaſticis armis urgentibus, ſtatim terga uertunt, ad oppidumque refugiunt, inſequutuſque eos mira alacritate hoſtis per portam turris pariter cũ Veneto in oppidum irrupit, cæſique eo impetu multi, reliqui ſe in arcem recepere, cum And. Baſilio prætore, & Ioan. Paulo Manfrono. At hoſtes ſtatim admotis æneis machinis, bellicisque aliis operibus, munitiſſimam arcem oppugnare ſedulo ſtudent: ii tamen ſæpe repulſi ſunt, inanique conatu primo impetu uis illata. poſtea dum noua oppugnatio paratur, territi qui in arce erant, deditionem fecerunt, ueneréque Manfronius, & Baſilius in hoſtium

Ruſſium.

poteſtatem. In Ruſſium inde uictor conuerſus, oppidum aggreditur, ſtatimque ex Rauenna ſociis ſubſidium armatorum miſſum ſub Ioannis Græci uiri fortiſſimi ductu, cum quo hoſtis obuiam ei rapto agmine progreſſus, manum conſeruit: certatumque dubio aliquandiu Marte; demum cataphractorum equitum impetu Venetus de-

Io. Græcus captus.

grauatus, hoſti ceſſit: & Ioannes Græcus dum ſuis in acie præſto adeſt, fortuito præferocis equi lapſu, in hoſtium poteſtatem uenit, captiuusque in caſtra perducitur. Tum

Ruſſiani

Ruſſiani,amiſſo Duce,quia nulla alia ſalutis ſpes ſupererat,deditionem fecerunt:permiſſumque eſt militibus,traditis armis,ex oppido,quò uellent,impune diſcedere. Fauentia quoque ſecundam fortunam ſecuta, ad uictorem defecit. & quanquam res in Flaminia aduerſæ erant,haud tamen multum patrum animi commouebantur, quum ciuitas ſpes omnes ſuas reparandi imperii conieciſſet in florentiſſimi exercitus uiribus,qui aduerſus Gallos ad Abduam conſederat, ubi totius belli moles incubuerat. crebris itaque litteris Senatus Imperatorem,& Legatos admonebat, ne temere quicquam agerent, ne ut niſi in extremam neceſſitatē adducti,cum hoſte confligerent.interim fines, agros,urbes,ſocioſque tuerentur. His a Senatu mandatis acceptis, omnia Imperator prouide agebat, ſtatuitque Triuilium iam antea Gallorum armis occupatum oppugnare: & quoniā certus erat, hoſtes ad impediendam expeditionem uiribus uſuros, exercitum ex militaris diſciplinæ more egregie inſtruxit, ut ſi pugnandum eſſet,paratas in hoſtem explicaret acies.eas autem quadruplici ordine diſpoſuit, in quarum qualibet decem millia peditum, equitumque leuis, ac grauis armaturæ continebantur: priuſquàm tamen caſtra mouerentur, Pitilianus Imperator,aduocata concione,ita in exercitus conſpectu locutus eſt:

Triuiliū.

Pitiliani ad milites oratio.

Si unquam iuſtam militandi cauſam uiri fortiſſimi habuiſtis, hoc ſanè bello honeſta, legitimaque arma uos induiſſe uideo:nam Venetum defenditis imperium, unaque Italiæ libertatem,quæ omnia Reges iſti fœderatis armis euertere impiè conantur, inhumane autem,impieque agunt, quando ſola dominandi libidine, magnis bellorum motibus excitatis,ius,faſque in rebus humanis tam impudenter uiolant.ecce enim,qui pacis, authorem eſſe debuiſſet,in dirum prorumpit facinus.te Iuli Pontifex appello,quo Duce,quo ſuaſore tantum bellum in Venetos exarſit,ex radice ſola inuidiæ ortum. quum Venetus hodie,Deorum immortalium benignitate,opulentiſſimum terreſtre,maritimumque poſſideat imperium,hinc Pontifex,Gallus, Germanus, Hiſpanusque Reges ad Camaracum fœdus, ſocietatemque inter ſe contraxere, eademque Itali Principes Sabbaudienſis, Eſtenſis,Gonzaga,fœdera ſecuti ſunt,ac omnes ſimul in Venetum nomen coniurati,ferrum,uimque parant.prior Gallus Alpibus ſuperatis, in Italiam deſcendit, adeſtque armatus,ac minitabūdus,Triuilianaque uictoria ferox,ac animos inflatos gerit,ob tot Regum ſocietatem,proſperaque ſibi omnia auguratur. ſed ſi humanis ſæuiſſimi hoſtes gloriantur fauoribus,diuina profectò numina infeſta habebunt, quando ruptis fœderibus, iniuſta in Venetos arma induerint,qui non tyrannicè,non barbarè,ut illi, dominantur; ſed iuſto,moderatoque utuntur imperio.pro his non ſolùm acerrimè pugnare debemus,uerùm etiam,ſi neceſſe fuerit,alacri animo mortem oppetere.quòd ſi ueſtra anteacta belli decora intueor,nuperque nobilem illam ad Tarrum pugnam,qua gentis huius ferociam repreſſiſtis eūdem facilè,ac lætiorem(nobis pugnantibus)euentum Venetus ſortietur. nec enim Italus meus Gallo,Hiſpanove militari virtute cedit,ineſtinctaque adhuc in Italicis animis bellica diſciplina uiget:complures autem in hoc exercitu uideo Duces, Tribunos, Centuriones fortiſſimos,qui ex hoſte cæſo ſpolia reportarunt, qui factis ingentibus, & gloria militari illuſtres habentur,horum uirtute (niſi fata ab æterno aliter ſtatuerunt,omnia proſpera ſperare licet,atque ex florenti hoc exercitu ad Triuilium oppugnandum,immo ad certam uictoriam proficiſcor. ſequimini fortiſſimi commilitones ueſtrum Imperatorem, ſequimini veneta ſigna,in dextris ueſtris repoſita eſt huius Reip. ſalus, Italiæ libertas,rerum omnium pacatiſſimus ſtatus: cautè tamen,ac prudenter agendum eſt,ut Senatus mandata exequamur.nec pugna mihi,niſi ſumma neceſſitas adigat, omnino placet:hoſteſque facile cunctando,ſuperabimus,qui natione,lingua, moribus diſſimiles,Galli,Hiſpani,Germani,haud diu concordes inter ſe animos habere poterunt. in noſtris quoque finibus conſedentes,cincti montibus,ac fluminibus,ſi commeatus ad exercitum apportari ferro obſtabimus,breui ad inopiam,famemque redacti, noua conſilia agitabunt,

Pugna ad tarrum.

tabunt, neceſſitateque uicti, ſigna deſerent, in ſuaſque nobis clariſſima uictoria relictas emigrabunt terras. Interim ad dignitatem Veneti nominis pertinere arbitror, Triuilianam uictoriam haud inultam hoſti relinquere: ad oppidumque ſigna admonenda ſunt rebelle, infidum, quod turpi deditione in Gallorum poteſtatem uenit: ijs uero munitiſſimo loco deiectis, cætera nobis ſecunda erunt: quòd ſi pugnandi occaſio aliqua interea ſe ſe offerret, uirtutem illam bellicam oſtendetis, qua ſemper Itala gens omnes alias Orbis nationes ſuperauit. Vbi Pitilianus dicendi finem fecit, a tota concione æquè laudatus eſt. Vnus fuit Liuianus exercitus Gubernator, uir ingenio acer, & manu promptus, qui omiſſo Triuilio, ſtatim in hoſtes eundum eſſe cenſebat, præliumque temerè exoptabat: An ſtabimus, inquit, caſtris, ualloque incluſi, hoſtisque Venetos fines in oculis noſtris impune populabitur? armis, ui, pugna, repellendæ ſunt iniuriæ: informidabilique audacia hoſtes pleni, omnia euertunt, & nos ab auita uirtute, Italicaque indole degenerantes, tepidi, eneruesque Barbaræ genti, euitato eius congreſſu, cedimus. Agmina inde ſub ſignis Imperatoris iuſſu Triuilium uerſus ordine incedere cœperunt. oppidoque miles Venetus appulſus, illud ſtatim corona cinxit. multis autem oppugnationibus Gallus hoſtis fatigatus, Italorum impetum fortiter ſuſtinuit; aggereque aduerſus tormenta erecto, rem intrepidè ierebat. diſiectis poſtea mœnibus hoſtilis aliquantum animorum uigor eſt repreſſus. Concurrere tamen inter ruinas quaſi patenti campo armatæ utrinque acies, ancepsque certamen aliquandiu fuit, dum horum animos potiundi oppidi ſpes accendit, illorum rerum anguſtiæ irritant. Demum Veneti acriori facta impreſſione hoſtem impeditum, & trepidantem loco deturbant, primusque Dyoniſius Naldus cum peditatu Lamonio in oppidi partem irrupit; eademque animorum alacritate alii turres, alii portas occupant. At Regiæ copiæ, quæ ad Abduam conſederant, crebris ardentium lampadarum ſignis, in ſubſidium euocatæ, ad ſuos obſidione leuandos ſtatim ire pergunt. Rexque ipſe totius Galliæ armata nobilitata ſeptus, in acie erat: & Veneti contrà quadrato agmine è caſtris Triuilianis profecti, Gallis obuiam tanta alacritate prodiere, ut non abſque mediocri ſuorum clade hoſtes ultra flumen Abduam in turpem fugam conuerſi ſint. Vnde ad inchoatam expeditionem Venetus reuerſus, oppidum iterum aggredi parat. at hoſtes ſuperioribus territi oppugnationibus (impetrato intempeſta nocte colloquio) in has pactiones deſcenderunt, ut oppido reddito, incolumitateque permiſſa, inermes ipſi abirent; cætera direptioni expoſita, uictoribus eſſent. atque ita miles prædæ auidus, demiſſo hoſte, rapinas, cædes, incendiaque fœda commiſit. Iuſſu deinde Imperatoris ex Senatus decreto oppidum ſolo æquatur. Hinc ex militari licentia multi motus, diſcordiæque in Veneto exercitu ortæ. dilabebanturque præda onuſti milites plurimi ex caſtris; & qui remanſerant, parum officioſi, obſequentesque bellica officia præſtabant. Hæc ubi per exploratores Gallorum Rex accepit, ne occaſioni, fortunæque deeſſet, Caſſianum cum omnibus copiis peruenit, quod eſt oppidum in Abduæ fluminis ripa loco paulò editiore poſitum: indeque ſtatim amnem ponte traiecit, locoque idoneo caſtra metatus eſt, inter quæ, & Venetum exercitum planicies tria paſſuum millia ingens patebat: ibique leuia ſæpe utrinque ab equitibus prælia committebantur, quæ noſtris ferè ſemper ob antecurſorum Epyrotharum uirtutem proſpera contingere Regiique ob hæc inde digreſſi, ad Riuoltellam oppidum caſtra admouerunt. At Liuianus ab exploratoribus certior factus, Gallos loco ſe mouiſſe, cum equitibus quadringentis, ſub lucem caſtris eſt profectus, ut quid hoſtes agerent, exploraret. illi tamen confecto celeriter itinere, tormentiſque ad Riuoltellæ muros poſitis, paruo temporis ſpacio deditione municipinm occuparunt. hinc cum omnibus copiis Pitilianus caſtra quingentos prope hoſtes paſſus ſuo loco poſuit, ibique diem alterum uterque exercitus in armis ſe continuit. Poſteridie Rex Pandinum uerſus ſigna mouit, ac ſecundum flumen acie diſpoſita iter ſilentio arreptum, eo conſilio, ut cum noſtris manum confereret, idque ipſum Liuianus maximæ optabat. Contrà multa, belli uſu, & experientia, ſenilique prudentia Pitilianus, dubios præliorum euentus animo reputans, modis omnibus, ut a pugna ſe abſtineret, Liuianum, quem incredibili commit-

tendi

Not. Liuiani uerba.

Triuilii oppugnatio.

Triuilium recipitur.

Caſsianũ.

Riuoltella.

Pandinũ.

Pitiliani prudẽtia.

tendi prælii ardore rapi cognouerat,hortabatur, Galloſque inopia coactos, breui ſe in ſuos fines recepturos aiebat,ita ut certam uictoriam ſine ſanguine partam, bellumque fœliciter confectum fore pollicebatur, ſi pugnæ caſus omitteretur. at Liuianus temerè in certamen exardens, pugnam ſuadebat,ac ſigna conuulſa in hoſtes inferri penè uidebatur. Tum Pitilianus ad eum conuerſus, Caue, precor, ne te nimium magni animi tui confidentia prouehat,reſque noſtræ temerario auſu concident: ſi enim ferro conſtricto, reconditoque uincimus,quid nos tentare,prælii fortunam oportet? hæc prudens Imperator. uerùm Liuianus ſpreto ſaniore conſilio, hoſtes abiiſſe ſentiens,ad inſequendum eos penè amens ferebatur, dictitans, non bene Reip. conſuli, cunctando, ſedendoque: [Liuiani ferocitas.] eam enim ſe,ſuaque omnia ipſorum fidei commiſiſſe,fruſtraque tantum conflatum exercitum,tot opes,theſauroſque profuſos,ſi ante ipſorum oculos Imperii fines ferro,ignique uaſtentur,oppidaque,& municipia nullo defendente capiantur;ſuumque eſſet dedecus, militaremque ignominiam, hæc perferre, exclamabat. His uocibus impulſus Pitilianus, conclamatis uaſis, caſtra moueri, & ſigna tolli imperat, munitioreque loco relicto, quando pugnandum erat, in patentes campos exercitum traduxit, ex eoque quattuor acies conſtituuntur, ſingulæque earum parem equitum,peditumque numerum habebant. [No. acies.] totuſque ſub ſignis exercitus ita iam proceſſerat, ut priores acies cum Imperatore ipſo,ab extrema, cui Liuianus præerat, tria millia paſſuum abeſſent. quare Rex certam uictoriam animo concipiens, copias ſtatim ad confligendum parat:& quum non procul a flumine inter utrumque exercitum eſſet foſſa ad deriuandas aquas ab incolis confecta,profunda, lataque, ad extremam eius partem ſigna firmat,atque ab itinere agmen tantiſper continet, donec tres noſtrorum acies exercitum ſuum prætergreſſas eſſe cognouit. tum ut ultimam aciem diſiunctam aggrederetur, ac cum paucioribus manum confereret, agmina, ſignaque retorqueri iubet,factoque in noſtros impetu,prælium initur,quod atrox, cruentumque primo congreſſu fuit. [Prælium ad Abduã] Rex autem ipſe media acie ſuos hortando accendebat, omnes circumiens,monere, obteſtari, ut memores Gallicæ uirtutis,pugnam alacres inirent. [Regis hortatio.] ad hæc præmia,honoreſque polliceri his,qui fortiter pugnarent, ad iniquum locum Venetos tractos,ut ad ſatietatem Gallus cæderet, liberaretque inſigni uictoria è ſeruitute Italiam. iuſſitque eodem temporis momento in Venetum tormenta diſplodi, ex quibus igneæ pilæ conuolantes plurimos ex noſtris diſcerpſere. magna tamen fortitudine Liuiani milites hoſti ſe ſe obiicientes, eius impetum repreſſerunt, adeoque is armis cominus urgebatur, ut de fuga interdum cogitaret. reſiſtebat autem pudore uictus,dum Rex in medio congreſſu bellator adeſſet,cuius præſentia Galli confirmati magno impetu a latere, a fronte Venetum premebant. in tantoque rei diſcrimine Petrus Montanus,peditatus ductor,ſtrenuam operam nauauit: is enim hoſtium impetum excipiens,quum fortiſſimè,& quantum humana uis poterat, mille ſtipatus, [Petrus Mõtanus.] qui ſub eo merebant,bellaciſſimis militibus,pugnaſſet, magnumque hoſtium numerum ferro concidiſſet,& reliqui feſſi uulneribus iam fugam circumſpectare uiderentur,ſubmiſſa ſtatim a Rege auxilia prælium reſtituerunt, in quo Montanus cum octingentis ſuorum in media acie fortiſſime pugnando occubuit. [Montani cædes.] & Liuianus ab alia parte cum ſuis in hoſtes ſe iniiciens,rem præclare geſſit,effecitque,ut æquato certamine priſtinum pugnandi ardorem hoſtis remitteret. & Pitilianus, qui cum maiori exercitus parte non procul aberàt,ducta in hoſtes,à Liuiano Legatiſque euocatus, impetũ facere parat,fuga noſtrorum conſpecta,a pugna abſtinuit,ſatiuſque eſſe iudicauit, partem exercitus illæſam Reip.ſeruare,quàm eã certæ cladi obiicere,quam Liuiani temeritate noſtris infligi cernebat. [No. de Pitiliano.] nam Rex ſeu formidine, ſeu ignauia Venetorum animaduerſa,in tanta bene gerendæ rei occaſione haud ceſſandum ratus,cum militum robore celeriter in aduerſam aciem incurrit, regiamque phalangem ſequuta uis armatòrum ingens Venetum adeo perculit,ut momento temporis fuſum,profligatumque magna clade affecerit: nam omnia impedimenta cum ſignis militaribus, belliciſque tormentis uenerunt in hoſtium poteſtatem. [Not. Venetorum cladem ad Abduam.] Liuianus quoque graui uulnere accepto captus eſt,unaque Citolus Peruſinus,uir bello clarus: cecidereque ex Venetis eo ad Abduam prælio ad octo millia: alii ſex tantùm utrinque deſiderata tradunt, & in his è no

ſtris

[Cæſorum numerus.] ſtris clari nominis Petrus Montanus,Saccotius Spoletinus,& Franchus Burgius ſagittariorum equitum turmæ præfectus. Diſiectique reliquias exercitus tantus terror inceſſit,ut omnes in fugam uerſi,quocunque ferebat animus,dilabebantur,militiamque recuſabant,ac pauci omnino fuere,qui non è Venetis caſtris abierint, adeo militum animos iam antea inuictos,hæc noua Gallorum uictoria perculſerat. Ad Carauagium [Lud. Michael.] autem,ubi Ludouicus Michael præfecturam oppidi gerebat, poſt cladem Pitilianus cum reliquiis exercitus ſe recepit,ibi Legatorum induſtria diſſipatę copię in dies colligebantur,pauore tamen,conſternationeque omnium animi pleni erant. & Rex adhuc in Abduana glarea cum uictore exercitu ſedebat,Liuianoque, & aliis captiuis in Galliam miſſis, [Carauagiū captū.] ad Carauagium caſtra mouit,oppidumque, & arcem primo ſtatim acceſſu in deditionem accepit:aliis quoque proximis municipiis Rex potitur. interea acceptæ cladis nuncius ciuitatem ingenti mœrore affecit,uulgoque omnes dolere,Gallorumque extimeſcere immoderatam regnandi cupiditatem, tabernæque tota ciuitate clauſæ ſunt,& iuſtitiam indictam:patres quoque iam diu pacis ſtudiis aſſueti, bellicis [Ciuitatis metus.] rebus aduerſis non parum turbati.in tanto tamen motu Venetorum uirtus non omnino oblanguit: [Paul. Barbus.] nam audito hoc publico uulnere Paulus Barbus uir ſapientiſſimus ſtatim lectica in Senatum,quod parum proſpera ualitudine utebatur,ſe deferri iuſſit, atque ut(erat facundia inſigni)grauiſsima oratione patres conſolatus eſt; eoque authore,placuit,primùm exercitum reparari, qui fuga militum pene ad nihilum redactus erat: creatique ſunt a patribus ſtatim duo Legati,Chriſtophorus Maurus, & Petrus [Legati.] Duodus,quibus mandatum,ut diſperſos milites congregarent, nouoſque largo ſtipēdio conſcriberent. claſsis quoque ad quinquaginta triremium numerum aucta, eaque [Claſſis.] Angeli Triuiſani imperio demandatur. & ad placandam iram Deum ſupplicationes piæ indictæ. præterea miſsæ ſunt a Senatu litteræ ad Pontificem, quibus eum orabat, [Litteræ ad Pontificē.] obteſtabaturque,ne Venetos obſeruantiſsimum Pontificii nominis populum tam inhumanè ſua Sanctitas impugnaret,quærique hoc bello Italicæ libertatis oppreſsionē, quando Reges inſatiabili dominandi cupidine impulſi,ad id ſolum ſpectare uiderentur,tentantque omnia Imperia ui,armiſque ſibi aſſerere:proinde cum ſummis precibus orare(ut ſicuti optimum Pontificem decet)curam illam ſuſcipiat,pacis inter Principes Chriſtianos componendæ,deſiſtatque ſpiritualibus,temporalibuſque armis Venetos inſectari, reddatque hac animi placabilitate eos in perpetuum Apoſtolicæ ſedi obnoxios. uerùm omnia fruſtra tentata, Rexque motis ex Carauaggio celeriter caſtris,uictorem exercitum in Cænomanos duxit, Venetoque Brixiæ timente, eo cum parte copiarum And. Grittus Legatus profectus eſt,qui urbem ingreſsus,Ioanne Franciſco Gambara authore,ad defectionem ſpectare Brixienſes offendit. eos tamen Grittus blando ſermone allocutus, in antiqua fide retinere plurimum laborauit.

[Gritti oratio ad Brixienſes.] *Veſtra,inquit,ciues uirtus ſpem nobis reparandi imperij ingentem præſtat, ad quod delendum animati Europæ Reges tanta ſæuitia coniurarunt. & profectò non ſolùm de Rep. noſtra agitur,ſed etiam de ueſtra, & totius Italiæ libertate, de uita, de fortunis omnium: ſiquidem Gallus hoſtis eſt,gente barbarus,natura immitis,morum,ingenijque auſteritate efferus. hunc quis ſanè mentis eſſe poteſt,qui dominum habere, qui Galliæ, Alpinarumque gentium ſuperba imperia,faſceſque patietur? Veniat,quæſo,in mentem ueſtram bellum centum prope ab hinc annis illud Philippicum, quo trepidos quondam maiores ueſtros in fidem ſuam Veneti receperunt. unde uaria armorum geſta ſequuta ſunt,liberauimuſque urbem iſtam magnis noſtris laboribus è grauiſſima obſidione, quā delere,excindere Philippus minabatur. adijcite ad hæc, quòd tributorum remiſſionem, immunitateſque uobis plurimas conceſſimus,ciuitatem noſtram dedimus, imperiumque propè ipſum communicauimus. quantam autem patrum benignitatem ciues ueſtri Martinengij,atque Aduogarij experti ſunt,qui præter ſuperiora illa beneficia, ius comitiorum,ſplendoremque patritium obtinuere: memoriaque adhuc extat celeberrima illius* [Pet. Aduogarus.] *Petri Aduogari,quo Duce,Brixia è Philippi poteſtate erepta, Veneto acceſſit imperio. Hunc ciues optimi imitamini, communemque hanc cladem ducite. pulchrum profectò*

Bri-

Brixienſes, erit, rem Venetam ueſtra fide, quam ſolam in præſentia a uobis expoſcimus, ſuſtinere; nec hoſti infeſtiſſimo cedere: id ſi feceritis, nec Gallus ſe uiciſſe ſentiet, neque Veneti, Brixia retenta, uictos ſe eſſe reputabunt.

Sed nihil Gritti oratio profuit, ciuium animis in aduerſa Venetorum fortuna iā ad defectionem ſpectantibus. Interim Regius exercitus Brixiam uerſus ſumma celeritate profectus, ingenti omnium lætitia quocunque ibat, excipiebatur; urbique eo iā ſub ſignis appropinquante, Grittus abſceſſit. At Brixienſes Regi portas confeſtim aperuere, qui magno totius ciuitatis plauſu exceptus, Gallica ſigna medio foro præfixit; ipſeque ornatiſſimo equo ſedens, per ſcalas in ſuperiorem palatii aulam aſcendit; Rectoresque urbis, M. Dandulus in Galliam captiuus adductus eſt, & Seba. Iuſtinianus, qui mihi patruus fuit, ob amabile ingenium, uitæque innocentiam petentibus ciuibus liberatur, in patriamque incolumis rediit. Brixia a Gallis occupata, Venetæ copiæ Piſcheriam ſeſe uelociter recepere: hoſti uerò fortuna aſpirante, dedētibus ciuibus, Cremona, Bergomo, Crema, Salodio Rex fœlicisſimè potitur; alia quoque minora oppida occupauit. & Venetus è Piſcheria digreſſus, quia ibi parum tutam ſe habere ſtationem arbitrabatur, relicto ualido militum præſidio, Veronam contendit, urbeque a ciuibus excluſus, alio curſum tenuit. Gallis uerò quum omnia Venetorū oppida in Cęnomanis, præter Piſcheriam, ſpōte ceſsiſſent, iratus Rex eò copias admouit, auſum tamen eſt Veneto nomini fidisſimum oppidum, totius Gallicæ potentiæ impetum ferociter excipere: diuque hoſtem acerrimè miles Venetus pro mœnibus pugnando ſuſtinuit: demum Galli totis connixi uiribus, in oppidum irrumpunt, uimque omnibus ſine ætatis, ſexus, conditionis diſcrimine æquè inferentes, magna clade locum deformarunt; ad quadringentique, & quinquaginta pedites interfecti ſunt; ductorque eorum Vicus Peruſinus capitur. Andreas autem Ripa, oppidi præfectus, regis iuſſu laqueo necatus eſt. His ab hoſte geſtis, Venetorum copiæ, quantæcunque hæ erant, quū a Veronenſibus, aliisque ſociis ciuitatibus intra mœnia non admitterentur, in Meſtrinos fines ſe trepide receperunt. Armaque undique per totam Europam hoſte in Venetum ciente, totiusque continentis orę populis ad defectionem ſpectantibus, ad reſtinguendum tantum incendium patres neceſsitate adacti, Matthei Prioli rogatione, qui in ſecundo collegii ordine præconſultor erat, Ariminum, Rauennam, Ceruiam Pontifici ultrò tradunt, Veronam, Vincentiam, Patauium, Maximiliano Cęſari, Apulię autem urbes maritimas Ferdinandus Hiſpanię Rex habuit, & Poleſinū Alphonſus Dux Ferrariæ. atque id factum eſt, ut hoſtium impetus relangueſceręt. credidere enim Veneti per hanc uoluntariam terreſtris imperii alienationem Regum animos placatos, emollitosq; reddere. Verum hi nihilominus perſeuerātes in bello, omnia hoſtilia in Venetos adhuc agebant, qui in tantis rerum anguſtiis pacis cupidisſimi, Ant. Iuſtinianum Legatum in Germaniam ad Maximilianum miſere, a quo quibus poſſet conditionibus feſſæ, afflictæque ciuitati pacem ille peteret. Tridentum autem Iuſtinianum profectum Epiſcopus audire noluit, quod diceret, colloquium, atque aditum cū hoſte eſſe defugiendum. inter hæc Germani in Forumiulium, atque Hiſtriam cum iuſto exercitu irrumpentes, eas quoque prouincias Cæſareæ ditioni ſubigere tentarūt; Tergeſtoque, & Goritia occupatis, rem Venetam armis undique infeſtabant, ad inhibendos autem Germanorū conatus miſſus eſt a Patribus in Carnos cum ualida militum manu Ioannes Paulus Gradonicus, cuius uirtus Germanorum aliquantum repreſſit ferociam. Taruiſii inde a ciuibus tumultuatum, eam urbem ſibi ſtatim reddi, Cæſare per Legatos petente, quare plurimi ex ciuibus proſperam fortunam ſequuti, ingenti fauore rem ad Maximilianum trahebant; alii Hieronymi Marini prætoris ſuaſu, in antiqua Venetorum fide perſeuerare malebant. diuerſæque erāt in populo uoluntates; ſed unus ex plebe uir inquilinus fuit, Marcus Pelizarius nomine à Crema oriūdus, qui uexillum diui Marci manu tenens, in forum cum paucis perexit, & Venetos ſequēdos eſſe, atque eorum ſocietatem colendam, magna uoce omnes adhortabatur. Quo Duce populus priſtinam erga Venetos fidem retinuit. Taruiſiumq; per hunc maximè modum, repulſo Cæſare, ueteri ſeruatum eſt imperio, miſſique ſtatim ſunt ad urbis præſi-

Brixiæ ad Gallos deditio.

Brixiæ rectores M. Dandul'. Seb. Iuſtinianus.

Piſcheriæ expugnatio.

Andr. Ripa ſupplicium.

Not urbium uoluntariam traditionē

Ant. Iuſtinianus.

Tergeſtũ. & Goritia amittitur Io. P. Gradonicus.

M. Pelizarii fides.

Taruiſiũ ſeruatur.

Pet Duodus.

Not. ſtudium in recipiẽdo Patauio.

Fr. Capellius. Leon. Triſſinus.

dium ſeptingenti milites, & Legati nomine Petrus Duodus. Poſtea circa Patauinum agrum dum ſeueriſsimo Germani in colonos, uillicosque utuntur imperio, ac minis, edictisque prohibent, ne Veneti è ſuis prædiis fruges in urbem aſportent, aliaque ſuperbe, ac tyrannicè agunt, commota uniuerſa ciuitate ex rei indignitate, Patrum animi per ſe antea exacerbati, ad finitimam urbem recipiendam, infeſtiſsimosque hoſtes Germanos ex ea expellendos, uehementer accenduntur: omnes itaque ciuitatis ordines in eam cogitationem incumbere, ut Patauium urbem proximè poſitã aliquo modo reciperent. Itaque patres antequàm ad alios belli conatus deſcenderent, curarũt, ſecretiſsimo conſilio rem ad optatum exitum perducere: nam ſub ſpecie Germanicæ Legationis ad Maximilianum Fran. Capellius uir ſolerti ingenio a Senatu electus eſt, ut confeſtim ſe Patauium tacitè conferret, Leonardumque Triſsinum, qui urbi Cæſaris nomine præſidebat, conueniret, cum quo iam a pueris intima familiaritas, amicitiaque intercedebat: eique polliceretur, ſi Patauium Venetis reſtituat, exilii lege antiquata, qua antea damnatus ipſe fuerat ei, liberis, poſterisque, ciuitatis, comitiorumque ius, & Cittadellam municipium, quo Pandulphus Malateſta proditionis cauſa eiectus fuerat, patres dono daturos. Capellius igitur cum his mandatis Patauium ſubuectus, dum urbem tacite ingreditur, cognitus ab iis, qui uigili cura portam cuſtodiebant, cum toto comitatu intercipitur, nec alloqui Triſsinum, ut mandatum fuerat, potuit: cumque ſe apud eos ciues qui in magiſtratu erant, legationis iure defenderet, res ſuffragiis acta eſt, num Capellius interfici, quod Patauium furtim ueniſſet, an domũ incolumis remitti deberet, quòd legatione fungeretur, quæ ſacroſancta, inuiolabiliſque iure gentium ubique habetur. Octo erãt ex nobilitate ciues, totidẽ ex plebe, qui ſuffragium in capitalibus rebus ferebant: ſeptem ex his male animati Capellium ad necem condemnauerunt, nouem Legati perſonam gerentem eum abſoluerunt, ita in magno uitæ periculo uerſatus, duobus tantum ſuffragiis a morte liberatur. Ad urbem que trepidè rediit. Ea arte poſtquàm nil actum eſt, Aloyſius Mollinus in ſecũdo ordine præconſultor legem tulit, rogans, apertone bello, armiſque res gerenda eſſet in Patauio recipiendo. Tum Lauredanus Princeps id agendum minimè cenſuit, atq; hæc orando è ſuggeſtu in medium protulit:

Not. Capellii diſcrimen.

Lauredani P. oratio.

Patauin. Gymnaſium.

Multum profectò Patres conſcripti, fortuna nobis hactenus acerba, grauiſque fuit, quam ad præſens etiam temerario, uanoque auſu irritare tentamus, & id alieniſſimo ſanè tempore, quũ uictricibus undique potentiſſimorum hoſtium armis premimur: nam hinc Pontifex, Italiq; Principes, illinc cum Cæſare, Galliarum, Hiſpaniarumque Reges nos oppugnant. Et iam pulcherrimi imperij membra adeò diſcerpſere, ut parum a ſupremo diſtemus excidio. Quonã igitur pacto, quibus uiribus, Patauium aggredi uolumus? utinamque Dij immortales darent, ut clariſſima urbs ex hoſtium manibus erepta, in Venetam reſtitueretur poteſtatem: ſed quæ dudum tam amplæ fuerunt nobis opes, fœdis cladibus, quarum memoria adhuc caligant oculi, nunc exinanitæ defecerunt, uixque afflictum reſpirat imperium: hoſtis contrà præpotens imminet, cuius impetum, armaque fortuna aduerſa depreſſi nunc ſuſtinebimus, qui in ſumma rerum proſperitate olim conſtituti ceſſimus? Sed fac, Patauium recipias, ſtatim undique hoſtes, qui iam ex uoluntaria urbium traditione ſatis pacatos erga nos animos gerunt, armaque depoſuere, iterũ ijs reſumptis in amicitiam coibunt; belloque ardentius reparato, urbem haud ſatis munitam, utpote, quæ diu florentiſſimo Gymnaſio pacis artes, Muſarumq; ſtudia coluit, uallo, armis, bellicis operibus, infinitoque copiarum numero circumuallatam expugnabunt, noſque tanta clade affecti, in nouos terrores incidemus. Patauio enim occupato, creditisne hoſtis ferociam, iramque ſuam deponet? Taruiſium, Forumiulium, ac reliquã continentis oram inuadet; ſpoliabimurque toto terreſtri, utinam mentiar, imperio. Rem igitur Patauinam omittamus, & quando ita Dijs immortalibus placuit, anguſtis imperij finibus contenti, urbes, quas iampridem uictoribus ultro ceſſiſtis, in perpetuum dimittite; ad maritimaſque res, ut quondam a maioribus noſtris factum eſt, animi conuertantur,

tur,

tur.ſundata enim medio mari diuino conſilio hæc urbs, naualiumque rerum peritia excellens, propitia facile in maritimo imperio propagando habebit numina, quæ in terreſtri retinendo, aduerſa multo ſuo magnoque malo hucuſque experta eſt.

Dubios, diſcordesque patrum animos Principis oratio reddidit, uariæque ſententiæ per ſubſellia ſingulorum inuicem habitæ, ac diu ambigua hæſit conſultatio. At Mollinus Senator facundia, ac ingenio æque clarus, in roſtra aſcendens, ita diſſeruit:

Altera Mollini oratio.

Dum præſentem rerum ſtatum Princeps optime, mecum tacitus conſidero, non tantū profectò fortunæ acerbitate commoueor, quæ uaria, inconſtansque hanc Remp. ad internitionem propè adduxit, quàm animorum noſtrorum mollitiem improbare meritò poſſum; nec aliunde, quàm a nobiſmet ipſis forſan tot mala eueniunt, qui dum nimium timemus, Reip. inconſultè officimus. quidnam illud, quod nuper factum fuit, quàm præceps, quàm pudendum? quòd tot clariſſimas, munitiſſimasque urbes, has in Flaminia, illas in Gallia, alias in Apulia, ac prope in uiſceribus noſtris hoſtium faucibus præ timore ultrò inieciſtis, quas nec attentare armis unquam illi quidem auſi fuiſſent, ut non tantū hoſtium uis, quàm noſtra ignauia, & deſperatio rē Venetam afflixiſſe uideatur. Trebia, Traſimenus, Cannas, totque aliæ ſuper alias clades Romanorum illos ſpiritus non fregerunt, nos Abduana una pugna ita depreſſit, ut manus uictas dare turpiter cogere debeat: quòd ſi Romana contemnuntur exempla, noſtra ſaltem ante oculos ponite. antiquiora prætereo, Lygur perpetuus huic imperio hoſtis, delata ad Polam claſſe, Hiſtria omni ferè ſubacta, ciuitate fame laborante, Clodiam finitimam urbem armis occuparat: plena omnia fugæ, terroris, lachrymarum erant; non tamen in tanta calamitate patres animos demiſere, ſed publicis, priuatisque opibus in medium collatis, ſuprà triginta triremium claſſis inſtruitur, quæ ſtatim in hoſtes profecta, Clodiam circumſedit, finitimaq; urbs fame domita, poſt decimum obſidionis menſem tandem recipitur. Nos Patauium ad imperium retrahere dubitamus, cuius urbis receptio haud difficilis ſanè futura eſt, quum iam cives tædio Germanici imperij res nouas moliri cœperunt, ac ſub Venetam redire fidem miro omnes flagrant deſiderio. adde, quòd urbs parum cuſtodita fælicem nobis ſucceſſum facile ſpondere uidetur. Non igitur omittenda eſt tanta bene gerendæ rei occaſio, qua, Patauio recepto, reliquæ quoque vrbes eodem uictoriæ curſu breui recuperari poterunt. Turpe etenim eſt, tam amplum terreſtre imperium, quod ſummis laboribus, periculis ac proprio ſanguine maiores noſtri partum nobis reliquere, ab auita uirtute illa nos degenerantes, per ignauiam amittere. Patauium aggredimini; indeque hoſtis ui, armisque expellatur, uocant nos populi, barbaricum iam nomen exoſi: benignitatem enim Venetam iampridem experti, exteræ gentis iugum impatienter ferre poſſunt, apud quos ſordeſcunt iure illius actiones. at ueretur Princeps optimus, ſi Patauium ceperimus, ne indignabundi hoſtes ſtatim cum maximis copijs accurrant, urbemque illam obſideant, ac reliquias miſeri imperij, quod in continentis ora Veneti nominis adhuc supereſt, penitus euertant, nouoſque nobis terrores proponit. maritimum prętereа laudat ſtudium, amplitudinem ex hoc ſpondet imperij, opesque immenſas: ſapienter ſanè, ſed rerum terreſtrium cura iccirco tam demiſſe eſt ne abijcienda? in quibus, & ſi multa aduerſa nobis hucuſque contingere, in Deo tamen Optimo Maximo, Patres conſcripti ſperate, uindice, ultoreque hoſtium impietatis: quòd ſi animos aduerſa belli fortuna depreſſit, uirtus contrà ueſtra erigat. immoderatus enim timor eſt ponendus, audendumque, & nouandum aliquid improuiſum, ne extinctus penitus Venetus ille animi uigor uideatur. Nec mihi omnino mediusfidius dubium eſt, quin ciuitas illa quando recepta in noſtram uenerit poteſtatē, ab hoſtili oppugnatione tuta, illæſaq; nō egregiè ſeruetur: nā firmiſſimis præſidijs communita omnem facile hoſtium impetum ſuſtinebit. ueniat Cæſar, ueniāt Reges, Europaque omnis, ac uallo, foſſisque armatæ cingant Patauium acies, eludet profectò in-

Romani inuicti.

Nos, Venetorum conſtantiam.

Nota.

uicta, inexpugnabilisque urbs omnes hoſtium conatus, magnamq; nobis gloriam hęc uictoria pariet, exiſtimatione priſtina illa retenta, quæ aduerſa fortuna noſtra apud terrarum Principes nunc abiecta, contemptibilisque habetur. Cæterùm Dij immortales, qui huius Imperij ineffabili clementia ſua curam omni tempore habuere, mentes ueſtras Patres optimi hodie, expulſis tenebris, ita illuſtrent, ut decreta ea hodie approbentur, quæ Reip. poſt tot fœdas calamitates, ſalutaria illuceſcere poſſint.

Decretū de Padua recipienda.

Reticente Mollino, patrum animi diuerſa inter ſe rurſus conſilia agitabant; tãdem initis ſuffragiis, Senatus ferè omnis in Mollini ſententiam pedibus iuit, cenſuitque, ut admoto quàm maturè exercitu, Paduæ recuperandæ, quòd fœlix, fauſtumque Veneto nomini eſſet, expeditio tentaretur. Senatuſconſulto igitur in caſtra perlato, de quo datum omnibus ſub ſilentio iuſiurandum fuit, Andreas Grittus tacito agmine Taruiſio aggreſſus, Saccardum Soncinum uirum impigrum præmiſit ad exploranda hoſtium conſilia.

Saccardū Soncinū.

Eodem item die complures cymbæ cum armatis hominibus ad omnia itinera diligenter cuſtodienda miſſæ ſunt, ne quis Patauium ad eam rem nunciandam ab urbe occultè ſe conferret. Saccardus autem parum cuſtoditam urbem Patauium intuitus, ſpeculatusque, ad Grittum reuerſus egit, ut Venetæ copiæ intempeſta nocte prope Patauium ſtatim ducerentur. diluculo itaque L. Maluetii, Lactantiique Bergomenſis ductu ad portam urbis ſemiclauſam miles Venetus clãculum acceſſit, quæ paulò antè quibuſdam fœni, ac ſtramentorum plauſtris patuerat; nec procul aberant cæteræ Venetorum copiæ ſub Pitiliani imperio, ad Noalumque oppidum Grittus cũ quingentis equitibus ſubſederat, & Chriſtophorus Maurus alter Legatus ad Cittadellam mille pedites, & quinquaginta Cataphractorum equitum alam habebat. conuenerat & ad Stratam uicum Philippus Paruta cum collectitia duorum millium agreſtiũ manu, nec non Aloyſius Dardani cum armatis clientibus aderat, ut ex cũctis locis maturè Veneto præſto adeſſent ſubſidia.

Phil. Paruta

Al. Dardani.

itaque paratis omnibus, porta caudæ lõgæ quæ nullo cuſtode tenebatur, ac ſemiaperta erat, a milite Veneto occupatur, primumque Epyrhoticus equitatus nullo ex hoſte obuio, urbem ingreſſus eſt; ſequuti deinde L. Maluetius, Sactantius Bergomenſis, & Vulpenſius ductor, cum peditum robore in forum magno armorum ſtrepitu peruenere: excitique bellico tubarum cantu Germani milites cum Leon. Triſſino, & Brunorio Sarego eorum Ducibus, Veneto occurrunt, pugnaque ſtatim tumultuaria committitur, diuque hoſtis numero lõge inferior certamen protraxit; a duentantibus poſtea cum tota mole exercitus Pitiliano Imperatore, & Gritto Legato, facilè Germani Veneto ceſſere. captisque hoſtium Ducibus, Triſſino, & Sarego, obtruncatisque plurimis, recipitur urbs illuſtris, ædesque Iudæorum, aliquotque ciuium rebellium domus direptæ ſunt: arx quoque ſuperatis per ruinas tormẽtorum ictibus disiectas, muris, capitur, ubi Manfredus Faccinus, uir egregia uirtute, eſt intercaptus, quem Grittus, quod is diu in Reip. exercitibus magna cũ laude militaſſet, liberum dimiſſit.

Patauium recipitur.

Manfred' Faccinus.

Patauinæ urbis receptio, quæ fuit menſe Iulii feſta luce Diuæ Marinæ, ingentem patrum animis lætitiam attulit: uiſaque res Veneta noua hac proſperitate aliquantum reſpirare. ſtatimq; Prætor, qui Ius Patauinis diceret, comitiis maioribus Pet. Balbus creatur, uir inter Senatus principes prudentia, moderationeq; animi inſignis, collegaque ei in præfectura datus eſt Zacharias Delphinus pacis, bellique artibus planè inſignis.

Pet. Balbi

ſtuduitque Senatus deinceps Cæſarem ſibi amicũ facere, ad eumque in Germaniam Fr. Capellium Oratorem deſtinauit, qui ſtatim è regni finibus abire iuſſus eſt. Noua quoque non multò pòſt legatione Maximiliani animus tentatus, miſſique Aloyſius Mocenicus, & Antonius Iuſtinianus, ii pariter nec admiſſi, nec auditi a Cæſare: idque ſanè Veneto fœliciter ceſſit. pacis enim patres ſtudioſi, retentis ſolum duabus urbibus, Pataui o, ac Taruiſio, cætera Regibus ſponte concedebant, quæ ipſi præſenti bello ad illum uſque diem ex Veneto Imperio pactione, armiſque acquiſierant. Sed quum illi nullum cupiditatibus ſuis, proſpera fortuna elati, modum imponunt, parta amiſere, & Venetus receptis urbibus, reparatoque ex parte Imperio, in priſtinam reſtituitur dignitatem. pacis igitur mentione poſita, bellum utrinque reparatur: ſtatimque ex Germania nouæ Cæſaris

copiæ

copiæ ſub Ducis Branſuicenſis auſpiciis in Italiam aduenere, ac ſub primum eius acceſſum, translatis in Forumiulium armis, munitiſſima oppida, Feltrum, & Bellunum ſtatim ab hoſte occupantur. admotis poſtea ad Cluſenſem arcem Germanorum copiis, res proſpere a Venetis ea expeditione geſta eſt, repelluntúrque a mœnibus hoſtes cum ignominia, & cæde. affuit & paulò poſt Analtius Princeps cum decem millibus armatorum ex Germania a Cæſare miſſus, quo Duce Monfalconus oppidum fruſtra eſt oppugnatum. inde in montana hoſtis profectus, Cadubrium, cepit, & Veneti ad tuendum prouinciæ ſtatum Leon. Hieroſolymitanum equitem uirum impigrum, ac manu promptum, cum delectis copiis eò miſere. is uerò diligenti, fideliq́ue in reparanda Rep. opera uſus eſt, Cadubriumq́ue recepit, atq́ue hoſtes ad Valleſellã profligauit. Interim Dux Branſuicenſis maioribus auctus copiis, Vtinum aggreditur. Sed parum uis hoſtilis nocuit, ciue, ac milite ſingulari uirtute oppidum tuentibus. dimiſſo itaque Vtino, ad ciuitatem Auſtriæ ad Nariſſonem fluuium poſitam caſtra ſunt admota: ibi quoque rem infœliciter hoſtis geſſit. Defenſoremq́ue habuit inſigne oppidum, Federicum Contarenum, uirum militari diſciplina clarum, aderant & cum eo Vicus Peruſinus, Antonius Semperius, Lucas Anconitanus, & Paulus Baſilius, bellatores fortiſſimi, quorum ſtrenuitate a mœnibus cum cæde hoſtis eſt repulſus. inde ſtatim digreſſus, Buriſtagnum tentauit, oppidum in ſummo altiſſimi montis iugo poſitum, cui Nicolaus Bollanus præerat: isque ignauia plenus, miniſque territus, oppido hoſti tradito, deditionem fecit. Tulminiumquoque captum, ac ferro, iniquè finitimus agere deuaſtatus. In Hiſtria pariter Chriſtophorus Frangipanis cum Coruatis equitibus Venetos fatigabat, eam uerò prouinciam Epyrothæ antecurſores ſub Ioannis Fr. Paſqualici ductu armis tuebantur: ſed pauci numero hoſtium iniuriæ obuiam ire non poterant; quare plurimis Hiſtri affecti ſunt cladibus. acceſſit poſtea in prouinciam Senatus iuſſu Hier. Contarenus, claſſis legatus, cũ quattuor triremibus, aliiſq; nauigiis, ac terreſtribus ẽt copiis cõparatis, Targiſtum oppugnari placuit; reiectusq́ue Venetus terra, mariq́ue primo armorum conatu. & ex altera parte Angelus Triuiſanus maris Imperator cum ſexdecim triremibus, Fiumen Lyburniæ oppidum ſubito aggreſſus eſt, illudq́ue, propugnatoribus è cuſtodia murorum depulſis, ui cepit, captumque fœde diripuit, ac deſolatum penè reddidit, uictricique inde claſſe ad Targeſti oppugnationem reuerſus, urbem rurſus nouo belli apparatu terra, marique inuaſit; ea uerò ualido munita præſidio, uanos ſecundò effecit Venetorum conatus; terreſtres tamen copiæ proſperiore fortuna uſæ, Pinguentum a Germanis antea occupatum recepere. nec in ocio hoſtis ferox fuit, qui Chriſtophoro Frangipane Duce, per Noricum in Hiſtriam iterum delatus, trepidationem ingentem illius prouinciæ populis incuſſit; omnesque cum coniugibus, & liberis ex agris in urbes profugi emigrabant, inſolituſque pauor cunctorum mentes inuaſerat, quum hoſtis irarum plenus nemini parceret. auſus etiam eſt per caduceatorem petere, ut Iuſtinopolim, cui urbi tunc Aloyſius Iuſtinianus pater meus præerat, Cæſari oppidani ultro traderent: ſed quum id contumelioſe ab hoſte factum eſſet, poſitis inſidiis, dum caduceator ad ſuos reuerteretur, in itinere prætoris iuſſu interfectus eſt. uenitque proinde patrum decreto Damianus Tarſius cum mille ſcutatis peditibus in prouinciam, ut ſocios tueretur, iniuriasque armis repelleret: uirque is unus ſalutarem Hiſtris opem attulit. circa Patauium uerò in magno motu res erant. Pitilianusque urbem munire irrequieto opere ſtudebat: nam ingentem exercitum, uiresque bellicas Maximilianus ex tota Germania ad Patauium oppugnandum comparare dicebatur; & Veneti, id futurum rati, omnis generis præſidiis ſtatim urbem firmant, immiſſique abunde commeatus, pecuniæ, milites, arma. dum hæc a Venetis fiunt, Marchio Mãtuæ ad inſulam Scalæ iuxta Leniacum cum ſexcentis peditibus inexploratò conſederat: ad eum opprimendum ſtatim L. Maluetius, & Citolus Peruſinus, uiri fortiſſimi, Imperatoris iuſſu, cum octingentis peditibus, & ducentis equitibus leuis, grauisque armaturæ, ſub umbra noctis tacito agmine profecti ſunt: ſequutique ad mille, & amplius agreſtes, & ad locum concubia nocte accedentes, hoſtes repente aggrediunt, qui ſomno preſſi ex ſtratis uix exiliunt, trepidanteſque, ac inermes obtruncantur: ſed maior pars deditione facta, in uictoris poteſta-

Feltrum, & Bellunum, ab hoſte captum.
Analtius.
Ciuitas Auſtriæ.
Fed. Contaren.
Buriſtagnum.
Nic. Bollanus.
Io. Fr. Paſqualicus.
Ang. Triuiſanus.
Fiumen captum.
Hiſtrorũ metus.
Al. Iuſtinianus.
Dam. Tarſius.
Patauii munitio.

tem uenit. Marchio autem tenebrarum beneficio uſus clam per poſticum in campos ſolus euaſit, errabundusque per agros latibula quæritabat: orta autem luce poſt Siligi nem, Melicamve deprehenſus, ubi tota nocte delituerat, a quattuor agricolis capitur, quos nunquam præcibus, præmiove flectere potuit, ut liberatus dimitteretur. illi autem cum inſigni captiuo Patauium ſtatim profecti, Imperatori, & Legatis Marchionem uinctum, captiuumque obtulere: miſſusque is ſubitò eſt ſub diligenti cuſtodia Venetias, exceptusque ſummo honore a Principe, ac patribus, in publica turri aſſeruandus traditur: agricolæ uerò cumulati muneribus, ac immunitatibus, præmiisq; donati, gratum nobiliſſimi facinoris fructum recepere. Interea hoſtium exercitus indies ſocialibus Regum auxiliis augebatur, accreueratque ſupra quinquaginta ferè armatorum millia, progreſſusque usque ad oppidum Liminum, paruo negocio illud uicepit: ademptęq; eo loco poſitis obiicibus fuerant aquæ, ne ad urbem fluere poſſent, ut molis triticeis ciuitas priuaretur. deinde Ferrarienſes ex altera parte agros populari, prædas agere, ferro ſæuire cœperunt, magnaque omnia deuaſtatione replebantur. Itaque ex cunctis locis ingens paſſim fuga facta eſt, & ad imas palúdes perducta armenta, & miſeri agricolæ uillis, tuguriisque relictis cum ruſticana ſupellectili Venetias commigrarunt, quibus publica impenſa penus eſt inſtructum, paratáque uicatim habitacula, ſtatisque locis diſtributa nauigia ad conuehendam paganorum turbam; qui metu hoſtium in fugam uerſi, Venetam petebant urbem. & ſanè plena omnia trepidatione erant, iamque Cæſar cum innumerabili exercitu Patauium circumſeſſurus propediem uidebatur. Igitur patres de ſumma rerum ſolliciti, nocte, dieque in curia, ac Senatu, quid agendum, conſulere, hæc decernere, alia mandare, omniaque maturè diſcutere. Et conuocatis comitiis, Leon. Lauredanus Princeps ad nobilitatem ex Ducali ſolio huiuſcemodi uerba fecit:

Marchio Mantuæ captus.

Not. agreſtium fugam.

Quum de re omnium ueſtra uiri patritij hodie agatur, iure apud uos, qui hoc in loco Veneti imperij maieſtatem repræſentatis, publica cauſa pertractanda eſt, in qua multa acerba, grauiaque commemorari poſſunt: eaque inuoluenda ſilentio duxi, ne uulnus refricem. ſed ueſtram uirtutem hic excitamus: hoſtis enim in propinquo adeſt, ferox, immitis, implacabilis, hæretque propè in uiſceribus noſtris, quum Patauium huius ciuitatis ſuburbium aggredi armis parat. periculis autem occurrendum eſt, quibus non ſolùm opulentiſſima urbs ſubiecta eſſet videtur, ſed veſtrum imperium, ac tota fermè Jtalia. Nam Patauio amiſſo, nullum poſtea impedimentum hoſtis habebit, quominus omnia facilè in Jtalia armis occupet. in primiſque res ueſtra agitur: nobis enim Jmperium, nobis libertas aufertur, uita quoque in dubio eſt: totis proinde uiribus annitendum, ut Patauium conſeruemus, nec ſolum opibus, ſed etiam corporibus noſtris tantæ urbis poſſeſſio, unde Venetæ Reip. Jtaliæque totius ſalus dependet, retinenda. Quis igitur ueſtrum patriæ opem negabit? cuius tuendæ ſemper in maioribus noſtris laudabile, accuratumque fuit ſtudium. hoc idem facere nos debemus, eorumque ſequi ueſtigia, qui pro patria res præclaras bello geſſere, præſentiſque ea temporis eſt conditio, ut minime nos obtorpeſcere patiatur, euigilandum, audendumque in tanto Jmperij diſcrimine. Nec profectò viri patritij, hoſtium arma timebimus, ſi ſubſidium ueſtrum Reip. præſto aderit, quin eos facilè debellabimus. Neque quiſquam ueſtrum nimis audax id conſilium noſtrum reputet, animique arrogantiam coarguat, quando fortuna Reip. & ciuium uirtus deſperare de ſumma rerum prohibent, eo fato, quo donata Veneto genio ſors eſt, ut magnis omnibus bellis uicti nũquàm porrò ceſſimus. Vetera omittamus, Pipinum, Humnos, Sarracenos, Lygures, a Philippico bello incipiam, quot claſſes mari, Pado, Atheſi, quot Duces, quot exercitus, bello amiſſi ſunt? acerba ſiquidem adhuc præteritarum cladium memoria in animis uiget iam quid hoc bello recenti Gallico memorem? omnes uos ijs aut cladibus affuiſtis, aut eis acerbe ſenſiſtis. Abdua pugnæ illius teſtis eſt, in qua exercitu noſtro caſo, ac profligato, incredibile uulnus Reſp. accepit. Adde defectioni Galliæ, Flamniæ, Apuliæ, ubi tot præclaras

Lauredani P. oratio.

urbes

urbes uno propè die amiſſimus. adde ultimum terrorem in Meſtrinos uſque fines, & ad imas paludes, amiſſa tota ferè continentis ora, prædabundum hoſtium agmẽ, progreſſum, audituſque ex propinquo armorum ſtrepitus, ploratuſque, atque ululatus multus, in hac ruina rerum ſtetit inuicta Veneta illa indoles, uoſque omnium primi Patauium, eiecto hoſte, recepiſtis: ex eo autem die res Imperij melior habita eſt, ſperandumque, deinceps, uirtute ueſtra Duce, ſolitaque Reip. fortuna, ut lætiores, fœlicioreſque ſucceſſus in dies nobis contingent, dummodo patriæ operam noſmetipſi hoc tempore præſtemus, armatiſque clientibus eundum eſt, uiri nobiliſſimi ad Paduæ cuſtodiam, ut ueſtro exemplo alij quoque inuitentur ad arma pro Rep. capeſſenda. nam noſtra multum intereſt, ac ſicut populo honore patritius præſtat, ita ad omnia dura, & aſpera ſubeunda ille Princeps eſſe debet. induite igitur iuſtiſſima arma, ad Patauiumque ſeruandum, urbem finitimam, claram, inſignem adproparate, quam hoſtes innumerabilibus copijs iamiam circumuallaturi uidẽtur: ijs noſtra corpora opponamus, ijs pectora, ijs animos. ite Dijs bene iuuantibus, in tam illuſtrem militiam, ex qua ſiquid in rebus humanis certi eſt, indubitatam ſperare licet nobis uictoriam. nam urbem prævalidam defenditis, foſſis, propugnaculis, aggeribus, egregie communitam, ubi Pitilianus Imperator, uir fide, ac prudentia clarus, totque alij Duces fortiſſimi cum uiginti armatorum millibus adſunt: uos quoque illuc profecti, cum auxiliari manu maximum præſidium afferetis. utinamque egò id præſtare poſſem, nec ſenio, ualetudineque impedirer, in muneribus militaribus uobiſcum obeundis, libenter profectò, quod reliquum uitæ mihi ſupereſt, patriæ neceſſitatibus impenderem: ſed quando ipſe ob corporis imbecillitatem, effœtaſque uires id præſtare nequeo, Aloyſius, & Bernardus filij, uicem patris gerent, armatique eò aduolabunt; Princepſque ueſter iam ſenio confectus domi ſedebit, conſilioque, ut poterit, bellum adminiſtrabit: ij uero arma tractabunt, ferrumque expedient, qui manu prompti habentur, & corporis uiribus præualent. cæterùm tametſi grauibus, acerbiſque hactenus Reſpublica belli turbinibus agitata eſt, in maximaſque incidit fortunæ ſæuitia calamitates, & adhuc plurimum laboramus, in Deo tamen Optimo, Maximo ſpes omnes ueſtras pie conijcite, qui nos breui a tanto belli furore liberabit, & in priſtinum ſtatum Chriſtianiſſimam Rempublicam conſtituet: hanc uero certam, uiri patritij, ſpem animis tenete, quòd diuino ob iuſtitiam noſtram ſubleuabimur auxilio.

Nota.

Al. & Bernardus. P. filii.

Vbi Princeps conticuit, maximo omnium conſenſu eius oratio excepta eſt, pietaſque in patriam commendata. ex urbeque ſtatim trecenti uiri patritii cum armatorum manu Patauium ſecundo flumine profecti, circa portas, turreſque urbis diligentem cuſtodiam ſuſceperunt, poſitæque ubique ſtationes, & ordines diſtributi, ut omnes equites cataphracti intra prima urbis mœnia continerentur, in foro Antonius Pius cum peditatu conſiſteret, & ad portam Sanctæ Crucis uſque ad pontem Baſſanelli Citolus Peruſinus, & Lactantius Bergomenſis tuendæ ciuitatis curam haberent: Pontis curui, Portelliique cuſtodia Dyoniſio Naldo demandata eſt: & porta, quæ dicitur, Caudalonga, Bernardino Parmenſi: reliquas uerò copias Imperator Pitilianus in Pratouallis inſtructas, paratasque tenebat, cuius iuſſu ſtatim circa urbem per mille paſſus cuncta ędificia, tuguria, arbores, agreſtæque caſæ complanatæ ſunt, liberque, & apertus campus relictus, ne hoſtes latibulis abſconditi, furtim ciuitati inſidias molirentur. Petilianus etiam erecta media urbe ſolemni ara, poſt ſacra ritè celebrata, ſingulos Ductores, Tribunos, Centuriones, ac reliquos milites altaribus admotos tactis ſacris iureiurando adegit, fidem omnes Reip. in Patauio aduerſus hoſtium conatus tuendo, inuiolabilem ſeruaturos. Illi quoque a Gritto paucis adhortati fuiſſe dicuntur, ut militaris ſacramẽti memores fortiſſime pugnarent, eriperentque uirtute ſua inſignem urbem ab efferarum gentium manibus: nec de re Veneta ſolùm, ſed de totius Italiæ libertate agi, quan

No. Patritiorum in patriam charitaté.

Not. Ductoribus loca diſtributa.

do

do nefaria conſpiratione Reges tentant, ut depreſſo Italiæ ſtatu, Venetos & imperio, & libertate ſpoliarent: nullius tamen fortunæ acerbitate Venetus unquam adduci poterit, ut quicquam efficiat, quod non ſit ex eius dignitate, euertat opes, & fortunas omnes cum imperio crudelis hoſtis, libertatem a Veneto nũquam eripiet, qua nihil apud eos antiquius, nihil dulcius: hanc ſi auferat, & uitam quoque ille extinguat, neceſſe eſt quum nil aliud priſcos illos Venetos, relicta continentis ora, in ſtagna, paludeſq́ue commigrare impulerit, quam quietis ſtudium, & libertatis amor: hęc duo a natura Venetorum animis adeò infixa eſſe, ut quicquid unquam terra, mariq́ue geſtum memoratur, omne id eorum cauſa factum ſit. egregiam igitur, & ſtrenuam operam illi nauarent, ne ciuitas omnium in Italia pulcherrima, & opulentiſſima in barbararum gentium poteſtatem cadat, qua ſeruata, præmia ingentia, immortaleſq́ue laudes bellatores manebunt. paratis itaque omnibus, quæ ad ſuſtinenda hoſtium arma uel longa obſidione neceſſaria eſſent, non multò pòſt Cæſaris exercitus in Patauinum agrum prædabundus irrupit: aduenereq́ue ſtatim in eius caſtra cum auxiliaribus fœderatorum Principum copiis fortiſſimi Ductores: nam pro Iulio Pontifice Maximo Ludouicus Picus affuit, uir ſcientia militari clarus: pro Gallorum Rege, Dominus Paliſienſis, pro Ferdinando Fracaſſus Sanſeuerinus, Alphonſi uero Ferrariæ Ducis nomine Hyppolitus Cardinalis eius frater cum magno tormentorum apparatu. his adiungitur, ſupputatoq́ue equitum, ac peditum numero, Volonumq́ue ingẽti turba. ad centum armatorum millia in hoſtium caſtris fuiſſe dicuntur, Maximilianuſq́ue Cæſar præſens ipſe aderat. cœptaq́ue eſt urbs oppugnari, mœniaq́ue a porta Porcellii uſque ad Caudam longam per multa paſſuum millia tormentis diruta procubuere. nemo tamen ex hoſtibus urbi appropinquare auſus eſt, ob ingentem uim miſſilium, ac machinarum, quæ ex urbe frequentiſſimo iactu in eos emittebantur. coactiq́ue ſunt ob id hoſtes in profundas foſſas, ſcrobeſq́ue manufactas, ac depreſſiora loca deſcendere. erumpebant etiam ſubito impetu leuis armaturæ equites, ac ad hoſtium uſque tentoria illati, cædem, ſtragemq́ue fœdam eorum edebant; ſæpeq́ue his tumultuariis præliis cum hoſte commiſſis, Veneti cum uictoria in urbem reuertebantur; nec dies ulla unquam præteriit, in qua præclarum aliquod facinus miles Venetus non ediderit. poſtea omnes hoſtium copiæ ſub ſignis, in campum è caſtris progreſſæ, terribilem oppugnationis apparatum procul oſtenderunt, hinc equites, illinc pedites, ex cunctis fere nationibus Germani, Galli, Hiſpani, Itali, urbem corona cinxerunt, conſpectuſq́ue eorum horribilis, formidoloſuſq́ue reddebatur. nec contrá in urbe amplo eius ambitu die, noctuq́ue diligentiſſimæ cuſtodiæ deerant, Pitilianuſq́ue Imperator cum And. Gritto, Chriſtophoro Mauro, Legatis, & Petro Balbo prætore, ubique adequitare, ciues, militeſq́ue monere adhortari. tertius quoque Legatus Ioannes Paulus Gradonicus in circumeunda uaſta urbe inſomnes noctes agere, ac omnia impigre curare, quæ in Patauio ſeruanda uſui forent: idem Principis filii, Aloyſius, & Bernardus, cæteriq́ue pariter nobiles Veneti facere. & quum pecunia in ſtipendium per plures dies exercitui, qui Patauii cuſtodiã agebat, miſſa ex urbe non fuiſſet, quòd itinera hoſtes undique inſiderent, ad Legatos Senatus ſcripſit, ut aliquam rationem ipſi inirent, qua tuto pecunia eò tranſmitti poſſet. tum re maturè diſcuſſa, Legatorum iuſſu, trecenti Peloponeſſiaci equites ad Medoaci oſtium, quod quinque paſsuum millibus a Clodia diſtat, tacitè acceſsere, ibiq́ue delatam decemuirum nauiculis ſtipem acceperunt, quæ inter eos, qui uelociſſimos equos habebant, diuiſa eſt: & L. Maluctius cũ ducentis cataphractis equitibus ſe his adiunxit; atque, ut hoſtes, ſi ſe in itinere adorirentur, eluderet, miro aſtu uſus eſt: duos enim magnopere ualentes mulos ſacculis arena plenis ad ſpeciem pecuniæ dorſo impoſitis, medio in agmine ſecum duxit. at hoſtes, qui ad omnem occaſionem intenti, noſtrorum reditum expectabant, ubi conglobatos eos uidere, ingenti equitatu circumfuſo, in aduerſos ſe magno impetu intulerunt; contractoq́ue certamine, dum acerrime utrinque pugnatur, qui pecuniam ferebant, ex acie uelociſſime abiere, & hoſtes uiſis ſacculis, quos muli dorſo geſtabant, eam illam eſse prædam, quam petebant, rati, ad eos intercipiendos citato agmine ſe conuertunt. tum deceptos, deluſoſq́ue ſe eſse uidentes, per multa paſsuum millia Epyrhotas, qui pecuniam aſportabant, fruſtra inſe-

quuti

Luc. Pic. Palitia. Fracaſſus.

No. exercitum circa Patauium.

Patauinæ urbis defenſores.

No. artem inferenda pecunia.

quuti ſunt: nam mira celeritate illi uſi, longo ſpaciō hoſtium equitatu relicto, in urbem omnes cum ſalua pecunia rediere. Maluctiuſque, & Epyrhotæ ingentem ex hoc facto laudem ab omnibus conſequuti ſunt. Interim dum Patauium circumſedetur, cohors una egregiæ uirtutis Hiſpanorum magno impetu caſtellum nuncupatum Gattenſe, aggreditur, id autem extra muros ad portam Caudæ longæ tumultuario opere Venetus erexerat, pro urbis ex ea parte defenſione. Citolus Peruſinus caſtelli cuſtodiam cum ſelecta militum manu retinebat, ac tacite motus hoſtiles expectans, quietem ſuos agere iuſſit. Hiſpani uerò celeri paſſu ad locum accurrentes, ferro ſibi uiam faciunt, nemineque reſiſtente, ſcalas admouent, ac uno agmine ſupra ducenti caſtellum conſcendunt. tum Citolus, qui de induſtria ad eam horam cum ſuis quietem egerat, ubi temerè hoſtem progreſſum uidit, in apertum cum armata acie prodiens, Hiſpanum inuadit, accenſoque puluerę ſulphureo ad id parato, fœda hoſtium oritur ſtrages, ad unumque ex his omnes partim flamma, partim ferro periere, ac reliqui, qui omnino pauci fuere, a propugnaculo in præceps deuoluti ſunt. Alia quoque urbis parte Germani ex glorię ęmulatione fortunam tentarunt; ſed & ipſi telorum multitudine penè obruti, cum cæde, & ignominia a mœnibus ſunt repulſi. continuitque per multos ob id dies Cæſar ſuos ab tentata ſæpe infœliciter oppugnatione, crebris interim eruptionibus magnus captiuorum numerus, ingenſque ex omni genere præda è caſtris in urbem ab armato milite abducebatur. intuentes uerò patres inhumanam Regum rabiem ad Reip. euerſionem, ſtatuerant (quod Laurentii, Lauredani Principis filii, conſilium prius fuit) Bayſethi Turcorum Regis auxilia ab Aſia implorare: creatuſque eſt ob id Aloyſius Rimondus ad eum Orator, qui publico nomine de Principum Chriſtianorum iniuria quæſtus, Barbarum accedere in Italiam ad Venetam rem iuuãdam hortaretur, doceretque, quanto Aſia in diſcrimine conſtituta foret, ſi Venetos Chriſtiani Principes debellarent; nullique dubium eſſe, quin illi ex hoc ſucceſſu ſtatim in Turcas arma uerterent: communi itaque periculo Bayſethus opportunè occurreret, nec rem Venetam hoſtium ferro excindi pateretur. impetraſſetque omnia facile Orator, ſed pietatis poſtea Chriſtianæ cauſa, mutato conſilio, infidelium auxilia ab Aſia minime euocari placuit: tentatus eſt ſolum per And. Baduarium, Anglicæ linguæ peritum, Henricus Britanniæ Rex, ad inuadendam uicinis armis Galliam, ut Ludouicus domeſtico bello implicitus, Venetos in Italia armis infeſtare deſiſteret, leuarentque ob id patres aliqua ex parte grauiſſimi belli onere. uerum auxilia necunde miſſa aduenere, in Deoque Optimo Maximo Venetus ſpe omni coniecta, ſuis ſolis uiribus bellum ſuſtinuit. in conſilio poſtea a Cæſarianis agitatum, nunquid totis uiribus Patauium oppugnari deberet; multorum ex ductoribus cò inclinabant ſententiæ, ut quãdo egregia fortiſſimorum militũ ex omni ferè natione indoles in caſtris adeſſet, acerrima oppugnatio, quæ ſucceſſum proſperum, fœlicemque habitura eſſet, tentaretur; idque ex Regum dignitate fore omnes cenſebant. Cæſar uerò difficilem, ſanguinolentamque munitiſſimę urbis oppugnationem animaduertens, ut natura pius erat, nullo modo tot uirorum fortium ſalutem, ac exiſtimationem ſuam dubiis martis caſibus ſubiici paſſus eſt. accedebatque illud, quod grauis in exercitu Cęſaris controuerſia inter Germanos, Gallos, Hiſpanos, atque Italos, uertebatur, quinam eorum primi vrbem admotis ſignis aggredi vellent, declinabatque vnaqueque natio vel animi proteruia, vel periculi magnitudine primas oppugnationis partes. ſtatuitque ob id Cæſar, quum etiam hyems iam obrigeſceret, non ſolum oppugnationem tentare, ſed obſidionem quoque ſoluere. repente itaque motis ab urbe caſtris, poſt quadraginta circiter dies Patauium a grauiſſima obſidione liberatur, trecentique ſupra bellatores patritii parta inſigni ſeruatæ finitimæ urbis laude in patriam acceſſere; hoſteſque male habiti deformi reditu, alii adeò dilapſi ſunt: quòd ſi longiorem Cæſar moram diutius circa urbem traxiſſet, procellarum ui, imbriumque inundatione, qui non multò pôſt ſecuti ſunt, diſſipatum exercitum ægrè ex Italia, Euganeiſque oris in tutum abduxiſſet. Nuncius interea Patauii ab obſidione liberati Venetias perlatus, ingentem ciuitati lætitiam attulit, ſupplicationeſque ob id indictæ, piæque Diis gratiæ per omnia templa actæ. Et Cæſar ex irrito incœpto gemens, frendenſque in Germaniam abiit, cæte-

Caſtellũ Gattæ.

Hiſpanorum cædes

Al. Rimõdus.

And. Baduarius.

Ducũ ſententiæ.

Cæſaris ſententia.

Pataiuum obſidione liberatum

ræ

ræ uerò eius,ac ſociorum Regum copiæ,anni iam aſperitate inhorreſcente, in hyberna conceſſerunt. Re autem proſperè circa Patauium geſta,fœlicior aliquot expeditionibus Veneto fortuna arriſit:primùm ſiquidem cuncta uicina oppida,Monſilex,Eſte,

Oppida recepta.

Cittadella,Montagnana, Colonia, Baſſanum, uix conſpectis ſignis,in fidem rediere: ad Vincentiam poſtea itum,cuius urbis populum ob Maximiliani præfectorum quotidianas direptiones,aliaſque iniurias,quæ in eum inferebantur,ita eſſe animatum, exploratores retulerant, ut facilè urbs per uoluntariam ciuium deditionem recipi poſ-

Gaſpar Seuerinas.

ſet. Vincentiam igitur Veneti adorti, ubi Gaſpar Seuerinas cum tribus armatorum millibus præſidio aderat,ad portam ciuitatis caſtra ſunt metati: Vicentiniſque res nouas pro Rep. molientibus,hoſtium non parum animi turbantur. auſi tamen ſunt Germani magno impetu ex urbe in Venetos erumpere: ſed Dionyſius Naldus cum peditum robore hoſtem repulit,ac cum eodem fortiter pugnans,per portam, quæ uocatur Puſterla,hoſti immixtus,in oppidi ſuburbium irrupit, ſtatimque conterritis omni-

Vincentia recipitur

bus,Vicentini, Germanique unanimi conſenſu ciuitatem Veneto dedidere; incolumeſque hoſtes dimiſſi ſunt: quòd ſi in illo uictoriæ curſu, ſecunda fortuna noſtri uſi fuiſſent,collapſum facilè tanta occaſione erigi poterat imperium,in priſtinamque adduci dignitatem: omnes etenim populi barbaricos iam mores pertæſi, ſub Venetam redire fidem uehementer optabant. ſed mora rebus agendis interpoſita, fortunæ blandientis aura elapſa eſt: nam ingentibus copiis paratis, iterum Cæſar in Italiam uenit, Veronamque ualidiſſimo firmauit præſidio. Eam autem urbem Veneti ex Vincentiæ expeditione uictores digreſſi, uallo circumdedere, admotiſque muralibus tormentis, mœnia quati cœperunt, ſcalaſque aliis tacitè ferentibus, tranſcenſus furtim tentatus. Sed ex duabus urbis partibus Germano ſubito erumpente, atrox ſub mœnibus prælium committitur, quo utrinque ingens cædes ædita: ac ſæpe leuibus præliis in caſtris tumultuatum eſt. A ſociis quoque Regibus ad partes Cæſaris in Italiæ finibus iuuandas, copiæ undique contrahe-

Verona Veneti caſtra abducunt.

bantur. Quare Veneti circa Veronam caſtra habentes, priuſquàm hoſtium armis premerentur,motis repente ſignis, in pacatum abiere. mox dum Taruiſium Aloyſius Mocenicus præſidio teneret,urbe cum ſelecta militum manu egreſſus, in Forumiulium adequitauit,Bellunumque oppidum in monte ſitum adortus, expulſis Germanis, re-

Bellunum, & Feltrum oppida recepta.

cepit. Feltrum quoque, & Scalenſem arcem ſubegit. Poſtea acerbis Alphonſi Ducis Ferrariæ iniuriis patres laceſſiti,expeditionem in eum pararunt:iuſſuſque eſt ſtatim Angelus Triuiſanus,claſsis Imperator cum ſexdecim triremibus, aliiſque minoribus

Ang. Triuiſanus.

nauigiis numero quinquaginta in Padum per Fornaces irrūpere. Sed is antequam in expeditionem iret, Senatus permiſſu,ad urbem uenit,ſecretoque in curiam aſcēdens, patres monuit,Pado flumine claſſem ſubuehi ſine magno eius periculo non poſſe: erexiſſe enim Alphonſum ualidas in ripa fluminis munitiones, ad naualem omnem co-

Not. Triuiſani conſilium.

natum repellendum; ſeque pro rerum maritimarum uſu, quas callebat, uehementer addubitare, ne quid aduerſi Reip. contingat, nullo exercitu claſſem tuente: eſſe Piſaurum,eſſe Anconam,quæ ipſe oppida,hac claſſe, his uiribus (ſi Senatus permittat) poſſe expugnare non diffidat. Fanum quoque & Senogalliam diripere, atque incendere paruum negocium eſſet, quando ea oppida omnibus præſidiis nudata facile occupare poſſent: quòd ſi ab Eccleſiaſticæ ditionis municipiis patres ſibi abſtinendum ducant, poſſe in Apuliam arma paucis horis ex Illirico transferri, ibi materiam rei bene gerendæ ſibi non defore, prouinciaque igni, ferroque uaſtata occaſionem Diis uolentibus,non defuturam, Reip.iniurias a Ferdinando Rege illatas iuſtis armis ulciſci. Hoc ſermone ſecretè cum patribus habito,Triuiſanus ſtatim ad claſſem rediit, mandata Senatus expectās. Sed importunis ciuium uocibus, qui Ferrarienſium odio, bellum,armaque in eos cōcibant, Triuiſano mandatum,ut nulla mora impoſitis in na-

Carbonaria.

ues militibus oſtio Carbonariæ claſſem in hoſtes duceret. Qui ſtatim Senatui obtemperans ſubuectis Pado nauibus utranq; fluminis ripam occupauit,remque impigre gerens, multas hoſti clades intulit: nam ædificia, uillæque, quarum in illis finibus ſuperbo ornatu, magna frequentia erat, fœdas populationes, diraque incendia paſſæ ſunt, atque hinc prædæ,illinc cædes, rapinæque fiebant: magnoque terrore incuſſo,

Ferrariæ

Ferrariæ trepidatum eſt, in maioremq́ue metum ciuitas incidit, quum Triuiſanus triremibus ad latitudinem fluminis diſpoſitis pontem ſuper eum inieciſſet, quo Ioannis Pauli Gradonici Legati æquitas ultro, citroq́ue ad incurſiones exercendas, hoſteſq́ue ſuſtinendos, commearent, eiusque præſidio breui poſtea Rodigium, Lendenaria, Abbatia, munitiſſima Poleſſini oppida, armis ſunt recepta. Et ad Suauium in Veronenſi oppidum Pitilianus Imperator cum reliquo exercitu, ac Legatis And. Gritto, & Pet. Marcello conſederat, ut hoſtium tranſitum in Ferrarienſem agrum ab ea parte impedirte, ſi qua forte armatorum uis inde prorumperet. Interim pars claſſis M. Ant. Contareno Duce Comaclum inuaſit, oppidumq́ue ui captum, fœde diripuit, prædaq́ue ingens, hominum, pecorumq́ue omnis generis, ac ſalis, piſciumq́ue facta eſt. cunctiq́ue metu perterriti accolæ Ferrariam cum coniugibus, & liberis profugerunt. Triuiſanus autem claſſis Imperator quum ad Piloſellam munitiſſimum Caſtellum erexiſſet, Eſtenſes illud ſubito impetu aggreſſi, multis, uariisque armorum conatibus expugnare tentarunt: ſed hoſte male habito, cæſoque Hercule Cantelmo iuuene claris natalibus Neapoli orto, Venetus locum fortiter retinuit. Poſtea quum Padus aſſiduis imbribus auctus, triremes, ſuper quas pons fabricatus erat, ad ripæ propè ſummitatē ſuſtuliſſet, Alphonſus Dux re cognita, haud cunctandum ratus, arma, tormentaque tacitè parat, ac inſtructa ad dimicandum acie intempeſta nocte è Ferraria profectus, ad flumen accurrit, tormentisque in ripæ margine plurimis diſpoſitis, iuſſit hæc in triremes magno impetu fulminare, quorū crebrerrimis ictibus Claſſiarii exciti ad arma cō clamarunt: at nocturno, improuiſoque prælio omnes conterriti trepidare, tumultuari. Bellicis interim hoſtium machinis omnia proſternebantur, cadebātque promiſcue nautæ, & milites magno numero, ac confractæ, perfoſſæque triremes, dilapſis fuga rectoribus fluitabant. Tum Triuiſanus imperator rem inclinatam uidens, fortunæ ceſſit, paruoque conſcenſo nauigio publicum uexillum è prætoria triremi, magnamque auri uim ſecum abſtulit. Potitusque eſt Eſtenſis inſigni uictoria: nam quindecim tormentis pêrforatæ triremes Ferrariam captiuæ abducuntur; plurimique nautæ, & remiges cæſi, ſauciique, ac male habiti, ferro, aquisque periere: complures tamen ad alteram ripam adnatantes ſeruati ſunt, a Gradonicique equitibus tutati, exceptique incolumes ad urbem rediere. Attulit hæc Padana clades ingentem ciuitati mœrorem, ſed ſolita patrum uirtus tanti malis minime ſuccubuit: claſſisq́ue altera ſtatim inſtruitur, quæ triginta triremes habuit, quarum octo in Creta, Corcyræ duę, in Dalmatia ſex, in urbe quattuordecim armatæ fuerant, earumq́ue omnium imperium, Triuiſano dignitate abrogata, Antonio Trono primò demandatum eſt, qui ſtatim, quòd non eſſet rebus maritimis aſſuetus, imperio ſe abdicauit, & in eius locum Petrus Balbi, Patauii prætor, ſublegitur. Dum autem hæc parantur, Venetiis medio foro decemuirum iuſſu laqueo necantur quattuor Patauini ciues, claro orti genere, ob eorum infidos, rebelloſq́ue in Remp. animos: hi autem fuere Albertus Trapolinus, Bertutius Bagarotus, Iacobus a Leone, & Ludouicus Conte, eiuſdemq́ue criminis reus, Ioannes Franciſcus Muſſatus, capitalis pœna remiſſa, in Cretam perpetuo relegatus eſt, indę tamen quadriennio pòſt ab exilio reuocatur, & in patriam rediit. Poſt Padanam autem uictoriam Eſtenſes cum auxiliaribus Pontificis, Gallorumq́ue regiis copiis nouas expeditiones in Venetos moliri uidebantur. Loreoq; primùm capto, arma in Reip. fines ulterius proferre ſtatuerant: ſed diſſidio inter nationes, Italam & Gallicam, aliasq; gentes barbaras orto, hoſtium exercitus ad contemnendam paucitatem redactus eſt, infrequentesque ordines redditi. quo facto, Veneti in ſpem adducuntur, ſi paulùm adniterentur, fore, ut amiſſas urbes facile recipere poſſent: & iam inſtructis copiis expeditio in Veronēſes parabatur, quum aduerſo Reip. fato Pitilianus è uita ſubitò exceſſit, atque ea de cauſa apparatus ille bellicus Venetorum intermiſſus: obiitque is Leonici in Vicentino, ætatis ſuæ anno ſexageſimoſeptimo, magno exercitus mœrore, qui paulò antequàm è uita migraret, conuocatis Legatis, cæterisque armorum Ductoribus, eos grauiſſimis uerbis hortatus eſt, ad rem Venetam præſenti bello leuandam; quæ ſi hoſtium armis depreſſa rueret, omne prorſus militare decus Italiæ, ac eiusdem libertas pariter extingueretur: quæ omnia Venetus ad eam diem egregiè ſuis opibus ſuſtinuiſſet.

Pōs in Pado.

Comaclū capitur.

Her. Cantelmi cædes.

Clades Venetorū in Pado.

Not. alterā claſſem.

Ant. Tronus. Pet Balbi.

Not. Patauinorum ciuiū ſupplicium.

Pitiliani interitus.

ſet. Italis itaque armis in priſtinam dignitatem reſtituendus erat, ac plurimum laborandum, ut Venetæ gentis ſeruetur in Italia imperium. inde paulò poſt expirauit. Venetiisque tumulo ornatiſſimo conditur, cui equeſtris in Gemellorum æde inaurata ſtatua Senatus decreto erecta eſt; eumque Ioannes Baptiſta Egnatius, uir in Veneta gente optimarum artium ſtudiis præſtantisſimus, funebri oratione laudauit. Pitiliano defuncto, Ioannes Maria Fregoſus Lygur uir, bello acer, ac militari diſciplina clarus, Venetum exercitū gubernatoria poteſtate rexit. interim duo Oratores, Aloyſius Mocenicus, & Ioannes Cornelius ad Cæſarem in Germaniam miſſi ſunt, pro bello, honeſtis, ſi poſſent, aliquibus conditionibus tollendo. Sed re infecta ſuperbis hoſtium poſtulatis diſceſſum. conuerſique ad Pontificem Veneti, quem uti pium, æquiſſimumque Chriſtianitatis Principem placare ſperabant, ad eum ſex Oratores, uiros ampliſſimos deſtinarunt, Dom. Triuiſanum, Hier. Donatum, Paulum Piſonem, Al. Maripetrum, Leon. Mocenicum, & Paulum Capellium, qui à Pontifice anathematis abſolutionem publico nomine impetrarent. nec id difficile obtineri poſſe uidebatur, quum Pontifex reconciliatis Venetis, ſaluti Italiæ maturè proſpiceret. nouerat enim, ut ſapientiſſimus erat, Galli Regis ingenium proferendi Imperii maximè auidum, Italiæque totius ditionem Ludouicum fortuna proſpera elatum affectare. Venetos itaque ne extera arma ultimo excidio inuoluerent, ſubleuandos cenſuit. unde Legatos eorum in Vaticano adiecta ſolemni precatione, ſacriſque piè celebratis, pro templi foribus expiauit. abrogatoque interdicto Venetam urbem ad priſtina ſacra reſtituit, ictoque ſubinde fœdere, quo multa imperabantur, tam circa ſacerdotia libero Pontificis arbitrio diſponendas, quàm circa maris Adriatici nauigationem, Pōtifex in amicitiam, fidemq; Venetos recepit. huiuſcemodi abſolutionis nuncio Cæſar uehementer, & Rex pariter Gallorum turbati ſunt, ueriti, ne Venetorum potentia Eccleſiaſtico fauore ſuffulta exurgeret: nam ex Legatis, qui poſt interdicti abrogationem in patriam rediere, Hier. Donatus uir eruditiſſimus apud Pōtificem Senatus nomine Oratorem agens, tanta gratia, & authoritate in Romana curia ualuit, ut maximo patriæ totius Europæ armis circumſeſſæ adiumento fuerit, impetrauitque a Pontifice mirabili ingenii dexteritate, qua præditus erat, ut in eius gratiam aliquot milites, Ductoresque è ditionis Eccleſiaſticæ urbibus ad Venetorum ſtipendia conſcriberentur, inter quos fuere Ioan. Paulus Balleonus, Aloyſius Vitellius, & Laurentius Cerites, uiri armis ſtrenui. curauitque ad hæc Pontifex, ut cum Cæſare Veneti poſitis armis reconciliarentur, eo conſilio, ut a Gallorum illum amicitia retraheret: quod a Cæſare abnegabatur: & Veneti Veronam ſibi reddi poſcebant, ut ueteri Imperio clariſſima urbs adiungeretur, ob idque magnam pecuniæ uim Cæſari ſoluere pollicebantur. nec deſinebat etiam Pontifex occultis nunciis, litteriſque Henricum Britanniæ, & Ferdinandum Aragoniæ, Reges, in Gallos concire. Heluetios quoque ad fœdus ſecum iungendum cohortari non deſtitit, in quo negocio conficiendo Epiſcopi Sionenſis, cuius magna apud illam nationem authoritas erat, opera uſus eſt; plurimumque in hac re laboris, curæque impendit, ut bellum Gentis fortiſſimæ auxilio Gallorum Regi inferret, Italiaque eorum armis liberata, tranquilla pace, quod ſemper optauit, frueretur. conatus quoque eſt Pontifex in partes trahere Alphonſum Ferrariæ Ducem, eumque a Gallis diuellere: ſed ille uti Veneti nominis ex Imperii uicinitate uetus hoſtis, nec Pontificis ingenio ſatis fidens, ſe ſe Gallorum partibus icto occultò fœdere applicarat, ſub quorum tutela nullas aliunde armorum minas extimeſcebat. ab iis initiis nouum bellum protinus exarſit; protegentibusque Alphonſum Gallicis armis diu inter eum, & Pontificem, ſocioſque utriusque partis uaria fortuna bellatum eſt: nam pręter terreſtria Hiſpanorum auxilia, & Heluetios mercede conductos, in Tyrrheno quoque mari Pontifex claſſem parare curauit, ut Genuam, eiectis Gallis, in libertatem uendicaret. itaque Veneti in Pontificis gratiā duodecim triremes inſtruxere, quarum Hier. Contarenus cognomēto Grillus ductor fuit, duaſque Pontifex addidit, hiſq; Octauianus Fregoſus, & Hier. Doria patriæ extorres præficiuntur. mittitur & M. Ant. Columna in eam expeditionem, ut cum Eccleſiaſticis copiis terreſtri itinere procedentis claſſis curſum adæquaret. interim Veneti ſumma ui, & cele-

Marginal notes: Io. Bapt. Ignatius. — Io. Maria Fregoſus. — Legati in Germaniam. — Legati ad Pontificē. — Veneti interdicto liberati. — Hier. Donatus. — Armorū Ductores. — Epi. Sionienſis. — Alphonus Ferr. Dux. — Contarenus grillus.

& celeritate copiis adauctis, Germanos Vicentinũ, & Patauinum agrum igni, ferroque uaſtantes inuadunt: & ab altera parte nouus Pontificis exercitus, cui Franciſcus Vrbinas fratris filius præerat, in Mutinenſem agrum irrupit: nec mora, ea urbs Gerardo, & Fr. Maria ex Rangone familia in ciuitate primaria adiuuantibus, Eccleſiaſticis armis occupatur.

Fr. Vrbinas.

Sed in cæteris poſtea belli conatibus, fortuna Iulio Pontifici, ſocioque nomini parum arriſit: nam Carolus Amboſius cum Gallico equitatu in Heluetios profectus, qui in Comenſi agro caſtra habebant, oſtenta ta acie, & appenſo auro facile in patrias repreſſit ſedes.

Car. Amboſius.

Fregoſius uerò, & Columna ua lido terra, marique armorum apparatu circa Genuam conſedentes, ſummæ ſpei uictoriam ignaua cunctatione fœdiſſime corruperunt. ſimilem Hier. Contarenus cum claſſe Veneta maritima expeditione exitum habuit: nam Preianem Gallorum Archipy ratam declinans, ne cum eo nauali prælio cum Reip. diſcrimine confligeret, è Lyguſtico Pelago in Adriaticum ſinũ profecturus, ne inglorius inde diſcederet, portum Delphinum admota claſſe occupare tẽtauit; locumque aggreſſus, a mœnibus repellitur, uirique aliquot fortes cecidere, & in his Franciſcus Pollanus unius triremis præfectus, tormenti hoſtilis repercuſſione occubuit. Lygure poſtea omiſſo, ad Ciuitatem ueterem primùm, inde in Adriaticũ ſinum ſe recepit.

Preianes.

Fr. Pollani interitus.

At in Tranſpadana Gallia Venetus exercitus ſub L. Maluetii gubernatoris, & And. Gritti Legati auſpiciis è Patauio ſub ſignis egreſſus, pleraque oppida in Patauino, Vicentinoque, fœliciſſimo uictoriæ curſu recepit: ad Veronam poſtea itũ, quæ ſtatim a Venetis obſidione cincta eſt: nam modico hoſtium præſidio urbs cuſtodiebatur, nec ſatis concordes ob morum, nationumque diſſimilitudinem animi in his erant ceptaque eſt urbs uiolentiſſimo tormentorum impetu quati, aſſiduiſque, & grauiſſimis pilarum ictibus magna murorum pars corruit: proſtratis tamen intus munitionibus, acerrimam his hoſtes nudati defenſionem aduerſus Venetos milites agebant, plurimique temerè circa mœnia, ut rem impigre gererent, uerſantes hoſtiũ tormentis periere, in quibus Lactantius Bergomenſis ductor fortiſſimus fuit, quem tormẽtalis pila ex arce Feliciana emiſſa, laceratis natibus exanimauit. eodemque temporis momento ex urbe hoſtium phalanx erumpens, Venetum improuiſo aggreditur, cæditque, ac fugat trepidantem eum uſque ad caſtra.

Lactantii Bergomẽſis interitus.

at Citolus armatis ſeptus, ſubſidio adeſt, reparaturque pugna; & dum ferendæ opis ſtudio ille in prœliũ inermis properaſſet, mediaque pugna acerrime dimicaret, nudatum caſſide caput hoſtis gladio ſerit; quo uulnere uir fortiſſimus, ac memoria dignus ſtatim interiit. tum L. Maluetius cum robore militum accurrens, hoſtem continuò in fugam uertit, præcipitemque uſque ad portas urbis cum magna cæde egit.

Citoli Petruſini cædes.

Duorum autem illuſtrium uirorum continuatis uno die funeribus Venetorum animi ingenti dolore affecti ſunt, orbaque tantorum Ducum interitu Reſp. propè reddita uidebatur: haud tamen obſidio intermiſſa eſt, perſeueratumque in armis circa urbem; tumultuariaque prœlia inter obſidẽtes, & obſeſſos uario euentu commiſſa. Poſtremò quum fama appropinquantis exercitus Gallorum in Veneta caſtra perueniſſet, ne fœdiore aliqua clade ab hoſte res Veneta afficeretur, ſalubri conſilio ab obſidione recedendi ratio inita eſt. Itaque motis repente caſtris, ad Sanctum Bonifacium octo paſſuum millibus ab urbe diſtantem, in tutum Venetus abiit. & in Taruiſinis Aſilum oppidum ad flumen Muſonum cum arce uoluntaria ciuium deditione a noſtris recipitur.

Aſilum recipitur.

& in Foroiulio, atque in Hiſtris bellum gerebatur, immanitate, atque odiis pluſquàm hoſtilibus: nam ferrum, ignisque utrobique ſæuiebat, miſerabilisque eas prouincias diu belli furor afflixit. Et Pontifex minimè ex ſuperiori rerum aduerſarum ſucceſſu animo commotus, iterum Genuæ terra, marique expeditionem tentauit, claſſemque Venetam in bellum rurſus euocauit.

Claſſis in Genuam.

Patres uerò magis ut Pontifici morem gererent, quàm quòd eius præcipites actiones, præproperumque belli gerendi ſtudium approbarent, nouis ſupplementis claſſem auctam in Lyguſticam oram nauigare iuſſere, cum qua ſeptẽ Pontificis triremibus adiũctis, Venua iterum armis tẽtatur: ſed antequàm naualis apparatus ex Latii ora ſoluit, Hier. Contarenus Venetæ claſſis præfectus, Romam accitus, ad Pontificem ſe contulit, ad cuius pedes aduolutus, benedictionem ſuſcepit, multa quoque pietatis opera edita, ac uota rite nuncupata, ut iuſtæ cauſæ in uictoria maturanda Dii immortales è

cœlo fauerent. Tyrrheno itaque mari emenſo, inter nauigandum claſſis Gallica circa portum Veneris occurrens, cum noſtris prælium capeſſere uidebatur: ſed eminus tantùm telis, tormentiſque ab utraque inuicem claſſe per multum temporis ſpaciũ emiſſis, certatum eſt. demum pontificia, Venetaque claſſis ad Seſtrium ſe recepit, inde iuxta portum menuæ conſedit, in quem ſpeculandi gratia Ioannes Fregoſius unico ſolo nauigio audacter ingreſſus, urbem ualidiſſimo præſidio munitam eſſe cognouit, quare quum difficilis, cruentaque oppugnatio futura nunciaretur, abeundi conſiliũ omnium ſententia approbatur. itaque Pontificia claſſis ad Ciuitatem ueterem in maritima Latii ora ſe contulit, & Veneta poſt ingentem tempeſtatem circa Pharum Meſſinẽſem ſuperatam patriis littoribus incolumis appulit, atque ita Pontifici fati acerbitate nil proſperè euenit, qui Genuæ expeditionem bis infœliciter tentauit. eandem quoq; aduerſam fortunam Veneti circa Veronam iterum paſſi ſunt, reſque eorum bellicæ parum fœlici ſucceſſu affluebant: nam quum multæ iniuriæ illatæ Veronenſium animos a Cæſare alienaſſent, aduenere occultè eorum plurimi in Veneta caſtra ad Duces & Legatos, polliciti que ſunt, Germanicum iam excutere iugum cupientes, urbem Veneto tradere; cautiſſimaque ſtatim ratione ductus exercitus, quarta uigilia noctis ad locum propè mœnia conſedit, aperientibuſque ultro ciuibus portam Sancti Georgii remotiori urbis parte præmiſſus miles occupat, ac prima mœnia tranſcendens, ad arcem uſque ſancti Petri medio colle ſitam tacito agmine Venetus progreditur; & dũ ſcalas admouet, earum breuitate altitudo muri ſuperari non potuit, hæſitque hìc miles dubius, & trepidabundus, ac pauorem auxere litui, tympanaque fortuito ab hoſte pulſata, uiſique ſunt falſo uigeles ex arcibus Feliciana, & Veteri conclamare ad arma, unde uano hoſtium motu Venetus exterritus, uim maiorem non expectandam ratus, relicto loco, quem occuparat, a ſemicapta urbe citato agmine exceſſit, omniſque inde exercitus ad ſolitam ſancti Bonifacii ſtationem reuerſus eſt. Hoſtes autẽ periculi admoniti duplicatis cuſtodiis, ualidioribuſque præſidiis urbem firmarunt, indeque omnes uno agmine erumpentes, in Venetos mouere, excepitque temerè irruentem Germanum leuis armaturæ equitatus, ac primo congreſſu hoſtis male habitus, ne aliqua maiori clade afficeretur, receptui cecinit, & cum omnibus copiis Veronam iterum ingreſſus eſt, ubi militum ingens tumultus ortus, emerita ſtipendia expoſcentium, quæ multis menſibus Cæſar non exoluerat. mercede itaque illi ſua defraudati, omnia contumaciter agebant, tandemque eorum maior pars fructuoſioris militiæ ſpe ad Venetos transfugit, quorum poſtea forti, fidelique opera præſenti bello perſæpe Reſp. uſa eſt. at Reges ſocii quum Cæſaris partes prope inclinatas, labenteſque uidiſſent, auxiliares ſtatim illi copias ex Gallis, Hiſpaniiſque ſubminiſtrare cœperunt. Venetusq; ob id hoſtium uiribus impar, è Veronenſi agro cum toto exercitu recedens, in pacatum abiit: munitæque ſunt urbes, & oppida ualidis præſidiis, ut hoſtium impetum, ac aduerſa arma ferre poſſent, ſi qua ſubita uis ingrueret. & ut ex omni parte Veneti armis infeſtarentur, Cæſar Helianum ex aulicis unum in Pannoniam ad Ladislaum Regem miſit, eumque hortatus eſt ad bellum Veneto in Dalmatiæ finibus inferendum, ad ſubigendamque armis illam prouinciam, quæ antiquo iure ad Pannoniæ regnum ſpectabat: pollicebaturque Helianus, Cęſaris, ac Gallorum Regis nomine, quotannis centena aureorum nummum millia ſoluere: claſſis ad hæc oblata, & Regia connubia. in Pannonia autem eo tempore Oratorem Senatus nomine agebat, Petrus Paſqualicus, tentauitque omni ſtudio Regum conſilia turbare: uerùm Tatenſi conuentu ob ampliſſimas conditiones a Cæſare propoſitas decretum eſt a Pannonibus in Venetos bellum: dilectique ſunt quattuor millia pedites, Crouatorumque gentis bellicoſa equeſtria agmina conſcripta. in maximumque diſcrimen res Dalmatiæ Pannonica arma omnino adduxiſſet, niſi Reges diſcordi animo promiſſis defuiſſent: nullis enim miſſis ob pecuniæ indigentiam, in Illyricum terra, marique copiis, Pannon & ipſe arma depoſuit. Inter hæc Alphõſus Ferrariæ Dux finitimis armis Poleſſinum aggreditur, ubi Rodigio, Lendenaria, Abbatia, oppidis, partim ui, partim deditione captis, ad Atheſim cum duodecim armatorum millibus peruenit, in quibus Galli, Hiſpaniq; aderãt: ſuperatoque flumine, in Vincentinum agrum prędabũda hoſtium manus irrupit, eoq; fœdè

Marginal notes: Io. Fregoſius. — Venetæ claſſis a Genua receſſus. — Venetorũ metus ad Veronã. — Helian⁹. — Petr. Paſqualicus. Not. Pannonum motus. — Poleſſin⁹ amittitur.

fœdè populato, magnus terror Veneto incutitur, Vincentiæq; cuſtodia à noſtris omiſſa, hoſtes ſtatim ad urbem caſtra admouere: ciues uerò minacem irati hoſtis aduétum timentes, ut direptionem effugerent, quando omni præſidio nudati erant, quinquaginta aureorum nummum millibus ſolutis, in urbem pacatum hoſtem admiſſere: hi tamen uiolata fide, multa auaritiæ, immanitatisq; in miſeros oppidanos exempla ædiderunt. agreſtium quoque foris ingens cædes facta eſt, quos in cauernis, ſpecubusque deprehenſos, ubi eorum plurimi metu hoſtium deliteſcebant, fumo, flammarumque uapore crudeliſſime enecarunt. Et ex altera parte Galli in Leniacum oppidum munitiſſimum ad Atheſis ripam poſitum, uertere arma, illudque bellicis operibus, ac acerrima ui oppugnatum miles Venetus per aliquot dies ſtrenue tutatus eſt: poſtea demolitis mœnibus ferox Gallus per ea magno impetu in oppidum irrupit, & Carolus Marinus præfectus cum ducentis ferè militibus in arcem ſe recepit, qua tamen poſtpaucos dies uoluntaria deditione hoſtes ſunt potiti. Leniaco autem amiſſo, Venetæ copiæ, quæ circa Vincentiam caſtra habebant, ac tumultuaria cum Germanis prælia cõmiſerant, ad Brentellas ſtatim celeri curſu contendere; inde Patauium ſunt ingreſſæ, ad urbis, regionisque totius cuſtodiam. Monſilicemque hoſtis aggreſſus, ubi Petrus Gradonicus prætor erat, ui expugnauit, ac diripuit: Patauiique diligẽtes uigiliæ actæ, hoſtium metu, qui poſt captum Monſilicem in propinquo conſederant. ac ſub id tempus Soncinus Benzonus ex municipio Cremenſi uir nobilitate inter ſuos, ac militia clarus, ſed prauo, inſidoque in Remp. animo, quippe qui belli initio Abduana clade ad hoſtes transfugerat, in Venetorum poteſtatem uenit, Patauiumque captiuus adductus, ſtatim And. Gritti Legati iuſſu ſuſpendio necatur. deceſſitque his fermè diebus Dionyſius Naldus ductor fortiſſimus, ac uirtute, fideq; in Remp. incõparabilis, cui pedeſtris ſtatua marmorea decreto Senatus in Gemellorum æde erecta fuit. bellicis rebus in hunc modũ ſe in Gallia habentibus, cõiuratorũq; Regũ armis Venetã rẽ maiori ſæuitia infeſtantibus, patres infracto animo bellũ ſuſtinebant. At Iulius Põtifex armorũ appetentiſſimus in Ferrarienſem Ducẽ nouã expeditionẽ parauit, eumq; principatu deiicere totis uiribus connixus eſt: in idq; conſiliũ perſequendi bello Alphonsũ Põtifex adducebatur, quòd is, quamquam Romanæ Eccleſiæ uexillifer eſſet, ſpreta tamen Pontificis maieſtate, ad externi Regis authoritatem ſe contuliſſet, dictoque eius in multis Apoſtolicæ ſedis pace, belloque negociis audiens non fuiſſet. itaque eum uti contumacem, & planè ingratum, diris præmiſſis, hoſtem iudicat: ingenti deinde coacta pecunia ab urbe proficiſcitur, Bononiamque contendit, ut ex proximo ardentius bello incumberet, copiiſque contractis, quibus Cardinalis Ticinenſis præerat, primo ſtatim acceſſu omnia ferè circa Padum oppida à Duce Pontificio capiuntur. Ferrariæque magnopere trepidatum eſt. in Padum quoque ſocia Venetorum claſſis, Duce Ioanne Mauro, uiro impigro, per Fornacis, & Primarii oſtia ingreſſa, pauorẽ auxit. huiuſcemodi belli renouati motibus Pontifex anxius, dum uariis animi curis agitatur, in grauem morbum incidit: quo factum eſt, ut ſegnius Ferrariæ expeditio, ardorque belli lenteſceret: & Veneti ex altera parte in Vincentinum agrum profecti, aduerſus Germanos impigre rem gerebant: congreſſuque equeſtri aperto campo ſæpe inter partes certatum, in quo Venetus militum uirtute ſuperior fermè ſemper fuit. nec intra Vincentię mœnia Germani tutos ſe tenentes, Veronam rapto agmine abierunt; Vincentinique ſtatim hoſte digreſso in fidem rediere. Interim Marchio Mantuæ in Iulii Pontificis gratiam à Senatu è captiuitate liberatur, militareque ei Veneti exercitus Imperium eſt demandatum. Ariminumque is triremi delatus, Romam inde ad Pontificem ſe contulit. belloque Italia deflagrante, Venetus Aſulam, & Maroſticam recepit. ad Veronamque iterum caſtra ſunt admota, ubi diu uariis oppugnationibus laboratum eſt, multaſque hoſtes eruptiones fecere, quibus magna utrinque cæde ædita, coacti ſunt Veneti ab obſidione recedere, terque Verona armis petita, ter ab ea, re infecta, diſceſsum. inde Venetus in Poleſinum terra, & aquis tranſgreſsus eſt, ubi Rodigium, Lendenariam, Abbatiam, & Adriam, oppida recepit, quæ fortunæ inconſtanti uolubilitate multoties amiſsa, & recuperata toto belli tempore varia dominorum paſsa ſunt imperia. & Marchio Mantuæ, qui antea à Senatu Imperator copiarum electus fuerat,

Vicẽtinorũ cædes

Leniacũ captum.

Car. Marinus.

Pet. Gradonicus.

Soncini Benzoni ſuppliciũ.

Dionyſii Naldi interitus.

Cauſæ belli in Alphõſũ.

Ioan. Maurus.

Vincentini in fidẽ redeunt.

Marchio Mantuæ liberatur.

Poleſini receptio.

nondum in caſtra uenerat: ſuſpectaque eius mora patribus eſſe cœpit, timentibus, ne qua occulta fraus uiri animo inſideret. Bononia ad hæc a Pontifice prope alienata, res nouas moliri uidebatur: ad Bentiuolos enim ueteres dominos ciuitas inclinata, Eccleſiaſticum iugum excutere cogitabat, quibus ex cauſis non parum Pontificis animus turbatus erat, Venetaque ſocietate relicta, Gallorum amicitiam complecti, priſtinum que cum Rege fœdus renouare meditabatur; idque prorſus effeciſſet, niſi opportune ſexcenti Venetorum equites ſub Chiappini Vitellii, & Federici Contareni ductu Bononiam aduenisſent, quorum acceſſu Pontifex uehementer lætatus fuiſſe dicitur, Venetoſque ut bonos, & fideles ſocios plurimum commẽdauit. Acceſſit poſtea cum reliquis copiis Mutinam iuſſu patrum Marchio Mantuæ. Itaque rebus Eccleſiæ his præſidiis firmatis, hoſtium uis in hac parte inefficax reddita eſt: auſi tamen poſtea ſunt illi Venetis a Mutina profectis, cum quinquaginta bellicorum machinarum apparatu ob uiam ire: ſed Marchio cum Veneto exercitu aliò flexit iter. Vulgata falsò tandem hoſtium in fines ſuos excurſione, Mantuam ſeceſſit, & Venetæ copiæ abſque Duce Mutinam iterum reuerſæ ſunt. bellumque uaria fortuna trahebatur, rurſumque Pontificiæ, & Venetę copię Ferrariam circumſederunt, Saxolumque oppidum Pauli Capellii Legati uirtute capitur. Concordia quoque, & Mirandula Eccleſię urbes Romanis, Venetiſque armis ceſſere: & Ludouicus Gallorum Rex quum certis argumentis, conſtantique hominum opinione didiciſſet, Pontificem infeſto in ſe animo eſſe, ac præcipiti æſtuantis ingenii ardore bellum meditari, ſtatuit & ipſe, ne in aliquod diſcrimen incideret, arma parare, ac dignitatem ſuam, unaque Ducem Ferrariæ, cum quo fœdere, & amicitia coniunctus erat, aduerſus motus Pontificis armis tueri: curauit etiam, quantum potuit, Camaracenſe fœdus arctiori coniunctionis uinculo cum Cæſare confirmare, & ex eius conſenſu Pontificem armis perſequi, ac cum ualidiſſimis copiis Vere primo in Italiam tranſcendere, ut uel rem Venetam, uel Romanam præpotenti armorum apparatu aggrederetur: atque, ut ſpiritualia quoque in Pontificem arma exerceret, cum Cæſare, miſſis Legationibus tacite conuenit, ut concilium euocaretur, in quo fas eſſet, de Pontificis iniuria quæri, qui nulla habita ſui muneris ratione, Chriſtianam rem bello exagitet. actum quoque eſt, quàm occultiſſimis conſiliis, de Roma, omnique Eccleſiaſtica ditione occupando, cuius iura ad Imperium ſpectare ferebantur; totius quoque Italiæ dominationem Cæſar, Rexque affectantes, Venetorum in primis terra, marique potentiam eneruare in animis induxerant; adimebanturque eis, iniquisſimis conditionibus propoſitis, Cyprus, Creta, Corcyra, cum Hiſtria, & Illyrico, unaque omnis reliqua terreſtris eorum ditio. Ad hanc etiam ſocietatem cum Maximiliano, & Ludouico ineundam Ferdinandus Arragoniæ Rex plurimum ſollicitatus eſt: ſed is regno ſuo contentus, bellaque exoſus, pacem in Rep. Chriſtiana pio ſtudio exoptabat. Eadem mens in pleriſque Germaniæ, & Gallię regulis erat, qui impium eſſe exiſtimabant, ſacroſancti Pontificis dignitatem iniuſtis armis oppugnari: alia tamen Cæſaris, & Regis uoluntas erat, qui omnino concilium cogere decreuerant, ad armaque reſpiciebant. Et domi Triumuiri Aduocatores, quorum erat è Collegio Ber. Bembus, confecta quæſtione, Angelum Triuiſanum, quo Duce paulò antè claſſis in Pado diſiecta fuerat, maioribus comitiis, ubi cauſa agitabatur, condemnarunt, ut is triennium ab urbe, eiuſque finibus exul abeſſet. Foris autem Leon. Pratus Hieroſolymitanus eques, ductor fortiſſimus, a Gallis, duce Palitia ad uicum Belaearem in Ferrarienſi interfectus eſt. eius autem interitu non parum ciuitas commota, erexit publica munificentia fortiſſimo uiro equeſtrem in Gemellorum æde ſtatuam. & curſum uictoriæ Galli ſequentes, Concordiam urbem cæſo, debellatoque Eccleſiaſtico milite, recepere. amiſitque iterum Venetus Poleſinum, & Ioannes Paulus Manfronus in Venetis caſtris ductor fortis, & egregius per inſidias in Gallorum poteſtatem venit. mox Bentiuolis extorribus adnitentibus, Bononiam Galli occuparunt: atque ita Iulius Pontifex, dum Ferrariam ſubigere cupit, Bononiam amiſit. Indicitur ad hæc a Ludouico Rege, & pſeudo Cardinalibus, qui a Pontificis obſequio diſceſſerant, Piſis concilium, ut is de non recta Eccleſiaſticæ rei adminiſtratione publice in eo accuſaretur. Igitur Iulius Pontifex, vbi videt, ſe a Gallis ui aperta, & uariis inſidiis ad euertendam

Chiappinus Vitellius.

Sigolum concordia Mirádula.

Regis Gallorum cõſilium.

Concilũ.

No. ſæuũ in Venetos conſpirationem.

Aug. Triuiſani damnatio.

dam ſuam dignitatem oppugnari, a Ferdinãdo Rege uti Catholico, & ab Henrico Britanniæ Rege iuſtitiæ & Religionis amantisſimo in tantis Apoſtolicæ ſedis fluctibus auxilium implorat: Eccleſiaſticam enim ſacroſanctam ditionem, atque unà Pontificiam maieſtatem nefariis uexatam armis quæritur, indicendique, ac cogendi Concilii ad ſe ſolum ius ſpectare, demonſtrat. monet præterea, ut caueant, ne Gallorum gens ubique uictrix impotentibus armis totius Italiæ imperium ſibi uendicet. nec mora, animaduerſo illi periculo, quod ex hoſtili Gallorum infeſtatione Eccleſiæ, & Pontifici imminebat, arma corripiunt. & dum omnia ab his diligenter ad bellum parantur, Pontifex ingenti animi magnitudine aliud ſolemne Concilium Romæ in Laterano celebrãdum edicit. Piſanoque fidem abrogat, ac Pſeudo Cardinalium Sanctæ Crucis, Coſſentiæ, Baiuſſæ, Seuerinatis, & Caruaialis impietatem acerbisſimè execratur, eoſque omnes ueluti rebelles, & ſchiſmaticos, conciliabulique Piſani authores ſacri pilei honore priuat: multaque alia inde ſequuta ſunt, quæ Iulium Pontificem, Romanamque Eccleſiam perturbarunt, tam circa Concilii motus, quàm circa uarios armorum conatus in Bononia recipienda, pro qua ingens in Italia belli furor exarſit. eam urbem Gallorum armis aduerſus Eccleſiaſticas, Hiſpanaſque uires protegentibus, Florentini quoque, qui Piſano Concilio in Galli Regis gratiam aperte fauebant, in Pontificis odium incurrerunt, a quo ſpiritualibus armis petiti, grauisſima pasſi ſunt belli detrimenta, factionibuſque agitati, quibus urbs ab eius primordio ferè ſemper dedita fuit, uix publicam libertatem retinuere. hæc autem omnia quia parum ad Venetam hiſtoriam pertinent, ſigillatim memorare ſuperuacaneum, nec neceſſarium eſſe duco. noſtra enim, nõ aliena, diffuſius ſcribere in animo eſt. uarios tamen bellorum caſus, diuerſoſque in his rerum euentus, fortunæque inſtabilitatem. multa ad hæc inita inter Reges fœdera, coniunctaque modò arma, modò diſſociata, & narrabimus, quibus infeſtisſimus Italiæ ſtatus reddebatur, quem exteri Reges conuellere enitebantur. namque Galli, Hiſpani, Germanique cuncta per Italiam deuaſtabant, obiectique ſoli Veneti periculis, grauisſimas clades pasſi ſunt. Interim Bononiæ amisſio ingenti dolore Pontificem affecit, Gallicumque ob id nomen infeſtisſime ille oderat; curauitque Venetos cum Maximiliano Cæſare reconciliare, Hier. Donatum Reip. Oratorem ſæpe compellans, ut Senatum ad pacem cum Germanis ineundam per litteras hortaretur, retentiſque Taruiſio, ac Patauio, cum ſuis finibus, Vincentiam, & Veronam Veneti Cæſari ultro dimitterent, ut ſociis poſtea armis communem hoſtem Gallos inuaderent, quorum dominandi inſatiabilis, infreniſque cupiditas erat. cæterùm Veneti nunquam pasſi ſunt Vincentiam, & Veronam a ſuo imperio alienare, Italiam interim Galli cum quindecim armatorum millibus oppreſſam penè tenebant, in Venetoſque impetum facere uidebantur. hi autem ex Veronenſi agro motis repente caſtris Patauium conceſſere, liberumque hoſtes campum nacti, prædabundo agmine huc illuc euagati ſunt, tum fœda eſt clades populis præſidio deſtitutis inflicta. in Hiſtria quoque bellum ingens exarſit, hoſtiumque Dux Chriſtophorus Frangipanis cum delecta armatorum manu prouinciam grauiter afflixit, ad eamque tuendam And. Surianus cum Epyrhotico equitatu delectus, res parum proſpere geſſit: eo itaque è prouincia reuocato, Seb. Iuſtinianus, qui paulò antè Dalmatarum ſeditiones pacarat, ſublegitur, Hoſpiumque in monte ſitum eo Duce a Venetis captum eſt. Targeſtinus quoque ager fœde depopulatus, ac par pari hoſtes referentes, maritimam oram circa Iuſtinopolim, Iſolam, & Pyranum cum duabus ad id inſtructis biremibus, ferro, ignique deuaſtarunt: ſed triremis una Iuſtinopolitano portu egreſſa, hoſtium compreſſit impetum, Tergeſtumque illi trepide in pacatum abiere. poſtea ad nonaginta equites Epyrhotæ per Poſtoinum ſaltum magno auſu in extremos hoſtium fines penetrarunt; prædaque inde ingenti hominum, ac pecorum abacta, in reditu a montanis accolis, in quibuſdam locorum anguſtiis circumuenti penè opprimuntur. uerùm, uirtute duce, comite fortuna, omne periculum diſcuſſum. & dum hæc uariis armorum conatibus in Hiſtria fiunt, Galli circa Patauium, & Taruiſium ſedentes, rem Venetam armis uexabant, ambaſque urbes obſidere uidebantur. ſed in Germanorum aduentum expeditio dilata, quos in Italiam magna manu aduentare fama erat. interea Galli ad Liminum multis repagulis curſum

Iulii Pontificis inquietudo animi.

Concilii Lateranẽ ſe.

Pſeudo Cardinales.

Florentini.

No. rerũ uarietatẽ.

Hier. Donatus.

No. Patrũ conſtantiã.

And. Surianus.

Seb. Iuſtinianus.

Gallorũ expeditio.

Medoaci fluminis diuertere tentarunt, ut aquis ablatis molæ triticeæ inhabiles in urbe redderentur, in opusque Veneti equites inuecti, hoſtium conſilia turbabant: iidem quoque in intercipiendis commeatibus tanta diligentia utebantur, ut breui fames in Gallorum caſtris oriri cœpit: tumultuarioque ad Maroſticam prælio commiſſo, Guidus Rangonius primùm ab hoſte captiuus factus eſt, poſtea redintegrato certamine, ad tercentum pedites ex Gallis interfecti occubuere, qua in pugna Ioannis Mariæ Fregoſii, & Federici Contareni uirtus plurimum enituit. nec multos poſt dies L. Maluetius Veneti exercitus gubernator, Pataui aduerſa ualitudine correptus, uita deceſſit, magnoq; patres dolore eius interitu affecti ſunt: uirum enim belli artibus inſigné, ac ſumma fide & prudétia amiſiſſe intelligebant. omnibus tamen horis Venetus armatus aderat, nec a ſolito bellandi more recedens, aſſiduis prœliis hoſtes fatigabat, in eorumque usque ſtationes prædabundum agmen frequenti incurſu ferebatur. Contrà, Galli ferro, ignique omnia deuaſtantes Taruiſium caſtra admouerunt; urbsque circa portam Sanctorum quadraginta uallo cincta, tormentisque oppugnari cœpta eſt. Sed eam antea ualidis Veneti præſidiis communierant; aderatque ibi Laurentius Cerites, uir armorum ſtudiis longe excellens, cum Ionnne Paulo Gradonico Legato, Venetisque compluribus patritiis, qui ad urbis cuſtodiam patriæ charitate impulſi, cum armatis clientibus acceſſerant: hoſtes tamen intrepide ſub mœnibus ferrum miſcebant, conabanturque in urbem irrumpere: uerum crebro tormentorum iactu, ſtrages Gallorum ingens ædita eſt, uique, atque armis illi adacti, obſidionem poſtremò ſoluerunt. nouæ poſt modum (uix Taruiſio Gallicis armis liberato) ex Germania copiæ in Forumiulium prorupere, belloque ibi repente renato, tota fermè illa prouincia a Veneto nomine alienata eſt: nam ad Tiliauentum hoſtis progreſſus, Caſtrunnouum, Sacilium, & Spilimbergium oppida cepit, flumineque ponte ſuperato. vtinum aggreditur. Antoniique Saurognani perfidia nobiliſſimo oppido Germani potiuntur. Gradiſca quoque ſubacta, inde ad Goritiam, fortuna aſpirante, hoſtiles copiæ conſedere, oppugnatioque acerrima eſt tentata. at Venetus primo impetu Germanos cum cæde ab oppido repulit; poſtridie iterum ad mœnia ducti milites, oppugnatioque maiori armorumvi renouatur, reſiſtuntque pari uirtute Veneti. Erant autem ad oppidi præſidium Aloyſius Mocenicus, & Balthaſar Scipionius, uiri impigri, quorum hortatu aliquandiu Goritianus hoſtium impetum ſuſtinuit: mox proſtratis mœnibus, minisque ſuperbe a Germano additis, Veneto militi magnus terror incutitur. itaque præ timore deditione ſtatim facta, hoſtes in oppidum admittuntur, ac ductores, militesque incolumes dimiſſi ſunt, qui turpem apud omnes ignauiæ infamiam ſubiere, quando tam deformi eorum deditione non ignobile in Carnis oppidum Reſpublica amiſiſſet. Oſopiumque ſolum in Foroiulio ſub Veneta remanſerat ditione, cui Hier. Saurognanus uir Reip. amantiſſimus præſidebat, quo procurante induciæ in menſem unum cum Cæſare pactæ ſunt. exacto poſtea earum tempore, coniunctis uiribus Galli, & Germani in Patauinum, Taruiſinumque agrum magno agmine effuſi, omnia ferro, igniq; deuaſtarunt: eodemq; furore ulterius progreſſi, ex Meſtranis finibus ingentem omnis generis pecudum, hominumque prædam abduxere. Diuiſisque inde bifariam copiis, Germanus Veronam, & Gallus Mediolanum ſe recepit. Hoſte itaque è finibus abeunte, Venetæ copiæ ſtatim è Patauio ſub Ioannis Pauli Balleoni gubernatoris Imperio egreſſæ, Vincentiam, & finitima oppida expugnāt; in Forumiuliumque tranſgreſſæ, Vtinum, Sacilium, Portumgruarium, ac Ciuitatem Auſtriæ uoluntaria populorum deditione ueteri Imperio reſtituunt. at circa Cremonſium arduo colle ſitum plurimum laboratū, hoſtesq; diu acerrime oppidum ſunt tutati: demum illud vi, armisq; ſubactum, fœde diripitur, iuſſuq; Senatus poſtea ſolo æquatur. Gradiſca uerò fruſtra tentata, quum ex Germanis uiri fortiſſimi locum ſtrenue tuerentur, præter hæc hyems, frigoraque inſtabant, ægreque bellica munera exerceri poterant. Itaque ſoluta eſt a Venetis obſidio. Acerbum autem hoſtem Pontifex Gallorum Regem ſenſit, qui diu res Eccleſiæ armis perſecutus eſt, omniaque in Italia ſecunda fortunæ aura fretus perturbabat. Gallorum itaque animis ſuperbia inflatis, quòd hi res nouas aduerſus Eccleſiæ ſtatum, aliorumque ditionem in Italia moliri

Guid. Rāgonius.

L. Maluetii interi⁹.

Taruiſiū.

Laurent. cerites.

Foriiulii motus.

Gradiſca, amiſſa.

Goritia ab hoſte capta.

Oſopiū.

Foriiulii receptio.

Galli hoſtes Pontifici.

liri uidebantur, Iulius Pontifex magna ira incenſus eſt: optabatque proinde bello eos aggredi, ut inimica gens Italia eiiceretur. Inter hæc Venetæ copiæ in Poleſſinum ductæ, eadem fortunæ uarietate, qua ſæpe his locis cum Eſtenſi bellatum eſt, illius terræ municipia rurſus occupant: & ex altera parte Pontificius, Hiſpanuſque exercitus Bononiam uerſus curſum direxit; ſigniſque ad rebellem urbē admotis, eam ad Apoſtolicæ ſedis obſequium retrahere tentauit. Heluetii quoque in Medolanenſem agrum irrumpentes, Gallorum res magna clade afflixere: tumultuarioque prælio Heluetius ad Bingraſſam contracto, egregiæ uicit, Gallique ad quingenti cæſi ſunt. Et per id tempus Hier. Donatus Venetus Orator Romæ è uita deceſſit, uir Latinis, Græcisque litteris eruditiſſimus: multa enim elucubrauit magno cum ornatu, in traducendisque Alexandri Aphrodiſei ſcriptis, aliisque Græcorum codicibus, ſingularem tulit laudem: nec minori Latino pollens eloquio, Apologiam pro Veneto nomine pulcherrimam aduerſus Gallos compoſuit, qua Caroli Francorum Regis iniuſtiſſimo in Senatum conuicio probra refellendo, communem Reip. cauſam eloquentisſimè tuetur. De terræmotu etiam, quo Creta inſula terribili horrore concuſſa fuit, elegantem ædidit epiſtolam: orationes quoque eius grauisſimæ & cultisſimæ ubique leguntur: cum itaque Iulius Pontifex ob ingenii præſtantiam unice dilexit, exquiſitisſimaque funeris pompa ſepeliendum publice curauit. poſt hæc Brixienſes Gallicæ Dominationis tædio nouis rebus ſtudebant, & ſub antiquam Venetorum ditionem redire uehementer optabant. itaque Aloyſio Aduogaro ciue præſtantisſimo authore, Venetus, qui in propinquo aderat, euocatus eſt exercitus, ſtatimque And. Grittus Legatus inſtructa acie Brixiam contendit, quo in tempore Sigiſmundus Caballus uir patritius Coloniam hoſte uicto furtim occupauit: oppidum poſtea Germani è Verona ſub ſignis profecti, recepere, Caballusque ex arce, ubi diu hoſtium impetum ſuſtinuit, eductus eſt, & in Germaniam captiuus mittitur. Gallo autem abſente, qui aduerſus Pontificias, & Hiſpanas copias in Bononienſi agro conſederat, Brixia aliquandiu oppugnata, à Venetis capitur: arx tamen Gallo incolumis ſtetit. Brixia occupata, Bergomum, cæteraq; & in monte, & in planicie oppida, in Venetorum poteſtatem ultro rediere. Cremona quoque, ex Crema, reliquæque urbes barbara imperia pertæſæ, noua conſilia agitabant, uerùm celeri Gallorum ex Bononia aduentu omnes motus compreſsi ſunt: nam vbi Brixiæ captæ fama Italiam impleuit, continuò Foyſenſis, uir ferox, & manu promptus cum ſex millibus armatorum è Bononia digreſſus, Padum ponte ad Stellatam ſuperauit: & in Veronenſi Ioanne Paulo Balleono fugato, qui cum mille ducentis peditibus, & quinquaginta cathafractorum æquitum ala adprohibēdum hoſti tranſitum, ibi inſederat, ad Caſtegnolum quadrato agmine proceſſit, obuiosque circa eum locum Venetos Duce Meleagro Forliuienſi aggreſſus, in fugam uertit, equoque prolapſo Meleager capitur; ac eadem ferè Bernardini Fortebraccii Ductoris impigri fortuna fuit, qui citra Atheſim cum trecentis grauis armaturę equitibus, ab hoſte male habitus, uix eius manus effugit. quæ omnia, quum Brixiæ nunciata eſſent, ingens terror Venetos cepit; reuocatis tamen a pauore animis, quādo uis hoſtium ferro, armiſque repellenda erat, exercitus, aciesque ad confligendum media urbe inſtruuntur. At Gallorum copiæ magno itinere confecto a Brixia quinque paſſuum millibus aberant, propiusque accedentes, formidabile armorum ſpectaculum reddebant; & quum totum amplæ urbis circuitum Veneti ualidis præſidiis firmaſſent, omniaque armis obſepta tenerentur, hoſtium conatus uanus, ineſficaxque irrumpendi in urbem reddi uidebatur: uerum occupato illi monte, in arcem a ſuis facile admittuntur. ſtatuuntque poſtero die Venetos aggredi, & in æquum armata manu deſcendere. Hoſtium conſilio cognito, Veneti continuò acies diſponunt, parantque ſe ad pugnam, iubentque ociùs, ne qua ſpes fugæ cuiquam relinqueretur, omnes ciuitatis portas occludi. itaque exoriente Sole Galli ſub ſignis ex arce egreſſi, ferociter in Venetos ruunt, & ad radices montis Fauentina cohorte egregię fidei, & fortitudinis obuiam facta, atrox certamen oritur, repulſusque hoc primo congreſſu hoſtis facile ceſſit: irruente poſtea cum tota mole exercitus ex ſuperiori loco, Foiſenti Duce, fuga, terrorque omnes cepit, ac ferox Gallus in forum uſque peruenit,

Poleſſinū recipitur.

Gallorum cædes.

Hieron. Donati interitus.

Al. Aduogari fides in Remp.

Sig. Caballus.

Brixia a Venetis recipitur.

Dux Foyſenſis.

Meleager ab hoſte captus.

Pugna in urbe paratur.

Fauentina cohors.

nit,tum ibi Veneto in acie ſtante, totis utrinque uiribus concurſum eſt, & ex arce ingens pilarum uis ex æneis machinis excuſſa in Venetorum aciem emittebatur,multique ex his cadebant,eminus tormentis lacerati,ductoreſque Manfronius,Vulpius laborantibus ſuis ſubſidio aderant,& dubium per tres horas certamen protractum.

Fed. Contareni interitus.

uerùm cadente Federico Contareno præfecto equitum Epyrhotarũ, res Veneta fluctuare cœpit;ſtetiſſetque adhuc incolumis,niſi Græci Stratiotæ, cæſo Duce, duobusque aliis ex ſuis uiris fortibus,Fraſſina,& Baſta,è prælio receſsiſsẽt,&ad portas urbis accurrentes,eas ui adaperuere,ut fugam ex urbe arriperẽt.tum ingreſſi, patefacto portarũ aditu,reliqui ex hoſtibus,qui foris adhuc extra mœnia erant,Venetos iam pugnando feſſos,a tergo ipſi integri aggrediuntur,uictoriamque Gallis maturarunt.inclinata autem fortuna cedentes Veneti ductores,Manfronius, Vulpius, Scipionius, & Grittus, in prætorium ſe recepere;Gallique ingenti uictoria potiti ſunt: nam ſupra ſeptem millia ex Veneto exercitu Brixienſi hac pugna ferrum confecit:

Venetorũ clades in urbe Brixia.

ſtragem quoq; & ipſe uictor Gallus Vaſconum peditum non paruam adiit. direptaque ſtatim urbs crudelẽ in modum ab irato hoſte.

Aduogari ſuppliciũ.

& Aduogarus ex fuga retractus,capitali ſupplicio Foiſenſis iuſſu medio foro afficitur:reliqui ductores captiui facti,cuſtodiæ Mediolani traduntur, præter And.Grittum,& Ant. Iuſtinianum,qui nuper Brixiam Legatus uenerat: ii ambo captiui in Galliam ad Regem miſſi ſunt.hæc clades Venetias allata,ingenti ciuitatem mœrore affecit: patrum tamen animi aduerſarum rerũ aſſuetudine obdurati,minus conſternantur,ſolitoque ad Remp.tuendam ſtudio illi conuerſi,Patauium,Taruiſium, & Vincentiam maximis ſtatim muniunt præſidiis, nouaſque cõtrahunt copias, in diſſipati ſupplementum exercitus. At Romæ Iulius Pontifex aduerſa Reip.fortuna a Venetis alienati animi manifeſta dabat inditia, iniquaſque pacis conditiones Fran.

Not. Pontificis minas.

Foſcaro Oratori propoſuit:nã Vincentia ab imperio Veneto auulſa, Cæſari tradebatur,comminatusque ſecreto,ac palam eſt,ſe Reges iterum Europæ omnes in Reipub. excidium concitaturum,niſi Vincentia Cæſari traderetur: per illius enim urbis ceſſionem , pacato Venetis Cæſare, Eccleſiæque adiuncto, Gallos ex Italia Pontifex facile repelli poſſe,& Bononiã his eiectis recipere ſperabat.ſed Veneti ad dignitatem Reip. retinendam,conſtantiſſimo decreto Vincentiam ab imperio ſuo alienare minimè paſſi ſunt.

Induciæ cum Cæſare.

poſtea Foſcaro Oratore curante,induciæ inter Cæſarem, & Venetum Senatũ Romæ in decem menſes pactæ firmantur, pro hiſque impetrandis quinquaginta aureorum nummum millia Cæſari Venetus perſoluit.& dum hæc in Italia domi, foriſq; geruntur,bellum ab Hiſpaniæ,& Britanniæ Regibus in Gallos parabatur, & iam ad Perpignani,Gennæque urbium oppugnationem inſtructæ copiæ aderant. tum periculo motus Francorum Rex Heluetios in ſuas partes trahere omnem curam adhibuit; ad

Gallorũ Legatio.

quos Legatio decreta,miſſique ſunt,Marchio Rotholenſis,& Bailus Mienſis. reiectis autem eorum poſtulatis,gens ferox, & bellandi cupida Pontificis, & Venetorum ſocietatem amplecti maluit,decemque Oratores ad Senatum creati ab Heluetiis aduenere,pro fœdere in Gallos incundo unà cum Pontifice Romano, & Rege Hiſpaniæ. interim ad Rauennæ oppugnationem Galli intenti, urbem bellicis tormentis fatigabant,Alphonſuſque Ferrariæ Dux in caſtris illorum aderat, egregiamque in demoliendis mœnibus operam inceſſanter præſtabat. At Hiſpani cum Pontificio milite ad Rauennæ ſubſidium celeri curſu contendentes,in conſpectu Gallorum ſtructa acie ſolenni Reſurrectionis Dominicæ die dimicãdi copiã fecere.

Pugna ad Rauennã Foiſenſis Gallus.

tum collatis ſtatim ſignis atrox pugna conſeritur:pari autem armatorum numero eſt concurſum: ſupra enim uiginti peditum,equitumque millia uterque exercitus habebat, Galliſque Dux Foiſenſis præerat,iuuenis ætatis flore,& uirium robore ferox; & Hiſpanis prorex Neapolis uir & ipſe bellicoſus,& pugnax.concurrereque magno impetu duo ualidiſſimi exercitus,uictoriaque recenti Brixienſi elati Galli pugnã ferociter ciebant;ac eadem in Hiſpanis ſtrenuitas in acie uiſebatur, dubiumque pari cõcertatione per ſex fermè horas prælium fuit,accenſiſque omnes animis uel uincere,uel mori ſtatuerant:cadebant itaque ex utraque parte plurimi, locum quem primo congreſſu ceperant, informidabiliter,conſtanterque retinentes. uerùm ubi Alphonſi Eſtenſis iuſſu tormenta muralia è Rauennæ mœnibus amota in Hiſpanos conuerſa fuerunt,continuò ingens, calamitoſaque

toſaque

toſaque ſtrages ædita,obſcurum præbuit ſpectaculum,immixtoſque, & conglobatos confertiſſima acie Hiſpanos, Galloſque pariter tormentorum ineuitabiles proſtrauere ictus,tanta militum occidione, ut alto cruore campi ad inſtar decurrentis fluuii miſerabiliter redundarent. Hiſpanique demum uicti,profligatique ceſſere. ac flebili,lamentabilique uictoria Galli potiti ſunt: nec a priſco Romanorum tempore uſque ad illam diem magis ullum unquam in Italia cruentum,magis funeſtum prælium eſt cōmiſſum,in quo tot armatorum millia pari fermè clade una acie cecidiſſent,nā ex Gallorum exercitu ſeptingenti cathafracti equites, & ſex millia peditum cæſa occubuere, & ex Hiſpanis octingenti grauis armaturæ equites, & ſupra octo peditum millia ſunt deſiderata: ex Gallis uerò Ducibus Foiſenſis copiarū Imperator ferro traiectus cecidit,& cum eo tres ex Belgarum principibus uiri inſignes,Bergius,Grotius, & Alargius,atque unà hi præfecti,Tribunique clari nominis,Molardus,Mōgironus,Ricciusborgus,Longauallis,& Iacobus Fabianus; conſauciati autem ex Ducibus fuere Lutrechius, Momplaſius, & Magnus Galliarum Scuderius: ex Hiſpanis uerò, ſaluo Prorege,qui militare imperium tenebat,Comites Conzius,Paduliæ.ac Populi, Pardes quoque,& Prior Miſſinenſis in acie oppetierunt;cæſique ex centurionibus octo uiri fortiſſimi,Meſſias,Cianotus,Vrſinus,Cardonius,Marchio Montorii,ductor Monſlaonus,Petrus Balleonus,& præfectus Vitellius: captiui autem facti ſunt,Cardinalis Medices,qui Pontifex poſtea fuit Leo X. uocatus,Fabritius Columna, Petrus Nauarra,Marchio Piſcheriæ,& uir clarus, Marinus Georgius, Venetorum Legatus.inde Rauenna ſtatim a Gallis capta,direptaque eſt, ſæuitumque atrociter in oppidanos a uictore irato in ſuorum ultionem,qui in prælio ceciderant.& Pontifex audito miſerabili, funeſtoque ad Rauennam conflictu, uehementer turbatus, de Roma relinquenda cogitare cœpit,ciuiumque domi factiones,& foris hoſtium arma expaueſcebat. Cardinaliumq; ſuaſionibus impulſus,ad pacē cum Gallorū Rege ineundā animū adiecit, quē uictoria elatū ſacra, profanaq; omnia in Italia euerſurum uerebatur; eius poſtea quaſſatas Rauennę p̄lio uires intelligēs, in quo potior Gallici exercitus pars,ut ſuprà attigimus,cū Duce interierat,a pace cū Rege ineūda animū reuocauit,quin cū Ferdinādo Hiſpaniæ Regē,Veneto Senatu,Heluetiiſq́, ſtatim egit, ut coniunctis uiribus arma illi in Gallos inducerent, ut inuiſa eorū dominatione Italia eriperetur, quibus etiā aqua,& igni interdixit,niſi Rex ſe a Piſano concilio remoueret. Firmantur quoq; inter Maximilianū Imperatorem,& Venetum Senatum,Pontifice procurante,ſex menſium induciæ,ut eo temporis ſpacio aliqua pacis inter eos ratio haberetur: miſſiq́ue ſunt a Senatu ad Heluetios ſe ſe ad bellum contra Gallos comparantes,Leon. Mocenicus,& Nic.Bernardo,cum auri libris 120.cohortandi,impellendiq́ue eos ad commune bellum cauſa.interim Veneti arma,milites,commeatus,& quæcunque neceſſaria ad bellum eſſent,diligenter parabant,ut ex parte ſua rem fortius in hoſtem gererent. poſtea Heluetii Hiſpanis,Venetiſque copiis ſibi adiunctis,in Gallos ſtatim mouere: illi uerò tantis impares uiribus in tutum ſe recipere feſtinarunt, præcipiteſq́ue acti Alpes uerſus die,noctuq́ue indefeſſo curſu proficiſcebantur;& Heluetii, Venetiq́ue extremum abeuntium agmen continua inſectatione carpebant: ad Ticinumq́ue urbem Gallus perueniens,portas,mœniaque præſidiis firmauit: appropinquantes poſtea Venetum, & Heluetium expectare noluit, relictaque urbe per auerſam portam rapto agmine abiit. ſubſequuti autem paulò pòſt inſtructa ad dimicandum acie noſtri Ticinum ab hoſte deſtitutum occupant,ubi ſeptem currulia uaſtæ magnitudinis tormenta in ſuam redigunt poteſtatem,& fugax Gallus nuſquam ſubſiſtens, ad Alpes poſt multam ſuorum cædem ægre peruenit,quibus ſuperatis Palitia regius Dux cum ſemilacero exercitu in Gallias tandem tranſiit,quo abeunte, Veneti Vallegium,Aſulam, Piſcheriam, primis aggreſſibus quum cepiſſent, Benaci lacus oppida ferè omnia ſponte ad Remp. redierunt: ad Cremonam poſtea itum, quam urbem Cardinalis Sedunenſis,excluſo Veneto,arroganter occupauit. Carauaggium quoque,& Soncinum oppida ſibi armis Heluetii aſciuere.interim Crema,Benedicti Criuelli fauore, qui Gallicæ cohortis in oppido præfectus erat,in Venetorum poteſtatem rediit: ad eiuſq́ue præſidium ſtatim Laurentius Cerites uir in armis clarus miſſus eſt, & Nicolaus Peſareus prætor deligitur,

Not. ſtragem.

Not. occiſorum utrinque numerū.

Foiſenſis interitus.

Ductorū cædes.

Captiui.

Pont. metus.

Fœdus in Gallos.

Legati ad Heluetios.

Gallorū fuga.

Gallorū ab Italia diſceſſus.

Not. Heluetiorum fraudem.

tur,

Criuelli fides, & præmia.

tur: ipſe autem Criuellus ſummis honoribus, muneribuſque exceltus, ampliſſima fidei ſuæ præmia retulit. Venetus inde Brixiam uerſus flexit iter, propiuſque ad urbem ſigna admouit, quæ ad ueteris imperii gremium reuertendi percupida, ultro deditionem facere uidebatur, eam tamen fraude Veneto ſubtractam Cardonius Ferdinandi Hiſpaniæ Regis nomine temerè occupauit. Tantis itaque Veneti affecti iniuriis, Pontificis opem implorarunt, qui primis illis in ſermonibus circa confœderationem cũ partium Oratoribus habitis, pollicitus fuerat, ut quicquid eo bello Gallis ademptum eſſet, quod ad Venetos ſpectaret, Reip. bona fide reſtitueretur: ſtatimq; ſua Sanctitas Apoſtolicis litteris Heluetios, Cardoniumq; admonuit, ut iuxta fœderis conditiones, fidemq; datam, res ſuæ Veneto redderentur, qui fortem bello in expellendis Italia Gallis operam præſtaſſet. illi tamen nulla habita fœderis ratione, ſpretisque ſummi Pontificis mandatis, ſocialem fidem uiolarunt, Venetosq; a poſſeſſione urbium ſuarũ iniuſtis armis excluſere. Quæ contumeliæ acerbitas patres plurimum turbauit, illatã tamen illi æquo animo iniuriam ferebant, ſperantes, fore aliquando, quòd honeſtiſſimam Reip. cauſam Dii immortales nequaquam defererent. Pontifex quoque Venetorum dolorem benignioribus uerbis lenire conabatur, promittebatque, quòd quàmprimùm Matthæus Curcenſis Epiſcopus, Romam adueniſſet, quem Maximilianus Imperator ad Pontificem Oratorem deſtinabat, ſe curaturum, ut omnes difficultates inter ſocios æquiori aliqua conditione componerentur. Veneti hac ſpe ducti, Petrum Landum uirum prudentia inſignem legere, qui Curcenſi Epiſcopo ex Germania Romam proficiſcenti obuiam prodiret, ad Vrbemque eum uſque officii gratia comitaretur: ibique Landus, atque unà Fr. Foſcarus Reip. tunc Orator multa cum Curcẽſi Epiſcopo de reconciliatione, ac pace colloquuti, ſexcenta aureorum nummum millia, tribus penſionibus Maximiliano Imperatori ſoluere polliciti ſunt, ea lege, ut ille Veronam, ac reliqua oppida bello amiſſa, præter Cremonam, & Abduanam Glaream, Venetis ultro redderet. Has tamen ampliſſimas conditiones rebus Cæſaris ſecundis elatus Curcenſis reiiciens, præter Patauium, & Taruiſium, omnem terreſtrem Venetorũ ditionem citra Mincium Pontificis arbitrio deiudicandum permittebat, Veronaque, & Vincentia in primis adimebãtur, quæ urbes liberè in Maximiliani poteſtate permanerent; & quod indignius eſt, pecuniam illam grãdem, & cenſum nihilominus pro Patauio, & Taruiſio perpetuò perſolui poſtulabat, quas iniquiſſimas conditiones Senatus publicæ dignitatis memor, prorſus reiecit: easque cum tanto Veneti nominis probro accipere minime paſſus eſt. Inde Curcenſis uehementi uir ingenio, nouis propoſitis conditionibus tentauit Pontificis animum a Venetorum amicitia alienare, eumq; hortatus eſt, ut coniunctis cum Maximiliano, & Ferdinando uiribus, bellum in Venetos unà omnes gererent, terreſtremque eorum ditionem armis inuaderent; quo facto concilium ſtatim ipſe Imperator Piſanum ueluti illegitimum, ſchiſmaticumque in Põtificis gratificationem abolere, & Lateranenſi adhærere receperat, uiresque ſuas ad quamlibet expeditionem pro Eccleſia promptiſſimè conferre pollicebatur. His Pontifex auditis, ut Piſanum concilium turbaret, quod maximopere optabat, in Curcenſis ſententiam deuenit. uerebatur etiã, ut ſuſpicaci erat ingenio, ne Maximilianus Imperator, & Reges Galliæ, & Hiſpaniæ inuicem concordes alterum Pontificem crearent, ſchiſmateque orta, Eccleſiaſtica res in maximo diſcrimine conſtitueretur. ea propter Pontifex ſtatim a Veneta ſocietate deficiens, nouum fœdus cum Cæſare, & Ferdinando percuſſit, mandauitque, ut Brixia Cæſari traderetur. Curcenſis autem creatus eſt Cardinalis, & Veneti ſacris iterum a Pontifice ſunt interdicti, qui tantis offenſionibus exacerbati, cum Rege Gallorum reconciliatis animis fœdus inire cogitarẽt, ut eius auxilio publicam libertatem tuerentur, & iniurias propulſarent. Agebaturq; eodem tempore crebris internũciis de nuptiis inter Maximilianum Imperatorem, & Ludouicum Galliæ Regem, cuius filiam Renatam Carolus, ſeu Ferdinandus, Auſtriæ Principes ex Philippo patre geniti, qui Maximiliani filius fuit, in uxorẽ acciperet, Mediolanumque, & omnis Ciſalpina Gallia dotis nomine traderetur. nulla tamen cõcluſio ſequuta eſt. Nam ad Heluetios ex tota fermè Italia, exterisque Regibus Legationes aduenere, quibus bellicoſæ gentis ſocietas expetebatur, ad occupandum Mediolani

[Margin notes: Apoſtolicæ litteræ. Not. fidei uiolationem. — Mattheus Curcenſis Epiſcopus. — Pet. Landus. — Not. pecuniam promiſſam. — Conditiones pro pace. — Not. Curcenſis iniquitatem. — Concilia. — Pont. defectio a Venetis. — Curcẽſis Cardinalis. — Not. Venetorum conſiliũ. — Not. nuptiarum tractationes.]

lani principatum, quem Maximilianus Sforcia ex Illuſtriſſima Galeatii, & Ludouici proſapia ortus, hæreditario iure ſibi meritò uendicabat. eum autem Germani, Hiſpaniq́ue inſatiabili dominandi cupidine ſibi ſociis Heluetiorum armis aſciſcere tentabant, atque idem Francorum Rex moliebatur. at illi Badenſi concilio reiectis magno animo Regũ poſtulatis, Maximilianum Sforciam in ampliſſimo retinere principatu armis ſtatuerunt: itaque ille eorum auxiliis Mediolani Ducatu, eiectis Gallis, potitus eſt. Venetis interim pacem cum Ludouico Gallorum Rege inire affectantibus, miſſus eſt ob id occultè Aloyſius de Petro cognomine, unus apud Decemuiros a ſecretis uir prudens, in Galliam. excruciabatur autem uehementer Pontifex, quòd Veneti pacis conditiones cum Cæſare non accepiſſent, miſitque ob id ad eos Staphileum unum ex aulicis, ut aliqua concordiæ ratio apud patres haberetur. cæterùm pœnitẽtia ductus Pontifex, ſe ipſum tacitè accuſabat, quòd tam durus, illiberaliſq; in Venetos fuiſſet, hominumq́ue ſermonibus non parum angebatur, qui dicerent, eam rem occaſionem Venetis daturam, ut cum Gallis illi ſe coniungerent, in Italiamq; eorum arma adducerent, quæ procul ab eius finibus diſtenere ſemper Pontifex laboraſſet: quare in dies ſingulos eius rei dolore magis magiſque confectus, neque cibum, neque ſomnum capere poterat: contractaque ob id ægritudine, paucis diebus & craſſantis ui morbi, & mœrore animi conſumptus interiit, quum Apoſtolicæ ſedi decennio præfuiſſet.

Maximilianus Sforcia.

Aloyſius de Petro.

Staphile'.

Iulii Pontificis mors.

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F. SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS. AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber duodecimus.

Leo X. Pont. Max

GRaues rerum motus Leonis X. pontificatum excepere, qui Medicea familia Florentiæ illuſtri natus, Iulio ſucceſſit, Ioãneſque nomen illi fuit; titulus, Cardinalis Diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica; patremque habuit Laurentium, Coſmi illius magni pronepotem; & matrem Claricem, ex Vrſina gente Romæ nobiliſſima: ſtatimque Leo è conclaui egreſſus, Petrum Bembum, & Iac. Sadoletum uiros doctiſſimos ab Epiſtolis aſciuit. Decem autem continuò Oratores amico Principi congratulatum patres creauere, hique ex Senatorio ordine uiri ſelectiſſimi, ampliſſimique fuerunt, Dom. Triuiſanus, Geor. Piſo, Leon. Mocenicus, Chriſt. Maurus, Paulus Capellius, Pet. Balbi, Geor. Hemus, Hier. Contarenus, Petr. Landus, & Marinus Georgius, qui tamen in legationem non ſunt profecti, Põtificis animo a Venetis alienato, quippe qui Cameracenſi, Iulianoque fœderi aperte ſtudere uidebatur, licèt ipſe plurimũ Reip. ſe debere palam prædicabat, commemoraretque multa eius in Mediceam familiam pietatis, & amoris officia, & præcipuè ciuitatis, comitiorumq; ei ius a Senatu traditum, quo maximè lætaretur; ad percolendam tamen Maximiliani Cæſaris, & Ferdinandi Regis amicitiam Leonis animus magis inclinabat, reſque utriuſque magno fauore proſequebatur. Euulgatumque paulò pòſt fuit, Leonem in Maximiliani Cæſaris gratiam, occulte cum eo, ac Ferdinando Rege cõueniſſe, ut bello ſtatim communibus armis Venetis illato, omnis reliqua eorum terreſtris ditio armis deuicta, Ferdinando Duci Auſtriæ Cæſaris nepoti traderetur, quum ad Carolum Ferdinandi fratrem maiorem natu hæreditariò iure omnia paterna, auitaque Regna ſpectarent. Hac itaque Pontificis animi cum Venetis alienatione, Romam Legati, ut ſuprà memoratum, non ſunt profecti ad congratulationis munus obeundum: ſed per Oratorem tantùm Fr. Foſcarum, qui tunc Romæ legatione fungebatur, officio ſatisfactum eſt, ac Veneta in urbe cunctis ſacris ædibus, ut fieri ſolet, lætitiæ ſigna ædita. Poſtea quum iam Veneti Iulii Pontificis, Maximilianique Cæſaris iniuriis, ut ſuperiori libro attigimus, nimiũ exacerbati, apud Bleſſum ciuitatem per And. Grittum cum Rege Gallorum ſocietatem contraxiſſent, militum delectus, ut nouas copias compararent, tota Italia haberi cœpti, ſtatimque liberati, ac dimiſſi ſunt Barth. Liuianus, And. Grittus, M. Dandulus, & Ant. Iuſtinianus, qui in captiuitatem ducti, diu Pariſiis ſub cuſtodia detenti fuerãt. miſit quoque Rex ex aulicis ſuis Theodorum Triultiũ Venetias, ut fœdus nuper ictũ regio nomine confirmaret, patribuſque de noua ſocietate congratularetur. Demãdarunt autem Veneti Liuiano ex Gallia reuerſo copiarum ſuarum imperium; expeditionemque ille ſtatim in Veronenſes ſuſcepit, a Pandulpho Malateſta genero ſuo per occultiores nuncios clanculum accitus, qui ſub Cęſar militabat, nonnulli quoque ex ciuibus Veneti nominis ſtudioſi de urbe Liuiano tradenda, tacitè conſiliũ inierant: ſed re per libertum quendam detecta, inanis Liuiani conatus redditus eſt, & illi fuga celeriter arrepta, ſaluti ſuæ conſuluerunt. Venetorumque, & Italiæ tunc tpis in hoc ſtatu fortuna erat. At in Aſia quũ, Selynus, Bayſethi Turcarũ Imperatoris filius, Acmath, & Corcuth fratres ſuos maiores natu prœlio ſuperaſſet, eos in poteſtatem ſuam redactos

Pet. Bembus. Iaco. Sadoletus

Legati Veneti.

Not. Leonis Pont. conſilia.

Fœdus cũ Rege Gallorum.

Captiuorum liberatio.

Theod. Triultius.

Veronæ expeditio

Selynus Turca.

ctos crudeliſsime obtruncari iuſsit, paruulos quoque eorum filios neci tradidit: nec his funeribus contentus, ut Imperium ſine ulla temporis mora occuparet, Bayſethem quoque patrem (tanta eſt regnandi dementia) ad mortem compulit. ſolus itaque ipſe quũ Imperium obtineret, maximis copiis contractis, ad Pannoniam ſubigendam animum adiecit, claſſem quoque ualidiſsimam inſtruxit, quo Barbari regis motu Veneti, ut in tantis Reip. fluctibus potentiſsimi regis amicitiam retineret, An. Iuſtinianum Oratorem ad eum Conſtantinopolim miſere, qui publico nomine nouum illi Imperium congratularetur, pacemque confirmaret, quam cum Bayſethe patre Venetus antea inierat. Iuſtinianum autem barbarus rex benigne complexus, ſocietatem, amicitiamque cum Rep. ſe conſtanter ſeruaturum pollicitus eſt: auxilia ad hæc terra, marique obtulit, ac multa benignitate uſus, Iuſtinianum muneribus donatum a ſe dimiſit. Et in Europa Galli profectionem ualidiſsimo exercitu contracto, in Italiam parabant: quo temporis ſpacio ex altera parte Liuianus, Valegium, Piſcheriamque recepit. Cremona quoque, & Brixia urbes Venetis armis tentatæ, mox Galli cum uiginti peditum, equitumque millibus Alpibus incredibili celeritate ſuperatis, ſub Tramuliæ, & Triultii Ducum auſpiciis in Italiam deſcenderunt, Nouariaque ab his circunſeſſa, atque oppugnata, ubi Maximilianus Sforcia Dux cum quattuor Heluetiorum millibus præſidio aderat. & Hiſpani cum ualidis copiis ad Placentiam conſederant, ſtudebantque Padum ad Trebiam ponte iungere, ut cum Heluetiis amica conſociarent arma. Veneti contrà, totis uiribus obſtare, ne utraqua caſtra coniungerentur. poſtea noua eorum manus alio itinere in Nouariæ fines prorupit, ſtructàque acie ad ſuos obſidione leuandos haud procul ab hoſtium uallo conſedit. Nec hoc loco res mira reticenda, quam & Iouius, atque alii authores memorant. Aiunt enim, quum breui futurum eſſet, ut inter Heluetios, & Gallos ſignis collatis confligendum foret, canes ingenti numero, qui heros ſuos in bellum ſequuti fuerant, è Gallorum ſtatione in urbem Nouariam, ac proxima caſtra, ad Heluetios celeri curſu tranſiiſſe, eorumque pedes ore lambendo, caudaque eblandiendo, quaſi futuri ſucceſſus præſcios ſe ſe uictoribus ſubmiſiſſe, fretique illi hoc quaſi oſtento, intrepidè in aciem prodiere, ac pugna primum leuiter utrinque inchoata, atrox poſtea, crudeliſque exarſit: diuque & acriter circa tormenta bellica dimicatum eſt, quæ Gallo adimere ferox Heluetius contendebat. multi autem cecidere, dum ea Galli fortiſſime tuentur: mox ex Nouaria erumpente Heluetiorum phalange, ut ſociis illi laborantibus opem ferrent, repreſſus eſt Gallorum impetus, cædeſque eorum ingens ædita. retulitque Heluetius uictor ex Gallis opima ſpolia, ſignaque adempta in urbem. deſideratique ſunt ex Gallis ſupra decem armatorum millia, & ex Heluetiis, circiter mille, & quingenti, & in his Mottinus eorum Dux, uir fortiſſimus, tormenti pila diſcerptus, qua Regii exercitus clade Veneti permoti, retro caſtra ad Atheſim, relicta Brixia, retulere, atque in reditu Leniacum oppidum Liuianus recepit. Veronaque admotis propius ſignis tentata, terroreque, & fuga, ciuitas, agrique impleti. Variante autem bellicæ rei fortuna, dum Hiſpani, Heluetiique coniunctis copiis in Venetos feruntur, Piſcheriam illi & Leniacum iterum cum toto Poleſino recipiunt. Itaque qui paulò antè Brixiam oppugnare, Veronam armis aggredi auſi fuerunt, Patauii, Taruiſiique mœnibus incluſi, uix hoſtium impetum ſuſtinere potuerunt: in utraſque enim urbes Venetus ſe recipiens, ambas continuò præſidiis, armis, commeatibus muniendas curauit. Liuianuſque cum And. Gritto ad Patauii, & Balleonus cum Paulo Valareſſo ad Taruiſii cuſtodiam ſunt profecti. Interim Hiſpani, Heluetiique Montagnanam acceſſere, & Germani Vicentiam, oppidaque utraque armis hoſtis occuparunt. ad Patauiumq; inde coniunctis exercitibus itum, vrbẽq; ad Baſſanelli portã hoſtis muralibus tormẽtis quatere cępit, ſed ciuitas egregie munita militibus, propugnaculis, caſtellis, aggeribus, inexpugnabilis, tutaq; ab hoſtium armis reddebatur: erumpenteſq; ex urbe quotidie equites proſpero Marte in aduerſa agmina depugnabant, tormentorum quoque ferrei globi creberrime in caſtra conuolantes, fœdam hoſtium ædebant ſtragem. quo facto, ſoluta illi ſtatim obſidione retro ad flumen Bachilionem octo fermè millia paſſuum ab urbe caſtra retulerunt: indeque Vicentiam ſub ſignis ſunt progreſſi, extremumque abeuntium

Ant. Iuſtinianus.

Not. Gallorum copias.

Nouaria.

No de canibus.

Gallorum clades.

Motini interitus.

And. Grittus, Paulus Valareſſus.

Patauii ſoluta obſidio.

tium agmen Veneti equites procurſantes,uſque ad portas urbis occidione,uulneribuſque inſequuntur.& circa Bergomum,Cremamque res proſperè a Venetis gerebatur: nam Laurentius Cerites uir pugnax,& manu promptus,egregie in hoſtem ſæpe decertauit:

Laur. Ceritis uirt⁹.

è Crema enim erumpens,ubi cum duobus delectorum peditum millibus ſtationem habebat,multas clades Hiſpano,Inſubrique intulit,qui oppidum ſociis armis obſidebant,ac præter quamplurimos ex hoſtibus circa Cremæ mœnia uel trucidatos,uel oppreſſos, Bergomum Cerites ſilentio profectus, urbem ſubitò cepit, unde Hiſpanis cæſis,fugatisque,decem aureorum nummum millia abſtulit, atque inter milites opulentam prædam eſt æqua portione partitus.

Cerites hoſtium pecuniam aufert.

immunitam poſtea urbem Hiſpani recepere. obſidebatur autem ſummis armorum conatibus Crema a Sforciæ Ducibus Syluio Sabello,& Cæſare Ferramuſca: aderat & Proſperus Colũna, Ferdinandi Regis Hiſpaniæ nomine cum ualidis copiis, oppidumque ab his ſæpe acerrime oppugnatum, ac contrà,a Veneto magna uirtute defenſum: erumpebant enim armatæ acies uſque in inimica caſtra,Ducem ſuum bellatorem inſignem ſequutæ, magnaque hoſtium ædita cæde uictor Venetus in oppidum reuertebatur;nec ſemel id accidit,ſed quoad in obſidione hoſtes perſeuerarunt,ſemper cum cæde, & ignominia a mœnibus ſunt repulſi; qui demum ſiti,æſtuque fatigati,cladibuſque innumeris affecti, ab obſidione inexpugnabilis oppidi receſſerunt.

Crema obſidione liberatur.

At Hiſpani,Germanique eductis è Vicentia, & Verona copiis,nouam expeditionem in Venetos Duce Cardonio pararunt.motis enim repente in Patauinum agrum caſtris,fœdiſſime eum depopulati ſunt,inde ferro,flammaque craſſatum,miſerabili omnium pernicie;& in ſacra quoque crudeles manus iniectæ, expilabanturque ea,& prophana ſimul pari ſcelere,nec non libidine,auaritiaque barbara gens obcæcata, in omne facinus militari licentia prorumpebat;ac præter hæc,conſtuprationes,raptuſque uirginum,cædeſque ſenum, & puerorum,nulla ætatis,conditionis,perſonarumve habita ratione,nefarie commiſſæ.

Not. hoſtium impietatem.

eodemque furore hoſtes ſuperbi acti,Diui Franciſci ędem extra oppidi mœnia plebis ſacci,ſacra ſupellectili ſpoliatam incenderunt: ibique Cardonius ut ſacratiſſimam Euchariſtiam è flammis eriperet,religione tactus, ſemiuſtam Eccleſiam ingreſſus, rem dignam homine Chriſtiano egit: nam Euchariſtiam propriis manibus deuote ſumptam linteolo ſuo inuoluit, eamque in aliam oppidi Eccleſiam traducens,argenteo loculo pie recondidit: magnamque ex hoc facto Cardonius pietatis tulit laudem,quum alioqui præceps conſilio,iracundo ingenio,naturaque parum religioſus eſſet.

Not. Cardonii religionem.

furor inde hoſtium bellicus ad Meſtram uſque peruaſit,oppidumque miſerabiliter & direptum,& incenſum, magna incolentium clade. & Troilus Sabellus ex inſito in Venetum nomen odio, cum Theutonico equitatu ad Mergariam uicum ſe cõtulit,unde modico ſtagnorum interuallo Veneta urbs medio mari poſita, conſpici poteſt; in eamque hoſtis ferox bellica tormenta diſplodi iuſſit,telaque in oppoſitos fluctus contorta.

Troilus Sabellus.

loco poſtea Laceſucina incenſo,per quem artificioſo opere è Medoaco flumine in aeſtuaria hinc inde tranſportantur nauigia,ad ſuos Sabellus in caſtra rediit.

Laceſucina.

perterritis itaque omnibus, fuga, emigratioque ex agris in urbes paſſim facta eſt. tot uerò iniuriis laceſſitus Liuianus, eas armis ulciſci ſupra modum exardebat, impuneque Germanum, ac Hiſpanum furenti agmine Venetos fines deprædatos fuiſſe,ſecum indignabatur.

Liuiani expeditio

Liuiani litteræ ad Senatum.

itaque ut iniuriam ulciſceretur,copias undique celeriter contrahit,tormenta curru lia diſponit, ac quindecim dierum cibaria parat,ſcriptiſque ad Senatum litteris,nunciat,ſe ſtatuiſſe, iunctis cum Balleono Gubernatore,& Gritto Legato copiis è Patauio egredi, & in hoſtem ire,certa ea ſpe,vt uictoriam reportet,quãdo inſtructiſſimum exercitum habeat, ac uindictæ cupidum,ſe quidem haud ferre poſſe,in Veneti,ac Italici nominis contemptum,hoſtem impune uagari,depredari,ferro,flammiſque omnia euertere.

Senatus reſponsũ.

approbato Leuiani conſilio Senatus ad eum reſcripſit, quando ſibi imperatorias artes optimè callenti ita facere uiſum eſt,exercitum(Diis bene iuuantibus)ſub ſignis educat,nec niſi omnibus prius mature conſultis,cum hoſte confligat;memorque in primis ipſe preteritarum cladium,nil prepropere agat, quum ab illa die Reip. totiuſque Italiæ ſalus penderet.hæc ubi Liuianus accepit,ſtatim patenti ad pratum Vallis campo, ſacra in exercitus conſpectu ſummo mane celebrari iuſſit, quibus ritè peractis, inſtructa ad dimi-

dimicandum acie Patauio egreditur,& ad Liminum octo millia paſſuum ab urbe prima caſtra fecit: hoſtis uerò fine depopulandi facto, quàm cautiſſimè poterat, Venetorum occurſum declinabat, iterq́ue accelerans, Medoacum fluuium ad Cittadellam ſuperare contendit, ubi Venetus antea pontes reſcinderat, ad impediendum hoſti tranſitum, lintresq́ue omnes a fluminis ripis uel abſtulit, uel incendit: quo factum eſt, ut hoſtes deſperato hoc in loco tranſitu ad ſuperiorem Medoaci partem circa uillam Fontanellam ſunt delati, uadoq́ue ibi reperto flumen tranare tentarunt: ſed conſpectis in aduerſa ripa tormentis bellicis, magnaq́ue ſagittariorum manu Liuiani iuſſu ad impediendum tranſitum illuc profecta, aliò Hiſpanus flexit iter, edoctusq́ue a peritis regionis, ſupra tria paſſuum millia ad Nouam Crucem, uado in ulteriorem ripā tranſgreditur: ac inde citato curſu fugienti ſimilis Vicentiam uerſus contendit. Liuianus autem ut aſpera, impeditaq́ue loca hoſti aſtrueret, omnia itinera magnis arborum truncis, ſaxorumq́ue, ac glebarum obiicibus per obliquum conſtitutis, undique dudum obſepſerat, tormentaq́ue certis locis diſpoſuit, & ad Bachilionem ipſe fluuium quadrato agmine progreſſus, quod ad Medoacum facere non potuit, hìc opportunius armis tranſitum impedire cogitauit: quo facto, quum certam prælii capeſſendi cum hoſte iam propinquo neceſſitatem animaduerteret, ac ipſe iam haud dubiam ſibi animo uictoriam ex hoſte ſponderet, aduocata concione, ita apud milites loquutus fertur:

Liuiani cura ad hoſtem turbandū

Hoſtis Medoacū ſuperat.

Liuiani oratio.

Etſi huius ampliſſimæ Reip. ſtipendia ſequuti, fortiſſimi commilitones, mecum hactenus grauia, acerbaque perpeſſi eſtis, tempus tamen præſens illud (ni fallor) aduenìſſe uideo, quo finem calamitates noſtræ habebunt, Venetaque res in priſtinam dignitatem reſtituetur: deleto enim hoſtium exercitu, qui tam temerè in Venetos fines prædabundus irrupit, omnia continuò in Jtalia pacata erunt. & quæ nam delendi hoſtis, reparandique imperij occaſio maior unquam nobis ſe ſe obtulit? ecce ueterano peditatu, cathafractoque equite abundamus, totque in his caſtris Ductores, armis, fideque inſignes adſunt. contrà, fame, illuuie, ſquallore hoſtes enecti, laſſitudine, peruigilioque afflicti, uix firmo conſiſtunt ueſtigio. accedit quoque morum, linguarumque diuerſitas in Germana, Hiſpana, atque Jtala gente, uerſique in fugam iam illi ad montium radices, ad fluminum ripas, tanquàm ad latebras nullo ordine, nullo imperio trepidanti agmine adproperant, prælium aperto campo detractantes. in hos, ut ſigna fortiſſimi commilitones inferatis, uos duco, ipſoſque, ſi priſtinæ uirtutis memores eritis, non dubito, quin facile primo congreſſu debelletis. ad ulciſcendas præterea tot iniurias iuſta ira uos moueat, ſumant adhuc uillæ, templa, ædes, quas crudelis hoſtis ſacrilega manu incendit: adſuntque ob oculos depredationes, raptus, faces, funera, aliaque inhumana geſta ab impia gente commiſſa, ſed in ultrices acies illa incidet, luetque meritas ſcelerum ſuorum pœnas, dum reditum parat. armis enim omnia obſepta ſunt itinera, præſidia undique diſpoſita; itaque uel ferro, uel fame, cadendum hoſti eſt, niſi fortuna uotis noſtris adhuc infenſa aduerſatur. illud uerò iure imperij uobis milites præcipio, cauete, ne quiſquàm ex hoſtibus è prælio euadat, omnes ferro contrucidate: idem in uos illi, ſi uincent (quod abſit) facturi ſunt, ferrum, furor, uis ſæuiet, nulla ab effera gente pietas, nulla clementia eſt expectanda, animos truces, manus rapaces, ſuperba imperia intueor. teſtis Patauinus ager crudeliter deuaſtatus, teſtis Meſtrina clades, qua inſigne oppidum incenſum, deſolatumque nunc miſerabiliter iacet. quid præterea audacem illum ad Aeſtuaria in Venetæ urbis contumeliam acceſſum memorem? è machiniſque ac tormentis bellicis in eam excuſſos lapides? Vltum igitur tot iniurias, in ſæuiſſimum hoſtem ſigna inferamus: nunc intrepide aggredimini fortiſſimi commilitones, curateque pro fide, ac uirtute ueſtra ſtrenuam operam hoc in prælio nauare: uobis quidem omnis præda ſit, Jmperatori ueſtro ſola ea fortuna, qua ex uicto hoſte quieta Jtalia reddatur; & Venetus amiſſum recipiat imperium: quod facilè euenerit, ſi uirtus in uobis, fideſque ardens, ác uiuax áderit, ſi egregiam, fortemque in acie operam

Abduani prælii cõmemoratio.

præſtabitis:pugnandum eſt enim acriter,ſequendaque Ducis ueſtri imperia. atque utinam Abduano illo prælio me milites,bellatoreſque cæteri imitati fuiſſent. Primus ego, nec hæc gloriabundus,elationeque animi iactanter commemoro,in Gallicam aciem incurrens,hoſtem loco ſummoui,profligatámque omnino fudiſſem,ſi reliqui ductores prælium capeſſentes,in aduerſam hoſtium aciem impetum feciſſent.ſed illis infido animo ceſſantibus,grauis clades accepta eſt,& me ſaucium,captiuumque in Galliam hoſtes abduxere, unde poſtliminio reuerſum his copijs me Venetus Senatus præfecit, quibus in hũc locum delatus,uictoriam uobis certam ſpondeo.hoſtem enim montibus, fluminibus, obſeptiſque itineribus incluſum tenemus,coniectuſque ille iam in fugam, latibula trepidanter quærit:rei quoque frumentariæ anguſtijs,& annonæ caritate premitur. quare niſi aliter fata ſtatuere,uicimus milites.uos Dij immortales, qui impietatis uindices ſemper fuiſtis,fœdifragum,immanemque hoſtem permittite,hodie conteramus,ut & Venetum collapſum erigatur imperium, & Italiæ libertas ueſtro auxilio per nos in perpetuum ſeruetur.

Peroratio.

Hæc ubi Liuianus affatus eſt,prœlium ab omnibus militari acclamatione efflagitatur,ipſeque ſtatim motis ſignis in hoſtem armatus acies eduxit. Epyrotæ autem equites aſſiduo incurſu Hiſpanum montana petentem premebant, cumque iuxta uſque Vicentiam carpendo inſectati ſunt. fatigatuſque hoſtis tandem ad Vlmum pagum conſedit,indeque ad Veronam uerſus proficiſcens, itinera impeditiſſima offendit.armatæ quoque Venetæ ſagittariorum, funditorumque cohortes illuc progreſſæ haud procul aberant cum tormentis currulibus,ad impediendum hoſtium tranſitum: illi uerò quum iam aduesperaſſet, caſtra eo loco firmarunt,noctemque terroris plenam habuere,dum a tergo,a fronte,a latere,crebris bombardarum, ſclopetorumque ictibus a Veneto petuntur;telaque,ac miſſilia omnis generis tanto numero uolitabant ut pedites metu uulnerum omnes proſtratis corporibus humi extenſi iacerent; equites uerò ſecundum arbores,ſentes,uirgulta,& humiliora loca ſeſe occultarent,inſomnemque noctem,formidoloſamque totus exercitus egit: commeatus ad hæc penuria acceſſit, rerumque omnium inopia:conſumptaque re frumentaria, ſolis iumentorum carnibus iam biduo milites ueſcebantur, miſerabiliſque neceſſitas ingruerat, ac de ſumma rerum ultima propè deſperatio.quare primo mane Cardonius Imperator conuocatis Ducibus,Columnio,Sabello,Daualo,Iauadeo,Alarcone, quid agendum eſſet in tantis rerum anguſtiis inter ſe conſultarunt: pluribuſque dictis ſententiis, tandem ea uicit, ut omiſſo cœpto itinere, retro Baſſanum uerſus dextrorſum caſtra mouerentur, eo conſilio, ut Liuianus natura ferox, ac pugnæ auidus, in æquum ad confligendum deduceretur,ubi tentata prælii fortuna,quum inconſultè, temereque omnia ageret,facile uinci poſſet; quòd ſi forte pugna abſtineret, tum illi dimiſſa Vincentia,per Tridentinos montes, inuito Liuiano, cum incolumi exercitu Veronam reuerterentur. huiuſcemodi approbata ſententia, ſtatim eadem hora Cardonius caſtra mouit,commutatiſque ordinibus retro agmina incedere cœperunt: quod ubi Liuianus cognouit,immoderato,ut erat,pugnandi deſiderio, ſigna extemplo canere iuſſit, hoſtemque incompoſito agmine propè amens inſequitur, & ille ſtructa acie incedens,ad Creatium ignobilem in agro Vincentino pagum conſedit, nullam dimicandi moram facturus,ſi a Veneto laceſſitus eſſet. interim Liuianus cum omnibus copiis appropinquans, in hoſtem ferociter ibat: erat autem in medio creatii loco planicies ſatis ampla, & collibus ferè ab omni parte cincta, habebat & profundam uallem,uepribusque & dumetis plenam, paruoque riuo irriguam. Huc igitur uterque exercitus inſtructa ad dimicandum acie proceſſit. Sed prior Liuianus præmiſſo equitatu,ac tribus æneis machinis, in hoſtem ferociter uadit, excepereque irruẽtem Venetum impauido animo cathafracti Hiſpanorum,Germanorumque equites concionabũduſq; Proſperus hos in prælium accendebat: ac primo congreſſu facile Veneta equeſtri ala repellitur,tum Liuianus iam collatis utrinque ſignis, certamineque iniecto, Balleonum a dextro cornu cum peditum robore in hoſtium latus immittit, procurritque à leua eodem impetu Antonius Pius. At conuerſi hoſtes, quod tantopere

Not. hoſtium metum.

Hoſtium cõſilium.

Liuiani in pugnã ardor.

Creatii ſitus.

Prælii initium.

topere expetierant, prælium capeſſunt, pugnaque oritur ſtatim utrinque atrox, ac uaria, & implicita, quum pedites, equiteſq; immixti inuicem nullo ordine pugnarent, tantus autẽ fuit Venetorũ equitum grauis armaturæ impetus, ut ad ſigna uſque Germanus, Hiſpanuſque bellatores loco ſummoti trepide refugerint: poſtea ſubſidio ſuis Sabello, & Alarcone aduenientibus, æquata eſt in hoc loco pugna. certabaturque acer biſſimis utrinque odiis, norant autem hoſtes, crudelem, efferatumque Liuiani animum, cui ſi uictoria contingeret, ferro omnes eius iuſſu æque caſuri eſſent. proinde Hiſpani, Germanique acerrime dimicabant, præoptantes potius in acie pugnando mori, quàm uicti, captiq; indecora cœde extingui. hinc Liuianus in barbaram gentem odio ardens, quæ tot annis Italiam belli clade afflixerat, Venetamque nuper rem ad Meſtram penè euerterat, hoſtem totis uiribus debellare nitebatur, atque huc & illuc circa acies curſitans & Imperatoris, & militis munus obibat, tantaque eius fuit ferocia, ut ſummotus loco hoſtilis equitatus, ceſſerit. interimiturque circa ſigna Corneus Hiſpanus cum filio adoleſcente. Hæc intuiti Cardonius, & Columna in primam aciem prouolant. & quid (inquiunt) milites, Venetum toties a nobis uictum timetis? quæ ignauia? quis pauor? exclamanteſque eodem momento Daualum Hiſpanum, & Iauadeum Germanum tribunos fortiſſimos cum ſubſidiariis legionibus iubent, in mediam Venetorum aciem irrumpere: horum tantus fuit impetus, ut cohors Babonis Breſegelli uix conſpectis ſignis, terga hoſti turpiter uerterit. Duxque ipſe author fugæ primus extitit, cæteri uerò concepto timore ex Babonis fuga, qui uir omnium fortiſſimus in Veneto exercitu habebatur, pedem referunt: tum hoſtis Duce Alarcone uiro impigro, in turbatam aciem impetum facit, ceduntur que plurimi ab Hiſpanis, & plerique metu acti ſigna deſerunt, alii trepidant, nonnulli effugiunt, reſiſterunt tamen re iam prope modum inclinata, militaris decoris non obliti aliquot fortiſſimi Ductores, pugnamque ſæpe reparare, Liuiano ubique accurrente, adhortanteque conati ſunt. uerùm deiecto imperatorio uexillo, obtruncatoque M. Ant. Montano, qui illud equo uectus alte ſublatum geſtabat, terror omnes cepit, inde aperta fit fuga, ac equitum, peditumque ingens cædes oritur. profligaturque tandem Venetus fœda clade exercitus, nam ſupra quattuor armatorum millia deſiderata ſunt, occubuereque in acie contrucidati hi clari nominis uiri, Sacromorus Inſuber, Hermes Bentiuolus, Ioan. Baptiſta Dottus, Ioannes Letius, Seraphinus Callia, Alphonſus Mutius, Philippus Carſeolus, Hannibal Simonius, & Fr. Saxatellus: alii autem ad Bachilionem delati, ſe ſe in flumen metu hoſtium inſequentium proiecere, qui ad unum aquis abſorti, ſunt, in quibus fuit Antonius Pius, Ductor clarus, factiſque armorum in Veneto exercitu illuſtris, & Conſtantius filius: multique ad montes profecti, uitam ſeruarunt. at Meleager Forliuienſis, & Carolus Montonius clariſſimi bellatores poſt diſſipatum exercitum media fuga oppreſſi ab hoſtium equitatu circa Vincentiam interficiuntur: & ex Legatis And. Lauredanus, quum captiuus traheretur, qui magnam (ut ſe redimeret) hoſti pecuniam pollicebatur, orta inter Hiſpanos, & Germanos controuerſia, cuius ille eſſet poteſtatis, ſtans in medio armatorum, à temerario milite iugulatur: alter Legatus And. Grittus, ueloci equo Vincentiam profugit, catharactaque ſtatim demiſſa, uix in urbem per portulam exceptus eſt. Liuianus autem Imperator cum paucis equitibus ad Bachilionem contendens, magno uitæ periculo rapaciſſimum flumen tranauit, Patauium q;, Deos incuſans, ſe recepit. capiturque ab hoſte Ioannes Paulus Balleonus, ac plerique alii cum eo uiri illuſtres, uenere & in uictoris poteſtatem: tormenta currulia, caſtrenſia impedimenta, ac ſigna militaria, cumuli armorum, ſarcinæ, atque utenſilia ablata; & quod luctuoſius eſt, campi cadaueribus, & ſanguine oppleti. In hac autem hoſtium uictoria, mitis Italus, Hiſpanuſque, contrà, Germani efferatiſſimi fuere: hi enim Cadubrinæ cladis memores in Venetos milites, quicunque in ſuam uenere poteſtatem, inhumana crudelitate ſæuierunt. Et hæc eſt Vicentina illa clades, & uirorum illuſtrium cæde, & rerum bellicarum iactura memorabilis, inexpectatoque euentu fœda, & acerba, unaque omniũ mentes pauore perculit, Fertur Proſperus Columna, Italici nominis ſtudioſus, licèt Hiſpanum mœreret ſtipendium, per Alexandrum Bigolinum familiarem contu-

Sabellus, Alarcon,

Not. Liuiani ferocitatem.

Babonis Bregelli fuga.

M. Ant. Montani cædes.

Venetorũ clade.

Ductores cæſi.

And. Lauredani Legati cædes

Liuiani diſcrimen.

Not Germanorum feritatem.

bernalemque ſuum Liuianum paulò antè monuiſſe, cuius præproperum in bello norat ingenium, ut prælio abſtineret, quum prorſus, ſi in aciem deſcenderet, aduerſo Marte uinceretur. Sed ille Proſperi monita paruifaciens, quum exiſtimaret, hæc ab eo dici, ad remorandos futuri prælii ſucceſſus, in cladem hanc inexpectatam incidit, quæ Venetiis obnunciata, ingenti ciuitatem mœrore affecit, ſtuporque cepit omnes rei ita infœliciter geſtæ, quum uictoria certa expectaretur, quam Liuianus Senatui ſæpe per litteras conſtanter ſpoponderat: & ſane niſi tam temerè ad pugnam properatum eſſet, hoſtis fame domitus, ſub iugum ſponte ueniſſet, memorabilemque ac incruentam ea die Venetus uictoriam reportaſſet: ſed immutabili fatorum ſerie, res præter humanam opinionem contingunt. Nec tamen patres aduerſa fortuna agitati, a ſolita fortitudine animi receſſere: nam in tanto Reipub. uulnere, magna conſtantia uſi ſunt, qui inexpectatæ cladis dolorem Liuiani culpa contractæ prudenter diſſimulantes, ad eum ſtatim duos ampliſſimos Senatores Petrum Balbum, & Dominicum Triuiſanum deſtinarunt, congratulatique ei ſunt, Senatus nomine, quòd ſe ex hoſtium manibus eripuiſſet, incolumiſque Patauium reuerſus, copiarum reliquias ſeruaſſet, eumque ſolando ad ambas urbes Patauium, & Taruiſium ſolita uirtute tuendas cohortati ſunt, ipſe modò conſtanti animo bello incumberet, nec uictorem hoſtem timeret, quum Veneti parati ſint, reparato exercitu bellum eodem ipſo Duce ardentius proſequi, quibus uerbis non parum Liuiani animus erectus eſt, tutandique Imperii maiorem fiduciam cepit. Imitatique in hoc eneti ſunt Romanos, qui C. Terentio Varroni minime ſuccenſuere, cuius unius temeritate illa inſigni clade ad Cannas accepta, euerſum penè corruit Imperium, quin è caſtris Varroni accito, urbique appropinquanti, obuiam Senatus (ut Liuius prodit) effuſus, gratias egit, quòd de Repub. non deſperaſſet. Idem fermè apud Venetos erga Liuianum animorum habitus fuit, qui tantā cladē eius culpa cōtractā prudētiſſimè diſſimulātes, irā cōtinuere, ne præcipitis uiri animus turbaretur. Curarūt aūt patres urbes Patauiū, & Taruiſiū ualidiſſimis munire præſidiis, ad quarū oppugnationē hoſtes infeſtiſſimi, tāta parti uictoria accedere uidebātur. Patauiumque Dom. Contarenus, & Chriſt. Maurus Legati acceſſere; & Taruiſium uir fortiſſimus Hier. Contarenus cognomento Grillus, qui terreſtri, naualique militia clarus, in utraque duplici laude ornatus erat, parque in eo elucebat uirtus: ſed Proſperi conſilium hoſtes ſequuti, qui quantum poterat, rem Venetam caute iuuabat, inſtante etiam iam hyeme, Veronam, Vincentiamque in hyberna conceſſere, in uernumque tēpus expeditiones dilatæ: armorumque iſta uacatione aliqua ſequuta eſt in Venetis rebus tranquillitas. Veris poſtea initio, Proſperus Mediolanum a Sforcia Duce accerſſitus, ſe contulit, a quo inſtructas copias accepit: & cum his ad Cremam rurſus oppugnādam ire iuſſus eſt: ſed oppido, ſitu, & arte egregie munito nulla bellica hoſtium uis nocuit. diu tamen circa mœnia infeſta arma hæſere, leuiaque multa ab erumpentibus in Sforcianos prælia commiſſa, eaque Laur. Ceritis ſummi Ducis uirtute Venetis ſemper proſpera fuerunt. Demum, ut aliàs contigit, ſoluta eſt ab hoſte obſidio, liberaturque oppidum Reip. fidiſſimum. Ac ſub idem ferè tempus, Hiſpani, Germanique ſociis uiribus è Vincentia in proximum agrum erumpentes, ad Pàtauii uſque portas prædabundi obequitabant, fœdaque incendia, rapinæ, excurſiones ab his factæ; ad quas repellendas promptiſſima equitum ſubſidia ſtatim aderant, tumultuariaque uariis fortunæ motibus ex occaſione prælia committebantur. ac nil temerè poſt cladem ad Vincentiam, Venetus egit, quum ad eam diem præpropera, ardentiaque Ducum ingenia rei Venetæ plurimum in bello obfuiſſent. Interim Romæ Pontifex Leo Petrum Landum Oratorem Venetum ſæpe hortabatur ad pacem Senatus nomine cum Cæſare ineundam, ut bello in Italia inter eos finis tandem imponeretur. at illi Vincentiam, & Veronam Cæſari tradere, ut aliàs, conſtantiſſimè recuſabant. obtinuit tamen Pontificia authoritate Leo, ut arma eo uſque utrinque in ſuſpenſo eſſent, donec pacis actio aliquò modo diſcuteretur. Quo temporis ſpacio Maranum oppidum ad littus maris noſtri poſitum (cui Alexander Marcellus præerat) nefaria proditione furtim ab hoſte occupatur. Res autem ſic acta eſt: utebatur Marcellus Bartholo loci ſacerdote familiariſſimè: is atrox facinus aggreſſus, Germanis oppidum prodendi conſilium tacitè cepit, ad

Pet. Balbi Dom. Triuiſanus.

No. de C. Terentio Varrone.

Hier. Cōtarenus.

Crema.

Pet. Landus.

Alex. Marcellus.

Mar-

Marani fraude capitur.

Marcellumque accedens (ut erat uenandi ſtudio inſignis) ſimulanter petiit, dari ſibi claues portarum, ut ſummo mane oppido ad ſolitam uenationem egrederetur. Ille fraudem abeſſe ratus, claues petenti amico tradit. at ſacerdos perfidus ſtatim inalbeſcente cœlo portulam aperit, atque ut conſtitutum cum hoſte fuerat, triginta Pollonos equites Duce Chriſtophoro Frangipane in oppidum introducit; alia quoque Germanorum manu, quæ in proximo in inſidiis delituerat, accurrente, uigiles cæduntur, atque oppidum capitur, Marcellusque in hoſtium poteſtatem uenit, magnaque inde Chriſtophorus Frangipanis hoſtium Dux in uillæ Muranæ agreſtes impietate uſus eſt, quorum ducentis, quòd hi Veneti nominis ſtudioſi, hoſtium commeatus intercipiebant, oculos crudelem in modum eruit, dexteræque manus pollices ſingulis abſcidit, Eginenſium exemplo, quos olim Athenięſes ſimili iniuria affecere; uillam poſtea incendit.

Not. Frangipanis crudelitatem.

Barth. Scipionius, & Hiero. Saurognanus.

Marano fraude occupato, Veneti ſtatim ad oppidum recipiendum, terra, mariq; copias contrahunt, quibus Balthaſar Scipionius, & Hier. Saurognanus uiri acres, impigrique præficiuntur: & ut mari quoque res gereretur, Franciſcus Muſtius homo nauali ſtudio clarus cum claſſe duarum triremium, minorumque lintrium affuit: oppidumque terra, & mari omnes ferociter aggreſſi ſunt. difficilis autē oppugnatio reddebatur, propter loci ſitum, quum paludibus, humilioribusque aquis ille ab omni ferè parte alluatur. Intrepide tamen Venetus muros terra, marique ſubiit, admotisque ſcalis nonnulli ex militibus, & nautis in ſummum euaſerunt, quos ſi cæteri eodem animi ardore ſequuti fuiſſent, oppidum facile recipi poterat. uerùm dum illi ſoli, pauciq; mœnia tenent, hoſtes ſubitò cohorti, eò accurrunt, Venetusque locum deſerere cogitur, & ad claſſem ſe trepide recipere, quæ penè omnis aquarum refluxu in ſicco hæſerat: quod ubi hoſtis animaduertit, non omittendam tantam benè gerendæ rei occaſionem ratus, oppido ſtatim magno impetu erumpit, claſſemque, ac caſtra uno tempore aggreditur, cæſisque plurimis rem utrobique fœliciter geſſit, capiturque triremis in ſalo deſtituto, tormenta quoque hoſtis, ſignaque aliquot militaria Venetis ademit; & quum ingentes ex Germania copiæ ad oppidi ſubſidium aduentare dicerentur, recentiq; ad hæc clade quum omnium animi turbati eſſent, terra, mariq; ab obſidione receſſere.

Triremis capta.

Not. Bartholi proditoris ſupplicium.

Venitque paucos poſt dies in Venetorum poteſtatem circa Portumgrueriū a Nicolao Piſaurienſi captus Bartholus Marani proditor omnium nequiſſimus, de quo Venetiis meritum ſumptum eſt ſupplicium: nam reſte inter geminas columnas ad pedē alterum ſuſpenſus, lapidibusq; a cuncto populo petitus, miſerabiliter periit.

Not. Riualti incendium.

Atque eodem fermè tempore de ſecunda uigilia in Riualti celeberrima urbis regione incendium ingens, fœdumque ortum eſt, boreaque uehementiſſime proflante adeò latius ſerpere cœpit, ut omnia horæ ferè momento ædificia impetuoſa, rapacique flamma conflagrauerint: arſereque pannorum porticus, tabernæ argentariæ, nummulariorū menſæ, atrium quæſtorium, euagatusque eſt uſque iuxta Apollinaris templum irreparabilis ignis, ac fœdam pulcherrimarum ædium ſtragem ædidit: ſtetit autem Diui Iacobi templum ope fauentis numinis inter craſſantes flammas intactum, ambuſtisque tantùm parietibus, incendii uis circa ſacram ædem miraculosè elanguit, cætera publica, priuataque ædificia crudeli igni correpta, abſumptaque corruere, noctaque, ac die uſque ad alteram lucem continuatum fuit incendium, quod ſæuiens nequaquàm adhuc reſediſſet, niſi demolitis ſtatim proximis domibus, libero campo exitialem flamma curſum ſuum firmaſſet.

Incendii continuatio.

Memini adoleſcens ad locum incendii ſpectandi gratia acceſſiſſe, tum miſerabilem cladem, expaueſcentemque incenſarum ædium ruinam intuitus, ingentem animo mœrorem concepi: iacebant proſtratas uoraci flamma ſpecioſæ ædium ſtructuræ, molesque diſiectæ deformem latè loci faciem reddebant, fumusque, ac fauillæ ex ruderum cumulis in ſummū uoluebantur; hinc ruinas, illinc ſemideruta uidebam ædificia, ardentes alio loco trabes, alio columnas, fornices, arcus collapſos, ac cineribus, ignique omnia inuoluta. in ipſis autem flammis Gemmæ, aurum, argentum, ebur, aliaque præcioſa ornamenta interfulgebant, quæ nefariæ, auaræque manus ſub auxilii ferendi ſpecie ab incendio extrahere, ac ſurripere tentarunt: multaque illis diebus furta commiſſa, in fortunasque alienas impetus factus, dum omnium mentes fuga, pauorque occupat. ad ducenta au-

tem

No. damnum ex incendio.

tem aureorum nummum millia in mercimoniis,aliiſq; rebus precioſis Riualtino hoc incendio publice , priuateque ſunt deperdita,præter dirutas , incenſaſq; tot inſignes ædes,tot Palatia collapſa,tecta euerſa.poſt hanc domeſticam iacturam fortuna adhuc in miſerum Imperium ſæuiente,alia quoque foris clades acceſſit: nam hoſtium exercitus ex Veronenſi agro in Poleſinum profectus,Rodigium,& Ateſte diripit: inde in Forumiulium tranſgreſſus , cuncta illius terræ oppida præter Oſopium armis occupat , quod ferox hoſtis aggreſſus,expugnare & illud tentauit.

Oſopium

erat autem ibi ad cuſtodiam Hieronymus Saurognanus,uir pacis,bellique artibus ex Vtinenſium decurionibus admodum clarus,unaque Theodorus Burgus,Iac.Pinadella,Franciſcus Caſſina , & Iacobus Altauilla,ductores ſtrenui,cum centum militum ſelectorum præſidio,baliſtas, ſeu ſcorpiones geſtantium , quibus mira arte aduerſus hoſtes in dimicationibus eminus utuntur : alia quoque ex circumuicinis pagis non contemnenda armatorum manus aderat .

Hier. Saurognanus

Baliſtarii.

oppidum autem inexpugnabili ſitu fundatum munitiſſimam arcem habet , in prærupti montis iugo,difficillimuſque ex Germania ad Oſopium patet acceſſus: nam per tria aſperrima itinera,ex Goritia,ex Belluno , & ex Cluſa Venzoni eò perueniendum ; atque uti ex arboris trunco diuerſi rami prodeunt , ita è tribus illis uiis multæ aliæ inuicem complicatæ enaſcuntur,omneſque aſperæ , & penè inacceſſibiles difficilem tranſitum præbent.

Oſopii deſcriptio.

Veneti autem fines in montanis per uiginti duo paſſuum millia extenduntur,uſque ad locum,qui nuncupatur vulgo Pontebba, inter quem locum & Venzonum ſitum eſt caſtellum Cluſæ,nec procul hinc mons Oſopi poſitus eſt,ad cuius radices Tiliauentum fluuius labitur: mons autem incredibilem aſperitatem habet, a natura in mortalium ſtuporem conſtitutus.nam ea pars, quæ Orientem , Auſtrumque reſpicit,ita undique uiuo , præruptoque ſaxo munitur , ut inacceſſibilis omnino reddatur:altera autem pars,quæ ad occidentem Solem uergit,non eodem modo exaſperatur,quo ſuperior deſcripta eſt,lenioremque ad iumenta , plauſtraque tranſmittenda ſemitam habet:rupes tamen excelſæ,& quaſi turres uiui ſaxi manufactæ in circuitu prominent: ab uno autem montis huius latere Auſtrum uerſus Oſopi arx ſita eſt, inſraque exigua conuallis,& leuior planicies.

Pontebba

huc hoſtes tormenta currulia adducentes, arcem,& portulam,quæ in ea eſt,quatere cœperunt, magnaque murorum pars diſiecta procubuit,alia quoque oppidi parte ad Sanctum Quirinum , Germani bellico apparatu acceſſere,oppugnationibuſque in his locis Oſopienſes fatigant. tum Saurognanus magna militum,oppidanorumque caterua ſtipatus in hoſtes uadit , fœminarumque his non exigua manus ſe adiunxit,impetumque ſimul omnes in hoſtem facientes , magna cum cæde eum loco deturbatum in caſtra uſque inſequuntur , ignique in proximam uillam iniecto,plurima in ea ædificia combuſta ſunt,ubi Germani ſtationem habebant,armorumque,& utenſilium militarium ingens copia incenſa.

Oſopii oppugnatio.

qua clade Frangipanis hoſtium Dux parum territus,oppidum obſidione,quando ui non poterat, expugnare cogitauit:nam cibo , potuque Oſopienſes laborare per ſpeculatores acceperat. Saurognanique litteris patres certiores redditi , quanto in diſcrimine oppidum uerſaretur,Senatuſconſultum factum eſt,ut Liuianus cum inſtructis copiis in Forumiulium ſe celeriter conferret,ad opem Oſopienſibus ferendam , conſcriptis etiam litteris Patres Saurognanum,cæteroſque ductores ,& oppidanos cohortati ſunt, ut obſidionem paucis adhuc diebus ferrent,ac patriam,liberos,penateſque tuerentur,pollicebanturque his,qui ſtrenuam Reip.operam nauarent,ingentia præmia,ampliſſimoſque honores.

Frangipanis bellica uis.

Senat' exhortatio

erecti itaque animis tam milites , quàm Oſopienſes , omnia quæcunque dura , & aſpera perferre ſtatuere ; & quando aquarum penuria laborabant , uinum equis in potu,ne ſiti illi perirent,datum eſt : Liuiano poſt modum cum ſubſidiaria armatorum manu appropinquante,Frangipanis, ne in aliquod diſcrimen incurreret, ab Oſopio,ſoluta obſidione cum omnibus copiis diſceſſit, extremumque abeuntium agmē noſtri inſequuti,complures ex hoſtibus interfecerunt,duodecimque æneis machinis Frangipanis amiſſit, quæ inter deuios ſaltus,quum aſportari nō poſſent,relicta fuerāt,cū ſuis uix in tutū euaſit,Oſopiūq;munitiſſimū totius Patrię oppidum Germanorū armis liberatur.

Oſopium liberatur.

itaque Saurognanus ob rem bene geſtam , ſingularem apud Venetos laudem adeptus eſt, in patrumque conſcriptorum numerum ſolemnibus comitiis ma-

Saurognani præmia

gno

gno omniũ conſenſu admitti meruit, Belgradiq; & Oſopii Senatus munere Comes declaratus, liberam in his oppidis uitæ omnium, necisque habuit poteſtatem, ac merum, mixtumque imperium. cæteri quoque Ductores magnis muneribus donati ſunt. Oſopii autem conſeruatio, totius poſtea Patriæ recipiendæ cauſa fuit. Interea Romæ, ut alias, apud Pontificem de pace cum Cæſare agebatur, a qua Veneti iam longo bello feſſi alienos non hebebant animos, Veronamque Cæſari relinquere pacis cupidi ſtatuerant: at ille Verona non contentus, & Vincentiam ſibi tradi poſtulabat. auferebaturque & Veneto Forumiulium: quas conditiones ut iniquas, & parum honeſtas Petrus Landus Orator patrum nomine prorſus reiecit: quare Pontifex cum Germanis, excluſo Veneto, fœdus ſtatim iniit, Senarumque & Lucæ urbium Iulianum fratrem Principem inſtituit. poſt hæc Veneti copiis contractis, ad Forumiulium recipiendum animos adiecerunt, ſtatimque in eam prouinciam Liuianus cum iuſta armatorum manu profectus, ad Pordenoni oppugnationem caſtra contulit; erumpenteque cum delectis equitibus ex oppido Rizano Duce, in eum Malateſta Balleonus uir impiger, qui in primo agmine erat, impetum fecit, certatumque eſt utrinque eſt acerrime, ac dubia diu pugna: & Malateſtæ equitatus ſubſidio affuit, ſub cuius acceſſum Rizanus ore ſaucio a Malateſta equo deiicitur, captusque eſt: tum hoſtis fuſus, fugatusque in oppidum trepidè ſe recepit, admotaque ſunt ſtatim a Liuiano mœnibus uictricia ſigna, quibus conſpectis, oppidani deditionem continuò fecerunt. inde Liuianus abſcedẽs, Goritiam aggredi, oppugnareque meditabatur: aſt ubi nouas ab hoſte copias parari intellexit, oppidumque ualido munitum eſſe præſidio, nec per anni tempus, ac immenſa frigora arma tractari poſſent, expeditio tum intermiſſa eſt, Patauiumque copiæ ductæ. uixque Liuianus abirat, quum Germani ſubitò impetu Monfalconum negligentera Veneto cuſtoditũ occuparunt, lateq; eorũ furor per totam prouinciam effuſus, grauiſſima damna intulit. tentatumque eſt iterum Maranum, cuius expeditonis Ductor fuit, ut antea, Hieron. Saurognanus, qui illicò cum copiis eò profectus, rem circa oppidum ſtrenue geſſit. diruiturq; tormentorum vi Sancti Ioannis propugnaculum, quod hoſtis tumultuario opere erexerat: tunc aditus Veneto apertus eſt, in oppidum facile irrumpendi, pugnaruntque in primo agmine Saurognanii acerrimè. Sed extrema acies ſubſidio ſuis opportune non affuit: quare accurrente hoſtium multitudine, Venetus loco ſummouetur, in caſtraque reuerſus. Paucis poſt diebus, quum nihil ſedendo proficeret, obſidionem ſoluit, ac ſub id tempus Chriſt. Frangipanis in inſidias præcipitatus a Venetis circa Gradiſcam capitur, in urbemque ſub cuſtodia adductus, publico carcere occluditur, uir inquieti animi, & qui Venetam rem multis incommodis plerunque affecerat. atque eandem fortunam Ioannes Vetturius Legatus nõ multò pòſt, ſimilemque ſubiit caſum: nam dum haud procul ab Vtino incaute cum equitatu pabulandi cauſa euagatur, in armatũ hoſtium cuneum incidit, multumq;, ac diu reluctans, in eorũ tandem poteſtatẽ uenit, captiuusq; in Germaniã abductus. & ne prouincia ſine præſidio relinqueretur in Vetturii locum Petrus Marcellus Legatus a Senatu creatur, adiutorque ei ad res gerendas datus: Vulpenſis equitum præfectus, vir bellandi peritia clarus, cuius poſtea ductu circa ciuitatem Auſtriæ res proſpere in hoſtem geſtæ ſunt. Nec multò pòſt Vetturius cum Guidone a Turre, qui captiuus Venetiis ſub cuſtodia aſſeruabatur, permutatus eſt, in patriamque reuerſus, iterum in militiam, bellumque proficiſcitur. Miſſuſque eſt hoc tempore a Leone Pontifice Venetias ad Senatum Petrus Bembus, eius, ut uſitati uerbi nominatione utar, Secretarius, ea potiſſimum de cauſa, ut labanti Chriſtianæ Reip. optimus parens aliquo modo conſuleret: nam per hos dies ingentem victoriam Solymanus Turcorum Rex aduerſus Perſas adeptus fuerat. Itaque Principum Chriſtianorum animos concordes, pacatosque reddere nitebatur, ne noſtro diſſidio ſubigendi omnia ferox Barbarus occaſionem arriperet. Bembus autem in curiam admiſſus, patres Pontificis nomine hortatus eſt, ut quando Turcorum in Aſia proſperæ res effluerent, ac de communi omnium Principum Chriſtianorum periculo agebatur, & in primis Venetorum, qui ab Hiſtriæ ora ferè uſque ad Ciliciæ fines Solymani imperio contermini eſſent, pacis iam

ſtudia

Not. Cæſaris duritiem.

Malateſta Balleonus Rizanus hoſtium Dux capitur.

Monfalconi amiſſio.

Maranum a Veneto obſidione liberatur.

Chriſ. Frãgipanis capitur.

Io. Vetturius ab hoſte captus.

Permutatione Vetturii.

Petrus Bẽbus, ad Venetos.

Not Bembi adhortationes.

ſtudia amplecti uellent, & cum Cæſare, tradita illi Verona, bellum gerere deſinerent, qui ea urbe contentus, reliquas ciuitates reſtituere paratus erat, pro quibus tamen Cæſari ducenta aureorum nummum millia Venetus certis penſionibus ſoluere teneretur: idque Pontificem ſummopere affectare aiebat, ut pace inter Chriſtianos Principes inita, eorum arma in Turcas uerterentur, qui Perſica uictoria elati, & noſtro diſſidio freti, ad inuadendam armis Europam erectos animos haberent.

Veneta benignitas erga Mediceam familiam.

memorque Pontifex multæ Venetorum Piſano bello erga ſe, & familiam ſuam benignitatis, patribus amicè ſuadebat, ne cum Cæſare pro una Verona, quæ in eius tamen poteſtate eſſet, tamdiu in bello perſeuerare uellent: uerùm ea urbe, pro cuius etiam conſeruatione totius imperii uiribus contendere paratus erat, ultro dimiſſa, Cæſaris amicitiam amplecteretur, ex qua multa commoda Veneta Reſp. perceptura eſſet, receptis enim reliquis oppidis, finis grauiſſimo bello imponebatur, tutiusque apparebat, unius vrbis facere iacturam, quàm rem omnem dubiis Martis caſibus ſubiicere, in memoriamque reuocarent patres, dum obſtinatius Fauentiam, Ariminumque, Iulio Pontifici reſtituere negant, quo nam modo uniuerſum propè terreſtre imperium tam amplum, præpotensque pauciſſimis diebus amiſſerint. nunc itidem cauerent, ne pro nimia unius urbis retinendæ cupiditate, omnis continentis ora, ac propria libertas, in manifeſtum diſcrimen coniiceretur.

Not. ſuaſiones, ad fœdus deſerendũ.

A Gallorum poſtea fœdere, ac ſocietate patres diuellere Bembus, ut facundiſſimus erat, conatus eſt; eorumque faſtus, & ſuperbiam damnauit, & quanta cum nominis Gallici indignitate, fidem Venetis fallere Rex olim non diſpuduit: aduentumque eius in Italiam, infelicem fore, difficilemque oſtendit, quando ipſe Pontifex, Maximilianus Imperator, Hiſpaniæ Rex, Mediolani Dux, Heluetii, Florentini, & Genuenſes, fœdere inter ſe iuncti, Regis tranſitum in Italiam armis impedituri eſſent, quòd ſi has ad pacem cum Cæſare ſuaſiones patres minime ad aures admitterent, quas quidem uti Reip. Venetæ ſalutares ciuis ipſe, patriæ amantiſſimus Pontificis nomine proponit, uideant, ne optimum Pontificem ita lædant, ut in eius odium incurrant, unde grauiſſima mala oborta, extremam (quod nollet) Venetæ Reip. deſolationem, excidiumque afferant. Viſa autem ſunt patribus huiuſcemodi Pontificis poſtulata parum habere honeſtatis, eorumque animos plurimum turbarunt.

Senatus reſpõſum ad Bẽbũ.

Huiuſcemodi itaque reſponſum Bembo a Principe publico decreto datum eſt, patres eum libenter uidere, ueluti chariſſimum alumnum, ac in communi patria genitum; audiiſſeque, quid ob proſperos Turcarum in Perſia motus Pontificis nomine ipſe petat; Veronamque primùm nullo pacto Cæſaris dimittendam ex Reip. dignitate Senatus eſſe cenſet, quin eam urbem breui recipere, & ueteri imperio armis adiicere ſperat: nec in Turcas patres quicquam molituri erant, quando cum eis pax, uetuſque amicitia intercedat, quam uiolare nunquam Veneti conſueuiſſent; ſimiliter quod ad Gallorum fœdus deſerendum attinet, indigniſſima Veneto nomini nota inureretur, ſi ab optimi Regis ſocietate patres diſcederent, quam conſtanter ſeruare animis proponunt. & Bembus cum hoc reſponſo ad Pontificem Romam rediit, qui accepta Senatus uoluntate, uehementer excanduit, ad bellique, & armorum apparatus ſtatim animum conuertit: ab ipſis quoque Venetis militum delectus habiti,

Armorũ motus.

ualidiſque urbes præſidiis firmantur, ne qua præceps, improuiſaque uis ab irati Pontificis armis repente ingruat. Et Hiſpani dum in Italiæ finibus rem Venetam uariis caſibus affectam, & languidam, infeſtiſſimis armis uexarent, atque ea ſæuis cladibus affligunt, a patribus confeſtim quinquaginta triremium

And. Grittus maris Imp.

claſſis paratur, cui And. Grittus bellicis artibus terra, marique clarus, imperator datus eſt, iuſſusque, ut cum ea in Apuliam traiiceret, ac ferro, flammaque in maritimam illius prouinciæ oram craſſaretur, quo hoſtes ab Ciſalpinæ Galliæ finibus reuocati, ubi Venetos grauiter premebant, ad ſua tuenda, ſpacio aliquo temporis reſpirandi laborantibus conceſſo, aduolarent. uerùm poſtea re maturè a patribus in Senatu diſcuſſa, ne laceſſitus hoſtis maioribus uiribus rem Venetam terra, marique aggrederetur, claſſis iam parata domi retenta eſt, nec eam amplius, priori conſilio iuſtis rationibus abiecto, in hoſtium fines emittere placuit. His autem diebus, uacante ſede ob recentem Iulii Pontificis obitum, Italia in nouum, ac ſubitum penè armorum tumultum

multum inciderunt: nam Parma, & Placentia in Maximiliani Sforciæ, Mediolani Ducis, gratiam res nouas moliri cœperunt, atque Heluetiorum fauore utriuſque Ciuitatis populi, Eccleſiaſticum iugum excutere annixi ſunt. Veneti quoque audita morte Pontificis, Rauennam, & Ceruiam, quarum urbes per centum, & amplius annos iuſtiſſimis titulis poſſediſſent, ad priſtinam obedientiam retrahere cogitarunt. delectus proinde eſt Aloyſius Diedus uir patritius magna conſuetudine cum Rauennatibus coniunctus, qui ad utranque urbem occulte proficiſceretur, & ciuium animos tentaret. trecentorumque militum manus, & complura nauigia Clodiæ coacta ſubſtiterunt, ut ex occaſione rebus gerendis maturè præſidio adeſſent. ſed quibuſdam exortis inter conſultantes patres difficultatibus, expeditio intermiſſa fuit, parataque arma reuocantur. & ex altera parte Germani terra, marique ex Marano ſæpius erumpentes, Venetum grauiter infeſtabant; Teſanæque locus ad Tileauenti oſtium in prædam ab iis effera barbarie actus. Hiſpani quoque eductis copiis in Venetos feruntur, caſtraque ad Cittadellam metati, oppidum corona cingunt. hìc autem ad præſidium aderant Centuriones ſtrenui, Bernardinus Antignolus, & Hannibal Lentius cum trecentis mercenariis militibus: & hoſtes ſubito oppidum impetu aggrediuntur, primoque armorum conatu cũ cæde a mœnibus ſunt repulſi. redintegrata poſtea pugna Hiſpani, pars per murorum ruinas, pars ſcalis admotis in oppidum tranſcendunt, cecidereque ex Venetis multi, & Antignolus, & Lentius capiuntur. ex Cittadella poſtea hoſtes degreſſi, inter Montegaldum pagum, & Bachilionem fluuium caſtra poſuere. & Liuianus cum omnibus copiis è Patauio profectus, ad Brentellas conſedit, præliumque præteritæ cladis memor detrectabat; exercitum autem tuto loco haud procul a Medoaco flumine ſtatuit. erumpebant tamen frequenter Duce Mercurio Bua, uiro forti, Epyrhotici equites, qui in hoſtes illati, apud rus Camiſanum rem proſpere in eos geſſere: & ne quid aduerſi inconſulta temeritate accideret, ad inſpiciendam caſtrorum formam a Patribus Dom. Triuiſanus, & Leo. Mocenicus, ſenatores prudentia, & conſilio clari, in caſtra miſſi ſunt: qui ad locum profecti, militari opere ſuperbam molem erectam conſpexere, ubi tutiſſima aduerſus quoſcunque hoſtium conatus Venetis ſtatio reddebatur. nam ab una caſtrorum parte Medoacus fluuius pro munimento erat, ſuper quem duobus pontibus impoſitis, ad mille, & quingenti ſcutati milites cuſtodiam eorum habebant, ab altero latere foſſæ, uallumque firmiſſimũ conſtitutum; & a fronte agger, ubi complura ænea tormenta miro ordine collocata erant, ut hoſtes ſummouerent, ſi caſtra fortè ab his oppugnarentur. laudatumque eſt a Legatis opus, qui Liuianum præterea Senatus nomine adhortati fuiſſe dicuntur, ut rem bellicam prudenter adminiſtraret, nec cum hoſte manus conſereret, cui fortuna ſecunda iampridem arrideat, omniaque proſpera cedunt. Poſt hæc motis ille caſtris in Venetos uadit, qui ad Caput aggere cõſederãt, oppidum autem ſtrenue tutati ſunt, dum Theutonum arma eò ingruunt: agreſtium tamen multa cædes; direptionesq; commiſſæ, ac ferro, flammaque in omnes a barbara gente ſæuitum. hinc iuſta ira Venetos impulit, ad hoſtium res pari clade infeſtandas. itaque Mercurius ductor fortiſſimus, & Nic. Vendraminus uir æquè impiger, cum quingentis leuis armaturæ equitibus per uallem Suganam in Tridentinum agrum irrupere, quẽ fœde depopulati ſunt, & cunctas belli calamitates ferri, incendii, & rapinarum accumularunt. inde Venetus miles præda onuſtus receſſit. mari quoque circa Bocharim in Lyburniæ finibus res hoſtium a Veneto uexatæ, & in Patauio læuibus ſæpe prœliis certabatur: aſtuque, & ſagacitate Liuianus hoſtem indomitum captans, diuerſa ratione a priori illa bellum adminiſtrabat. ad Ateſteque oppidum Antonius Caſtellinus cum ſexcentis peditibus Liuiani iuſſu profectus, concubia nocte admotis tacitè mœnibus ſcalis, oppidum cepit, multoſque ex hoſtibus obtruncauit, commeatuſque intercepti, ac nauigia incenſa & ſubmerſa, quibus per Medoacum flumen cibaria in hoſtium caſtra ſubuehebantur. paucis inde diebus noua clades ad Biuilaquam uicum Hiſpanis a Liuiano eſt inflicta, cæſique ex his plurimi, & Morgilonus eorum Dux capitur. ad Montagnanæq; uſque portas Venetus obequitans, Cardonium hoſtium imperatorem in pugnam conuicio euocauit. at ille, quum Veronenſes res nouas in urbe moliri accepiſſet, ad ſedan-

dos

Parmæ, & Placẽtiæ motus.

Rauẽna, & Cẽruia

Al. Died.

Teſana.

Cittadella ab hoſte capta.

Mercuri. Bua.

Dom. Triuiſanus Leon. Mocen.

Caſtrorũ fortuna.

Nic. Vendraminus

Ant. Caſtellinus. Ateſte occupata.

Morgilonus capitur.

dos Ciuitatis motus,eò celeriter cum omnibus copiis contendit.tum Liuianus ex ho-
ſtis infeſtiſsimi diſceſſu oblatam bene gerendæ rei occaſionem amplectitur,ac explo-
Gercia Mericus. ratis prius Hiſpanorum conſiliis, & copiarum numero, quæ ſub Gercia Merico Du-
ce diuerſis Poleſini locis ſtatiua habebant,in ſpem uictoriæ adductus, eas ſubito ag-
gredi ſtatuit. Superato itaque Atheſi cum expedita armatorum manu in Poleſinum ſi
lentio tranſiit. affuitque Benedictus Arboſſanus Conſeluarum,& Anguillaræ proui-
ſor,ex ciuium ordine uir inſignis,qui in Veneti exercitus in Rhodigianam Poleſinũ
traductione ſingulari diligẽtia uſus eſt:& circa Pataui munitiones antea indefeſſam
operam præſtitit,ſicuti Liuianus Imperator, & Dom. Contarenus Legatus ambo pu-
blicis litteris, ac tabellis, duplici ſigillo munitis amplam fidem reddunt. viuitque
hodie Benedictus Arboſſanus eius ex Aurelio filio nepos, qui hæreditario quodam
uirtutis ſemine a maioribus ſuis non degenerabit. Primus autẽ Malateſta Balleonus
cum equitatu, ad Rodigii portam accurrens, oppidum, nemine prohibente, ingre-
ditur,in forumque recta armatus perexit,ubi ea forte die magno agreſtium concurſu
nundinæ habebantur: ſummaque tum in oppido quies inerat, ac nullus belli metus,
ſuſpicioque hoſtium animos ciuium uerſabat.tum derepẽte Balleono in forum cum
armatis prodeunte, fuga,terrorque ingens omnes cepit, fœminæ, uiri, relictis rebus
uenalibus,trepidare, huc illuc diſcurrere,in tecta ſuffugere. At Hiſpani nequaquam
timere,Gerciamque Ducem ſequuti,intrepide in Venetos feruntur, pugnamque fe-
rociter capeſſunt,diuque anceps certamen fuit.uerùm ubi Liuianus cum reliquis co-
piis in oppidum irrupit,ſtatim hoſtes multitudine oppreſsi ceſſere, ac ex his obtrun-
cati,uulneratique ſunt plurimi, & Gercias Dux capitur, ſub cuſtodiaque Venetias
miſſus.Eodemque impetu reliqui Hiſpani,qui ad Lendenariam, & Abbatiam conſe-
derant,a Liuiano oppreſsi fuiſſent,ſi Venetus miles defatigatus, ſigna ſequi potuiſ-
ſet:is enim tota die, ac nocte pluuio cœlo per ſaltus inuios,& cœnoſos lutulentum
iter faciens,uix arma ſuſtinebat: in fidem tamen totus Poleſinus iterum rediit.Lenia
cum quoque,Hiſpanorum cohorte ex oppido Veronam abeunte,a Veneto recipitur:
quo ſucceſſu elatus Laur. Cerites,qui ad Cremæ præſidium erat,ut aliquod & ipſe fa
cinus inſigne æderet,tacite agmine Bergomum acceſſit, urbemque eiecto hoſte occu-
Bergomũ a Cerite occupatur pat,eamque foſſis,& aggeribus ſtatim munit, metu Hiſpanorũ, qui iam è Verona ſub
Cardonii imperio inſtructa acie aduentare dicebantur,ut Bergomum reciperent.bel
licis itaque operibus hoſtis urbem cingit, maximisq; armorum conatibus oppugnat,
quos Venetus miles diu ſuſtinet, hortatorq; ubique Cerites huc illuc curſitans adeſt:
uerùm quũ ad Diuæ Catherinæ portã incredibili tormẽtorũ ui magna murorũ ruina
facta eſſet,priuſq̃ res in extremum adducerentur diſcrimen, deditionẽ Venetus Dux
facere maturauit,quum Cardonius,& Columna dubios Martis caſus timentes, facile
admiſere, diſſentiente tamen maiori parte militum,qui ad urbem opulentiſſimam di
ripiendam auaritia obcęcati ferebantur. Cæterùm Ducibus parendum fuit, & Ceri-
tes cum ſuo peditatu dimiſſus,Cremam incolumis reuertitur.Recepto Bergomo,Hi-
Hiſpani Bergomũ recipiunt. ſpani ſtatim eductis copiis,in Liuianum celeriter mouere, qui ad Leniacum cum toto
exercitu ſedebat. ille autem tantam uim non expectandam ratus,conſilium ſtatim ab-
eundi cepit. præmiſſis autem ad Anguillaram ſub Dominici Contareni Legati ductu
grauis armaturæ equitibus, leuique caſtrorum apparatu Monſilicem terreſtri itinere
profecto,ipſe cum toto peditatu,bellicisque impedimentis, parata nauigia, rateſque
conſcendens,ſecundo Atheſi in tutum deuectus eſt. Indeque Patauium,deluſo hoſte,
abiit,qui incredibili celeritate Liuianum inſequutus,parum abfuit, quin ad Atheſim
fugam molientem adeptus ſit.uiribuſque Hiſpanus ſuperior Venetum aliquo maiori
incommodo affeciſſet,niſi maturo receſſu periculum omne fuiſſet diſcuſſum. & quum
Pax inter Henricũ, & Ludo. Reges. diu inter Henricum Britanniæ,& Ludouicum Galliæ Reges uaria fortuna, acerbiſſi-
miſque odiis bellatum fuiſſet,tandem armis diuina pietate poſitis, pax componitur,
ſororemque Mariam Henricus inſigni forma puellam Ludouico Gallorum Regi in
Not. nuptias. quinquageſimo ſeptimo uitæ anno conſtituto matrimonio copulauit: nam antea An-
nam Hyberniæ Regis filiam Ludouicus uxorem duxerat, qua defuncta, ad ſecunda
uota maſculæ prolis habendæ ſtudio iam ſenex tranſiit. Creati ſunt proinde a Senatu
duo

duo oratores Seb. Iuſtinianus, & Petrus Paſqualicus, qui ad utrunque Regem proficiſcerentur, cum quibus de pace, & nuptiis publico nomine cõgratulationis munus obirent. peractoque huiuſcemodi officio, Iuſtinianus in Britannia apud Henricum Reipublicę Legatus reſideret, & Paſqualicus in Galliam tranſiret, ibique pro Senatu Oratorem ageret. pararuntque patres Reginæ ſponſæ dona, Bacchatum monile, pileolumque ſericum, ex quo miro candore, & magnitudine unio pendebat. ſed Ludouicus Rex quum ſponſam ſuam ob inſignem eius pulchritudinem incredibili amore proſequeretur, eiuſque nimis Venereum congreſſum appeteret, poſt treis nuptiarum menſes affecto corpore interiit, nullis autem uirilis ſtirpis liberis relictis, Franciſcus Dux Aurelianenſis in Ludouici locum, eius ex Claudia filia gener Rex ſalutatur. ad eumque Seb. Iuſtinianus, & Pet. Paſqualicus, qui nondum ad demandatas (ut ſuperius memini) legationes diſceſſerant, in Galliam ſtatim expediti ſunt, ut nouum illi Regnum publico nomine congratularentur, & fœdus renouarent, quod antea cum Ludouico ſocero Veneti percuſſerant: Regem præterea cohortarentur, ut in Italiam cum exercitu quamprimum deſcenderet, Venetos quoque paratos eſſe, decem armatorum millia in Germanum, Hiſpanumque educere, ut ſociis armis communis hoſtis impugnatus debellaretur: ſed priuſquam Rex ad Italiæ expeditionem exiret, ſummam adhibuit curam, ut finitimorum Principum Geldrenſis, Cleuenſiſque in Sycambris, Menapiiſque animos beneuolos, placabileſque ſibi redderet, qui ueteribus iniuriis exacerbati, Gallicum nomen oderant: hiſque affinitate, muneribuſque delinitis, profectionem in Italiam Rex maturauit, maximiſque copiis contractis, ad Alpes iam properabat. Cæterùm ut Gallorum arma ab Italiæ finibus arcerentur, Leo Pontifex, Maximilianus Cæſar, Mediolani Dux, Heluetii, Florentinique, fœdere inter ſe inito, in Gallos, & Venetos ſocia arma iunxerunt, ad Montiumque ſtatim radices Maximilianus Sforcia Dux cum octo Heluetiorum millibus delatus, in Gallos ad impediendum illis tranſitum ferebatur: occupauitque ſaltus, unde è Veronenſi agro cum inſtructis copiis profecti, in Venetum nouos belli apparatus diſponunt. Vicentiaque primùm armis petita, in qua urbe Laurentius Cerites è Crema uictor digreſſus, aderat, ſecumque mille delecti pedites. tanto autem præſidio urbem munitam hoſtes attentare non auſi, aliò flexere iter: ſignaque in Liuianum conuerſa, qui nuper copiis Pauio eductis, ad Coloniam conſederat, ſed ille Gallorum Regis aduentum in Italiam expectans, prælium detrectabat, ne dubiis fortunæ caſibus, rem Venetam dimicando committeret, retroque ad Brentellas cum exercitu abiit: curabatque nouis militibus conſcriptis, copias augere, ut ex fœdere promiſſa decem armatorum millia Regi ſocio adeſſent. mox orta inter Liuianum, & Ceritem ex uirtutis æmulatione diſcordia, duos inſignes Senatores Georgium Cornelium, & Dom. Triuiſanum patres ad reconciliandos eorum animos in caſtra miſere. Qui tanta ingenii dexteritate uſi ſunt, ut amborum iras ſedarint: & ne in poſterum diſſidium inter eos aliquod oriretur, Cerites cum quattuor peditum millibus in Ciſalpinam Galliam ire iuſſus eſt, ubi Regio exercitui ab Alpibus deſcendẽti amice occurreret, & cum eo caſtra coniungeret. Rex uerò Aloyſiæ matri ex Sabbaudiæ Ducibus oriundæ Regni procuratione commiſſa, iam Italiæ cum ualidiſſimis copiis appropinquabat: nam duo millia, & ſeptingenti cathafracti equites in Regiis caſtris erant, quinque millia Hipporoxotæ, decem & ſeptem millia Germani, ſeu barbaro nomine Lancichenech, & tredecim millia partim Vaſcones, partim Galli pedeſtri una acie milites fortiſſimi, cum magno tormentorum numero, quæ quattuor millia equorum iugata corpora eſſedis trahebant. præmiſſus autem Petrus Nauara ad Rhodanum cum decem armatorum millibus Moncenifii, & Mongeneuræ ſaltus occupauit: ſubſequebanturque reliquæ copiæ numero præter calones, & Lixas, ad uiginti hominum millia, & ad Granopolim uſque proceſſere. Heluetii uero, qui tum primas belli partes ſuſceperant, tria Alpium loca, per quæ in Italiam itur, armis inſederunt: dena enim bellicoſæ gentis millia ad Suſam, octo ad Salutium, ſex circa Pinarolum conſiſterant. copiiſque in hunc modum tripartito diſtributis, Heluetius in acie paratus ſtabat, ad inuadendum hoſtem, quacunque ex parte ille erumperet; & Veneto Gallicis rebus fauente, Mediolanenſis ager a Cerite armis uexabatur,

Legati Veneti.

Ludouici Regis mors.

Franc. Galliæ Rex.

No. fœd.

Maximilianus Sforcia.

Geor. Cornelius. Dom. Triuiſanus.

No. ingentem Gallorũ exercitum.

Heluetiorũ copiæ.

Octauianus Fregoſus.

atque ultra etiam Padum Octauianus Fregoſus pro Rege militans, hoſtium fines infeſtabat. interim Borbonius,& Triultius primi agminis regii ductores, ſiniſtrorſum Geneuræ montem linquentes, Druentiam flumen uado tranſierunt, & per Lyguriæ fines ſuperata uiarum aſperitate, in Italiam ad Villamfrancham peruenere; ibique inexplorato conſedens,

Proſper Columnā captus.

Proſper Columna omni penè equitate exutus, a Gallis capitur : mox Rex cum omnibus copiis eodem itinere Italiam ingreſſus eſt. At Heluetii ex Allobrogum finibus digreſſi, circa Nouariam conſedere, quibuscum priuſquam Rex acie dimicaret, de pace agere uoluit, aurumque ingens illis obtulit : conditionesque placebant, uerùm Cardinalis Sedunenſis uir ferox, ac pugnandi cupidus omnia turbauit, Heluetiosque ad prælium capeſſendum accendit: & Regius exercitus Nouaria occupata, ad Marignanum iuxta amnem Lambrum ſigna conſtituit : atque iterum de pace cū

Cardinalis Sedunenſis. Liuianus.

hoſte agebatur, quam Sedunenſis prope inſaniens ſemper reiecit, pugnandique ardebat incredibili deſiderio. interim Liuianus (ut ſocio Regi adeſſet, & Pontificios, Hiſpanosq; arceret, ne cum Heluetiis caſtra cōiungerent, Venetas copias propius admouit, Laudāq; proficiſcitur : indeq; egreſſus, hoſtiū ueſtigia inſtructa acie ponè ſequebatur. Triultius uerò prætoriana cohorte Mediolanum ad duo paſſuum millia propè accedens,

Triultius

per quattuor caduceatores urbem Regi tradi poſtulauit. ſuperbumque Triultio reſponſum datum eſt. aduenit poſtea cum omnibus copiis Mediolanum Cardinalis Sedunenſis, qui ſtatim aduocato concilio, in quo Sforcia Dux aderat, Roſtiusque, &

Heluetiorū Duces.

Angiardus, & Ronna, Heluetii, uiri fortiſſimi, compluresque alii armorum Ductores, de re bellica longo ſermone diſſeruit. Demum poſt multa hinc inde dicta, decretum eſt, ut eductis copiis prælium cum hoſte aperto campo committeretur; & ne inſtabiles Heluetiorum animos a certamine interpoſita aliqua mora reuocaret, Sedunenſis falſum ſubitò rumorem diſſeminari iuſſit, Gallos cum Hiſpanis manus conſerere, proinde in aciem prodeundum eſſe; qua ſimulatione ad arma repente conclamatum eſt, Mediolanoque ſub ſignis (iam propè Sole in occaſum uergente) ad uiginti quattuor Heluetiorum millia, Duce Sedunenſi, in Gallos erumpunt : il-

Marignanum.

li autem ad Marignanum ſedentes, ſubita hoſtium impreſſione, uix ſpacium acies explicandi habuere. impigre tamen Regiis Duces Borbonius, Triultius, Nauarus, in primum agmen accurrunt, hoſtemque ferociter inuectum ſuſtinent, diuque pari fortuna certatum: ſummouetur tandem loco Vaſconius, Germanicusque peditatus, qua in trepidatione ſeptem currulia tormenta Gallis ſunt adempta; maiorique vi addita, Heluetii primā aciē profligant, conglobatiq; eodem impetu in media agmina feruntur,

Pugna ad Marignanum.

cædesq; utrinque oritur atrox, ac pugna uſq; in noctem ſanguinolenta protracta eſt. iterum, uix orta luce, certamen initum, tormentisque hoſtem loco ſummouere Galli conabantur : contrà, ille ordines ſeruat, morique potius, quàm cedere ſtatuit.

Borboni' & Triultius.

id Borbonius, & Triultius conſpicati, cataphractos equites egregie uirtutis in Heluetium peditatum ſtatim immittunt, quorum impetus pugnaces hoſtium manus paulùm compreſſit; nec tamen mota eſt loco aduerſa acies, quin maiori audacia præliari cœptum; accurrentesque integræ Heluetiorum cohortes, equitatum regium a tergo inuadunt: tum redintegrata pugna uehementius incrudeſcit, Roſtiusque, & Angiardus, & Ronna in primam aciem aduolant, Gallosque armis fatigant. Duces quoq; regii adſunt, pariaque ædit uterq; exercitus fortitudinis exempla: ferociter tamen Heluetius inſtat, circumuentique Galli pene in fugam uertuntur; ſed Regis præſentia ani-

Not. Regis uirtutem.

mati, locum retinent, totisque uiribus connixi, in Heluetios acerrime pugnant. Rex quoque armis inſignibus cultus, coronamque ſuper caſſidem auream geſtans, in media acie uerſatur, ſuisque pugnans adeſt, hæretque circa eum tota prælii uis. at ter haſta in thorace Rex percuſſus fuiſſe dicitur, cruorque occiſorum in eius oculos per galeæ rimulis quandoque proſiluit, & iam Regii cedere uidebantur : miſſaq; ab hoſtiū

Liuiani in præliū acceſſus.

Ducibus ſex peditum millia uno agmine in Gallos a tergo irruebant: at Liuianus a Rege per nuncios alios ſuper alios euocatus, Veneta caſtra è Laudenſi agro mouit, ipſeque ante alios, ut certamini intereſſet, cum quinquaginta tantum equitibus præcurrens, in hoſtem fertur; iuſſitque reliquas copias ſub Dom. Contareni Legati ductu adproperare. Phalangem interim illam ſex millia Heluetiorum Liuianus inuadit, ho-

ſtisque

ſtisque ex templo turbatur, ut Veneta ſigna conſpexit, ac magno timore illi permoti, fugam circumſpectare cœperunt. appropinquante poſtea vniuerſo Veneto, inſtructa ad dimicãdum acie, exercitu, priusquàm ferrum miles ſtringeret, apertam Heluetius in ea parte fugam capesſit; & ex quinquaginta illis equitibus, qui Liuianum ſequuti fuerant, cecidit ſclopetaria glande traiectus, Chiappinus Vrſinus, Pitiliani comes, magni ſupra ætatem adoleſcens animi, qui a Nicolao patre noſtri exercitus Imperatore, uiro fortisſimo, cæterisque maioribus ſuis, ita cedendo minime degenerauit. vulgato autem Veneti exercitus ſubito acceſſu, & Regiis ſtrenuitas, fortitudoq; addita eſt, & Heluetiis eodem temporis momento imminuta: tum inclinata iam re, quum per altum diem dubio, cruentoque Marte vtrinq; pugnatum eſſet, Heluetii & viribus diuturno certamine exhauſtis, & Venetis nouo appulſu irruentibus, magna cæde profligantur: nam ſupra quindecim millia ex his deſiderata ſunt, & reliquos Venetus equitatus inſequutus multa occidione Mediolanum vſque proſtrauit. nec incruenta Gallis victoria fuit, quorum ad ſex millia in ea pugna ferro oppetiere. ex Heluetiisque clari nominis ductores hi in acie pugnantes ceciderunt, Cantius Emerer, Peregrinus Landeburgius, Purius, Rodulphus, Folectius, Pontinerius, & Antius Encher, viri fortisſimi: & ex Gallis deſiderati ſunt, Sciatalardus Vaſco, Ludouicus, & Georgius Helleſpurgenſes, Buſſius, & Telamonius Tramulii filius Claudius autem Ghiſa ex Lotharingia ſpirans adhuc inter hoſtium cadauera repertus eſt, ac plerique alii in aceruo occiſorum corporũ ſemineces inuenti. & ad Regem poſtero die inſignis Legatio ex Mediolano in caſtra acceſſit, deditioneq; facta a Hier. Caſtelliono publico nomine urbs Regi traditur, Inſubricoque hac uictoria Galli principatu potiuntur, & Dux Maximilianus Sforcia eo amiſſo, ac arce munitiſſima reddita, captiuus in Galliã abductus eſt, ubi poſt aliquem temporis curſum inglorius, & parum fœlix uitam cum morte commutauit, Franciſco Sforcia fratre relicto, cuius etiam fortuna uaria, inconſtansque fuit, ut ſuo loco commemorabitur, infauſtiſſimoque amborum principatu, Sforcium nomen, quod tam clarum, illuſtreque in Italia refulſit, deleto, dira fati acerbitate extinguitur. poſt hęc Petrus Paſqualicus Venetus Orator, uir ampliſſimus, qui Regẽ in bellum ſequutus fuerat, aduerſa correptus ualetudine, uenenoque, ut fertur, petitus, poſt tres legationis ſuæ menſes Mediolani naturę cõceſſit; funusque eius, Regis iuſſu, ea in urbe exquiſitiſſima pompa decoratum eſt; uirique illuſtris corpus, regio Oratore ad id creato concomitante, Venetias delatum Antonii æde conditur. Pariſiisque is, dum in ephebis eſſet, optimarum artium ſtudiis operam dedit, in doctiſſimumque uirum Gymnaſio illo in florentiſſimo euaſit. ſcripſit enim multa in Theologia, & Metaphiſica ſumma cum venuſtate, & elegantia: reuerſusque inde in patriam, ad maximos ſtatim honores euehitur, cunctasque legationes apud quoſcunq; Reges, & principes, in uniuerſis Orbis prouinciis conſtitutos pro Rep. obiit, uir in Veneta, exteraque gente, virtutis ſplendore, ac togæ gloria fulgentiſſimus. Veneti poſt hæc quattuor Oratores viros ampliſſimos, Ant. Grimanum, Dom. Triuiſanum, Geor. Corneliũ, & Andr. Grittum ad Regem Mediolanum miſere, vt ei recentem de Heluetiis uictoriam publico nomine congratularentur; unusque ex his Triuiſanus, facũdia inſigni præditus, ad Regem conuerſus, Gallorum virtutem in bello extulit, nouamque hanc Italiæ expeditionem, quæ fœlici ſucceſſu nobiliſſimum principatum ei aſtruerat; Diisque immortalibus gratias egit, quòd hoſtes acerrimi, exercitu eorum deleto, Italia exceſſerint, qui incredibili furore cuncta vaſtabant. victoriam poſt modum publico nomine Regi congratulatus eſt, eiusque inuictam manum, ac auxiliares Gallorum copias ad reparandum Imperium implorauit, quo incolumi, Rex omni tempore, vt ſuo, amicè vti poſſet. ad ea ita reſponſum, Regem Venetos læto animo complecti, vt bonos, & fideles ſocios, quibus plurimum ſe debere palam Rex affirmabat, quum ſola Venetorũ ope ab infeſtiſſimo hoſte victoriã quæ diu anceps fuerat, reportarit: proinde omnes Galliæ vires pollicebatur, ad rem Venetam in priſtinam dignitatem reſtituẽdam: atque ita Legati dimisſi. Et Rex poſtea in Galliam abiturus, iusſit, Theodorum Triultiũ cum quingentis cathafractis equitibus, & ſeptem millibus peditum Veneta ſigna ad oppugnandam Brixiam ſequi. ſtatimque Liuianus bellico apparatu in eam expeditionem

Chiappini Vrſini interitus.

Heluetiorum ſtrages.

Heluetii cæſi.

Galli interfecti.

Mediolanũ in Regis poteſtatem uenit.

Maximiliani Sforciæ captiuitas.

Petr. Paſqualici interitus.

Veneti oratores ad Regẽ.

Triuiſani oratio.

Regis reſponſum.

nem exiit: ſed dum mora protrahitur, in præſtolandis Gallorum auxiliaribus copiis, Brixiam Hiſpani valido præſidio firmarunt: quo temporis ſpacio Liuianus in aduerſã

Liuiani interitus.

valitudinem incidit, paucisque diebus apud Gaidũ in Brixienſi magno exercitus mœrore vita exceſsit. tantoque extincto Duce non parum ciuitas commota eſt: in eius. n. fide, & uirtute ſpem reparandi imperii ſummam Veneti animis conceperant: funebrique pompa in vrbe eum decorarunt, laudauitque publicè And. Nauagerius, vir erudi

And. Nauagerius.

tione tota fermè Italia ſingulari, ſepulchrumque, ac Imperatoria ſigna in Diui Prothomartyris æde ſuſpenſa illius adhuc viſuntur. Nec Veneti poſt Liuiani obitum inchoatam Brixiæ expeditionem omiſere, primumque ad Piſcheriam caſtra admota

Oppida a Venetis recepta.

ſunt, oppidumque vi expugnatur, cæduntur que ad tercentum Hiſpani. quo motu Aſula, Lunatum, & Sermenedum vltro deditione facta in fidem redierunt. Mox Gallica aduenere auxilia, ſub Ioannis Iacobi Triultii Imperio, coniunctisque caſtris Veneti, & Galli Brixiam ſtatim petunt, vt vrbem inſignem armis reciperent, quæ ſubita defectione a Venetis alienata octauum iam annum barbaræ gentis ſuperba imperia pertulerat: eoque copiæ ſociales progreſſæ, vrbem ſtatim corona cingunt, tormentisque ad

Brixia obſidio.

demolienda mœnia diu concertatum eſt; ſed validis munitionibus, veterique murorum ſtructura vrbs egregie obſepta, irritam Venetorum, Gallorumque reddidit oppugnationem. obſidio tamen ad retinẽdam bellicæ diſciplinæ exiſtimationem ab his eſt continuata. Ac ſub id tempus priuſquàm Rex in Galliam tranſiret, Leonis Pontificis hortatu Bononiam conceſsit, cui honoris cauſa duo Cardinales, Fieſcus, & Medi-

Pontifex, & Rex unà colloquuntur.

ces obuiam prodiere, ibi ſummi orbis Principes de variis rebus inter ſe remotis arbitris locuti ſunt, ad paccandumque Italiæ ſtatum omnis ab his cura adhibita; primumque Neapolitani Regni cauſa pertractata, in quo armis ſibi vẽdicãdo, incredibili Rex cupidine ardebat. De Mutina quoque, & Regio actum eſt, quas vrbes Dux Ferrariæ magno auri cenſu Eccleſiæ appenſo, a Leone repoſcebat, ſuum quoque principatum

Egidius.

Vrbini Dux fruſtra habere tentauit. Placuit ad hæc, vt Aegidius vir eloquẽtisſimus in Germaniam ad Maximilianum Imperatorem proficeſceretur, cum quo de pace cum Venetis incunda ageret, hi autem oblata ingenti ui auri, ne armis amplius cum mortalium pernicie diſceptaretur, vrbes ſuas Brixiam, & Veronam a Cæſare repetebant. at is reiectis conditionibus, bellum proſequi maluit. Poſtea Pontifex quatriduo Bononiæ cum Rege moratus, Romam reuerſus eſt, vbi ieiuniorum tempore triginta, & amplius creauit Cardinales, in quibus octo Romani fuere, uidelicet Fr. de Comitibus,

Nota Cardinales a Leone creatos.

Ioan. Dominicus Tranenſis, Paulus de Cæſis, And. de Valle, Pompeius Columna, Dominicus de Iacobatiis, Franciotus Vrſinus, Alexander Ceſarinus; Florentini quinq;, Laurentius Puccius, Iulius de Medicis, qui poſtea Pontifex fuit, Clemens VII. appellatus, Nicolaus Piſtorienſis, Aloyſius de Rubeis, Ioãnes Saluiatus, & Nicolaus de Rodulphis; ex Senenſibus duo, Raphael Groſetanus, & Ioannes tituli S. Ioannis ante portam Latinam; totidem Genuenſes, Innocentius Cibo, & Io. Baptiſta Cauallicẽſis. Itẽ ex Mediolano, Scarramutia Comenſis, Auguſtinus Triultius; duo Bononiẽſes, Laurẽtius de Cãpeio, & Hercules de Rãgonibus; vnus Venetus, Fr. Piſo, Ferdinãdus Melſitẽſis Neapolitanus, Fr. de Armellinis Peruſinus, Aegidius Viterbienſis, Siluius tituli Sãcti Laurentii in Lucina Cortonenſis, Chriſtophorus tituli S. Mariæ in Ara cœli, Forliuienſis: hi omnes Itali, ex exteris autem oris, Alphonſus filius Regis Portugalenſis, Hadrianus Traiectenſis è Batauia, qui Leoni in Pontificatu ſucceſſit, Thomas Eboracenſis Anglicus, Antonius Bituricenſis, Franciſcus Lugdunenſis; ex Gallia, Raymundus de Vich. Hiſpanus, & Iacobus Cameracenſis, Flamingus, quorum plerique coempta dignitate, obſcurarunt in magnanimo Pontifice eximiæ liberalitatis laudem. Re-

Borboni*.

ge autem in Galliam abeunte Borbonius eius nomine Mediolani adminiſtrationem ſuſcepit, arctiusque Brixia obſidione premi a Venetis, Gallisque cœpta. Lutrechiuſque, & Triultius cum trecentis cathafractis equitibus, & quattuor millibus peditum

Brixiæ obſidio.

Regis iuſſu in eam expeditionem ſunt profecti, qui ſtrenuam Reip. operam nauantes, die, noctuque urbem catapultis, baliſtis, tormentisque inceſſebant: obſeſſisque undique itineribus commeatus introferendi facultas hoſti adimebatur. & iam fame ciuitas laborare cœperat, ad cuius ſubſidium ſupra uiginti armatorum millia Cæſar ex

Germania

Germania miſit: Cardonius quoque Hiſpanos in Venetum, Gallumque è Verona eduxit, coniunctiſque copiis hoſtes ad Aſulam conſedere. & Brixiæ obſidio tum a Venetis, Regiiſque omiſſa eſt. inde circa Piſcheriam caſtra tuto loco poſita; aggreſſi autem hoſtes Aſulam, in oppidum irrumpere conati ſunt, demolitaque tormentis mœnia aliquot locis ingenti ruina procidere, non tamen auſus eſt hoſtis in apertum oppidum irrumpere: nam ad eius cuſtodiam quadringenti milites, & centum grauis armaturæ equites ſub tribus ductoribus, Ant. Martinengo, Petro Longena, & Georgio Vaila uiris ſtrenuis excubabant; aderat & oppidi præfectus Franciſcus Contarenus, qui admirabili uigilantia, ſolertiaque utebatur, ad uim hoſtium arcendam, ciuiumque, & militum animos erigens, cum his pariter omnem defenſionis laborem ſubibat, ac telis, & iaculis ſæpe a mœnibus hoſtes ſunt repulſi cum non modica eorum cæde; qui poſtea quum nullam potiundi munitiſſimi oppidi ſpem haberent, uirtutemque noſtrorum magno ſuo cum malo experti fuiſſent, ſublatis repente ſignis in pacatum abiere, Abduamque uerſus copiæ ductæ, ubi Veneti, Gallique è Piſcheria digreſſi, caſtra habebant. & Regii hoſtium aduentu perterriti, Mediolanum abeundi conſilium cœperunt; contrà, Veneti abſcedere indignum ducentes, manendum, ſtandumque intrepido animo cenſebant. Cæterùm Regios abire uolentes Veneti ſunt ſequuti, Mediolanumque omnes ſimul contendere; tantuſque timor Gallorum animos inceſſerat, ut relicta Italia Alpes ſuperare, in Galliamque tranſire meditabantur; feciſſentque omnino, niſi eos Veneti a præſenti conſilio retraxiſſent, docuiſſentque quantum periculi res Italiæ eorum diſceſſu ſubituræ eſſent. reuocatis igitur è pauore animis, Galli, Venetique ſigna Mediolani firmarunt, ut urbem tuerentur, ſi eò fortè hoſtis caſtra admouiſſet, qui iam minarum plenus, Laudam cepit, & diripuit. Amphum quoque deditione ab Vrſato Priolo præfecto facta hoſtes occuparunt: is poſtea Decemuirum iuſſu capitali ſupplicio inter geminas columnas affectus eſt. inde prædabundus ille in Mediolanenſem agrum irrupit, ad urbiſque uſque portas Germano inſtructa acie adequitante, ingens terror ciuitati iniectus eſt. tum Galli, Venetique undique coorti, ad repellendam hoſtium uim ſtatim ad mœnia accurrunt, incenſiſque ſuburbiis, ne ea hoſtis occuparet, ferociter in appropinquantem Germanum inuehuntur: at illi ſuppreſſo gradu pauliſper ſubſiſtunt, pedemque deinde referunt; diſceſſereque è ſtatione, quam armis retinuerant, & ad Abduam Mediolanenſi agro relicto caſtra hoſtis retulit: inde quoque receſſum, Germania repetita, militibus ob non ſoluta ſtipendia in ſeditionem uerſis; quorum magna pars in Gallica, Venetaque caſtra transfugit. acceſſit poſtea iuſſu Cæſaris in Italiam Marchio Brandiburgenſis nouas ſecum copias è Germania adducens, eaſque ad Brixiæ, & Veronæ cuſtodiam diſtribuit: & Veneti ſociis armis cum Gallo adiunctis, ambas urbes ueteri imperio adiicere ſtudebant, ad eaſque recipiendas omnes uires intenderant. & iam Veneti, & Galli Brixiam tertiò circumſedentes, urbem bellico apparatu aggreſſi ſunt. Lutrechiuſque uir armorum ſcientiſſimus in caſtris regiis Dux omnia adminiſtrabat; itineraque, & ſaltus iuſſit inſedi, ne commeatus Brixiam alicunde adduci poſſent, ut per hunc modum inexpugnabilis urbs domaretur; totis tamen diebus, ac noctibus, tormenta in mœnia contorquebantur, procideruntque latè muri; & Venetus miles intempeſta nocte ſcalis admotis, parum abfuit, quin urbem ad Palarim portam occuparet. & niſi Gallorum mora interceſiſſet, a quibus ſerum ex uicinis Lutrechii caſtris aduenit auxilium, re fœliciter geſta, urbem ui, armiſque Venetus accepiſſet: uerùm paulò pòſt optatum expeditio ſortita eſt exitum, fameque hoſtis in ciuitate penè enectus, in has pactiones deſcendit, ut niſi ſubſidium ſex dierum ſpacio a ſuis haberet, urbe cum omni militari ſupellectili incolumis decedens, eam Veneto libere relinqueret: idcirco peruigil cura, ſtudiumque accuratum appoſitum, ne commeatus, copiæque ex uicinis hoſtium locis in Brixiam introducerentur. Cæterùm ubi nulla præſidii recipiendi ſpes affuit, quum omnia itinera cuſtodiis, armiſque eſſent obſepta, urbem Brixiam, cui tunc Aloyſius Icari Maximiliani Imperatoris nomine præſidebat, poſt octauum annum Venetus recepit: mittunturque ad nouam illius urbis adminiſtrationem Fr. Faletrus, & Pet. Marcellus, ille prætor, hic præfectus, ambo eximiæ uirtutis Senatores. Bergomum quoq; cũ toto agro, montibus, uallibus in fidem rediit. poſt hæc

Aſula ab hoſte oppugnatur.

Fr. Contarenus.

Gallorum metus.

Amphum ab hoſte captum. Vrſ. Prioli ſuppliciũ.

Germanorum diſceſſus.

Marchio Brandiburgenſis

Lutrechi9

Brixiæ oppugnatio.

Veneti Brixiam receperũt.

Veneti ſtatim cum Gallis ſociis ad Veronæ expeditionem profecti ſunt, ac ſub primum acceſſum bellicis machinis, operibuſque urbs circumuallata, acerrime oppugnatur; totiſque hoſtes uiribus reſiſtunt, munitionibuſque ualidiſſimis erectis, defenſionem parant; & quum rumor increbruiſſet, ad quinq; Heluetiorum millia Cæſaris nomine ad Veronæ ſubſidium aduentare, Veneti ad Piſcheriam caſtra retulere. Regii quoque digreſſi ſunt; quo temporis ſpacio Hiſpani, Germanique è Verona ſubitò erumpentes, Vicentiam furtim ingrediuntur, urbemque præſidio nudatam fœde diripiunt, indeque opulentam prædam abduxere. uerùm enimuerò quum uana de Heluetiorum aduentu fama extitiſſe, Veneti eo liberati metu, ad Veronæ obſidionem iterum uires omnes ſuas conuertunt, Galliſque aliò dilabentibus, ſoli in Veronenſem agrum feruntur:

No. pulueris incendium.

& dum præcipiti curſu rhædæ, plauſtraque ſulphureo puluere onuſta per uaſtam campi Martii planiciem agerentur, ignis fauilla ex rotarum lamina ſuper ſilicem repercuſſo emicuit, accenſaque materia, omnis illicò tormentalis puluis uoraci flamma abſumpta eſt: uehicula quoque cum aurigis, & tormentis, equiſque, ac bobus pariter exuſta. Interim de pace cum Cæſare, Rege Galliæ, Hiſpaniæ, & Veneto Senatu, Principum Oratores apud Nouiodunum in Celtis urbem ſæpe egerunt. Burſelis poſtremò hæ pacis conditiones ſequutæ, ut Verona in manu Regis Catholici Caroli V. deponeretur,

Pax, & eius conditiones.

& ſubinde per eum ad Gallorum Regem perueniret, qui eam poſtea iure fœderis Venetis traderet; ſoluerenturque ob id Maximiliano Cæſari per Venetos, Galloſque ducenta aureorum nummum millia: inducias uerò decem, & octo menſium cum Venetis Cæſar pactus eſt, quo tempore Galliæ, Hiſpaniæque Reges de reliquis oppidis, finibuſque agri Veronenſis bello partis iudicarent. his pactis ſolemniter firmatis, dum Veneti, Gallique ad Oſſombonum caſtra haberent, duo Oratores Veronenſes, uiri præclari,

Veronenſiſ Legati

Nic. Caballus, & Leonardus Liſcha, ad Lutrechium, & Grittum publico ciuitatis nomine in caſtra Venere, congratulatique ſunt de pace, de induciis, quibus clariſſima urbs per uaria Martis diſcrimina octauum poſt annum ueteri Imperio reſtituta eſſet, fœliciſſimamque hanc diem Veronenſes memoria colerent ſempiterna. At poſtera luce Lutrechius, & Grittus cum armatis copiis, ſigniſque Imperatoriis, & tubarũ cãtu, per portam nouam vrbem ingrediuntur, rectaque in prætorium progreſſi, obuiã Epiſcopum Tridentinum habuere; qui ſtatim Verona Lutrechio Cæſaris nomine aſſignata, vrbe cum præſidiario milite exceſſit, in Germaniamque abiit: mox Lutrechius vr-

Veronæ receptio.

bem cum clauibus portarum Andr. Gritto Legato, magno populi concurſu, ac incredibili omnium gaudio tradidit. fuitque hęc Veronę receptio M.D.XVII. Decimoſeptimo Kalendas Ianuarii, qui dies apud Veronẽſes celeberrimus quotannis habetur, triduoque ingens tota urbe feſtiuitas acta, piiſque votis, omnibus Deorum templis, ariſque ſupplicatum. obſtuereque Galli fidem, & affectum in Remp. populi illius incomparabilem. Poſt hæc Lutrechio cum copiis Verona digreſſo, Veneti urbem uali-

And. Triuiſanus, Chriſt. Maurus.

diſſimis præſidiis firmarunt, miſſiq; ſunt ad eã regendam, And. Triuiſanus, & Chriſt. Mauro, viri ampliſſimi. inde Grittus, Lutrechio Mediolanum profecto, Senatus iuſſu Salodium, Piſcheriam, Bergomum, Brixiam, Cremam, Veronam, Vicentiam, Patauium, Taruiſium, Rodigium, Vtinum, ac totum Foroiulium inuiſit, hortandoque, & conſolando populorum animos in antiquæ fidei obſequio confirmauit; tandemque poſt tot labores exhauſtos, poſt varios armorum conatus, poſt innumerabiles terra, marique clades, expenſamque infinitam auri magnitudinem, honeſtis conditionibus bello finis impoſitus eſt, & pax perpetuò firmata. illud uerò (abſit verbo inuidia) inſigni, ſempiternaque Venetum laude exornat, qui tantam belli molem per octo fermè annos aduerſus vniuerſæ Europæ principes ſuis ſolis viribus ſuſtinuit, ac rem inclina-

No. Venetorum in bello uirtutem.

tam non ſolùm erexit, ſed in priſtinam etiam dignitatem reſtituit. quod memorabile cunctis ſæculis prædicabitur. ſociis enim armis tot Reges, tot Principes Venetũ adorti, omni penè terreſtri imperio ſpoliarant, actumque aliis ſuper aliis cladibus de Rep. fuiſſet, niſi ſingularem in aduerſa fortuna conſtantiam patres habuiſſent, collapſumq; tandem erexere admirabili virtute imperium. liceatque mihi hoc loco, quando ſcri-

Not de Guicciardino.

ptoris vel inſcitia, vel error manifeſtè deprenditur, eius dicta refellere: nam quum in Fr. Guicciardini commẽtarios Thuſco ſermone conſcriptos, qui nuper in lucem ęditi ſunt,

ſunt, forte incidiſſem, multa in his parũ veridicè de rebus Venetis ab authore deſcripta inter legendum animaduerti, præcipueque in ea oratione, quam ſcribit, Ant. Iuſtinianum Venetum Legatum poſt Abduanam cladem apud Maximilianum Cæſarem habuiſſe. nam præter multa ſummiſſè, ſuppliciterque, ut ſcribit a Iuſtiniano corã Cæſare explicata, illud mendaci uanitate plenum addit, quinquaginta aureorũ nummũ millia Venetos pollicitos fuiſſe Cæſari in perpetuum cenſus nomine ſoluere, vt pacẽ ab eo impetrarent: quod falſum vtique eſt. non enim perpetuò, ſed decennio tantùm donatiui nominis ea pecuniæ ſumma oblata fuit, ut publico patet mandato, quæ Cõmiſſio a noſtris appellatur, quam ego diligenter perlegi, dum veritatis huiuſcemodi indagandæ percupidus, publicas tabellas ex Archiuis euoluo. nec negare poſſum, magnam animorum conſternationem in ciuitate fuiſſe, pro tot Reip. aduerſis, dubiiſq; fortunæ caſibus, dum omnis Europa coniunctis armis furens, infeſtaque, in Venetum nomen debacchatur. nulla enim unquam ætate, nulliſque annalibus ſcriptũ legitur, gentem vnam in fœdiorem conſpirationem, potentioreſque hoſtes incidiſſe, quorũ formidabili impetu Veneta res penè euerſa corruit: vixque Romanus ille rerum Dominus eorum arma ſuſtinuiſſet: non ſe propterea tantum ciuitas abiecit, vt nulla habita publicæ dignitatis ratione pudẽdis pactionibus, uerbiſque indignisſimis Venetum nomen deformaret, prudenterque a patribus factum fuerat, ad placandos Cæſaris, reliquorumque Principum animos, tot eis ciuitates vltro reddere, pro quibus ab initio bellum ortum erat. iis igitur ſponte traditis, hoſtibusque emollitis, quę nã formido, animique abiectio Venetos impellebat, ut præter urbium alienationem, tantam auri vim in perpetuum ſuperbisſimo hoſti penderent, & nomen Venetum mortalium ludibrio exponerent? nulla preterea acrior neceſſitas, ſupremumue Reip. excidiũ imminebat, vt ea cõſilia ignominiæ plena Veneti ſequerẽtur. tẽtataq; eſt (neq; id inficior) a Senatu cũ Cęſare recõciliatio, iniquioribus aliquanto cõditionibus, ut qui in aduerſa fortuna conſtituti ſunt, facere ſolent, nõ tamẽ in hæc fœda, ac pudenda cõſilia Patres animos demittere unquam potuere, quando ſaluum omne maritimum imperium ſtaret, terreſtris quoque ditionis aliqua pars in poteſtate adhuc noſtra eſſet, nec recuperandi imperii ſpes omnino deplorata exciderat: quod Deorum benignitate, conſtantique patruum uirtute poſtea euenit. Adde id, quod dilucidiorem prorſus cauſam facit, ne quis ullo modo addubitet, Guicciardinum manifeſtò erraſſe, quum planè conſtat, Iuſtinianum Legatum in Germaniam proficiſcentem, Cæſarem in conſpectum ſuum uenire non permiſiſſe, nec uictoria elatum alloqui uoluiſſe. Itaque Iuſtinianus a Cæſare non admiſſus re infecta in urbem rediit. quo nam igitur pacto Guicciardinus, Scriptor alioqui clarus, hæc ſomnia effingit? audetque deſcriptis iniquiſſimis pacis conditionibus, humilique, & abiecta oratione conficta, Venetum nomen tam impudenter deformare? Sed hæc ſatis ad confutandam calumniam a nobis dicta ſint. Ac per id tempus magna in extremo Oriente rerum mutatio facta eſt, Regnoque excidit Campſo Ghaur Sultanus Turcorum armis debellatus. nam Selyn Sach maximis copiis Othomanorum gentium contractis, ex Thraciæ ora in Syriam irrupit, prælioque in Alepianis campis apud amnem Singam inito, Sultani exercitus Cayarbei Ducis fraude ingenti clade profligatur, periitq; equo prolapſus, ſubitò animi dolore Ghaur Amyra: Rexque Thomombei eius loco ſalutatus, copias reparauit: Qui mox etiam ipſe ſuorum dolo uictus, captusque in Turcorum poteſtatem uenit. Cayroque urbe ampliſſima ingenti Mamulochorum cæde occupata, Selyni iuſſu ad portam ciuitatis, quæ Baſuella dicitur, Thomombei laqueo necatus eſt. nec multò pòſt Syria, Aegyptusque prouinciæ debellatæ Turcorum armis ceſſere, Imperioque opulentiſſimo, Seruorum ſtirpe deleta, qui diu inſolenti faſtu regnarunt, intra breue temporis ſpacium Selyn Sach ſumma fœlicitate potitur. Deceſſitque altero ferè poſt pacem anno Lauredanus Princeps, Remp. autem adminiſtrauit ſupra nouem & decem annos, & in Gemellorum æde urna ſublimi conditur, funebrique oratione ab And. Nauagerio uiro doctiſſimo decoratus fuit. Ducatumque Lauredani loco Antonius Grimanus iam nonagenarius miro patrum conſenſu accepit, magnamque is uir fortunæ inſtabilitatem in omni uita expertus eſt: nam gratia, & authoritate a pri-

mis

Iuſtiniani oratio in Guicciardino.

Commiſſio.

No. 2.

Argumenta res.

Sultani excidium

Thomombei.

Selyn Sach uictoria de Sultano.

Lauredani Principatus.

Ant. Grimanus Dux 66. an Domini 1521.

mis annis in ciuitate plurimum ualuit, magiſtratusq;, & imperia ampliſſima terra, mariq; geſſit. idē generis nobilitate, opum magnitudine, forma corporis, dotibus animi

Dominicus Cardinalis.

æque clarus, quinque liberos ſuſcepit, inter quos Dominicus Cardinalis, eruditione, ſapientia, integritate admodum illuſtris in Romana curia, tanquam ſidus effulſit clariſſimum. Pater uerò (ut diximus) maximis honoribus diu excultus, mariſque Imperium ſæpe adeptus, multo tempore in Rep. floruit, è ſummo poſtea dignitatis

Aduocatores.

gradu, rerum humanarum uiciſſitudine ſic ferente, non ſolùm excidit, ſed etiam carcere, & relegatione damnatur. inde in patriam, Bernardo Bembo, Marino Iuſtiniano, & Aloyſio Gradonico, Triumuiris Aduocatoribus referentibus, ab exilio accitus, ad principatum, ut olim illi prædictum fuerat, euehitur. ſic nullo unquam tempore mortaliū quiſquam maiori fortunæ uarietate agitatus eſt. Sub huius igitur noui Principis tempore pace inita, res Veneta conquieſcere aliquantiſper uidebatur: uerùm ſubito Turcoru mterra marique apparatu, non anxia, ſollicitaque eſſe non potuit. factumque eſt, ut quum uno, eodemque fermè tempore, & in Pannoniam ingentes Othomanus copias, & in Aegeum ad Rhodum oppugnandum claſſem præpotentē im-

Rhodus.

miſiſſet, his motibus acerrimi Chriſtiano nomini hoſtis, Veneti impulſi, licèt pacem cum eo haberent, nauales tamen uires & ipſi ad tutandum maris imperium ſubitò

Veneta claſſis.

contraherent; ſexagintaque triremibus inſtructis Dom. Triuſanus eques, & procurator, uir prudentia, & conſilio ſingulari præficitur, in Cretamque ſtatim recto cur-

Dom. Triuiſanus.

ſu cum tota claſſe adnauigauit, ibique nil hoſtile in Turcam mouens, ne pacem uiolaret, diu ſtationem habuit, at uigili cura omnia circunſpicere, prouidere, agere, ne quid detrimenti in tanta hoſtium uicinitate Reſp. pateretur. Clare tamen conſtat, ſi uim Triuiſanus inferre Barbaro fœderis oblitus uoluiſſet, facile eum cum magna Veneti nominis gloria delere potuiſſet: nam hoſtis in terram egreſſus, uacuam omni præſidio claſſem reliquerat, qua deleta, nil præterea quicquam obſtabat, quo minus excluſis undique mari auxiliis, Turca in inſula deſtitutus, ferro, fameque conficeretur. uerùm fidem Venetus ex maiorum inſtituto ſeruare uolens, a ui abſtinuit. Ac per id tempus Leo. Pontifex poſt Placentiam, Parmamque urbes Cæſarianorum ope

Leo. Pōtificis mors.

receptas, fatali hora interiit, ſucceſſorque creatur Adrianus eius nominis Sextus, Gente Hiſpanus, ſeu Flammingus, tum abſens, ac prouectæ, ingraueſcentiſque ætatis; ad

Adrianus VI. Pont. Maximus.

quem, ubi ille ab ultimis Hiſpaniæ oris maritimo curſu Romam acceſſit, Veneti ſex hoſce Oratores, obſequii, congratulationiſque cauſa deſtinarunt, Al. Mocenicum equitem, Ant. Iuſtinianum Doctorem, Vinc. Capellium, M. Dandulum Doctorem,

Legati Veneti ad Pōtificē.

& equitem, Pet. Peſarcum, & M. Foſcarum. qui magno honore a Pontifice, Romanoq; populo excepti fuere. Et Rhodii a potentiſſimo hoſte oppugnati, urbem diu ſtrenue tutati ſunt, cui Philippus Villada gente Gallus, tunc Magnus Magiſter præſide-

Philippus Villada

bat. nec ſolum turres, uineaſque. Sed montes etiam ex egeſta humo irrequieto opere manu factos Turcæ admouere, è quibus coniecta miſſilia, telaque omnis generis oppidanos die, noctuque fatigabant. nec Rhodii tamen, Hieroſolymitaniq́ue equites in tanto urbis periculo ſegnem operam præſtabant, ad omnia illa ſtrenue agenda, quæ ad defenſionem neceſſaria erant: nam circa mœnia die, ac noctu armati adeſſe, munitiones erigere, commeatus curare, ſtudiumq; omne impendere, ut communi ſaluti aduerſus immaniſſimos hoſtes conſulerent: diuque eorum impetum ſuſtinuere. Po-

Gabriel Martinengus.

ſtea Gabriel Martinengus uir fortiſſimus Veneti præſidii in Creta Gubernator cum ualida armatorum manu in Rhodum ad eius inſulæ defenſionem ſponte belli periculis ſe pro fide exponens, tranſiit, multaque præclara facinora in Turcas geſſit. Sed gens bellicoſiſsima coram Rege cunctis periculis ſe obiiciens, in ſupremum fœdæ deſolationis nobiliſsimi oppidi diſcrimen Rhodios adduxerat. Quare ad reparandum imminens excidium illi conuerſi, quum nullam etiam Chriſtiani Principes opem ferrent, Gabriele Martinengo authore, qui deploratam rem uidebat, deditionem fece-

Rhodi amiſſio.

runt, atque ita Rhodus nobiliſsima inſula in Turcorum poteſtatem uenit, ac ex antiqua ſede Hieroſolymitani equites, quam per tot annos pacatè tenuerant, Othoma-

Melita.

nicis armis expelluntur, profugique in Melitam inſulam, quæ eſt inter Siculum, & Lybicum mare poſita, commigrarunt. De hac Rhodi deditione Vincentius Pimpinellus

Vinc. Pimpinellus de Venetis.

nellus uir eloquentisſimus Romæ in quadam ſua oratione omnes ferè Principes Chriſtianos accuſat,& quum ad Venetorum mentionem uenit, Accuſarem,inquit, etiam uos terra,marique potentisſimi Veneti, in quorum manu erat uictoria, niſi uobis ad æmulationem ueterum Romanorum iampridem animo inſitum eſſet, fidem, & iuſiurandum non modò amicis, ſed & hoſtibus eſſe ſeruandum. Turcorum autem rebus fortuna arridente, in Pannonia quoque Belgradum ab his expugnatur, aliaque belli facinora a Turcis in Chriſtianos ædita. ea autem,quia ad noſtram hiſtoriam parum attinere uideo, prætereunda duxi. Et Triuiſanus, ubi Turca uictor cum nauali apparatu Byzantium rediit,a Creta digreſſus, cum incolumi claſſe & ipſe domum reuerſus eſt.

Grimani. P. mors.

Moriturque hiſce diebus Grimanus Princeps, & ad Antonii ædem magna funeris pompa elatus,ſpecioſum ſepulturæ locum habuit. Laudatusque eſt a Federico Vallareſſo funebri oratione elegantisſima,uixitque per uiginti ferè menſes in Principatu. Grimano autem defuncto, And. Grittus belli, pacisque artibus uir inſignis ſurrogatur,

And. Grittus Dux LXVII. an. Do. 1523.

repulſamque paſſi ſunt, Ant. Tronus, & Geor. Cornelius, Diui Marcii procuratores, ambo ingenio, & authoritate clari. meritoque ſupremam dignitatem Grittus aſſequutus eſt,quum toto belli tempore militaria obiens munera, immenſos ſubierit labores. Accedebant quoque præter corporis ſpeciem amplam, maieſtatemque oris eximiam, dotes in eo animi ſingulares, liberalitas, prudentia, comitas, facundia: iureque optimo Principatus dignitas attributa illi eſt, quo uirtute, ſplendore, meritis,nemo ea tempeſtate in Repub. prior habebatur. Adrianus interim Romæ Pontificio illo faſtu abiecto,humile uitæ ſtatum agebat,paucis, minimiſq; contẽtus, cuius perurbanum factũ memorare libet.

No. Adriani Pont. factum.

Is enim dũ ex Hiſpania profectus in Italiã nauigaret,& ad portũ Herculẽ in maritima Senẽſium ora acceſiſſet,forte ibi mulierem uirili habitu cultam inſpexit: tum conuerſus ad aſtantes, Deus,inquit,fecit illam mulierem,ille autem uult eſſe mas: faciamus ergo,ut neque habeat maris habitũ, neque fœminæ. ſtatimque iusſit eam ſpoliari,relicta tantùm linea clamide,quæ nudum corpus obtegeret: quod in riſum omnes uertit.

Not. fœdus.

fœdus poſtea Veneta in urbe Adriano Pontifice procurante initum eſt, inter Carolum V. Ferdinandũ Archiducem Auſtriæ Venetum Senatum,& Mediolani Ducem. interfuereque huic fœderi Veneti Senatus nomine uiri præſtantisſimi, Geor. Cornelius, Aloyſius Mocenicus,& M. Anto. Venerius,& pro Carolo Alphonſus Sanchez, & pro Ferdinando Balthaſar Cleſius Legati erant: multæque conditiones appoſitæ ſunt,quas æquitate, & honeſtate plenas partes ſubſcriptionibus ſuis approbarunt. nec eas breuitatis cauſa ſigillatim referre duxi. Sũma autem fœderis fuit,ut per illud quies,tranquillitas, armorumque uacatio in toto Chriſtiano orbe pararetur. Adrianum inde paulòpòſt Pontificẽ ſuprema dies ex humanis abripuit, eique ſuccesſit Iulius de Medicis Cardinalis Florentinus, Clemens VII. appellatus.

Clemens VII Pont. Maximus

Legatioque ſtatim a Veneto Senatu de more decreta,octoque Oratores misſi, Th. Contarenus, Hiero. Peſareus, M. Dandulus, Laur. Bragadenus, Nico. Theupolus, Dom. Venerius, Aloyſius Bono,& Laur. Aurius,inſignique hi omnes comitatu Romanum adiere Pontificem,ac publico nomine congratulati ſunt,obedientiamque præſtarunt.

Legati ad Pontificẽ.

Poſt Leonis autem, Adrianique Pontificum mortem, res Italiæ in uarios bellorum motus inciderũt,primumque Fr. Maria Vrbini Dux Principatum ſuum,quem eccleſiaſticis armis Leo Pontifex,dum uiueret,occuparat, facili negocio recepit; Fr. Sforcia quoque poſt fuſos a Cæſarianis ingenti clade Gallos, Mediolano potitur,urbemque ingreſſus,incredibili omnium lætitia exceptus eſt. Gallique diminutis copiis, Mediolanique Ducatu amiſſo,in Galliam reuertuntur. Tum Cęſar in Lyguriam cum ingenti armatorum manu profectus, Genuam cepit, & diripuit, animoque ad debellandam Galliam uerſo,in arma Venetos trahere conabatur, a quibus illi abhorrebant,cum omnibuſque amice agere ſtatuerant. Miſit propterea Carolus ad Patres Oratorem ſuum Hier. Adurnum.

Hier. Adurnus. Ric. Paceus.

altera quoque Henrici Britanniæ regis Legatio Venetias acceſſit,quę Ricardo Paceo uiro præſtantisſimo demandata eſt;ac uterque patres hortari non deſtitit, ad arma in Gallos ſumenda. Sed dum hæc aguntur, Adurnus Caroli Orator extremum uitæ ſuæ diem clauſit,decedensque magnum deſiderium ſui reliquit; elatumque Adurnum publica funeris pompa ad Diui Stephani

ædem

Nic. a Pōte.

ædem laudauit in Principis,& patrũ conſpectu Nic.a Ponte,uiro eloquentia,& eruditione inſigni,qui tunc annuo ære philoſophiam magna ſua cum laude publice profitebatur: & in demortui Adurni locum Carolus Marinum Carraciolum Oratorem Venetias miſit,qui Cardinalis poſtea fuit.

Io.Baduarius.

& Rex Gallorum, apud quem Ioannes Baduarius pro Rep.Oratorem agebat,per Laurentium Ceritem primò, poſtea per Epiſcopum Baiocẽſem patres nouis cum Cæſare fœderibus,Principibus aliis reiectis, in ſua perſeuerare ſocietate cohortatus eſt. vocato igitur Senatu de Regum poſtulatis relatum.

And.Grittus.

tum And. Grittus Gallorum amplecti ſocietatem e Repub.eſſe cenſebat, quãdo armorum potentia Rex ualeret,fideique, & uirtutis opinione inter cunctos mortales excelleret,iuſtumque bellum ei pro hæreditario principatu gerenti,fas, piumque eſſe arbitrabatur, Venetos nullo modo deeſſe;Carolumque ampliandi imperii cupidine accenſum,ad Italiam ſubigendam,omni ſtudio inuigilare;quod ne eueniret,a patribus omnem operam dandam,periculaque ante oculos unuſquiſque ſibi proponeret,quæ ſi Cæſar uinceret,Reip.imminerent;omnique ſtudio adnitẽdum, ne Italiam exteræ nationes inuadant:quod facile eueniret,ſi relicta Gallorum ſocietate, cũ Carolo arma iungerentur.

Geor. Corneli'.

contrà,Georgius Cornelius,rerum uſu,prudentia,& conſilio uir præſtantiſſimus,eximiam Caroli uirtutem ad cœlum extollens, Senatum hortabatur,ut cum præpotenti,inuictoque Hiſpaniæ Rege,ſocietas, amicitiaque uetus confirmaretur,quæ ſub Adriano VI.Pontifice antea ſolemni ſtipulatione contracta fuerat, cum eoque uictore potius Venetos coniunctos eſſe debere, quàm cum Gallorum Rege toties bello uicto,qui fato quodam in Italia diu regnare non poſſit,infauſteq; ſemper eius prouinciæ expeditionem tentauit:nec hoc anno Regem cum exercitu in Italiam uenturum,credendum eſſe,qui libenter intra Regni ſui fines,tãta clade affectus, ſe continebit,ne dum Italiam armis inuadat,Carolo autem fœliciſſimo rerum curſu, omnia proſpere cedere,cuius ſocietatem Clemens Pontifex, Henricus Britãniæ Rex, ac omnes ferè Principes appetunt: Patres quoque conſcripti ueterem amicitiã ſequerentur,quod fœlix,fauſtum,ac ſalutare Reip.futurum eſſet,pacatiorque Italiæ ſtatus redderetur.

Not.fœderis cum Carolo renouationem.

hæc ubi uterque perorauit, Patres cum Carolo fœdus renouare maturo conſilio ſtatuerunt;cui confœderationi, quæ per Adriani Pontificis obitu ſoluta eſſe uidebatur,& Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Caroli frater & Fr. Sforcia Mediolani Dux iterum aſcripti ſunt:eandem poſtea Clemens Pōtifex maximus, Rex Britanniç, Florentini,& Genuenſes complexi fuere, atque hæc omnia fiebant, ut Italiæ res defendi poſſent,aduerſus Gallorum arma,qui iterum cũ magno exercitu in Italiam deſcendere dicebantur.

Fr. Maria Vrbini Dux.

primùm itaque Veneti copias contraxere, quarum Imperiũ Fr. Mariæ Vrbini Duci, uiro militari ſcientia præclaro demandarunt: magna quoque a Pontifice,& Carolo Rege,aliiſque confœderatis Principibus armatorũ manus comparata,ut hi omnes coniunctis uiribus, quando opus eſſet,neceſſitaſque adigeret,ſeſe ex occaſione hoſtibus opponerent. Senatus tamen a Gallorum amicitia non diſceſſit. Venetiiſque hoc tempore obiit,ſenio confectus, Geor.Cornelius, Senator omnium præſtantiſſimus,quem princeps,patreſque funebri pompa ad Apoſtolorum ædẽ, ubi maiorum ſuorum extant ſepulchra,extulere:laudauitque eum Carolus Capellus luculenta oratione.

Geor. Cornelii laudes.

& ſane uir ille ſummus,claruſque in Repub.fuit, congeſtiſque omnibus humanis,a natura,fortunaque bonis, maximam ſibi laudem peperit. nobiliſq; idem, ac diues erat,miroque conſilio,ac prudentia præditus,facundiſſimuſque habebatur,ſeu priuata,ſeu publica cauſa in foro,Senatuue oranda:eiuſq; ſolius opera Cypri regnum Venetis rebus acceſſit, dum ſororem Catherinam eblanditam ab Inſula, ubi illa Regina imperitabat,ſecum in patriam naui duxiſſet.

Not.de procuratoribus.

Et in urbe Procuratorũ numerus hoc tempore auctus, ut priſtina dignitas ciuitatis principibus reſtitueretur, qui diu hoc honore caruerant,quem,qui cenſu pollebant,ex lege cæteris reiectis,cõſequebantur: idque antea factum fuerat, ob ærarii belli aſſidui ſumptibus exhauſti inopiam,ſexcentaque aureorum millia à ciuibus, qui diuitiis affluebant, mutuo expreſſa,ſalutare Reip.ſubſidium attulere. confecto poſtea bello, refloreſcentibuſque imperii rebus,nouo decreto,treis procuratores creari placuit,qui meritis,authoritate, & prudentia in Rep.eminerent;

Al. Priolus.

primiſque comitiis creatus eſt Aloyſius Priolus,

ſecundis

ſecundis Leon. Mocenicus, & nouiſſimis Paulus Capellius eques. atq; hoc etiam tempore, immoderata hominum cupiditate, in ciuium animis efferueſcente, qui in ſuffragiis eliciendis, & aucupanda hominum gratia largitionibus, & malis artibus utebantur, lex de ambitu lata eſt, Cenſoreſque ad rem curandam ueteri Romanorum exemplo creantur; primique fuere Gaſpar Maripetrus, & M. Foſcarus legis author, magnæ ſeueritatis & conſtantiæ uiri, qui multos ex nobilibus, qui legi non obtemperarant, a Comitiis, Senatuque amotos cenſoria nota ærarios fecere; compreſſaque eſt huius magiſtratus authoritate immodica ciuitatis ambitio, quæ profectò bonos mores corrumpit, deprauatque iuuenum animos, dignitates in Rep. malis artibus affectantium: nihil enim ambitione deterius. adnitendumque eſt ad honores, non fictis, fucatiſque precibus, ſingulos prehenſando, eblandiendoque; ſed uera uirtute, atque animi moderatione, quam maiores noſtri ſequuti, atque ab ambitu alieni, nobiliſsimum Reip. corpus conſtituere, qua nunc ipſi pacatè fruimur, perpetuoque fruemur, ſi per eorum ueſtigia incedentes, iuſtitiam, pietatemque colemus. antiquata tamen fuit huius magiſtratus poteſtas, dum parum eo tempore proficere Reip. uideretur. excreſcente poſtea maiorem in modum in ciuitate ambitione, nouo decreto iterum cenſoria dignitas reſtituitur, cui adiecta eſt rerum ad collegia capitalium cura, & gladiorum, ſeruorumque iudicia commiſſa, quæ nunc illi ad hanc diem ſeueriſſime in tranſgreſſores exercent. hinc compreſſa eſt ſicariorum in urbe licentia, & ſerui humilius Dominis ſuis parent, qui prius ſuperbum, inofficioſumque famulatum præſtabant. Et hæc domi circa res urbanas curabantur: foris autem, Fr. Gallorum Rex in Italiam cum maximis copiis deſcendit, ut ex Mediolanenſis Principatus vrbibus Hiſpanos armis eiiceret: ueritus autem Carolus, ne Veneti hoc Gallorum motu partes ſuas deſererent, clã curauit, ut Henricus Rex Angliæ Ricardum Paceum ex Tridẽto Venetias mitteret, qui patribus nomine ſuo denunciaret, ut fœdus, quod antea cum Carolo, cæteriſque principibus, ſolenniter percuſſerant, obſeruarent, ne querelæ locus cuipiam relinqueretur. at Veneti nec a fœdere ſe diſceſſuros, nec aduerſus Gallos, niſi laceſſiti eſſent, ſe arma illaturos eſſe reſponderunt: uerùm pacis ſtudioſi neutrius partis ſequendæ conſilium amplecti ſtatuere, ad Papiam autem Rex ſub primũ acceſſum caſtra poſuit, ubi Antonius Leua clariſſimus belli Dux cum ueterano milite Caroli nomine præſidio aderat, qui nuper de more ab electoribus Archiepiſcopis, Maguntino, Treuerenſi, Colonienſi, Comite Palatino, Duce Saxoniæ, Marchione Brandeburgenſi, & a Rege Bohemiæ Cęſar Auguſtus declaratus, Maximiliano patruo dudum defuncto in Imperio ſucceſſerat, ad quem congratulandi cauſa a patribus decreta eſt Legatio, eaque duobus ampliſſimis uiris, Laurentio Priolo equiti, & Andr. Nauagerio demandata fuit. urbs igitur a Gallis circumſeſſa, oppugnataque diu eſt, in ſummoque uerſabatur periculo, ne a Regiis capta, domitaque ſubigeretur: proſtrata enim tormentis mœnia latè corruerunt, trepidationeque ac fuga omnia in urbe plena erant, iamque oppidani palam de deditiõne facienda inter ſe loquebantur, priuſquàm extremam hoſtis uim inferret. tum opportune Borbonius, qui a Rege paucis antè diebus ad Carolum Cæſarem deſciuerat, cum octo armatorum millibus, in ſubſidium obſeſſorum adueniens, iuxta Ticinum conſedit, ſtatimque in Gallos explicata acie irruit. Marchio quoque Piſchariæ Hiſpanos in pugnam inducit, tormentiſque primùm res geritur, quorum ſtrepitu exciti, qui in urbe erant, ſtatim arreptis armis, duce Antonio Leua, qui ob pedum debilitatem lectica uehebatur, patefacta porta erumpunt, & in Gallos magno impetu feruntur, multoque temporis ſpacio dubia utrinque fortuna pugnatum eſt; demum Galli magna clade profligantur: nam ex his ſupra nouem armatorum millia trucidata in acie fuerũt, in quibus ex Gallicæ nobilitatis flore hi Ductores, ac Principes, Admiraldus, Paliſius, Tramulius, Obiginius, Boiſſius. at Rex in prima acie dum acerrime in hoſtes depugnat, interempto equo capitur, & cum eo Nauarræ Rex, Sabbaudiẽſis, Memorantius, Ambricortus, ac plerique uiri illuſtres capti in hoſtium poteſtatem uenere, ex quibus ſeptingenti in prælio occubuere, & in his Ferrandus Caſtriota Marchio oppidi Sancti Angeli in Apulis. Rex autem in Caroli pro Regis Neapolitani poteſtatem ueniens, cui ultro uictus ſe dedit, mittitur ſtatim ſub quingentorum militum cuſto-

Leon. Mocenicus. Paulus Capellius.

Primi Cẽſores.

Not. de ambitu.

Cenſorũ munus.

Fr. Gallorum Reg in Italiam aduẽtus.

Ric. Paceus.

Carolus electus Imperator.

Borboni⁹.

Pugna ad Papiam.

Cæſi ex Gallis. Rex capitur.

cuſtodia Picegatonum,inde in Hiſpaniam in Madryllum oppidum abductus eſt, ac reliquæ Gallorum copiæ diſſipatę Duce Lanſono,in Galliam tranſierunt. in hac autem

Gaſp. Cōtarenus.

tanta uictoria Cæſar, apud quem Gaſpar Contarenus pro Rep.Oratoris munus obibat,ſingulari animi moderatione uſus eſt:nullum enim lætitiæ ſignum uſpiam in Re-

No. Cæſaris cum moderationem.

gnis ſuis fieri publicè permiſit,inhumanum,impiumque eſſe exiſtimans, Chriſtianæ gentis ſtrage eum Imperatoris,Auguſtique nomen,ac titulum tenentem, gaudio efferri.uerùm omnis Diis immortalibus honos habitus, gratiæque his pie actæ, Cæſar poſtea,Fr.Sforcia,qui in læſæ maieſtatis criminis ſuſpicionem uenerat,quatenus contra eum(ut quorundam delationibus ferebatur)inſidias ſtruxiſſet, Principatu depulſo,Mediolani Ducatum occupauit.At Pontifex,Venetique in Italia,exterique Reges Cæſaris fœlicitate permoti,qui tantum Regem ceperat, Italiamque armis inuaſerat, ſucceſſus,uictoriaſque in feroci,& regnandi cupido iuuenis animo non parum formi-

Rex Gallorum e cuſtodia liberatur.

dabant.Hinc Franciſcus Gallorum Rex poſt aliquot menſes Leonora Cæſaris ſorore ſibi matrimonio coniuncta,datiſque obſidibus,qui fuere duo eius filii, è cuſtodia liberatur,& in Galliam rediit,ad quem And.Rubeus è ſcribarum a ſecretis ordine, qui

And. Rubeus.

Gallicam linguam optime callebat,Legatus publico nomine miſſus eſt,iſque uno tantum comite Veneta urbe digreſſus,in Camonicam uallem ſe contulit, inde ad Griſonos,Heluetioſque profectus,Lugdunum magnis itineribus contendit. poſtea ad Baionam Vaſconiæ ciuitatem peruenit,ubi cum Roberteto regio theſaurario locutus, per eum in oppidum Monfort ad Regem perducitur,cui poſt manuum exoſculationes,Senatus nomine de liberatione ſua congratulatus eſt,& beneuolentia, affectuque Reip. ſingulari,in Gallicum nomen commemorato, omnia proſpera Venetos Regi optare addidit. tum Rex gratias Senatui egit, quòd non ignoraret, quantopere laboraſſet pro liberatione ſua,qua,Deorum benignitate,ſequuta,ſtatuiſſe ſe ait, bello Carolum aggredi,ut acceptam captiuitatis iniuriam ulciſceretur, cupereque fœdus, ac ſocia

Fœdus cū Galliæ Rege.

cum Venetis arma iungere,quod Regis conſilium ſtatim per litteras Rubeus patribus ſignificauit.nec mora,data eſt ei a Senatu facultas,cū Rege publico noīe fœdus percutere,cui & Clemens Pontifex,procurāte Capino eius nūcio,& Fr. Sforcia Mediolani Dux ſimul adhęſere. Rexq; palā negabat,cōditiones minime ſeruare poſſe quas captiuus,& in cuſtodia poſitus cum Cæſare inuitus pepigiſſet.accepta aūt Rubeus Senatus

Bordeos.

uoluntate,ad Bordeos ciuitatem(ut Regem conueniret)ſtatim aduolat.eſt autem Bordeos totius Vaſconiæ metropolis,iuxta quam Garuna inſignis fluuius labitur. acceſſit

Car. Lanoyus.

quoque in Galliam Cæſaris nomine prorex Neapolis Carolus Lanoyus,ut Regis iuramento,conditiones,quaſi ille captiuus in Hiſpania a Cæſaris uictore acceperat, confirmaret:quod ipſum Rex facere recuſauit,quia neceſſitate omnia promiſerat, coactus,

Fœdus ad Coguacū.

ſtatimque cum Clemente Pōtifice,Veneto Senatu,& Duce Mediolani fœdus Cognaci in oppido ſolemne percuſſit.Rubeuſque a Rege torque aureo donatus, equeſtri dignitate decoratur: pro quo quidem fœdere magna lætitiæ ſigna Lutetiæ Pariſiorum,Romæ,& Venetiis ædita ſunt,ſupplicatioque ſolemnis indicta, piæque preces, & Diui Marci ædes aureis,ſericis,ac purpureis pannis,auleiſque exculta, totumque forum,turriſque Martia uexillis,ſigniſque uerſicoloribus ornata,ſuperbiſſimum ſpectaculum repreſentauit. miſſique poſtea ſunt pro fœderis icti confirmatione a Senatu

Seb. Iuſtinianus Laur. Bragadenus. Legati intercepti.

Legati ad Regem,Seb.Iuſtinianus,& Laur.Bragadenus, qui dum per Inſubriam iter facerent,ad Comi lacum progreſſi,ut Coyram in Griſonum finibus proficiſcerentur, ab armatis hominibus,qui in lembis aderant,medio lacu contra ius gentium intercipiuntur:traditique ſunt in manus Marchionis Marignani præfecti arcis Mus, qui ſtatim eos cuſtodiæ tradidit: atque id redimendæ pecuniæ cauſa ille feciſſe dicebatur, quam ſibi Veneti debebant.procurante poſtea Pontifice Maximo Oratores ambo è cu-

Legatorū liberatio.

ſtodia liberantur,Bragadenoque ob inualitudinem in urbem reuerſo, Iuſtinianus ſolus in legationem profectus eſt.Mirum uerò dictu,quanta in Regibus,Principibuſque animorum uarietas appareat,modo in nouis fœderibus ſequendis,modo in iis ſubitò deſerendis, pro ut aliqua ſpes fœlicioris ſucceſſus unicuique eorum affulgere uidetur.itaque dum Cæſar res Italiæ armis infeſtat, omniaque proſpero Martis curſu debellare ſtudet,Veneti ab eius ſocietate alienati,fœdus cum Clemente Pontifice, Gal

liæ,

liæ,& Britanniæ Regibus, Fr. Sforcia, ac Florentinis, ad tuendam Italiæ libertatem, in iere: miſſúſque eſt a patribus Florentiam Legatus M. Foſcarus, ut communis rei conſultationibus in ea urbe publico nomine intereſſet. poſtea in Foſcari locum Ant. Surianus Doctor, & eques, ſufficitur; inde Carolus Capellius, uir doctrina clarus.

M. Foſcar. Ant. Surianus. Car. Capellius.

Interim Gallorum exercitus ſub Michaelis Salaſſi Principis auſpiciis in Italiam tranſiit, ſociorum etiam copiæ in Hiſpanos eductæ ſunt, bellumque in Cæſarem ſimul omnes parant, ut Fr. Sforcia in Mediolanenſem Principatum hæreditarium reſtitueretur. primoque acceſſu Laudam occuparunt, inde Mediolanum continuò itum, ad Sforciæ ſubſidium, qui a Cæſarianis in arce obſidebatur: ſed ualidis hoſtium munitionibus, nil proſpere circa Mediolanum actum eſt. ibi enim præclari armorum ductores Borbonius, Leua, Vaſtius, Princeps Aurãtius, & Gaiazzi Comes, militaria munera pro Cæſare peruigili ſtudio obibant.

Cæſaris ductores.

omiſſa itaque Mediolani expeditione, ſociorum exercitus aliò flexit iter, ad Cremonæque uſque portas quadrato agmine adequitauit; quam urbem præſidio tenebant Ductor Corradinus, & Sciarra Columna. Sforcia autem Dux, quum diu Mediolani arcem in poteſtate ſua retinuiſſet, ac inexpugnabilis loci natura confiſus, nullam hoſtium uim extimeſceret, fame tandem ex ſumma frumenti inopia urgente deditionem facere coactus eſt, arceque continuò incolumis decedens, in confœderata caſtra ad Lambrum fluuium haud procul a Cremona ſe cõtulit: quæ iterum armis tentata, hinc enim Pontificii, Venetique, illinc Galli, & Inſubres, arma inferunt; productiſque tormentis bellicis, ac diſpoſitis circa urbem militibus, oppugnatio acerrima inchoatur, in qua miſſilia utrinque creberrimo iactu prouolantia ingentem hominum ſtragem ædunt.

Arx Mediolani a Cæſarienſis capta.

ceciditque ex Venetis Iulius Manfronus Ductor fortiſſimus, tormento hoſtili ictus, & Alexander Marcellus patritius inſignis, qui muros primus aſcendere auſus, plumbea glande percuſſus, ex alto in præceps moribundus corruit.

Iulii Manfroni & Alex. Marcelli cædes.

demum quum urbs egregie armis munita eſſet, difficiliſque expugnatio uideretur, in aliud tempus, bellica re dilata, obſidione eximitur: & quum certioribus nunciis allatum fuiſſet, breui Ducem Branſuicenſem cum maximis copiis, cumque uario apparatu ex Germania per Tridentinas Alpes in Italiam deſcenſurum eſſe; multorumque opinione uulgaretur, quòd ille pedem his uiribus in Italia firmaret; tum Vrbini Dux cum Veneto exercitu, quòd copiarum numero hoſte inferior eſſet, Brixiam ſe recipere conſtituit, & exercitus partem per Cremam, Veronam, Aſulam, Leniacum, & Vicentiam diſtribuit,

Dux Brãſuicenſis.

quo belli ex Germania motu iterum Rubeus a Senatu in Galliam ad Regem miſſus eſt, ut ope hoc Branſuiſenſis bellico apparatu implorata, Regem in Italiam cum nouis copiis euocaret.

And. Rubeus in Galliam iterum miſſus.

Interim Vrbini Dux cum Legatis Thoma Mauro, & Paulo Nani copiis in unum contractis, ad Caſſanum conſedit, ubi tutiſſima caſtra ſtatuit, quæ Sforcianam, & Venetam rem utrobique tutabantur.

Legati in exercitu ad Caſſanum.

& Ant. Leua Cæſaris exercitus Dux, Mediolani ſedens, omnia ultra, & citra Padum tenebat, præter Ticinum, Alexandriam, & Laudam, quæ urbes in Sforciæ Ducis poteſtate erant. inter hæc Rubei ſtudio, curaque Rex Gallorum nouas copias contraxit, ut in Italiam aduerſus hoſtium motus emitteret, quarum Ducem Sancti Pauli Comitem declarauit, ad quem patres officii gratia Franciſcum Contarenum Legatum creauere, ut cum eo bellica munera in exercitu curaret. miſſuſque etiam Brixiam M. Foſcarus, ad urbis præſidiũ.

Fr. Contarenus. M. Foſcarus.

in tanto armorum undique apparatu, mari quoque res gerebatur: nam ad Genuæ expeditionem trigintas ſeptem triremium claſſis profecta eſt, quarum octo Clemens Pontifex, ſub And. Doria auſpiciis emiſerat, ſexdecim Gallorum Rex, quibus Petrum Nauarram præfecerat, reliquas tredecim Reip. Venetæ Legatus Aloyſius Armerius ductabat: ſed totius claſſis imperium Petro Nauarræ demandatum fuerat.

No. claſſe ſociorum.

tentabaturque, Fregoſios, qui ab Adurna factione Genua expulſi fuerant, in patriam armis inducere: ſed nil actum eſt per tres menſes, quibus circa Genuam ſociorum claſſis obſidionem tenuit, quum urbs ualido Cæſaris præſidio munita eſſet, leuibus tamen præliis mari certatum. miſſo poſtea a Venetis in Annerii locum ad maritimum imperium Auguſtino Amulio, uiro forti, & prudenti, Neapolitana expeditio terra, marique tentata eſt: copiæque ſub Horatii Balleoni ductu ingentes contractæ, Ceſarianam rem infeſtare cœperunt, oppidumque Amare armis petitum, quod ſtatim uolũtaria deditio

Aug. Amulius.

ne in noſtrorum poteſtatem uenit: qua in expeditione Pauli Iuſtiniani, & Fr. Danduli uirtus plurimum enituit. Salernum quoque ſubigitur, multaque alia circa Neapolim oppida capta. ſequutæ ſunt poſtea inter partes ſex menſium induciæ. At in Pannonia res Chriſtiana ingens uulnus accepit. Solymanus enim Turcorum Imperator, cum centum armatorum millibus in eam prouinciam irrumpens, omnia ferro, ignique deleuit. quo barbaræ gentis motu Ludouicus Rex, ſtatim copiis contractis, populabundi hoſtis audaciam comprimere nitebatur. auſuſque poſtea eſt, longe impar copiarum numero in aciem deſcendere, ac cum barbaro confligere. Pannon igitur, Turcaque cõgreſſi, atrociſſimum haud procul a Danubii ripis prælium commiſſere, in quo Rex iuuenta ferox acerrime dimicabat, eiuſque, ac cæterorum Ducum ſtrenuitate parum abfuit, quin Turca loco ſummotus, ac in fugam pene uerſus ſit: diu tamen ancipiti Marte pugnatum, demum Barbarorum multitudine Pannones circumuenti, magna clade profligantur. Rexque ipſe præcipiti equi curſu in proximam paludem delatus, profunda uoragine miſerabiliter ſuffocatus interiit; cæſique, Strigonienſis, Varradinus, Tormeus, Epiſcopi, & Georgius Ioannis Vaiuodæ Tranſyluaniæ Ducis frater; ad uigintique cum his Pannonum millia interfecta in acie occubuere, paucique omnino è uictorum manibus incolumes ſunt elapſi, ac ſtatim Buda regia urbs deditione facta, in Solymani poteſtatem uenit, qua ualidiſſimo Ianizzarorum præſidio firmata, inde Cõſtantinopolim clara Rex inſignis uictoria reuerſus eſt; qui non multos poſt dies apud Alepum Syriæ urbem, And. Maurocenum ex Veneta gente mercatorem fama tota ea prouincia memorabilem teterrimo mortis genere necari iuſſit, ea de cauſa, quòd is Rubertum Cæſaris Legatum in Perſidem ad Tamaſſum Regem proficiſcentem, qui fuit Hyſmaelis uiri fortiſſimi filius, armis, iumentis, & pecunia iuuiſſet. Declarauitque per hos dies Pontifex Clemens ex diuerſis nationibus plurimos Cardinales, quorum de numero duo Veneti patritii fuere, ſingulari uirtute præditi, Marinus Grimanus, & Fr. Cornelius eques, & procurator, qui antea in Reipublica adminiſtratione diu floruerat. At in Italiam iterum Cremonæ expeditio tentata, ſociorumque exercitus ad urbem admotus, eam continuò bellico apparatu aggreditur, ac die, noctuque oppugnationibus fatigat, in omneſque urbis partes miles intentus, rem impigre gerit; nec hoſtis iam uiribus diminutus, confœderata, ſociaque arma ferre poterat: uerùm maturo conſilio Cremonenſes uſi, urbem Sforciæ poteſtati ultro permiſere, eamq; ingreſſæ ſociorũ copiæ magno populi gaudio excipiuntur. ſequuta eſt poſtea miſerabilis, fœdaque Romanæ urbis direptio, qualis olim nec a Gothis, nec a Longobardis, Vandaliſve facta legitur. nam quum Pontifex Clemens diu pace, belloque parum cum Cæſare conueniſſet, eſſetque inter eos tacita quædam ſimultas, animorumque diſſenſio, resque iam ad arma ſpectaret, copiæ utrinque ad belligerandum inuicem comparatæ ſunt: primùm autem magno armatorum numero Germanorum, Hiſpanorumque ad Cæſaris ſtipendia coacto, Borbonius Dux uir ferox, & pugnax præficitur. Et ex altera parte Pontifex hos motus pertimeſcens, ne ſe imparatum hoſtis aggrederetur, ingentem ſtatim equitum, peditumque manum largo ſtipendio contrahit, ualidiſſimiſque urbem Romam militum firmat præſidiis: nec diu tamen ab utraque parte frigeſcentibus armis, quicquam inuicem hoſtile geſtum: quo temporis ſpacio bellandi cum Pontifice Cæſar, qui mitiſſimus erat, conſilia abiiciens, ne res Eccleſiæ armis premerentur, pacem cum eo inire ſtatuit. nunciis itaque citro, ultroque miſſis, mutua concordia, ac pio fœdere uterque diſſidentes animos compoſuit. ea propter Pontifex belli metu liberatus, ad imminuendos Eccleſiaſtici fiſci ſumptus, maiorem militum partem, paucis retentis, miſſam fecit. Et Cæſar audito Borbonii Ducis cum uniuerſis copiis ex Hetruria diſceſſu, qui nuper icti cum Pontifice fœderis ignarus, Romam infeſtis armis petiturus, caſtra mouerat; ad eum ſtatim nuncios miſit, ne ulterius cum exercitu progrederetur, nec res Eccleſiæ infeſtaret, quando cum Pontifice in gratiam rediiſſet, fœduſque cum eo firmaſſet. At Borbonius & ſuapte natura ferox, & Germanorum uocibus impulſus, qui progrediendum, Romamque præſidio nudatam petendam eſſe acclamabant, cœptum iter continuare milites iubet, incredibilique ille, omniſque exercitus

Turcorũ motus in Pãnoniã.

Prælium cum Turcis.

Ludouici Pãnoniæ Regis interitus.

Pãnoniã Ola Res.

And Mauroceni cædes

Tamaſſus Perſa.

Cremona capta à Sforcia.

Borboniũ

Recõcilia tio Pont. cum Cæſare.

citus diripiendæ oppulentiſſimæ urbis ſiti exardentes, profectionem accelerabant. Venetus autem exercitus ſub Vrbini Duce cum Aloyſio Piſone, & M. Foſcaro, Legatis, Gallorum copiis coniunctus, audita celeri Borbonii ex Hetruriæ finibus profectione, ad tutandas ſociorum res ponè ſub ſignis, eum inſequebatur. Interim Borbonius incredibili celeritate uſus, iam ad Vrbem quadrato agmine acceſſerat, eamque fatalem caſum ſubiturus, ſingulari militum ſuorum uirtute aggreditur: ipſe tamen dum ferociter urbs oppugnatur, atque ante alios ad mœnia inter conuolantia tela progreſſus, in prælium ſuos accendit, glande plumbea inguine traiecto interficitur, ſtatimque humi ſublatus gregarii umbone in proximam ædem defertur, ibique continuò expirauit, vir omnium bellicoſisſimus, atq; elati ſupra modũ, dum uiueret, præferocisque ingenii. Duce tamen amiſſo, Germani, Hiſpanique, paucis a Pontificis militibus reſiſtentibus, qui metu perterriti, mœnia deſeruerant, in urbem per Aureliam, & Septimianam portam (ut Iouius tradit) irrumpunt, atque in ultionem amiſſi fortisſimi Ducis, ferro in omnes ſæuientes, quoſcumque obuios habuere, obtruncant. Roma autem hoſtium armis oppreſſa, Clemens Pontifex, apud quem Dominicus Venerius pro Veneta Rep. legatione fungebatur, in Sancti Angeli molem cum omnibus ferè Cardinalibus ſe recepit. Tum Hiſpani, Germanique milites in omne crudelitatis genus prolapſi, multas urbis partes incendunt, ſacra, profanaque diripiunt, omniaque fuga, tumultu, terrore, ac cæde replent: nec Epiſcopi, Abbates, cæterique uiri religioſi impias deprædantium effugere manus: ædes quoque ſacræ ad unam omnes ſpoliatæ ſunt, vaſaque libatoria diuinis rebus dicata in prædam nefariè acta, ab altaribuſque ablatæ aureæ cruces, precioſa candelabra, ſacerdotalia indumenta, atque uſque in Sacroſancta Dominici corporis tabernacula rapaces manus iniectæ; omneſque tandem Eccleſiarum theſauros, ac ſacram multi precii ſupellectilem barbarico faſtu, immanique auaritia crudelis hoſtis expilauit, atque in religionis Chriſtianæ deriſum uirgines ſacras uel uiolauit, uel expoliatas in publicum nudo corpore traxit: cæteras quoque matronas eadem ignominia affecit. Hoſtium itaque & in rapiendo auaritia, & in necando crudelitas, & in conſtuprando libido conſpecta eſt. Nullum præterea fuit genus hominum, nulla tota Roma uel publica, uel priuata domus, quæ furentis, ſacrilegique hoſtis manus euaſerit. Audita interim Venetiis fœda Romanæ urbis direptione, ac Pontificis diſcrimine, qui in Sancti Angeli molem ſe trepide receperat, hoſteſque eum obſidebant, patres uehementer turbati ſunt: decretumque tulere, ut Vrbini Dux cum toto exercitu ad Pontificem obſidione leuandum Romam uerſus iter ſtatim arriperet. Sed re prius in caſtrenſi concilio propoſita, Senatus mandata exequi Vrbinas Imperator paratus erat: cæterum Ioannes Vetturius Legatus ab eo diſſentiens, quod periculoſum Reip. fore arbitrabatur, multa (ut uir erat bellicæ diſciplinæ admodum gnarus) in concione diſſeruit. An, inquit, Germanos, Hiſpanoſque bellicoſiſſimas nationes his uiribus in opulentiſſima urbe aggrediemur? Pôtificemq; ab obſidione eximemus? quẽ acerrimi hoſtes ualidisſimis munitionibus circumuallarunt, diligentem die, noctuque operam impendunt, ne è manibus ſuis tanta præda elabatur. nullus itaque circa Romam proſper nobis ſucceſſus ſperandus eſt, inanemque, & periculoſam expeditionem eſſe uideo, quum res nobis cum eo hoſte habenda ſit, qui in præpotenti urbe uictor ſedẽs, Pontifici, Cardinalibus, populoque Romano frenum iniecit. Tutius igitur eſſe cenſeo, præproperam hanc expeditionem omittere, nec hoſtem uiribus, & fortuna ſuperiorem in præſentia laceſſere; meliuſque ſic agendo Reip. conſultum erit, quæ fidei tuæ Imperator hunc exercitum credidit, ut nôn eum dubiis fortunæ caſibus obiiceres, ſed ad Venetam ditionem tuendam comparatum, incolumem ſeruares. expeditioque his Vetturii conſiliis intermiſſa. Poſtea Vrbinas ueritus, ne uictor hoſtis in Venetos fines irrumperet, cum omnibus ſtatim copiis in Brixienſi agro conſedit, mira ſolertia circumſpiciens, quidnam poſt captam Romam ferox hoſtis moliretur. At ille circa arcem ſignis admotis Pontificem obſidione premebat; & ut iram ſuam interea in miſeros uictos euomeret, multa in urbe quotidie hoſtilia agebat. nulla enim pietas, nulla modeſtia in efferatis animis erat, ut non Chriſtiani hæc committere uiderentur, ſed

Venetus exercitus.

Borbonii mors.

Roma capta.

Pont. in S. Angeli molem fugit.

Not. Romanæ Vrbis direptionem.

Veneti Pôtificis caſu turbati.

Io. Vetturius.

Nota.

Vrbini Ducis ſolertia.

Hoſtium impietas.

immaniſſimi Turcæ, uel Schytæ totius humanitatis expertes. De hac urbis Romanæ direptione Ioannes Barotius intima mihi a pueris familiaritate coniunctus, dum unus ex Pontificis curialibus Romæ eſſet, ab Hiſpanis captiuus factus, pereleganter ad me ex uinculis miſit epiſtolam, in qua rei ſeriem enarrat. eam autem his noſtris commentariis ad perpetuam facti memoriam inſerere libuit, ut uiri doctrina, caſusque uarii, & eorum temporum calamitas ante lectoris oculos ſubiiciantur.

Ioannes Barotius Petro Iuſtiniano. S. P.

Epiſtola.

De meo ſtatu, deque meis infortunijs, licèt graue, moleſtumque ſit aliquid ad te ſcribere, cogit me tamen amicitiæ noſtræ uis, ac magnitudo, ut aliquid recenſeam, caſumque meum leuandi doloris gratia tecum communicem. Eodem die, quo Romana ciuitas ab Hiſpanis, atque Lanciferis eſt expugnata, ego unà cum omnibus alijs captus fui, ac cunctis meis bonis ſpoliatus; & quod grauius fuit, uario tormentorum, cruciatuumque genere dilaceratus. tenuerunt me quidam milites Hiſpani per quadraginta dies in quodam obſcuriſſimo, atque teterrimo carcere, uinctum grauibus cathenis, & ponderoſis: atque inde quum ope cuiusdam vetulæ meas calamitates miſeratæ aufugiſſem, ſtatim in alios Hiſpanos milites incidimus, qui ſimul atque cognouiſſent me & Venetum eſſe, & quædam Romæ vrbis officia coemiſſe, magnum mihi (ut uulgo dicunt) talionem impoſuere: cuius quum ego partem aliquam ſubitò perſoluiſſem, neque reliquum haberem, aut ab amicis eadem penuria laborantibus inuenirem, decreuerunt illi me captiuum unà cum pleriſque alijs in Hiſpaniam ſecum adducere. & iam iter ingreſſi, illi equites, & ego pedes, caſu in quoſdam milites Italicos incidimus, qui animaduertentes illos Hiſpanos eſſe, & precioſiſſimis ſpolijs onuſtos, ſtatim congreſſi ſunt, & per horam, atque amplius atrox utrinque prælium commiſere. tum ego optimam fugiendi occaſionem nactus, Romam magnis itineribus contendi, quam ubi ego adeò euerſam, adeò deformatam inſpexiſſem, non ſolùm dolui, atque ingemui, ſed etiam in uberrimas lachrymàs ſum reſolutus, cogitans præclaram illam urbem, atque olim rerum omnium dominam, nunc ad tantam, tamque inſignem miſeriam redactam, tot generoſos, illuſtreſque uiros tormentorum aſſiduitate perijſſe, tot nobiles, atque ingenuas matronas ſtupratas, tot honeſtiſſimas uirgines uiolatas, tot miſeros ſenes iugulatos, tot liberos a complexu parentum raptos, ſacratiſſima Deorum immortalium templa prophanata; nullum denique locum in tam ampla ciuitate extitiſſe, qui non cæde, atque ruinis, uaſtitate, atque incendio laborarit. atque (ut uerè ſcias) quàm magna, atroxque fuerit Romanæ urbis euerſio, uidi ego, uidi, atque diligenter obſeruaui, ipſos etiam hoſtes ſæpius lugentes Romanas calamitates: neque multò pòſt tanta inopia rei frumentariæ laboratum eſt, ut non ſolùm plebei, ſed etiam nobiliores, potentioreſque homines herbas, & uiliſſimas quidem herbas eſitarint. illud etiam uidetur ſcitu non indignum, atque ad declarandam fortunæ uarietatem ſatis accommodatum, uiſos fuiſſe ſæpius quoſdam opulentiſſimos Epiſcopos, multoſque alios præclariſſimos uiros panem ipſum oſtiatim mendicaſſe. hanc autem tantam, atque tam eximiam rei frumentariæ caritatem, tam atrox peſtilentiæ uis ſubſequuta eſt, tam ingens contagio ita in dies magis, magiſque inualeſcebat, ut uidiſſes loquentes homines in terram labi, uias ipſas mortuorum cadaueribus refertas, atque iſto tam contagioſo morbo correptos uix quattuor horas ſuperuiuere. ego uerò hac tanta, & tam communi omnium infectione non potui me adeò cuſtodire, quin in ipſam peſtilentiam inciderem: ſed quum omnes de mea ſalute iam actum exiſtimarent, tamen neque medicis mihi deficientibus, neque medicamentis, Deorum immortalium benignitate factum eſt, ut breui priſtinæ ſaluti, atque incolumitati fuerim reſtitutus.

Not. Caſum de fuga.

Not. calamitatem.

No. peſt.

O quo

O quòties tunc mecum cogitabam, quonam pacto poſſem ad uos reuerti, & poſt tot procellas, tot, ac tantas tempeſtates in chariſſimam patriam, tanquam in tutiſſimum quietis, & tranquillitatis portum remeare. o quoties uos fœlices, uos fortunatos, at terque, quaterque beatos appellaui, qui ob ſtupendum, ac prope diuinum fœliciſſimæ illius urbis ſitum, ab his atrocioribus periculis tuti, ſumma illa quiete, ſummo, atque dulciſſimo ocio perfruimini. Tunc quando ego eram apud uos, uel priuatam uitam agens, uel publico aliquo munere perſungens, libertatem illam cum dignitate coniunctam uix agnoſcebam: & quemadmodum bona ualetudo gratior eſt his, qui aliquando ægro corpore fuerunt, & libertas charior his, qui acerbiſſimum illud ſeruitutis iugum tolerarunt, & portus quidem iucundior his, qui marinis tempeſtatibus aliquandiu iactati fuerunt: ita & ego poſt tot mala, tot incommoda, tot infortunia tolerata, nunc demum incipio ſentire, nunc demum agnoſcere, quàm dulce ſit in patria ſua uiuere, quàm dulce, atque ſuaue illud quietis, tranquillitatis, libertatiſque nomen. ſed quoniam eſt in rebus humanis uiciſſitudo, ſeruatque has uices conditio mortalium, ut ſecunda ex aduerſis, aduerſa ex ſecundis oriantur; ſpero equidem quòd iſtæ res licèt turbulentiſſimæ ſint, tamen aliquando componentur, & hæc præclariſſima urbs, quæ excellentiſſimis, atque in omni genere laudis ornatiſſimis uiris ſemper floruit, breui ſuum decus, atque ſplendorem retinebit. Vale.

Not. Patriæ dulcedinem.

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber tertiuſdecimus.

MAGNAM Pontificis caſus,Romanæque urbis direptio,rerum perturbationem in tota Italia exciuit,atque hinc primis fœderibus relictis,aliiſque initis, uarii armorum motus ſuborti ſunt: nam ad ſubitum obſeſſi in arce ſacroſancti Pontificis nuncium, uni omnium in Italia Florentini effuſe lætabantur, quòd eo Adriani mole incluſo, hoſtiumque armis Pontificia penè ſede deiecto, ſe in libertatem uendicare ſperabant.multaſque ciuitas factioſa calamitates adiit, dum una pars Mediceis,altera publicæ libertati fauet,unde ciuilis ſanguis plurimus effuſus Syllana, Mariaque tempora repræſentauit, ingemuitque ſæpe tantis Florentinorum malis Italia,quæ nos omittenda duximus, quando de his copioſiſſime in Iouii hiſtoria mentio facta ſit.

Florẽtinorum ſeditiones.

turbato inter hæc Eccleſiæ ſtatu,Rauenna, & Ceruia, Flaminiæ oppida, res nouas moliebantur.Mutina quoque,& Reggium excuſſo Eccleſiaſtico a ceruice iugo,in Ferrariæ Ducis fidem conceſſere. ſed Rauennates, & Ceruienſes ſingulari in Remp.amore,obſeruantiaque affecti,cupientiſſimis animis eius iterum iuſtum,moderatumque imperium acceperunt;ſtatimque cunctis Orbis principibus Senatus cõſcriptis litteris ſignificauit,in hac aduerſa Pontificis, Apoſtolicæque ſedis fortuna, Rauennam,& Ceruiam urbes Venetos in fidem ſuam recepiſſe,ne fortè alii eas occuparent;curamque omnem ſe ſe adhibituros patres polliciti ſunt,ut armis utramque ciuitatem ab omni iniuria ſeruarent.

Rauẽna, & Ceruia a Venetis recep tæ.

interim ad ambas urbes regendas Aloyſius Foſcarus,& Ioannes Fr.Sagredus prætores ſtatim a Senatu creati,in Flaminiam mittuntur, ex quibus ille Rauennæ, hic Ceruiæ adminiſtrationem habuit. exceptique ſunt ab utroque populo maximis honoribus,ualidiſque oppida Reip. amantiſſima ſub Ioanne Naldo Gubernatore præſidiis firmantur.Aloyſius quoque Barbarus, & Dom. Muſtius poſt Foſcarum Rauennæ prætores dati.

Al.Foſcarus, Io. Fr. Sagredus.

Al.Barbarus.Dom. Muſtius.

At Pontifex in Adriani mole ab Hiſpanis, Germaniſque (ut diximus) obſeſſus, quingenta aureorum nummum millia perſoluere pollicitus eſt, ut ſe in priſtinam libertatem uendicaret, quattuorque ob id dedit obſidens,Venetum, & Triultium Mediolanenſem, ambos Cardinales, unàque Iac. Saluiatum, & Ioannem Mattheum Gibertum.quo facto, Pontifex ſtatim liberatur & nocte intempeſta cum paucis è mole egreſſus, ubi per ſeptem menſes obſidionem pertulerat, ignoto habitu Oruetum ſe contulit.

Obſides pro Pontifice.

Pont.liberatio.

Poſtea Clemens Pontifex,apud quem tum Gaſpar Contarenus, qui Cardinalis fuit, legatione pro Rep. fungebatur, duarum urbium alienatione ab Apoſtolica ſede uehementer commotus, eas a Venetis per nuncios ſuos Archiepiſcopum Sipontinum, & Epiſcopum Polenſem repetebat. itaque re in Senatu propoſita, poſt multa dicta, diſputataque ab eloquentiſſimis uiris, cenſuere patres, ut priuſquam eæ urbes Romano Pontifici reſtituerentur, de iure diſceptandum foret, quandò Veneti utraque oppida ab Oſtaſio Pollenta earum antiquo Dominò ex teſtamento tradita, centum & amplius ab hinc annis iuſto titulo poſſediſſent,quibus poſtea Iulius Pontifex vi,& armis Cameracenſi fœdere Venetos ſpoliarat. Sed quum uarias difficultates multorum inuidia res haberet,nec de

Ius Venetorum de Rauenna & Ceruia

iure diſceptandum fore, ex ſua dignitate Pontifex arbitraretur, oppida per aliquod temporis ſpacium in Venetorum poteſtate fuere; ea poſtea, ne bellum oriretur, per quod Italiæ res in aliquod diſcrimen inciderent, Veneti iuxta fœderis formulam, ut ſuo loco dicemus, Romano Pontifici reſtituerunt, magno cum illius prouinciæ populi dolore, qui Venetum nomen mirifice obſeruabat, & Hiſpani, Germaniq́ue plerique fortunis, ac ſpoliis depopulatæ urbis Romanæ onuſti, dum mari prædam uehunt, fœdiſſima tempeſtate nauibus iactatis, pelago ſunt abſorpti. Itaque hæc Deorum immortalium euidente apparuit, qui perditiſſimos latrones Apoſtolicæ ſedis uiolatores naufragio punierunt.

Gallorum expeditio in Italiam.

Rex Gallorum interea Italiæ curam non omittens, rurſum copias ad eum inuadendam contrahit, demandataque ſumma militaris Imperii Odetto Lutrechio, iubet, illum Alpes ſuperare, & in Italiam proficiſci, qui ſtatim imperata facturus, per aſperos, niuoſosq́ue Alpium ſaltus cum uiginti armatorum millibus in Italiam uenit, atque ocius Venetis copiis ex fœdere adiunctis, quarum ductores erant, Ioannes Maria Fregoſus, & Paulus Manfronus, uiri militari arte clari, ad Papiam oppugnandam ire pergit, urbemq́ue campeſtrem Galli, ac Veneti ſociis armis aggreſſi, poſt longum certamen expugnarunt; cecidítq́ue ſub mœnibus ſclopeti glande traiectus, Paulus Manfronus, inclinata iam ætate uir, & fide in Remp. ſingulari.

Pauli Mãfroni interitus.

Inde in Campaniam caſtra mota, ac Neapolis terra, mariq́ue petita, ſtatimq́ue Antonius Leua, qui Cæſaris nomine Mediolanum regebat, quam maximas poteſt copias contrahit, ad Papiamq́ue recipiendam citato agmine proficiſcitur. nec mora, urbs continuò Hiſpanorum armis circumuallata, expugnataque in fidem rediit. Lutrechius interim Neapolitanam expeditionem proſequens, cum exercitu in Brutios peruenit.

Lutrechius.

Troentoq́ue flumine ſuperato, Aquilam cepit. inde Apulia fermè omni armis potitur, & ad Neapolim poſtremo caſtra poſuit, ubi præclari bello Duces pro Cæſare aderant, Hugus Monchada, Aurantius, Vaſtius, & Alarcon Hiſpanus, cum magno militum numero. Veneta autem quadraginta duarum triremium claſſis Petro Lando Imperatore ad Neapolitanum littus appulit, mariq́ue infeſſo, frumenti inopia hoſtis in urbe laborare cepit.

Cæſaris Duces. Claſſis Veneta.

Itaque annonæ caritate urgente nauali apparatu Gallos Hiſpanus inuadere ſtatuit, ac maritimi prælii tentare fortunam; & ex altera parte And. Doria Gallicæ claſſis Imperator miro pugnandi deſiderio tenebatur, iamque in altum proceſſerat, ut ſi hoſtis ex Neapoli in mare prodiret, cum eo confligeret. Is autem claſſe inſtructa haud procul a Salerno repente affuit, in quem pugnæ ſigno dato Philippinus Doria Imperatoris nepos iuuenis acer primus ante alios ferociter mouit, concurrereq́ue medio mari ambæ claſſes, ac per quinque horas atrociter utrinque dimicatum. uerùm Lygure pro Gallo pugnante, Hiſpani magna clade uincuntur; cadítq́ue Hugus Prorex brachio, & femine tormento laniatis, ac captiui fiunt Alphonſus Daualos, & Camillus Columna; ſeptem autem triremes partim captas, incenſasq́ue, partim mari demerſas Hiſpanus amiſit.

Nauale prælium.

Hiſpanorum mari clades.

Mox quum And. Doria Regi ſuccenſuiſſet, ad Cæſarem cum ſuis triremibus tranſiit, qui comiter, & benigne ab eo exceptus, Melfiarum in Apulia Princeps inſtituitur: magnoq́ue illum deinceps ſemper Cæſar in honore habuit.

And. Doria ad Cæſarem tranſitus.

& circa Neapolim Galli, Venetique aſſidentes ex cœli inclementia ingentem cladem accepere: nam tabifica aeris corruptione totus penè exercitus infectus, in inſanabilem languorem incidit: uiſque morbi intoleranda omnes cepit; quo factum eſt, ut innumerabile militum uulgus perierit, quotidianaque funera, internecioque totis caſtris ingens deſæuiit. Duces quoque Lutrechius, & Salaſſus morbo impliciti extinguntur, atque eadem Lue correpti Aloyſius Piſo, & Petrus Peſareus Legati Veneti interiere. Acceſſit ad ultimũ malum fames, que ægrorum, & beneualentium corpora pariter afflixit. Et Neapoli igitur Galli, Venetiq́ue aeris intemperie, illuuie, fameq́ue omnes penè enecti, caſtra amouere, paucisq́ue incolumibus, totus huc illuc diſſipatus exercitus in diuerſum abiit.

Not uirorum illuſtrium obitus.

claſſis autem Gallica, quam And. Doria cum ſuis triremibus ad Cæſarem tranſiens, deſeruerat, poſt male habitum tanta internecione Regis exercitum, è Neapolitano ſoluit littore, cui Petrus Landus cum Veneta claſſe ſe adiunxit, ut ſuo præſidio Inter nauigandum regiæ triremes patriis littoribus ab hoſtium armis tutæ, incolu-

Pet Landus.

mesq ue

mesque appellerent: idque hoſte inuito fœliciter euenit. Quod Regi ualde gratum fuit. Et Landi Imperatoris uirtus celebrata, plurimis in Gallia in cœlum laudibus ferebatur. Rex etiam per Seb. Iuſtiniani Oratoris literas patribus gratias egit, quòd Venetæ claſſis præſidio triremes Regiæ in maritimas Galliæ oras ab hoſtium iniuria ſaluæ perueniſſent.

Seb. Iuſtinianus.

Erat autem in Apuliæ prouincia circa terram Hidrunti, & Bari, quam ita indigenæ appellant, miſſus a Senatu And. Ciuranus, equitum Epyrotharum præfectus, uir bello acer: nam Veneti terra, marique ex fœdere cum Gallis icto, Hiſpanum armis infeſtabant: ipſe contrà, ad uim repellendum copias contraxerat, uariaque ab utraque parte ex occaſione prælia committebantur: plurimumque Ciuranus ſtudii impartiens, ut res hoſtium aliqua clade afficeret; per exploratores ad id miſſos, omnes eorũ progreſſus diligẽter cognoſcere ſtudebat; & poſitis circa Vetranam oppidum inſidiis, in hoſtes uadit, Buſichiusque, & Fraſſina Epyrotharum Duces cum paucis equitibus Ciurani præfecti iuſſu ad oppidi uſque portas adequitarunt, ut hoſtem ad erumpendũ perlicerent. Egreſſi itaq; ad centũ, octuaginta equites, & ducẽti pedites cũ quattuor æneis machinis ſub Ferrandinæ Principis imperio, Gallipolim uerſus iter facere cœperunt. tũ Ciuranus cũ inſtructis copiis eos celeriter inſequutus, in patenti campo aggreditur, uerſosq; in fugam profligat, bellicaque tormẽta, ac ſigna omnia militaria cepit; & Dux ex acie diſcedens, in tutum cum paucis ſuorum abiit.

And. Ciuranus.

Buſichius Fraſſina.

Hac uictoria habita, poſt paucos dies aliam nõ minorem aduerſus Principem Biſſinianum circa Tarentũ adeptus eſt; ſtructisq; inſidiis, duplicem aciem conſtituit, cuius alterã Georgius Reneſſi, uir Epyrotha fortiſſimus rexit, alterius Ciuranus ipſemet Ductor fuit. Illi itaque dum ſigna in noſtros inferunt, certaminis initio ſecunda fortũna uſi, Venetos non parum fatigant: at Ciuranus laborantibus ſuis opem ferens, cum ala equitum in hoſtium latus ferociter incurrit, eosq; ſtatim in fugam uertit, palanteſque agens, ex his ad octuaginta captiuos fecit, inter quos quattuor hi clari nominis fuere, Cõmendator Merigii, Hieroſolymitanus eques, Ioannes Gaſpar Carauignæ regulus, Camillus Dentices Neapolitanus, & Tarenti Gubernator. fœdioreq; omnino cladem hoſtis accepiſſet, niſi magna militũ manus ex urbe erũpens ſuis mature ſubſidio affuiſſet. Sed plurimũ in ea ꝓuincia Ciuranus hac duplici uictoria & ſibi, & Veneto nomini laudis adeptus eſt: bellũq; maiore animi ardore proſequẽs, multa Apulię oppida admotis ſignis in deditionẽ accepit. Poſtremo tũ aeris intẽperie, tũ ęſtu, laboreq; in aduersã ualetudinẽ incidẽs, intra paucos dies apud Manfredoniã, ubi Veneti caſtra habebant, diem extremum obiit. illatumque fortiſſimi uiri corpus in Diui Leonardi ædẽ extra urbem ſublimi tumulo ſignis militaribus ornato honorificè conditum eſt. eius autem liberis Cæſari, & Petro paternæ uirtutis in re bellica indolem referentibus ciuitas non ingrata cenſum annuum centum octuaginta aureorum quoad illi uiuerent, ad Salinatorum magiſtratum aſſignauit.

Georg. Reneſſi.

Ciurani uictoria. Captiui.

Ciurani interitus.

Ioannes Contarenus poſtea Legatus cũ claſſe accedens, Barletam, Tranum, Manopolim oppida, alia ui, armiſque, alia uoluntaria deditione occupat; impoſitiſque militum præſidiis ſub Laurentii Ceritis, & Ioannis Vetturii imperio, claſſis inde abducta eſt. Confecto poſtea bello, Vetturius, ubi Venetias acceſſit, falsò accuſatus, quòd publicum æs in militum ſtipendia ab urbe in caſtra miſſum, furtim ſurripuiſſet, in ius ob peculatus crimẽ uocatur: ipſe autem ne quęſtionibus, carcerique ſubiiceretur, in exilium, dum Pataui præturam adminiſtraret, ſponte abiit; in Germaniamque ad Ferdinandum Romanorum Regem uir alti animi profectus, ab eo benigne excipitur; uirum enim cum bello, paceque præſtantem eſſe acceperat. itaque Vetturium, dum bellum in Pannonia Rex cum Turcis gereret, militaribus in rebus Ducem, conſtituit, qui magnam armatorum manum ſecum habens, multa in hoſtem præclara belli facinora ædidit, ſingularemque ob id apud Regẽ laudem adeptus eſt, equeſtri eum poſtea uirtutis ergo Ferdinandus dignitate decorauit. Vetturius interim cognita eius fide, & innocentia, Gabriele Venerio triumuiro Aduocatore legem in Senatu ferente, cunctis penè ſuffragiis abſolutus, ab exilio in patriam reuocatur, ad priſtinosque eum domi, foriſque honores ciuitas euexit. nec multò pòſt Italiam iterum Galli repetentes, nouo armorum apparatu Alpes ſuperarunt, quo tempore And. Nauagerius uir litterarum ſtudiis præſtantiſſimus Orator a Veneto

Io. Contareni geſta.

Io Vetturii ſpontaneum exilium.

Vetturii Liberatio.

to Senatu creatus in Galliam ibat, qui dum per horridam hyemem incredibili equi curſu ad Bleſſum ciuitatem perueniſſet, uix iactatione in aduerſam ualetudinem incidit, paucisque diebus ea in urbe morbo conflictatus, interiit. nũcio de Nauagerii obitu Venetias allato, ciuitas non uulgari mœrore affecta eſt: nam præclare, inſignesque in eo uiro animi dotes elucebant, quarum fama per omnem Europam eius nomen celebrabatur. in Nauagerii igitur demortui locum Marcus Minius a Senatu Orator primùm deligitur, qui ob ſenium ab eo ſe munere abdicauit. interea confecto uelociter a Gallis magno itinere, in Italiæ fines peruentum, Papiaque primùm ui capta, direptaque in Gallorum poteſtatem redigitur: quare Antonius Leua copias ſtatim in Gallos ex Mediolano educit, pugnaque inita Regii fugantur, capiturque ſancti Pauli Comes ex Frãcorum proceribus ductor inſignis, ſub cuius auſpiciis Galli infauſto homine in Italiam tranſcenderant, iterumque Papia urbs a Cæſarianis eſt recepta: & Venetus exercitus, cuius ſummam Imperii Dux Vrbini cum Ioanne Delphino Legato habebat, poſt Gallorum cladem in Brixienſem agrũ ſe recepit. Interim Leonora illius coniuge, huius ſorore procurante, pax inter Cæſarem, & Gallorum Regem componitur, filiique Regis, qui quartum iam annum obſides in Hiſpania fuerant, è cuſtodia liberati, dimisſique, in Galliam rediere. & patres poſt And. Nauagerii obitum, qui in Galliam, ut diximus, proficiſcens, è uita deceſſerat, Ioannem Antonium Venerium uirum ſummæ eloquentiæ, unaque Ioannem Piſonem procuratorem, Oratores crearunt, ad peragendum publico nomine cum Rege congratulationis munus, de filiorum liberatione, & de Leonoræ connubio. itaque tres uno tempore Reip. Legati in Gallia erãt, Seb. Iuſtinianus, qui perfuncta legatione in patriam reuertebatur; Ioannes Antonius Venerius, qui ei ſucceſſerat; & Ioannes Piſanus a Senatu electus, ut publico nomine filiorum reſtitutionem amico Regi congratularetur. quo munere a Piſone diligentiſſime peracto, ipſe poſtea, & Iuſtinianus in patriam ſimul reuerſi ſunt. ac ſub id tempus Solymanus innumerabilibus equitum, peditumq; copiis, Pannoniam inuaſit, ubi Altamburgum munitiſſimum oppidum cepit. inde ponte ſuper Danubium conſtructo, terra, aquiſque Viẽnam aggreditur. urbsque diu Turcorum armis fruſtra oppugnata eſt, quin cum cæde, & ignominia barbari a mœnibus ſunt repulſi, & in Thraciam ſoluta obſidione rediere. poſt hæc Cæſar è Barcellona, quò profectus fuerat, ſtatuit in Italiam ad accipiendam de more Imperii coronam, ſe conferre; parataque claſſe, maritimum capeſſit iter; & Genuæ primùm cum M. Ant. Contareno Oratore Veneto applicuit, inde Bononiam acceſſit, ad eumque ex tota Italia officii gratia Legationes aduenere. miſſi quoque a Senatu quattuor Oratores, Al. Gradonicus, M. Dandulus, Aloyſius Mocenicus, & Laur. Bragadenus, qui publico nomine Cæſaris coronationi de more adeſſent. & Clemens Pontifex Romæ Bononiam eſt profectus, ibique maximo totius Italiæ concurſu, ſacris rite celebratis, Carolus Imperatoria, Auguſtaque a Pontifice corona inſignitur, quo in tantæ lætitiæ, eximiique triumphi tempore, ſingulari animi moderatione, Veneti uſi ſunt, & quantopere pacis ſtudia colerent, non obſcure declararunt: qui per Gaſparem Contarenũ diuini ingenii, & fœlicis induſtriæ apud Pontificem Legatum, non proferendi imperii, ſed tuendæ & Italiæ, & publicæ omniũ libertatis cauſa, aduerſus Cæſarem arma induiſſe teſtabantur, proinde ſi ille Fr. Sforciam in gratiam reciperet, in Principatumque ſuum reſtitueret, pro hac clementia, & lenitate, ſe urbes Apuliæ, Galliæque togatæ iuſtis armis partas Cæſari, atque Pontifici reddere pollicentur. idem ipſe Pontifex a Cæſare poſtulauit, obteſtatusque eſt eũ, ut Sforciam, pium, iuſtumque Principem deprecantis ſua Maieſtas Italiæ precibus cõdonaret. ualuit apud mitisſimum Imperatorem Carolum & Pontificis authoritas, ac Veneti Senatus ſtudium: euocaturque extemplo Bononiam Franciſcus Sforcia, qui diu fortunam aduerſam habuit, tum ad Cæſarem accedens, procumbit ad eius pedes, ſupplexque in gratiam recipitur, Mediolanenſiumq; Dux appellatur, reddito ei a Cæſare auito, paternoque opulentisſimo principatu, quem ipſe ſibi iuſtis armis parauerat: ſtupuereque eius animi magnitudinem cũcti mortales, qui tanta liberalitate uſus ſempiternam, Regna donando, ſibi gloriam peperit. & ut lætitiæ dies clarior illuceret, pacis conditiones inter Clementem Pontificem, Carolum Imperatorem, Ferdinandum

Nauagerii interitus.

M. Minius

Gallorũ clades.

Pax inter Cæſarem & Regẽ.

Io. Anto. Venerius. Io. Piſo.

Tres Venet. Legati.

Altãburgum.

Legati Veneti.

Carolus Bononiæ coronatur.

Venetorũ actio pro Fr. Sforcia.

Fr Sforcia a Cæſare in principatum reſtituitur.

Not pacis formulā.

nandum Romanorum Regem, Venetum Senatum, & Ducem Mediolani huiuſcemodi firmantur, quòd ſummo Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi Veneti Rauennam, & Ceruiā reddere debeant, ſaluis tamen iuribus, quæ in his ciuitatibus, earumque finibus habent. Item quòd Cæſareæ, & Catholicæ Maieſtati, Tranum, Manopolis, aliaque Apuliæ oppida, quæ bello capta fuerant, reſtituantur, ac ducenta aureorum millia Veneti perſoluant: eos contrà a uectigalibus, portoriisque omnibus Cęſar in ſuis cunctis Regnis immunes reddat; atque ædes Venetus Neapoli recipiat, quas ante bellum ea in urbe poſſidebat. hoc etiam declarato, quòd ſi aliquo hoſtili motu Neapolitanum Regnum armis infeſtaretur, Veneti quindecim triremes bellico apparatu optime inſtructas in eius auxilium emitterent. Cæſar contrà, & Venetam Remp. & Ducem Mediolani in quolibet belli euentu armis tueretur. Incluſique ſunt in hac pace Dux Sabbaudię, Marchiones Mantuæ, & Montisferrati, Genuenſes, Senenſes, Lucenſes. Item Dux Ferrariæ, & Florentini, ſi cum Pontifice interea aliquo modo conuenerint, pariter

Not. Oratorū ſubſcriptiones.

incluſi cenſerentur. approbaruntque huius pacis formulam Principum ſuorum nomine omnes hi Oratores ſubſcriptionibus ſuis, primùm pro Pontifice Hieronymus Vaſionenſis Epiſcopus; pro Cæſare, Mercurinus Cardinalis de Grattinaria, Loys de Pret, Perenot, & Couos, Commēdator maior; pro Ferdinando, Andreas de Burgo, pro Veneta Rep. Gaſpar Contarenus; & pro Fr. Sforcia Ducę Mediolani, Georgius Andreaſius Prothonotarius Apoſtolicus: pro qua quidem pace multa lætitiæ ſigna Bononiæ ædita ſunt, gratiæque Diis immortalibus per pias ſupplicationes omnibus templis habitæ. eadem quoque lætitiæ ſigna, gratiarumque cœlitibus actiones in Hiſpania, Germania, Veneta in urbe, Mediolani, totaque fermè Italia piis uotis factæ ſunt. cæterùm ſummis Cæſar ab omnibus offerebatur in cœlum laudibus, quòd ubique uictor, &

Cæſaris laus.

triumphator, Fr. Sforciæ peramplum, præpotentemque Inſubriæ principatum ſingulari temperantiæ laude reſtituiſſet, qua die tranquillitati initium, & ærumnis finis datus eſt. It fama igitur per urbes Italię, externasque oras, & prouincias: tum omnes Veneti Senatus æquitatem, abſtinentiam, collaudare, in appetenda pace ſtudium, in ge-

Venetorū laus.

rendo bello conſtantiam admirari, Clementis quoque Pontificis uirtus extollitur, cuius ſuaſionibus factum eſt, ut Cæſar Regnum dare, quàm accipere, maius & pulchrius exiſtimarit. Poſt hæc Cæſar Alexandrum Medicem, qui ſumma in Hetruria nobilitate, opibusque florebat, Generum ſibi, deſponſata illi filia, aſciuit; ac cum Pontifice

Alexāder Medices.

egit, ut mutata Florentinæ Reip. forma, Alexander illius urbis, totiusque Hetruriæ Princeps inſtitueretur, armisque, & ui, quando alia ratione non poſſet, agi placuit. ab hoc colloquio Mantuam ſe contulit, Federicumque Gonzagam Ducatus titulo Imperatoria authoritate inſigniuit. Ex Italia demum abiens, in Belgas tranſiit. tum Pontifex ad occupandam patriæ libertatem conuerſus, ſtatim arma contrahit, Thuſcoque bellum infert, ut Reip. nomine ſublato Alexandrum nepotem, ſicuti cum Cæſare conuenerat, Florentiæ libera imperii poteſtate Principem inſtitueret. Magno itaque bel-

Not. Duces.

li apparatu, clari armorum Duces, Aurantius, Ferneſius, Pyrrus Columna, Ferrādus Gonzaga, Ioānes Baptiſta Sabellus, Florentinam rem inuadunt, at magno animo bellum Thuſcus excipiens, diu pro retinenda patriæ libertate in hoſtes pugnauit. Ducēque copiarum ſuarum Malateſtam Balleonum uirum militari ſciētia clarum habuit; doloque is malo agens, ſecundum Florentini populi ſuſpicionem, hoſtium partes occulte fouebat. armis tandem inimicorum ciuitas Hetruriæ pulcherrima, poſt innumerabiles utrinque clades, fame potius, quàm ferro domita, ceſſit, atque ita Alexander

Al. Medices Dux Florentiæ

Medices Florentiæ Princeps ſalutatur. Et per hos dies Turca iterum in Pannoniā terra, marique nouam expeditionem inſtituit; quo motu Ferdinandus Rex, ne improuiſa aliqua clades Chriſtianæ rei infligeretur, magno militum numero, ex Germania, Boemia, Polonia, Tranſyluania conſcripto, ualidisſimum confecit exercitum. & ex altera parte Cæſaris iuſſu Andr. Doria cum claſſe in Græciam delatus, rem Turcorū mari infeſtabat, Coronumque oppidum aggreſſus, cepit, ac diripuit. Solymanus au-

Coronū a Doria captum.

tem curis aliis implicitus, Pannoniæ expeditionem in præſentia omiſit, aduentantiq; iterum Cæſari in Italiam, M. Minius, Hier. Peſareus, Laur. Bragadenus, & M. Foſcarus, Oratores Veneti officii gratia circa Mantuam occurrerunt: a latereque eius nun-

quàm

quam diſceſſere, donec ille in Hiſpaniam reuerſus eſt. & quum in Mediolanenſi agro noui militum delectus a Comite Gaiazzii uiro turbulento haberentur, rumoreſque uarii diſſeminati eſſent, quòd in Germania ingens belli apparatus ad Italiā inuadendam fieret, Pa tres ſtatim Carolum Contarenum Legatum creauere, qui in caſtra Bergomenſem in agrum proficiſceretur, ubi cum exercitu, atq; altero Legato Paulo Nani, Vrbini Dux ad tutandos imperii fines conſederat, motuſque armorum in rem Venetam complures exorti, quos omneis admirabilis Legati Contareni ſolertia ad nihilum redegit: iſque paulòpoſt morbo correptus, incredibili exercitus mœrore ex humanis deceſsit, uir præter generis nobilitatem, belli, paciſque artibus admodum clarus: inſignique eius oſſa Brixia tumulo condit. in mari uerò Hier. Canalis claſsis Venetæ præfectus, rem in pyratas proſpere geſsit, memorabilemque adeptus eſt uictoriam. illi enim Mauro Alexandrino Othomanicæ claſsis Duce, qui cum tredecim longis nauibus ex Coroni obſidione reuertebatur, in altum progreſsi, Græcię littora excurſionibus infeſtabant, nauigantibuſque ubique infeſti erant. tum Canalis in uindictam ardens, quattuordecim triremibus è Cretę portu ſtatim eductis, in Turcas, quos pyratas eſſe iudicabat, curſum intendit, eoſq; intempeſta nocte haud procul ab Acrio promontorio forte obuios habuit: nec mora, nam Luna pernox erat, Venetus pugnæ ſigno dato, in eos proras detorquet, inieceque utræque claſſes pari ferocia nocturnam pugnam, ac dimicatum diu & atrociter, ſub duorum ſuæ ætatis fortiſsimorum Canalis, Maurique Ducum auſpiciis, naualique utrique uirtute clari æqualem per multas horas prælii fortunam reddidere. demum Veneto urgente, dum Maurus fugam capeſſere molitur, & ex medio conflictu triremem ſuam auellere, eum Canalis uela iā dantem uelociter inſequutus, effugere longius non permiſit: Temoneque hoſtilis Myoparonis tormento excuſſo, pretoria triremis a Veneto capitur, Mauruſque octo uulneribus transfixus, in mare ſe proiecit, quem adnatantem, & ſemiuiuū Canalius miles interficere ſæpe eſt annixus, neſciens quis eſſet. ſed ubi ille ſe notū fecit, e mari cōtinuò extractus, ad Canalis conſpectum adducitur. tum capto Duce, reliquas Turcorum triremes Venetus facile oppreſsit, barbarique ad unum omnes ſunt interfecti: qua ſuorum clade Solymanus uehementer commotus, rupto fœdere arma ſtatim in Venetos induiſſet, niſi Nicolai Iuſtiniani baili prudentia maturè imminenti periculo occurriſſet, qui ſtatim Aiax Baſſam domi conuenit, eumque edocuit, huius facti culpam apud Maurum eſſe, qui multis iniuriis illatis, Venetum in pugnam prouocarat; & cum Barbaroſſa prædone, non cum Mauro, errore deceptus, manus conſerere Canalis crediderat. Pacatoque his uerbis per Aiacem Solymano, ab armis temperatū: & ut firmior pax redderetur, ſtatuere patres Danielem de Ludouicis unum a ſecretis uirum prudentem Conſtantinopolim ad Solymanum mittere: qui triremi ſtatim in Illyricum aduectus, inde terreſtri itinere per Myſſiam, Thraciamque, Byzantium acceſſit. ad Solymanique conſpectum continuò admiſſus, aduentus ſui cauſam expoſuit, Senatuſq; nomine, blandioribus quantum potuit uerbis, regem hortatus eſt, ad Venetam amicitiam more ſolito proſequendam. noctiſque errore factum eſſe affirmauit, ut amicæ claſſes medio mari inter ſe concurrerent: nec enim in Veneta gente ullo unquàm tempore mentem, animumque fuiſſe, nocendi inuictiſſimo Imperatori Solymano, cuius ſocietatem magno ſemper ſtudio, omnique officiorum genere patres in qualibet fortuna ſanctè coluiſſent. Proinde ſua Imperialis Maieſtas ſolita beneuolentia Venetos amplecteretur, certoque ſciret, conſtantem Senatus eſſe uoluntatem colendi, obſeruandique in perpetuum Turcorum nomen; nec quicquam ullo tempore Venetos facturos, quod pacem, ſocietatemque mutuam turbare, & interrumpere poſſet. addidit poſtea Regi, & purpuratis munera, quibus uiri induſtrii officii ſedatus eſt omnis belli motus, quem Patres ab Aſia in Remp. erupturum uerebantur. interea uictor Venetus in Cretam rediit, ubi Maurus grauitate uulnerum diu languit: poſtea curatus Canale permittente in Aegyptum tranſiit, ac intra paucos dies Alexandriæ exceſſit è uita. nec diu Canalis & ipſe ſuperſtes fuit, qui quum in grauem morbum incidiſſet, omnibus remediis fruſtra tētatis, Zacinthi interiit, uir pugnax, & a puero maritimis rebus innutritus. nobiliſſimumq; ei Antonius filius paternæ uirtutis æmulator, in Gemellorum

æde

Car. Contarenus.

Cōtareni interitus.

Hier. Canalis.

Pugna naualis.

Canalis uictoria.

Nic. Iuſtinianus.

Daniel de Ludouicis.

Mauri mors.

Canalis mors.

æde loco conſpicuo monumentum erexit. ob uiri autem fortiſsimi merita patres legem in Senatu tulere, ut liberis eius perpetuus cenſus ex Corcyrenſi quæſtura conſtitueretur: nullam tamen uim lex haberet, niſi eam ſupremum concilium iusſiſſet. & Io-

Io. Donatus.

annes Donatus Ber. F. uiginti quattuor ætatis annos nondum agens, ut legi faueret, in roſtra aſcendit, ac incredibili facundia uſus, Patritios, qui mille, trecenti, & amplius in comitiis ad ferenda ſuffragia aderant, in ſuam ſententiam ferè omnes adduxit: nongentique, & amplius ex his legem iuſſere, cuius ſuaſor ille fuerat. & in ultimis ter-

Solymanus.

ris per id tempus bellum ardebat: nam Solymanus maximis copiis contractis, relictoque Conſtantinopoli Ibrayno cum ſuprema rei adminiſtrandæ poteſtate, Sophenum Perſarum Regem in ſuis finibus aggredi armis ſtatuit; primumque in Amaſiam Cappadociæ ciuitatem profectus eſt, ut inde commodiori itinere in latiſſimos Perſiæ fines arma transferre poſſet. a flumine enim Syuas Sopheni Regnum initium ſummit, per centum paſſuum millia patenti longitudine uſque ad Euphratem, qui ad Occidentem Meſſopotamiam attingit, regionem inter Tygrim amnem, & Taurum montem poſi-

Perſiæ fines.

tam, inde ad ciuitatem Caramyth per centum triginta paſſuum millia iter extẽditur, ex eaque ad Byrtam per ducenta, quadraginta, ab hac uſque ad urbem Choy, quæ an-

Artaxata.

tiquitus Artaxata appellabatur, & Tygrannis regia fuit, per centum paſſuum millia; hinc per ſeptuaginta quinque uſque ad urbem Tauris Sopheni ſedem E Byzantio igitur uſque ad Perſas quadringenta paſſuum millia numerantur. nec Sophenus Rex in ocio fuit, qui compluribus equitum agminibus ſeptus, in Solymanum militum, ac tormentorum numero ſuperiorem impetum facere non dubitauit; & in Chalderanis campis, conſerto ingenti prælio, Perſa non incruenta pugna uictus eſt: ex Turciſque Caſ-

Caſſyn

ſyn Baſſa uir fortiſſimus in acie cecidit. Solymanus uictoriæ curſum proſequens, ampliandique cupidine imperii ductus, ſuperato Euphrate, opulentam, & regiam illam urbem Tauris occupauit, ex qua Perſæ, qui oppidum incolebant, metu territi, in proximos Armeniæ montes cum coniugibus, & liberis ſe receperunt. at Turcæ in ultimos uſque Perſidis fines irrumpentes, ſumma in itinere annonæ caritate laborarunt, plurimique ex his inedia, extincti ſunt. uerùm alia uia Perſæ ad Tauris reuerſi, urbem (Turca eiecto) recepere. ægreque Solymanus cum diminuto exercitu Byzantium rediit, miſitque ſtatim uictoriæ huius nuncium, unum ex purpuratis ſuis, Venetias, quem patres lætis animis excipientes, præmiis, muneribuſque donarunt. atque hoc tempore ad Saſinum in maritima Epyrhi ora Veneto clades a pyratis illata eſt, qui cum duode-

Clades a Pyratis illata. Fr. Dandulus.

cim biremibus ex Aulonæ portu egreſſi, quinque Venetorum triremes obuias medio mari habuere, quarum ad Adriatici ſinus cuſtodiam miſſus Fr. Dandulus ductor erat. in Barbarorum autem biremes non ſolùm ille uim inferre auſus eſt, ſed turpi ignauia, uix conſpecto hoſte, fugam arripuit, Pyrataque celeriter inſequutus, duas triremes in poteſtatem ſuam redegit, capiturque & ipſe Dandulus præfectus, unaque Marcus Cor-

M. Cornelius capti.

nelius cum omnibus turmis, & ingenti præda: reliquæ tres celeri effugio dilapſæ, in tutum abiere. Ductoreſque his præerant Ioannes Baptiſta Iuſtinianus, ac Corryctanus, & Lieſinenſis, nobiles Dalmatæ. Danduluſque primùm in Africam, poſtea Conſtantinopolim captiuus abducitur; auro poſtmodum redemptus, ubi Venetias acceſſit, Iaderam in exilium actus eſt: ibique diem ſuum infamis obiit. & Fr. Sforcia Mediolani Dux per hos dies frequenti illuſtrium uirorum comitatu, Venetias acceſſit, quem Gabriel Venerius, Reip. Orator, ab eius latere non diſcedens, officii gratia ſequutus eſt. appropinquanti urbi Sforciæ ex Clodia cum Prætore And. Amulio digreſſo, Prin-

Fr. Sforciæ ad Venetã urbem acceſſus.

ceps, patreſque obuiam effuſi, ad Clementis ædem Bucentauro, aliiſque maioribus, minoribuſque nauigiis occurrerunt, maximiſque ille honoribus a cunctis ciuitatis ordinibus, exceptus eſt. publicumque in Eſtenſi æde miro cultu ornata hoſpicium habuit, & poſtera die in curiam aſcendens, Principem, patreſque ſalutauit, ac gratias his egit, quòd eorum ope, ſtudioque ad paternum principatum euectus, regnaret; tantique beneficii memoria nullo unquam tempore apud eum, poſteroſque extingueretur. & mane ſequenti luce pari officio Princeps, Senatuſque frequens ad Sforciam ſe contulit, publicoque ære uictus ei, uniuerſæque familiæ lautiſſime ſubminiſtratus, plurimique honores in ludis, ſpectaculis, epuliſque exhibiti. poſt octauum deinde diem

Sfor-

Sforcia ab urbe digreſſus, Mediolanum conceſſit, ac paucorum menſium interuallo Chriſtierni Dariæ Regis filiam duxit uxorem, quæ in Italiam profecta a ſponſo maximis honoribus excipitur quum. Et inter Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, & Venetum Senatum ſubortæ eſſent quædam finium controuerſiæ, ad eos cognoſcendos delecti ſunt ab utraque parte iudices arbitri: fuitque pro Ferdinando Hier. Bulſarch Doctor Germanus, & pro Venetis Mattheus Auogarus Doctor, & eques Brixienſis, & ſuperarbiter ab utraque parte concorditer electus, Ludouicus Poro Senator Mediolanenſis, uir ſpectatæ uirtutis. Miſere etiam Veneti nuncium, & procuratorem ſuum And. Rubeum, cum Iacobo Florio Vtinenſi uiro eloquentiſſimo, qui Tridentum omnes ſe conferrent: & quatenus agitatum ſimul fuerat de reſtitutione Marani, & Gradiſcæ, pro aliqua pecuniæ perſoluendæ ſumma, ob huiuſcemodi cauſam a Senatu Ioannes Delphinus, qui Veronę pretor erat, electus eſt, ut Tridentum proficiſceretur. Sed poſt multum temporis curſum, nil confici potuit: infectaque re è Tridento a partibus receſſum: & ne qua orbis terrarum pars bellorum incendiis uacaret, Aphricam Solymani iuſſu Hariadenus Barbaroſſa Archipyrata ea tempeſtate illuſtris parata claſſe inuaſit, expoſitisque in littus Ianizaris, quos mercede ex Aſia conduxerat, ad Tuneta caſtra admouit, eo conſilio, ut defuncti Regis frater Muryloſeth nomine maior natu, a Muleſen minore urbe expulſus, in regnum reſtitueretur. Vbi itaq; Hariadenus terra, mari oppidum circumuallauit, tum Tunetanus populus, Aphrique omnes portas ciuitatis illi ſtatim aperuere, & Muleſen fugã trepide arripuit, ſalutaturque Rex a populo incredibili omnium fauor Hariadenus, qui poſtea Muryloſeth clam interficit, Regnumque ipſe Aphricæ per hunc maximè modum obtinuit. Mortuuſque eſt hoc tempore Clemens Pontifex, in cuius locum Alexander Ferneſius creatur, familia nobili Romæ natus, & Pauli III. nomen accepit. Ad eum autem quattuor ab urbe Veneta Oratores aduenere, M. Minius, Thomas Mocenicus, Nic. Theupolus, & Fed. Renerius, in latoclauoque ad humeros fibulato in publicum prodeuntes, ſapientiſſime perfuncti ſunt publico nomine lega tionis munere. Poſt Clementis uerò obitum Redulphus Baleonus cum ingẽti armatorum manu Peruſiam uerſus tacitè eſt profectus, in urbemque miro populi fauore admiſſus, Vice legatum, Eccleſiæ Epiſcopum Terracinæ interficiendum curauit, in Peruſiæ que Dominium ſe armis intruſit. Et ſub idem tempus magni bellorum motus in Pannoniam, ac Tranſyluania extitere, miſſusque eſt cum delecto equitatu ex Handrinopoli in eas prouincias Al. Grittus, Veneti Principis filius, uir Turcorum moribus aſſuetus, ac Solymano Regi perquam charus, in cuius aula diu amice uerſatus fuerat, intimamq; cum barbara gente familiaritatem, conſuetudinemque habebat, atque in altiſſima fortuna collocatus, immenſas ſibi opes aggregarat. Handrinopoli igitur profectus, in Daciam, quæ Tranſyluania hodie eſt, aduerſus Pannonas Solymani iuſſu, cum equeſtribus copiis tranſiit, tumultuariaque pugna rem proſpere in hoſtes primum geſſit, qua Americus Epiſcopus Varradinus, Gritto iubente, necatus eſt. Tulereque eius interitum Pannones acerbiſſimo quidem animo. Poſtea ut ſunt belli caſus uarii, & incerti, acie congreſſi, in Turcas Pannones proſpere pugnarunt, Grittuſque in uictoris poteſtatem redactus, in Varradini Epiſcopi interfecti ultionem, cæſa gladio ceruice, in Regiis caſtris obtruncatur. Obiitque per hos dies Alphonſus Dux Ferrariæ, hæredemque, ac principatus ſucceſſorem reliquit Herculem filium maiorem natu. Similiter Venetiis è uita deceſſit uir ampliſſimus Dom. Triuiſanus, Senator, Orator, Procurator inſignis, ad Franciſcique ædem delatus tumulo conditur ornatiſſimo. Et quum Henricus Britanniæ Rex, Catharina coniuge Ferdinandi Aragoniæ Regis filia, cum qua uiginti annos in matrimonio pacate uixerat, ceu ſterili, & infœcunda rapudiata, Annam Bolianam obſcuris ortam natalibus duxiſſet uxorem, factumque Henrici Phiſerius Cardinalis, & Morus a ſecretis, uiri optimi dãnaſſent, indignatus Rex, apud quem tunc Carolus Capellus Oratorem Senatus nomine agebat, homines comprehendi iuſſit, ac in carcerem duci, nec multòpòſt, medio Londinii foro capitali ambo ſupplicio afficiuntur. In regem uero Pontifex ſtatim ob impium ſcelus, anathematis ſpiculũ detorſit. Annam quoque adulterii crimine inſimulatam ſuſpicioſus Rex ſecuri percuſ-

Sforcia uxorem ducit.

Iudices arbitri.

Superarbiter.

Io. Delphinus.

Hariadenus Aphricæ Rex.

Paulus III. Pont. Maximus

Legati ad Pont.

Al. Gritt.

Dacia.

Epiſcopi Varradini mors.

Al. Gritti cædes.

Dom. Triuiſanus.

Car. Capellus.

ſit,atque eius conſtupratores, Georgius, Norreius, & Bruentorius,eodem ſupplicii genere afficiuntur: & ad tertium coniugium Rex tranſiens Iannam Samariam nobili genere procreatam ſibi matrimonio copulauit,ex qua Odoardum filium ſuſcepit,qui

Henrici Britannię Regis impietas.

poſt patris obitum regnauit.ſexieſque Henricus nupſit,Deorum, hominumque contemptor, inſolitamque in Regnum religionem Chriſtianæ puritati aduerſantem introduxit.illius autem impietatis Dii immortales ultores Britanniam multis cladibus afflixere.Rex quoque meritas improbitatis ſuæ pœnas dedit, quem graue in crure ulcus enatum,erodenſque miſerabiliter extinxit. Nouaque hoc tempore expeditio in Aphricā pro Muleſen Arabo ab Hiſpanis facta eſt.ille enim, ut ſupra memorauimus, Hariadeni Barbaroſſæ armis Tunetana urbe expulſus,ad Cæſarem cōfugit,cuius ope

Expeditio Cæſaris in Aphricam.

implorata,claſſis ſtatim inſtructiſſima ſub And. Doriæ imperio e Genua educitur: aſcenditque in eam Alphonſus Daualos, Marchio Vaſtenſis, cum Hiſpanis, Italiſque militibus.& claſſis continuo in altum euecta, Sardiniam primùm petiit, inde paucis diebus Aphricæ littus tenuit,expoſitiſque in terram militibus, ad Goletā caſtra ſunt poſita,arxque oppugnari cœpta,quam Turcæ,arabeſque durum in armis genus,præſidio tenebant,diuque & terra,& mari oppugnati,Chriſtianorum impetum ſuſtinuere,demum Cæſareis undique circumuallata armis arx ab hoſte deſeritur,qui inde fuga elapſus,ad Tuneta in proximo ſe recepit, & Hiſpani e Goleta caſtra eodem uictoriæ curſu ad vrbem admouere,oppidumque corona cingunt, ac tormentis in mœnia directis,magna earum ruina facta eſt. tum Barbaroſſa ueritus,ne Hiſpanus in oppidū ui irrumperet,auerſa porta cum ſuis egreſſus,in proximos Arabiæ,Lybiæque montes

Barbaroſſę fuga ab urbe.

profugit,Tunetanamque urbem ſtatim ab hoſte deſtitutam Hiſpanus occupauit, quæ mox Muleſen ueteri Domino,Cęſaris iuſſu reſtituitur,uectigalemq; ob id,ac ſtipendiarium barbarus Carolo Imperatori ſe perpetuò conſtituit. ac ex ergaſtulis multi fideles Chriſtiani ſunt liberati. Clarus Aphricana uictoria Hiſpanus, in Siciliam cū claſſe rediit.& Pontifex Rodulphum Baleonum Peruſia expulit,qui prius ui, armiſq;

Fr.Sforcię Ducis interitus.

urbem illam occuparat. præripiturque ex humanis hoc tempore Fr.Sforcia Dux Mediolani,deceſſitque ſine liberis,ac ex teſtamenti tabulis,uxore Vigeuene ciuitate donata,reliquarū inde urbiū,totiusq; principatus Cęſarē hæredē inſtituit,unde malorū omniū fons,origoq; manente,quibus diu Italia cōcuſſa eſt.nā ægerrimeGallorū Rex patiebatur,Mediolanenſem Ducatū Hiſpanos ſibi aſciſcere,quē hæreditario iure extincta uirili Viceecomitū ſtirpe,ad Francorū Regnū ꝑ Valentinā Ioannis Galeatii filiā Ludouico Aurelienſi Principi,Caroli Regis filio olim nuptā,ꝑtinereGalli aſſerebāt. armis itaq; ob Mediolanēſem cauſam diu inter Hiſpanum,Gallumque diſceptatum, & in Allobrogas primum ad ſubalpinam regionem ſub Ducibus Admirato, & Anni-

Gallorū geſta.

bao Gallorum copiæ tranſcenderunt:captiſque oppidis,Taurino,& Pinarolo, omnis ferè Pedemontana regio ferro, flammaque uaſtatur. & Cæſar è Neapoli profectus, Romam acceſſit,inde Senas,Florentiam, & Lucam; omnibuſque his in urbibus magno honore exceptus eſt. Mediolanum quoque ſe contulit, ubi bellum in Gallos para-

Ant.Leua

uit, continuoque eius iuſſu Antonius Leua cum copiis in Allobrogum fines delatus, Foſſanum in deditionem accepit,maioraque eum Cæſar animo concipiens, uiribus omnibus Imperii tam terreſtribus,quàm maritimis contractis, in Galliam tranſire ſtatuit,ac ſub primum acceſſum Maſſiliam claſſe aggreditur, quæ urbs ualidiſſimo firma-

Maſſilia.

ta erat præſidio,tribuſque partibus mari alluitur,a continenti quoque uis illata, ſed parum proſper utrobique Hiſpanos euentus fuit.inde Arelatum caſtra admota. qua ſubita Cæſarianorum in mediam Galliam irruptione factum eſt,ut è Sabbaudia,Allobrogumque finibus regiæ copiæ quàm primùm reuocatæ in Gallias tranſierint, ubi leuibus pugnatum aliquoties præliis,nullaque deinde benegerendæ rei occaſione oblata,ac appetente iam aſperiori bruma,uterque exercitus in hyberna conceſſit. fatoque

Ant.Leuę interitus.

obiit in Saiſſa oppido Antonius Leua bellicæ diſciplinæ uir omnium inter Hiſpanos Duces peritiſſimus, Cæſaris autem potentia, eiuſque fortuna Franciſcus Gallorum Rex permotus,quum illi omnia proſpere cederent,ſtatuit imminentibus Regni periculis mature occurrere,ad Turcorumque amicitiam reſpiciens(quod male ſanum porro conſilium fuit)eorum ope Cæſaris arma,bellicoſque conatus facile reprimere poſ-

ſe ſperabat. miſſus itaque Conſtantinopolim Polinus Orator, cum Solymano fidei noſtræ hoſte, regis nomine fœdus, pacemque iniit: quo facto, præclarus ille Chriſtianiſſimi titulus, quem priſci Francorum Reges tot egregiis in Syria aduerſus infideles facinoribus æditis, ſibi uendicarant, turpi nota non parum deformatus eſt. Eiuſdem quoque Regis Oratoris perſuaſionibus, Solymanus impulſus, Ianuſbeum uirum inter Turcas, clarum Venetias miſit, qui patrum animos tentaret, ad fœdus ſimiliter cum Rege ineundum, in quo expreſſum foret, ut amici amicorum, inimicique inimicorum Veneti, Gallique ad inuicem eſſent. at patres ſolita prudentia paucis reſpõderunt, ſibi cum omnibus gentibus pacem, amicitiamque intercedere, idcirco declaratione nulla opus eſſe, quum ipſi pacatæ cum omnibus agant. Quę reſponſio non ingrata Solymano fuit, ac uti prudens, circumſpectaq; laudata eſt. Educta interea ingenti ſub Hariadeni Barbaroſſa, & Luitifibei imperio claſſe, bellum mari in Cæſarem geri cœptum, Hiſpaniæque littora, & Siciliæ ora depopulata: quo quidem tempore creati ſunt a Paulo Pontifice Maximo ſupremi ordinis Antiſtites And. Cornelius, Gaſpar Contarenus, & Petrus Bembus, uiri in Veneta gente Oratoriæ, ac poeticæ facultatis, diſciplinarumque omnium ſtudiis præſtantiſſimi. Nec multò pòſt Alexander Medices Florentinæ Dux Reip. dum in tyrannide exercenda prauis conſiliis utitur, inter domeſticos lares a propinquo ſuo Laurẽtio interfectus eſt, qui patriam in priſtinam libertatem pulchro hoc facinore aſſerere uoluit. Sed ſecus euenit, nam continuò Cæſaris fauore, Coſmus Medices Alexandri loco Princeps ſalutatur, in prioremque Florentina res ſeruitutem, ob aduerſas ciuium factiones, incidit. Verno poſtea tempore ducentarum diuerſi generis nauium Othomanica claſſis iterum è Byzantio ſub Hariadeni Barbaroſſa, & Syna Baſſa imperio in altum eſt educta, aſſiduaque nauigatione in Superum mare peruenit, & ad Corcyram conſedens, magnam Venetis ſuſpicionem iniecit, noui alicuius, improuiſique in Remp. motus: nam paulò ante Solymani iuſſu Venetæ triremes ad Pharum Alexandriæ a Turcis interceptæ cum omnibus mercibus fuerunt, earumque præfecti, Ant. Barbadicus, & Hermolaus Barbarus, cuſtodiæ traduntur, atque unà Nic. Iuſtinianus Bailus, qui per octo annos antea apud Solymanum Reip. inſeruierat. Idcirco patres hac iniuria laceſſiti, bellumque cum potentiſſimo hoſte inſtare uidentes, ſtatim ingentem claſſem decernunt, duoſque eligunt Imperatores, Hier. Peſareum, & Ioan. Vitturium, quod nunquàm alias a priſca urbis memoria factum dicitur, parique utrique poteſtate ſummæ rei præficiuntur, Peſareoque cura tuendi maritimi Imperii ſupra Corcyram cum quinquaginta triremibus demandata, Vitturius uero ad Adriatici ſinus cuſtodiam Corcyram tenus totidem longas naues retinere eſt iuſſus. adduntur quoque cæteræ claſſi Galeonum, & Barceia, ſic appellata duo inuſitatæ magnitudinis nauigia: quorum alteri Bertucius Contarenus uir nauali arte clarus præficitur, alteri Nic. Triuiſanus homo æque impiger. extraordinariis ad hæc ſuffragiis uiginti quinque patritii omnes ætate, genere, & peritia maritimarum rerum clari, eliguntur, quibus ſingulæ triremes attributæ ſunt, ut ad omnem caſum parati eſſent, ſi barbarus forte claſſem propius admouens, uicina maria hoſtiliter infeſtaret. His auxiliis a Veneto comparatis, Turcica interea claſſis Corcyram uerſus curſum intendit, inſulamque clamore nautico, crebraque tormentorum conſalutatione amice prætervecta Aulonem adnauigauit, quo incurſu triremis Dalmata, cui trierarchus ex Iadera ciuitate nobilis præerat, Turcorum nauigium, quo regia ſupellex, & magnus inſtrumenti bellici apparatus ad claſsem perducebatur, hoſtiliter aggreſsa eſt, illudque tormentis perfoſsum mari demergitur: nec multò pòſt dum in duas Turcorum triremes, quibus Ianusbei Dragomenes ad claſſis noſtræ Imperatorem ad Corcyram ſedentem accedebat, Iuſtus Gradonicus incidiſset, in eas præcipiti uir ingenio cum tribus longis nauibus optime inſtructis impetum fecit, in fugamque eas uertens, diu per multa paſsuum millia hoſtiliter inſequutus eſt: impactis autem proximis littoribus Turcorum triremibus, Ianusbei, ut ſalutem ſibi compararet, in terram deſiliit, in Cimerinorumque manus incidens, ab his captiuus trahitur, qui poſtea magno auro ſe redemit. Alia quoque non minori iniuria a Veneto Turca affectus eſt, nam quum forte una triremis ex Othomanica claſse, quam Buſtanus Caripolitanus uir fortis regebat, proxime enauigaret, in

Fœdus Gallorum cum Turcis.

Prudens reſpõſum.

Tres Cardinales Veneti.

Al. Medices Ducis cædes.

Turcorũ claſſis.

Ant. Barbadicus, Her. Barbarus.

Hier. Piſareus, Io. Vetturius claſſis Imp.

Bar. Contarenus. Nic. Triuiſanus.

Turcorũ claſſis.

Ian' Bei Iuſtus Gradonicus.

Buſtanus

 eam

Alex. Contarenus.

eam Alexander Contarenus Legatus, ex priuato in Turcas odio cum quattuor longis nauibus impetum fecit; nec ad fœdera, amicitiamque reſpiciens, quam cum Solymano Veneti habebant, ferrum diſtrinxit, cædeſque Turcorum æditur ingens, & triremis capta in profundum mergitur; fortiterque pugnando Buſtanus interiit. & ex altera parte audito Othomanicæ claſſis curſu And. Doria Cæſarianarum triremium præfectus, è Meſſana ſubitò ſoluit, & in Aegeum mare prouehitur, Cephaleniamque inſulam legens, aliquot circa eam Turcorum nauigia commeatibus onuſta cepit, & in his duas illas Ianusbei triremes, quæ Venetorum manibus elapſæ (ut ſupra attigimus) proximo mari nautis vacuæ aberrabant. Barbaroſsa autem cum tota claſse in Hiſpanum inuectus, nauigationis curſum accelerabat, ut Doriam maturo acceſsu opprimeret. at ille re proſperè in Barbaros geſta, ſtatim uelis datis in Siciliam cum claſse abiit; & Barbaroſsa turbato animo tum toto nauali apparatu in Apulia haud procul ab Hidrunto conſedens, per Troilum Pignatellum Neapolitanum, qui ab Hiſpanis iniuria affectus, ad Turcos transfugerat, illuc ductus, milites in terram expoſuit, Caſtrique oppidum ſubitò aggreſſus, per uoluntariam deditionem occupat, multique Chriſtiani in captiuitatem adducti ſunt. quo rerum motu dum Peſareus è Corcyra profectus, Apuliam uerſus cum nauali apparatu adnauigaret, Turcorum claſſem medio mari obuiam habuit: qua uiſa, continuò Venetus triremium proras retorqu et, ac uelis, remiſque innixus, fugam arripit. tum Barbaroſſus hoſtili animo fugientem Venetum inſequitur. Buſtani enim cædem, aliaſque ueteres, ac recentes iniurias ulciſci in tanta bene gerendæ rei occaſione ſtatuerat. itaque irrequieto curſu per ſexaginta paſſuum millia Venetam claſſem eſt inſectatus, quæ uix eius manus effugit, incolumiſque ægre ad Corcyram ſe recepit: trium tamen triremium iactura facta eſt, quas aliis corpulentiores hoſtis in fuga oppreſſit, earumque præfecti, Ioannes Maurocenus, Aloyſius Contarenus, & Nicolaus Volterra Zacinthi ciuis Barbaroſſæ iuſſu ſecuri percutiuntur; eodemque ſupplicio Baptiſta Grittus in Contarena triremi captus afficitur. incitátque ad abrumpendam cum Venetis pacem Solymani animum Aiace Baſſa, quòd ab iis plurimæ in Turcorum nomen iniuriæ profectæ eſſent, contractis terreſtribus copiis Solymanus è Thracia armatus digreditur, emenſuſque totius Macedoniæ latitudinem, fluuiiſque maximis ſuperatis, ad Scardos montes perexit, qui ad Taulantios, & Daſſaretas pertinent, atque hinc per profundas conualles ad mare deſcendit, quò Barbaroſſa claſſem adducturus erat, ut bellum in Hiſpanos, Venetoſque terra, marique gereret: idque properantius factum eſt, quòd per eos dies And. Doria diligentiſſime cum claſſe inter diu, noctuque maria ſulcando, portus, inſulas explorando, nactus duodecim hoſtium triremes, apud Merleias ſupra Caſſiopeum Corcyræ promontorium cruentiſſimo per noctem prælio oppreſſerat: mirumque fuit, quanta Turcæ fortitudine nauali hoc certamine uſi ſint; qui incredibili uirtute propugnantes, triginta quinque inſtructiſſimas Cæſarianas triremes intrepide excepere, tantaque ferocia, & ardore pugnarunt, ut ſaucii grauiſſimis uulneribus, dimicandoque defeſſi, occumbere, morique potius, quàm ſe dedere maluerint. ea autem uictoria parum Doriam lætatum fuiſse conſtat, quum multi ex propugnatoribus ſuis, atque remigibus uiri fortes a barbaris obtruncati ciderint. Doria uerò pòſt pugnam fœliciter emenſus Ionium, ad Lacinium promontorium peruenit, atque inde Meſſanam in Siciliam traiecit. hæc clade a Doria affectus, & geminata contumelia a Veneto laceſſitus, Solymanus ita excanduit, ut Barbaroſsæ maledicendo aſperrime ſuccenſeret, iuſſitque ſtatim, ut abſque mora iniurias uindicaret, Venetoſque mari aggrederetur, ipſeque ab Aulone caſtra mouens, terreſtrem militiam adiunxit, & ad Vagiuſsæ ripas profectus, amnem ſuperat, ad Communitiamque Butrotiæ regionis progreſsus, eo in littore caſtra conſtituit, & paulò pòſt Barbaroſsa cum tota claſse Corcyram, Pheaciam olim dictam, peruenit; expoſitiſque in terram militibus, inſulam primum fœde depopulatus eſt. erant autem urbis præfecti Symeon Leonus, & Aloyſius Ripa uiri induſtrii, qui omnia ad Corcyrenſem rem tutandam indefeſso animo, corporeque agebant. parque militum uirtus, & ſtrenuitas in bellica adminiſtratione elucebat. Turcæ nihilominus terra, marique inſulam armis fatigare, uicos exurere, agros populari. nã Soly-

And. Doria.

Troilus pignatell'

Caſtri a Turcis captum.

Venetæ claſſis fuga.

Præfectorum ſupplicium.

And. Doriæ uictoria.

Not ferocitatem in Turcis.

Solyman' cum terreſtri exercitu.

Pheacia.

Symeon Leonus.

Al. Ripa.

Solymanus,qui in continenti è Corcyrè regione cum exercitu erat, magnam militum partem ad diripiendos Corcyrenſium fines tranſmiſerat, qui pagos omnes perſcrutati,infinitam propè miſeræ gentis multitudinem captiuam factam, in ſeruitutem abduxerunt;ad oppidumque,ut cuncta ſpecularentur,Barbaroſſa,& Aiax propiùs acceſſere,uiſaque eſt iis turriti oppidi ualidiſſima munitio,quam inexpugnabilem prope fore Solymano renunciarunt,non tamen oppugnatio,uiſq; omiſſa eſt,armiſq; rem agere barbari accenduntur.tum oppidi præfecti non temerè,hoſtium uires, quæ terra,marique erant maximę,metuentes,ſuburbana tecta demoliti ſunt, ne his protecti Turcæ ad mœnia tutius,atque facilius accederent. fuit ea res Corcyrenſibus cunctis ualde funeſta,& lachrymabilis,quum multa eorum perpulchra,magnificaque ædificia, & prætoria longa in pace erecta excinderentur. eiecta quoque eſt ex oppido imbellis omnis multitudo,ob commeatus inopiã;quæ in foſſis exterius pernoctare coacta,& hoſtium armis,& imbrium ſubita inundatione,procellarumque ui,pene omnis interiit.ſed communis periculi cauſa,duriora hæc conſilia ſequi neceſſe fuit. erexere interim Turcæ idoneis in locis ualidas circa urbem munitiones, è quibus tormentis, miſſilibusque oppidanos inceſſebant: parum tamen offenſæ illatum,quum Corcyrenſes, Præſidiariique milites, & ex arcibus,& ex propugnaculis rem in Barbaros acerrime gererent,unumque ex pluribus Inſulæ caſtellis nomine Angelo, caſtrũ ad quintumdecimum lapidem a Corcyra poſitum, egregia oppidanorum uirtute aduerſus irruentes Turcas defenſum,ſupra tria incolarum millia, qui eò confugerant, proſpere conſeruauit,quum paſſim alia Turcarum manus ingentem cæteris Inſulæ locis uaſtitatem ferro,ignique ædidiſſet.ſimiliter ad terrẽdos Corcyreos Turcæ,occupato proximiori monte,multa in eo tabernacula conſtituerunt, & è ſcopulo, qui Maripetrus uocatur,plures pilæ tormentariæ in oppidi mœnia contorquebantur, multaque uulnera à ſclopetariis in corona mœnium apparẽtes milites accepere: circumuecti quoq; triremibus hoſtes frequentiora è proris tormenta emittebant,maiori tamen obſeſſorum metu,quàm damno,quum munitisſima bellico apparatu, armorumq; præſidiis, omnia in urbe eſſent.cæterùm ubi Veneti Corcyræ oppugnatione Solymanum pacẽ tam impudenter uiolaſſe cognouere, ſtatim cum Pontifice, & Cæſare fœdus ineunt; quæ res tantum terrorem Barbaroſſæ iniecit,ut continuò ſoluta obſidione,è Corcyra claſſem abduxerit,Solymanuſque paulòpòſt ueritus,ne hoc belli in Venetos motu reliqui omnes Chriſtiani Principes coniunctis armis in eum terra, marique inſurgerẽt, ad renouandam cum Venetis iterum ſocietatem,quorum maritimam potentiam non parũ magnifaciebat, animũ adiecit.Ita ꝑ Ibraynũ Baſſam, ut ex dignitate Turcici nominis res ageretur, Iacobus Canalis bailus ſecretò admonitus eſt, ut ſi pacem Veneti cum Solymano renouare uellẽt, ad Senatum de hac re perſcriberet, facile futurum, ut ueteri redintegrata ſocietate,pax iterum inter partes componeretur. idque ſtatim Bailus per Ianeſinum,quo interprete utebatur,conſcriptis litteris, Senatui ſignificauit.hac re intellecta,oblataque Regis potentisſimi amicitia, ſtudium continuò in omnibus accenditur,ut quod ex Reip.dignitate,communique omnium ſalute eſſet,ratio iniretur.conuocato igitur Senatu,baili litteræ de pacis mentione recitantur.erant autem ex Senatoribus Seb. Iuſtinianus,Petrus Mocenicus,M.Ant.Cornelius,& Federicus Renerius,qui Turcorum nomen exoſi, bellum malebant, ex Aſiaque, & Græcia hac occaſione Solymanum expellere ſperabant.aliis potentisſimi Regis uires metiẽtibus,pax cordi erat,ad eamque amplectendam,quietis illi,& ſecuritatis ſtudio ferebantur,reſpondendumque Baili litteris,pacemque minimè reſpuendam ex Reip.dignitate eſſe cenſebant.Tum Iulius Contarenus procurator,uir eloquentisſimus, idẽ ſentiens,pro iungenda cum Solymano ſocietate,poſtquàm a multis aliis Senatoribus peroratum fuerat,hoc è ſuggeſtu diſſeruit:

Corcyrenſiũ clades.

Tectorum ruina ad Corcyrã.

Angelo caſtrum.

Maripetri ſcopulus.

Ibraynus Baſſa.

Ianeſinus interpres.

Senatores

Iuli Contareni oratio.

Si unquam in adminiſtranda Rep. Princeps optime, ac patres grauiſſimi,ſingulari prudentia, maturoque conſilio uſi eſtis, id hoc tempore profectò a uobis præſtandum cenſeo,ne in ardentiſſimum bellum ciuitas incurrat.agitur enim hodie,aut de pace ineunda, aut de bello gerendo cum potentiſſimo hoſte.ſed ſentiant alij,quod uolunt, pacem ego plu-

rimum laudo, quam ipſemet hoſtis ultro nunc nobis offert, uti ex litteris Jacobi Canalis Baili cognoſcere in præſentia poteſtis. eam autem, niſi ſano prorſus caremus conſilio, libentiſſimis animis complecti debemus: ſic melius Reip. conſultum erit, Venetique fines imperij tutiores reddentur, pace, ac amicitia cum Solymano renouata, qui latiſſima terra, marique ditione pollet. nam ex tribus Orbis partibus, uti omnes norunt, Aſiæ, Aphricæque dominatur, in Europamque cum incredibili armatorum manu iam antea tranſcendens, Myſſiam, Thraciam, Pannoniam debellauit, ingentemque Chriſtianis rebus cladem intulit; & nos potentiſſimis ſæpe claſſibus eductis, quoties perterruit? teſtis eſt Græcia, Dalmatia, & Forumiulium, ubi barbara diu feritas deſæuijt, magnasque in illis prouincijs olim clades paſſi ſumus, & nunc quoque recens paratur terror, niſi oblatam pacem amplexi, in priſtinam, ueteremque cum Solymano ſocietatem coeamus. nec uos patres conſcripti blandæ Principum Chriſtianorum ſuaſiones ſeducant, ac magniloqua promiſſa, cum inani ſpe occupandi (quod utinam eueniret) Turcici imperij. quidam enim ſibi ſomnia fingentes, totum iam Orientem armis perdomarunt, iam Solymanum, Turcaſque omnes eorum claſſibus, exercitibusque deletis, in triumphum trahunt, qua animi fiducia? quo ſenſu? Patres optimi hæc tanta perficere cogitatis, ueſtris ne uiribus, aut Pontificis, Cæſarisque ope, qui uobis fœdere iuncti ſunt? in his profecto haud ſatis confidite. Pontifex enim exiguas terra, marique uires habet, Cæſaris uero dubia auxilia agnoſco, cuius claſſem ducit Andreas Doria Lygur genere, natura, & ueteri æmulatione Veneto nomini infenſus. nos itaque ſoli derelicti, Turcarum uiribus reſiſtere poterimus? trecenta enim uarij generis nauigia ſtatim Solymanus educit, terreſtres quoque ingentes copias parabit, equitatuque illo ſuo inuicto, nos primos, qui eius imperio, in Græcia, & in Illyrio contermini ſumus, inuadet; ad commeatumque, ac rerum omnium penuriam mari obſeſſo ipſi redigemur: tum uobis, creditis ne? Pontifex, Cæſarve ſuppetias ullas afferent? uterque profecto fœderis oblitus res ſuas aget, ac Regnorum ſuorum curam habebit, & nos in ſummo diſcrimine annonæ, bellique conſtituti, tum pacem a Solymano uictore intempeſtiuam requiremus, quam nunc ipſe a nobis precario petit, optimiſque eam, ac honorificis habebimus conditionibus, quum nobiſcum ſe hoc tempore Solymanus reconciliare uehementer optet. an cum eo bellum gerere uultis? quo conflato, potentiſſima ſtatim Turcica claſſis in ſupero mari aderit, in Græciæque oram, inde in Adriaticum ſinum delata, quot terrores huic urbi incutiet? noua iterum Corcyra obſidione premetur, iterum Dalmatiæ fines armis terreſtribus, maritiſque Turcorum infeſtabuntur, & quod grauiori uulnere Remp. conficiet, ueſtræ triremes, quæ nuper in Aegyptum nauigarunt, interceptæ, in barbarorum poteſtatem uenient, ac mercatorum bona, qui Alexandriæ, Berythi, Conſtantinopoli, Damaſci, Tripoli, Alexiæ, ac per totam Syriam, & Aegyptum uſque in Charras negociantur, in prædam agentur: quæ omnia ſupra decies centena aureorum millia ſummam excedunt. ſed fœderibus ſtandum eſt, rectè ſanè: nec enim fidem uiolare decet: hæc tamen fœdera nondum tenent, quæ partium ſubſcriptione ad hanc diem non ſunt firmata, ac parum curæ Pontifex, & Cæſar in his ſeruandis, ac bello gerendo adhibent, quin nos tacite admonere uidentur, ut rebus noſtris conſulamus. nec illi, nec Principum Chriſtianorum quiſquam nouam hanc noſtram cum Solymano reconciliationem ægre ferre debebunt, quum nihil per eam in Chriſtianum nomen, & in Orthodoxam fidem, quam ſemper piè colimus, a nobis hoſtile paratur. his igitur omnibus ex cauſis pacem, ſocietatemque amplectendam eſſe cenſeo, quæ nobis ultro per potentiſſimum omnium Regẽ tã ſtudioſe offertur, belloque deinceps abſtineamus, pacem amplectentes, quæ ex Reip. dignitate hodie ſancita, nobis quietem, fœlicitatem, ſucceſſuſque ſpondet ſecundiſſimos.

Turcorũ potentia.

Nota.

Nota dãnũ negociationis.

Vbi

Vbi Iulius conticuit, præter Grittum Principem, qui Turcorum mores probe agnoſcens, maximopere pacem optabat, Aloyſius Gradonicus, Fr. Donatus, Laur. Bragadenus, M. Foſcarus, conſilio, & prudentia, uiri ſapientisſimi, Contareni ſententiam approbantes, Solymani poſtulata de pace amplectabantur. tũ ab his diſſentiẽtis M. Ant. Cornelius Senator facundiſſimus, ac dicendi arte excellens, Turcorum ſocietatem diſuaſurus, in hunc modum reſpondiſſe fertur. Senatores

Non poſſum in hac dubia belli, pacisque actione, Princeps optime Reip. deeſſe, nec ad præſens reticere ſtatũ, licèt conſilio, ingenioque minus ualeam. pietatis enim, religioniſque hæc nimirum cauſa eſt, maximamque continet honeſtatem. quid enim magis iuſtitiæ, rationique cõſentaneum, quàm fœdera, quæ cum duobus ſummis Chriſtiani populi Principibus, Pontifice, & Cæſare icta habemus, ſeruare? quàm in communes hoſtes Turcas bellum gerere? quo illorum impetus quandoque reprimatur. atque utinam maiores noſtri, ac reliqui Chriſtiani Principes ſocijs armis Turcorum conatibus antea reſtitiſſent: non utique Othomana domus tantum ſibi imperium terra, mariq; comparaſſet. ſed dum nimium paci ſtudemus, barbaræ gentis arma ab uno ad alterum extremi Orbis terminum ſecundis ſucceſſibus pene omnia edomarunt, atque in dies maiora ferox hoſtis audet, nuperque in Adriaticum ſinum cum ualidiſſima claſſe delatus, Calabriam, Apuliãque ferro, ac igni deuaſtauit, ubi Caſtro expugnato, claſſeque noſtra fugata, Corcyram huius ciuitatis, maritimique totius Imperij Veneti arcem, atque oculum bellico furore oppugnare auſus eſt; qua affecti iniuria uos Patres conſcripti ſtatim cum Pontifice, & Cæſare in Solymanum ſocia arma iunxiſtis, quocum pacem nunc renouare, atque in eius iterum amicitiam coire uiolato fœdere meditamini, parum uobiſmet ipſis, ac Reip. conſulentes. pace enim cum uobis inita, Solymanus ſtatim claſſe, exercituque maiori contracto, terra, marique, eam Chriſtianam inuadet, ac nobis eius ſucceſſus ocioſe ſpectantibus, omnia facile debellabit; breuique futurum eſt, ut nouis populis, prouincijsque bello partis, cuncta ſibi reddat ſubiecta; nouiſſimeq; uos aggrediatur. quibus facile erit, quod Dij immortales omen auertant, poſt acciſas, attenuatasque reliquorum Principũ Chriſtianorum uires, frenum inijcere: fruſtraque tum fœdere, auxilium, opemque a quopiam implorabitis, quæ omnia nũc uobis paratiſſima adſunt, ſi his uti uellitis. Ecce enim Paulus ſanctiſſimus, & optimus Pontifex proſperis, aduerſisque rebus nunquam, ut ipſe ait, a ueſtra ſocietate diſcedet. idem ſpondet Carolus Cæſar, & iam uterque præpotentẽ claſſem inſtruunt: quòd ſi ueſtræ pariter uires acceſſerint, omnia profectò Veneto, ac ſocio nomini proſpere, & fœlicia auguror: deijceiturque è maris poſſeſſione ferox Turca: atque id ipſum Solymanus ueritus, pacem ideo a uobis tam demiſſè petit, quæ prorſus reijcienda eſt, ac in fœdere perſeuerandum, quod tu Iuli Clariſſime tam diſerte, conſtanterq; ſuades, ut uioletur, & hanc labem ſanctiſſimo Imperio inijcis, quæ nullo unquam tempore amplius ab eius nomine eluetur. quouſque autem Patres Optimi patiemur? hæc furens bellua Turcus omnia deuaſtet, religionemque Chriſtianam & Barbaricis armis euertat, & Maomethanis ſuperſtitionibus polluat? resque eò adducta eſt, ut breui Solymanus terra, marique uictor omnia occupabit, niſi quàmprimum eius conatibus obuiam eatur: in quo quidem facto hac præſenti occaſione utendum arbitror, qua nulla unquàm maior ſe nobis obtulit, in domando Turcorum faſtu, in tutandis Chriſtiani Imperij finibus, quos illa ſingulis ferè annis tot cladibus, incurſionibus, incendijs deformat, nullaque miſeris Chriſtianis quiete datur: nunc Pannoniam inuadit, nũc Tranſyluaniam, Italiæ modò oram maritimam, modò Hiſpanum littus armis infeſtat. eiusque impetum Patres Optimi reprimere cum duobus ſummis terrarum orbis principibus coniuncti nunc abnuitis? Fideique, ac fœderis obliti, ad communis omnium hoſtis amicitiam reſpicitis? quid immanius? quid magis impium, quàm fidem uiolare? Chriſtianam rem deſerere?

M. Antonii Cornelii oratio.

Not. uere.

Corcyra.

Paulus Pont Car. Cæſar.

ampliandi

ra, marique premerentur, duos ſtatim Oratores ad Cæſarem deſtinarunt, Nic. Teupolum, & M. Ant. Cornelium: iiſque a Cæſare benigne exceptis, claſſem ſub Doriæ imperio in Adriaticum breui ſe tranſmiſſurum pollicitus eſt, quæ cum Veneta coniugeretur. Pontifex quoque uiginti triremium claſſem ſub M. Grimani Patriarchæ Aquileienſis ductu in Græciam miſit, ut cum Veneta nuper aucta, & in altū educta ſe adiūgeret, cuius imperium Vinc. Capellio uiro bellicis inſigni artibus a Senatu demandatum fuerat.

Oratores Veneti ad Cæſarem.

Interea Turcorum claſſis Aegeum mare peruagata, in Cretam curſum direxit: Cydoneque, & Rethymo fruſtra tentatis, inde digreſſa, Macedoniæ, Epyrhique littus tenuit. Et in Dalmatiam Veneti cum copiis Valerium Vrſinum miſere: additurque ei Legatus Aloyſius Baduarius uir ſummi conſilii, ſingulariſque eloquentiæ. iterumque ab his Obrouatii expeditio tētata eſt, oppidumque magna Turcorum cæde expugnatur, ac captum, direptumque euertitur. & M. Grimanus ex altera parte Pontificiæ claſſis præfectus Preueſam circa Ambracium ſinum ferociter inuaſit, in oppidumque ui irrumpere, informidabili auſu Eccleſiaſticus ſæpe miles conatus, a Turcis non ſolùm repellitur, ſed ad internetionem penè deletus caſtro. unius tamē Al. Rimondi uirtus plurimum enituit, qui triremem ſuam ad oppidi oppugnationē primus agens, fortiſſime in Turcas pugnauit.

Vinc. Capellus claſſis Imp.

Val. Vrſinus.

Al. Baduarius.

Præueſa.

Al. Rimōdi uirtus.

Cæterùm crebris hoſtilium tormentorum ictibus ad ſexaginta ex turma ſua nauali uiri fortes interfecti occubuere, ipſeque in crure uulnus hoſtili iaculo accepit, animique ſui intrepidantia & noſtris, & hoſtibus pariter admirationi fuit; & niſi Veneta claſſis ſubſidio mature affuiſſet, ingens ea die clades accipienda erat. Corcyræ mox Cæſariana quadraginta triremium, & uiginti nauium claſſis ſub And. Doriæ Imperio applicuit, quam Venetus ubi alto adnauigantē uidit, miro gaudio excepit: coniunguntūrque ſtatim ſimul tres claſſes, Pontificia, Cæſarea, & Veneta, ſupputatoque numero ſupra ducentæ diuerſi generis naues in Chriſtianorum partibus fuere; ac penè totidem Hariadenus hoſtis habuit, qui ubi claſſem Hiſpanam Corcyram acceſſiſſe certior factus eſt, quàmprimum in Ambracium ſinū ſe in tutum cum tota claſſe recepit. inde poſt aliquot dies egreſſus, in altum procedere audet, nec prælium detrectat. tum noſtri cōgredi cum barbaro mirifice cupientes, claſſem inſtruunt. Venetique præ omnibus, prælii ardore incenduntur, & pugnam expoſcunt. unus autem Doria, apud quem totius ſumma imperii erat, a certamine alienum animum habebat: ad eumque Capellius inſignibus cinctus armis conuerſus: Ne hæſites Imperator, inquit, prælium hodie capeſſere, quod proſperum nobis Deorum immortalium ope futurum auguror, primaſque ego prælii partes cum Veneta claſſe expoſco: uos ſequimini, impetumque omnem, ac hoſtile ferrum, hoc pectore (illud dextra tāgens) pro Chriſtiani nominis gloria libenter excipere paratus ſum. hæc Capellus: cuius uigore animi, conſilioque ab omnibus approbato, in diem poſterum Doria edicit, ut omnes intenti, pugnæ ſignum expectent, claſſiariamque aciem militari ordine inſtruit: Cetheas enim naues in prima fronte collocat, in quorum robore ſpes omnis uictoriæ aſſequendæ reponebatur, iiſque Francum Doriam gentilem, & propinquum ſuum præfecit: poſt eas ſubſequi triremes iubet, ipſe media conſiſtit claſſe: ad Preueſamque in hoſtem contendens, naualem quinquaginta & ducentarū prope nauium, diuerſi generis apparatam in hoſtium conſpectu extendit. quo ſpectaculo, magnus uti aiunt, Barbaroſſæ, Turciſque timor incuſſus eſt, eorumque animi tantæ Chriſtianæ claſis amplitudine, atque apparatu non parum permouebantur.

Cæſariana claſſis.

Not. Capelli uerba ad Doriam.

Not. claſſis magnitudinem.

Barbaroſſa tamen, qui in apertum pelagus cum tota claſſe euaſerat, in prælium accenditur, claſſemque eo ordine inſtruit, ut ipſe mediam teneret aciem, ubi eius prætoria, aureo ingenti funali, purpureiſque pluribus uexillis exornata conſpiciebatur; dextrum cornu obtinebat Tabaches, ſiniſtrum verò Salechus, parem prope triremium numerum ductātes: tantoque ordine Barbari naues alto agebant, ut quò verteretur Prætoria, alas extendentis, volantiſque Aquilæ ſpeciem præberent. laudauitque plurimum mirabundus Doria peritisſimi Ducis Barbaroſsæ ingenium. at Draguthes Archipyrata cū triremibus circiter uiginti partim roſtratis, partim leuioribus claſsem antecedens, noſtros infeſto curſu urgebat. expectabaturque ſignum a Doria, quod ſe daturum opportune quid fieri oportet, receperat. Interim quum Venetus, qui uehementisſime ad illam

Tabaches Salechus.

Draguthes.

illam horam proflarat,ſubitò reſediſſet,naues ab utroque cornu medio mari immobiles penè redditæ ſunt.nec in aduerſam Turcorum claſſem impetum facere,ſubita maris tranquillitate orta,potuere.at Turcæ,ut pacatos uidit fluctus, Galeonum Venetũ

Alex.Bõdemarius

aggreditur,cui Alexander Bondimerius præerat,in defuncti nuper Bertucii Contareni locum,a Senatu ad illud regendum miſſus: pugnaque circa Galeonum atrox oritur,multis autem tormentorum ictibus aliquot Turcorum triremes, biremesque diſiectæ,medio mari demerguntur,Barcia quoque a Turcis oppugnata eſt,quæ Barbarorum impetum fortiſſime ſuſtinuit,omneſque una uoce exclamabant, vt Doria pu-

Griman' Patriarcha.

gnæ ſignum daret,ad quem Patriarcha Grimanus prouectus,eam inuadendi, delendique hoſtis facultatem non prætermittendam tanto ardore uociferabatur, vt ad omnium ferè aures inuitantis clamor perueniret, maximaque in cunctis erat admiratio, quòd rem Doria prælio committere dubitaret. is enim onerarias naues in unum coeuntes,ingentibus gyris,atque mæandris,ſubſequente triremiũ ordine,trahens,proximè adnauigabat, nilque hoſtile utrinque per altum diem agebatur. interim ſubſiſtente Barbaroſſa,& Doria pigreſcente, Sol iam ad occaſum uergere incipiebat, extremiſque in cornibus a Turcis in noſtros pugnari cœptum,duæque Hiſpanorum one-

Buccanigra, Maccinus.

rariæ,in quorum altera Buccanigra uir fortis uehebatur, in altera Maccinus Mongaia Cantaber,circumuentæ penè periere: nam crebris tormentorum pilis earum mali perrupti ſunt,velaque iniecto igne incenſa, ac multi ex nautis interfecti, ſecundum hæc male habita nauigia, altera e parte capta eſt Aloyſii Figaroæ Hiſpani nauis, ta-

Al. Figaroa.

metſi ſuæ cohortis milites,uectoreſque,qui in ea erant,pugnaciſſime dimicarent:captique ſunt in oppreſſa tandem ab hoſte naui,Figaroa pater, & filius adoleſcens eximiæ formæ,qui poſtea deductus ad Solymanum,ut Iouius tradit,Maomethis ſacra ſuſcepit: captæ etiam ſunt ab hoſte ſub ipſum noctis crepuſculum duæ Venetorum triremes, quas lento remigio a cætera claſſe diſiunctas facile Turca oppreſſit, earumque

Fr. Mocenicus, Io. Bapt. Bibiena.

Franciſcus Mocenicus patritius, & Ioan.Baptiſta Bibiena natione Thuſcus vir ſacratus,ductores fuere,atque ille ab hoſte interficitur, hic uerò captus in poteſtatem Turcorum uenit:quædam etiam naues onerariæ per noctem commeatus plenæ ea trepidatione ab hoſte interceptæ ſunt,triſtemque ac inexpectatum hunc exitum potentiſſima Chriſtianorum claſſis habuit. accuſaturque in primis Doria,qui in initio pugnã

Doriæ oppoſitio.

ab omnibus miro animorum ardore concupitam imperio cohibuit,fraudeque id, an metu a Lygure factum ſit,parum compertum habetur:plane tamen conſtat, ſi totis uiribus,cõcordique animo in aciem deſcenſum eſſet, Turcorum claſſis facile deleri potuiſſet,quum ad primum congreſſum Barbarus de fuga cogitaret.nec a cõtinenti multum ſe cum claſſe elongarat,vbi ſiquid grauius accideret,parato effugio, omne periculum euaderet.Poſt leue itaque,ac fortuitum hoc ad Preueſam nauale certamẽ,claſſis Turcica,Chriſtianaque Cypenſis dolonibus,maioribusq; uilis dimiſſis,quòd grauior procella flantibus euris exorta eſſet, in diuerſum abiere: nam altera Zacinthum

Caſtrinoui deſcriptio.

uerſus profecta, Inſulam crudeliter depopulata eſt, & in Illyricum altera delata, caſtrumnouum ad hoſtium Cathari inuaſit. eſt enim oppidum in Rizonico ſinu poſitũ, ea forma,& natura,vt tutiſſimum,atque ingentem præbeat portum,in intimoque receſſu Catharum ſitum eſt,Veneti Imperii oppidum,quod mare ad Orientem ſe ſe intorquens,placide alluit:tota autem Regio apricis, cultiſque collibus peramæna con-

Catharũ.

ſpicitur;ſed Catharum obſtantes ad dextram montes ita opacum reddunt, ut incolæ ſub brumæ tempus breuiſſimis ſolibus uti ſoleant. Caſtrumnouum ipſum multis ante annis Cherſego regulo Turcæ ademerant, turritamque inſtar arcis munitionem habet,& per dorſum collis ædificia ab infima oppidi parte,quæ mari alluitur, aſſurgũt: in ſummoque caſtellum natura potius,quàm arte munitum a pauciſſimis Turcis cuſtodiebatur. Prima itaque oppugnatione ſocii nauales Venetę claſſis per tabulata,remoſque murum intrepide ſcandentes, ad infimam oppidi partem irrupere: inde Hiſpani Ducibus Buccanigra,& Cæſare Ioſia Firmano,hoſtibus è munitionibus repulſis,oppi-

Caſtrumnouum capitur.

dum occupant,caduntque in prima irruptione ambo Duces, & præſidio ſtatim oppidum Hiſpani validiſſimo firmarunt. mox Riſano,deditione a Turcis facta,Veneti potiuntur. Hiſq; Barbaroſſa auditis,ad Aulonem cum claſſe reuertitur,vt ſuis ſubſidio adeſſet,

adeſſet,cuius ſubitò in Adriaticum ſinum acceſſu, Veneti nouam triginta longarum nauium claſſem inſtruunt, præfectusque earum Hermolaus Maurocenus creatur, uir maritimarum rerum peritia clarus.& Doria è Dalmatiæ littoribus cum Cæſarea claſſe Brunduſium in hyberna conceſſit.in Helleſpontum autem infeſto anni tempore dũ Barbaroſſa nauigat, coorta ſubitò ingenti tẽpeſtate, multas triremes naufragio amiſit: Veneta verò,& Pontificia claſis Corcyram ambæ ſimul ad hybernandum ſe contulere. repulſique ſunt cum cæde & ignominia Turcæ a Nauplia,quã diu obſederant, idq; virtute Victoris Garzonii prætoris, viri fortisſimi, euenit,qui vrbem ſtrenue tutatus eſt.in eadem quoque ſeruanda Auguſtinus Cluſonus præſidii Gubernator, vir inuicti animi,corporisque,egregiam operam nauauit.& quum per huiuſmodi rerum motus Grittus ſupra quindecim annos principatum tenuiſſet,iam ſenio confectus,naturæ,fatoque conceſsit,leuique ægritudine die vno correptus,altero præter omnium expectationem interiit.luxitque cum mœſta ciuitas,funusque decora pompa ad Frãciſci ædem honeſtatum eſt,in quo Ber. Nauagerius Principis defuncti laudes elegantisſima oratione celebrauit.poſt Grittum Pet.Landus Ducatum obtinuit. ob aduerſamque hoc tempore corporis valetudinem Vinc.Capellius maritimo ſe imperio abdicauit,ſtatimq; in eius locum Ioannes Maurus abſens eligitur, qui pauloante in Cretam ad Inſulæ præſidium cum armatorũ manu Senatus iuſſu adnauigarat. is verò vix terræ appulſus,in morbum incidit,quo paucis diebus è vita exceſsit.eo defuncto Thomæ Mocenico maris imperium demandatur,qui ſtatim ad claſſem in Dalmatiam profectus eſt.poſtmodum Laur.Grittus, Andreę Principis olim filius, Veneti Senatus nomine inducias in treis menſes cum Solymano Turcorum Rege paciſcitur, miſſusque eſt ad eas confirmandas Conſtantinopolim Petr.Zenus,vir grauis,prudens, & Turcicæ linguæ peritus: nam Caſtrinoui occupationem a Cæſarianis dudum factam moleſtisſimè Senatus tulerat,quod id oppidum cõmunibus partum armis Hiſpani ſibi vendicaſſent.ſuſpectabat enim Venetus Hiſpanæ gentis ingenia imperii auida, iniuriaq; occupati oppidi patrum animis alte inſederat.itaque auerſo a Cæſarianis animo,initæ cum eo ſocietatis plurimos ex Senatus primoribus pœnitebat.acceſsere ad hæc,acerbæ in Doriam multorum querelæ, quod homo Lygur Veneti nominis ex æmulatione antiquus hoſtis,maligna cunctatione vti voluiſset,ne victoria potiretur,quę aliquo modo Venetos ſocios condecoraret;illorumque gloriæ inuidens, a fœlici prælio victrices manus abſtinuiſset,concidiſsetque eo facto omnis Italicæ naualis diſciplinæ exiſtimatio,quę in duobus præſtantisſimis maritimarum rerum vſu populis Veneto,& Lygure, ad eam diem ſemper floruerat. atque his rumoribus Doriæ iactabatur fama. Barbaroſsa contra ſummis in cœlum laudibus ferebatur, qui præpotenti Chriſtianorum claſſe minimè formidata, in eius occurſum minori nauium numero in altum audacter prodiiſset; nulloque timoris ſigno oſtenſo, prudentis, inuictique Imperatoris munus obierit. Cæterùm induciarum tempore vigintiquinque pyratarum biremes in quattuor Venetas longas naues haud procul a Corcyra impetum fecere, duabusque earum oppreſſis, reliquæ,ne perfidus hoſtis his poteretur,nautis in proximum littus expoſitis,demptisque armamentis, a Veneto medio mari comburuntur.præfecti autem captarum triremium fuere Fr. Grittus, & ciuis Dalmata ex Pharo oriundus: alii duo Hier. Zane,& M. Carolus Contarenus,amiſſis incendio triremibus,quas ſponte flammis,ut ſupra diximus, abſumpſere, incolumes Venetias ſunt reuerſi.Rep.autem Turcorum armis,grauique bello uexata,ut hoſtium impetus aliquo modo retunderetur,auxilia ab Hiſpania, Galliaque patres per ſuos Oratores ad id creatos euocare curarunt: proinde ad Cæſarem Aloyſius Baduarius miſſus eſt,& ad Regem Fr. Iuſtinianus;qui publico nomine in communi cauſa opem implorarent,imminensque oſtenderent periculum,quod(Turca uictore)Reſp. Chriſtiana ſubiret.Legati benignè auditi,auxiliaque opportuno tempore promiſſa. Interim hoſtium impetum Veneti(quantum poterant)fortiter ſuſtinebant, claſſeque parata,& maritimum, & terreſtre iuſto exercitu tuebantur Imperium. ac per hos dies Fr. Maria Vrbini Dux,Venetique exercitus Imperator,ex humanis migrauit. miſſusque eſt ſtatim Fr.Sanutus a patribus Orator Piſaurum ad Guidobaldum filium, qui publi

co nomine

Her. Maurocenus.

Victor Garzoni.

And Gritti P. interitus.

Pet. Landus Dux 68 an. Domi. 1538.

Laur. Grittus.

Pet. Zen'.

Not. de Doria.

Triremes incenſæ.

Al. Baduarius.

Fran Iuſtinianus.

Vrbini Ducis interitus.

eo nomine de obitu fortiſſimi uiri patris ſui condoleret, iuuenemque conſolaretur. celebratumque eſt uiri illuſtris funus Venetiis in Gemellorum æde, ubi Princeps, Senatusque officii gratia affuit, & de eius laudibus Laur. Contarenus patritius eruditiſſimus funebrem orationem habuit. & Petrus Zenus dum Byzantium peteret, medio itinere, diem ſuum obiit. Alteraque ſtatim legatio decernitur, eamq; Thomas Contarenus, licèt inclinata iam ætate eſſet, ſtudio iuuandæ patriæ libens ſuſcepit. Interim Solymani Regis iuſſu, quem Caſtrinoui amiſſi ignominia premebat, Barbaroſſa cum præpotenti claſſe in Adriaticum ſinum delatus, ad eius oppugnationem recto curſu contendit: oppidum autem ſupra tria millia Hiſpanorum, ſub Fr. Sarmenti ductu, præſidio tenebãt. Tum Barbaroſſa cum nonaginta triremibus, & tribus nauibus onerariis quas Turcæ Mahonas uocant, primas ſinus fauces ingreſſus, rem circa oppidum armis gerere cœpit, atque eodem tempore Vlamanes præfectus è Sanzachorum numero, natione Perſa, uir ferox, cum triginta millibus equitum, & peditum è ſummis montibus deſcendens, ad oppidum propius acceſſit, & ad Orientem, fixis in plano compluribus tentoriis, caſtra locauit. Expoſita quoque ſunt è claſſe in terram ſupra quinquaginta maioris generis tormenta, in queis erant tres ingentis magnitudinis Baſiliſci, qui ferreum amplius cento pondo globum fulminanter euomebant: magnaque ab his muri ſubuerſio facta eſt. A mari etiam Barbaroſſæ iuſſu Salechus admotis triremium proris, rem impigre gerebat: nam mane, ueſperique uſque adeo acriter, & continenter quaſſata ſunt mœnia, ut Hiſpani magnopere exterriti, dubiam in defendendo diutius oppido, ſpem retinerent. Turcæ interim per ampla turre, deiectis propugnatoribus, potiti ſunt, in cuius culmine barbarico uexillo erecto, magno Hiſpanus miles timore correptus, languidius pugnare cœpit. & Vlamanes a continenti aliquantam ab attigua arce deiecti muri partem occupauit. Tum Barbari tãquàm uictores ſublatis uocibus plurimum exultantes, patefacto armis aditu in oppidum irrupere. nec mora, atrox, cruentumque irruentibus Turcis certamen initur, ſed Hiſpanis iniquius, quum plenus imber ſubito coortus, in ſclopetariis funiculorum ignes extinxiſset. quo factum eſt, ut hoſtes inoffenſi noſtros impune trucidarent. cecidítque in eo conatu fortiſſime pugnando Cuſanus Burgundus, & Dux ipſe Sarmentus tribus ſagittis intra galeam ſuperbo conu inſignem os confixus, feſſuſque longa uigilia, in ueſtigio aliquandiu tela uitabũdus, quæ in eum inceſſanter torquebantur, fortiter perſtitit; & quum uis hoſtium undique ingrueret, fatigatumque corpus collaberetur, amiſſis uiribus, honeſtam, glorioſamque mortem oppetiit. Interfectique ſunt pariter cum eo cohortum præfecti, Sanctius Frias, Ioannes Cantaber, Dominicus Ariadanus, Serronius Tarraconenſis, & Oliuerius Valentinus, pauciſſimoſque Barbarus ſeruauit, in quibus fuere Aloyſius Arrius, Dictacus, & Mongaia, cum Lazaro Coroneo, uiro Græco. Magna autem huiuſce modi Caſtrinoui expugnatione Cæſar clade affectus eſt, quum (ut ſupra memoratum) plurimi inſignes armorum ductores, Hiſpaniæque totius militiæ flos, unius horæ momẽto occubuerit, eorumque militum magna pars cæſa fuit, qui pauloante Romanam urbem tam fœde diripuerunt, ut merito hanc illis cladem Deorum ira eueniſſe omnes iudicarint. Inde Riſanum Turca uoluntaria deditione a Venetis recepit, Catharum quoque ab hoſte tentatum, ubi Ioannes Mattheus Bembus uir, conſtantis, magnique animi præturam gerebat, ad quem Barbaroſſa litteris minacibus conſcriptis, arroganti factu poſtulabat, ciuitatem ille ſtatim dederet, portaſque ultro aperiret; quod ni faceret, ſe urbem extemplo armis aggreſſurum denunciauit, quæ deditionem ſtatim uoluntariam non feciſſet. Ad ea per litteras Bembus reſpondit, Barbaroſſam iniuſtæ agere, ſi nondum exacto induciarum tempore, in Venetos tam impudenter rem armis gerat, nullumque in Catharo urbe Othomanis ius eſſe, qui hoſtilia in eum moliri uelint: propterea ſi uim Barbaroſſa inferret, uim vi ipſe, qui cũ Imperio urbi præeſt, propulſabit; daturuſque eſt operam, ut illatam iniuriam armis comprimat, non ſine contumelia ſui Imperatoris, cuius miniſter induciarum leges uiolare auxus ſit. illum itaque admonet, ut a ui abſtineat, nec munitiſſimæ urbis deditionem expectat, quam ſuæ fidei commiſſamque, uſque ſpiritum ducet, ſeruare in animo proponit. Statimque Bembus, aduocata concione, populum, militeſque hortatus eſt, ut

quum

Petr. Zeni mors.

Turcorũ claſſis ad caſtrum-nouum.

Vlamanes

Baſiliſci.

Caſtrinoui expugnatio.

Sarmenti, & aliorũ cædes.

Not. capu bon.

Ioan. Mattheus Bembus.

Not denũciationem Barbaroſſæ.

Bembi reſponſum.

quum, tanto hoſte imminente, de ſumma rerum agatur, omnes parati ſint animis, corporibusq; ad defenſionem urbis, fortemq; præſtarent operam aduerſus truculentiſſimorum hoſtium impetum, qui ex Caſtri noui expugnationereuerſi, inflatos animos gerunt, amantiſſimoque Reip. oppido inhiant. Sed in Deo Opt. Max. ſperandum eſſe, qui iuſtæ cauſæ fauebit, Chriſtianũq; populum pro Fide pugnantem ex alto tuebitur. His Bembi adhortationibus omnes incitati, fortem ſe operam in hoſtes præſtaturos polliciti ſunt, claſsisque Venetæ pars ab eo euocata, quæ in proximo erat, Barbaroſſæ animum ſollicitũ reddebat; is tamen in ultimum ſinus receſſum aliquot triremes promouit, diſploſiſque magno impetu tormentis, ſigniſque erectis, oppugnaturi ſpeciem præbuit. Tum Bembus cum armato præſidio in mœnibus ſe Barbaris oſtendens, ad eorum impetum excipiendum paratus erat, compluribusque tormentorum pilis, teliſque excuſſis, hoſtium bellicus ardor repreſſus. Itaque altera die Barbaroſſa ab urbe quam egregie præſidio firmatam cognouerat, claſſem abduxit, Bembique nomen ab ea die non ſolum apud noſtros, ſed etiam in ore hoſtium clarum, illuſtreq; haberi ceptũ. Et dum per Illyricum hoſtis uagaretur, Veneti Barbaræ gentis uicinitare commoti, decem maiores triremes armandas curarunt, eiſque Iac. Michaelem uirum ſpectatæ uirtutis, ac naualis diſciplinæ gnarum præficiunt. Et Byzantii Laurentius Grittus, peſtilentiæ lue infectus, ſubitò interiit, qui cum Thoma Contareno Oratore apud Solymanum Regem Reip. negocia diu prudenter procurauit. Morsque eius Senatui meritò acerba fuit. Magni inter hæc in diuerſis Italiæ locis rerum motus ſequuti ſunt, in Subalpina in primis regione inter Gallos, Hiſpanoſque arma commiſcebantur; magniſque utrinque illatis, acceptiſque cladibus, Heleonoræ coniugis ſtudio tandem Rex Gallorum cum Cæſare compoſitionem, pacemque iniit. In Hetruria quoque Florentinorum nouitatibus res inquietæ erant, ciuiliique odio, & ſimultate in urbe plurimum laboratum, unde inſignium uirorum cædes ſequutæ ſunt. Poſt hæc Cæſar a Pyreneis digreſſus, a Franciſco Rege per nuncios, litteraſque inſtanter petiit, ut Legati communi conſilio ad Venetos mitterentur, qui nunciarent, deterſis animis odiis, amicitiam inter utrunque Principe ſincera fide renouatam eſſe, eo conſilio, ut fœdere cum Rep. mari præpotenti icto, ſacroque bello ſuſcepto, in Turcas communes hoſtes totius Europæ gentis arma uerterentur: idque a Cæſare factum, quatenus Venetos iam bello feſſos ad antiquam Solymani amicitiam reſpicere fama erat. Venere itaque duorum potentiſſimorum Principum cum ornatiſſimo comitatu Legati, Alphonſus Daualus, Cæſaris in Italia Dux bello inſignis, & Hanebaldus uir in Gallis nominis claritate conſpicuus, copiiſque regiis apud Taurinum præpoſitus: quos Princeps, frequenſque Senatus Bucentauro, multiſque exornatis triremibus, obuiam effuſi, honorifice excepere. Erant tum Veneti Turcico bello plurimum occupati, multaque in eo aduerſa pertulerant. nam Corcyra, Creta, & Inſulæ Cyclades ſæpenumero hoſtili claſſe uexatæ, magnam depopulationis & uaſtitatis cladem adiere: nec minori Illyricum calamitate belli affectum, unde incolarum ingens turba abducta, & ad triremium tranſtra cathenis relegata, acerbam ſeruitutem patiebatur. expoliataq; prouincia optimis nautis, & remigibus, in ſolitudinem penè redacta contabeſcebat. Frumenti ad hæc inopia acceſſerat, quæ urbem adeò premebat, ut omnes bellum exoſi, quamlibet pacem appetere uidebantur, ne fame perirent. Is apud Venetos animorum habitus erat, quum audiendæ legationis dies aſſignatus eſt. in ampliſſimo autem conclaui Comitiis dicato Princeps, patreſque rogati conſedere, ut ibi Legati exciperentur, quibus a lectiſſimo patritiorum ordine eò deductis, Daualus, ut erat facundia inſignis, in hanc fermè ſententiam Cæſaris nomine locutus eſt:

Barbaroſſæ a Catharo receſſus.

Iac. Michael.

Lau. Gritti interitus.

Ligatio inſignis ad Venetos.

Alphonſus.

Hanebaldus.

Not. cladem.

Alphonſi Dauali ad Venet. Oratio.

Diuina altiſſimi, Mundi Rectoris, Princeps Optime, Patreſque illuſtres, prouidentia factum eſſe reor; ut duo longè maximi in Europa Occidentis Reges, qui modò armis, odijſq; inter ſe perpetuis contendebant, ad pacis ſtudia, noua inita ſocietate, animos conuerterint, eo uno procul dubio conſilio, ut rebus compoſitis, conſtitutaq; inuicem pace, claſſem, & exercitum in Turcas terra, mariq; concorditer educant, ac tot cla

Hh des

des, iniuriasque iuſtis armis ulciſcantur. Acerbum enim eſſet memorare, quanta illi continuis temporibus rem Chriſtianam bellorum calamitate afflixere: uosque huius rei Patres optimi, teſtes locupletiſſimi eſtis, qui cum Turcarum gente diu bellare aſſueti, immanis eius furoris ſæpe periculum feciſtis, cuius nefarios conatus uobis coniuncti Reges noſtri bello reprimere maximopere cupiunt, atque ut hoc uobis annunciaremus, nos illi huc ambos miſerunt: uos enim unos præ omnibus, qui tantum prudentia ualetis, opibus affluitis, nauali diſciplina excellitis, in ſacri belli, fœlicisque expeditionis ſocietatem aſciſcunt, & dignos exiſtimant, qui bellica inſignis ſperatæ uictoriæ præmia nanciſcamini; ſiquidem facilè futurum erit, ut renouato belli apparatu, coniunctisq; terra, mariq; armis, Barbari uincantur, tametſi ſe ad Præueſam gloriabundo ore uictores dudum euaſiſſe iactent: quod utique falſum eſt, quum non uirtute, bellicaque fortitudine, ſed iniquo quodam fato, tempeſtatisque ſubita commutatione, uictrices iam propè manus noſtras effugerint. Nobis enim pro Chriſtiana pietate pugnantibus, cuncta cœli, terræ, marisque numina propitio fauore aderunt: terreſtres etiam copiæ adiungentur, de quibus bene ſperare fas eſt; quandoquidem ad eas, quæ modò ad Viennam aduerſus Solymanum rem fœliciter geſſere, acceſſura ſint non modò robuſta totius Galliæ equeſtria, pedeſtriaque agmina, ſed Sigiſmundi Sarmatiæ Regis etiam per ampla, inuictaque armatorum auxilia aduenient, ſic ut minimè de explorata iam propè uictoria, lætiſſimisque ſucceſſibus ſit dubitandum. Hæc itaque piè inita tantorum Regum conſilia ad uos afferimus, quæ Carolus, atque Franciſcus, ut læto animo ſuſcipiatis, plurimum cohortantur; ſuadentque pios, forteſq; animos ueſtros a barbarorum amicitia auertatis, ne turpi, inſidioſaque pace Venetum nomen deformetur. neq; enim Chriſtianiſſima hæc Reſp. mari potens, opibus affluens, uel magnis propoſitis belli ſumptibus, dubia, incertaque rerum formidine, a bono & æquo deterreri debet: utendumq; præſenti occaſione in tam pijs, magnanimisque fortiſſimorum Regum conſilijs, ut ſacro bello ſuſcepto, ſuperiorum, recentiumque temporum accepta incommoda, incomparabili, perpetuaq; ueſtra cum laude ſarcientur. Ad ea Princeps publico nomine grauiter reſpōdit:

Venetorũ Reſponſum.

Nullo unquã tempore a Patrum memoria quicquã Venetæ Reip. glorioſius cõtigiſſe, ad quã duo præſtantiſſimi Oratores, uterq; inſignis bello Dux, a ſummis orbis principibus, Carolo Cæſare, & a Franciſco Gallorum rege miſſi, aduenerint: eos autẽ patres libenter uidere, qui lætiſſimum de concordia, & pace tantorum Regum nuncium afferant, ipſis, certè ad ſempiternæ laudis memoriam maxime glorioſa; Venetæ autem Reip. in graui rerum turbine conſtitutæ, apprime ſalutari, eademque mirum in modum reliquis Chriſtianitatis Principibus expetenda: quod ſi pio conſenſu conſociatis uiribus de ſacro bello curam illi ſincera & religioſa fide ſuſciperent, tũ Venetos omnia facturos, quæ Chriſtiano nomini, ambo Maieſtatibus, ac Venetæ Reip. digna, ſalutariaque ſint. Proinde ſupplicandum eſſe Deo Optimo Maximo, cunctiſque Cælitibus, ut Reges, totam eam ſpem pacis, & mutuæ concordiæ, quam familiaribus colloquiis, complexibusque beneuolentiſſimis afflicto terrarum orbi palàm pollicerentur, mature, gnauiterque ad communem Chriſtianæ Reip. ſalutem implerent. Hoc reſponſo dato, uariis deinde inter ſe patres ſuper legatorum propoſitione

Fr. Donatus, M. Antonius Cornelius.

ſententiis certabant, ex quibus Fr. Donatus, & M. Ant. Cornelius inueteratæ prudentiæ Senatores, nihil penitus ad animum admittebant, ut crederent, quod Cæſar, cuius animi præſtantiam, ambitioſumque dominandi ardorem nouiſſent, tam facilè Mediolanenſi Imperio decederet. Id uerò unum Gallus tanquam hæreditarium repetebat, pro quo per uiginti fermè annos conturbata non ſolùm armis Italia, ſed toto terrarum orbe commoto, uaria fortuna dimicaſſet; magnaque Optimatum pars adduci non poterat, ut crederet, eueniri poſſe, quòd concordes diu Carolus, & Franciſcus in amicitia, initaque pace permanerent; qua abrupta, periculoſum Venetis erat, inducias uiolare, quas cum Solymano adhuc habebant: pacemque cum eo patres expeten-

expetentes, Regum animos offendere uerebantur. Itaque Senatus dubia, arduaque in re, ueluti inſano, efferueſcentique maris æſtu iactabatur tanta patrum contentione, ut integræ ferè brumales noctes uſque ad auroram conſultando abſumerentur: & quum certo indicio compertum fuiſſet, quòd Senatus archana, ac puplica decreta, quæ altiſſimo ſilentio contegenda erant, palam uulgarentur, quorum etiam notitia ad Legatos Didacum Mendocium Hiſpanum, & Gulielmum Pelicerium Gallum tunc Veneta in urbe reſidentes perueniſſet, magna in omnium animis conſternatio orta eſt, ex imminenti Reip. diſcrimine, quòd ea uenalibus ſtudiis, atque ſuffragiis occulte prodi uideretur. Propterea animaduerſo uitio, ex Senatoribus M. Foſcarus profunda uir prudentia, non alia ratione uulnus ſanandum iudicauit, quam amota ſuffragiorum multitudine, publica acta paucorum fidei committerentur. Itaqué ad quinquaginta uiros, qui in ciuitate uſu rerum, prudentia, & fide ualerent, grauiſſimarum, archanarumque rerum ſummam reuocabat: ſic enim recte, matureque Reip. conſulere arbitrabatur. quo facto tanta mox Foſcarus ipſe apud omnes inuidia deflagrauit, quòd nouo, atque inſolito decreto bene inſtitutæ Reip. leges uariandi ſe authorem præberet, ut plurimis ſuffragiis a Senatu eo anno eiectus fuerit, diuque pudendis repulſis habitis, magiſtratibus ac publicis diu muneribus caruit. Poſt aliquod tamen temporis ſpacium detecta hominum iniquitate, ad prodendam per occultas externorum Principum largitiones Remp. eius prudentia, a nimique ſinceritas omnibus abunde patuit, in gratiamque reſtitutus, quod uir prudens diuina quadam mente omnia præuidiſſet, priſtinã dignitatem recepit, & ad ſummos honores euehitur. duo poſt hęc ſtatim Oratores a Senatu delicti ſũt, qui ad Cęſarẽ, & ad Regẽ ꝓficiſcerẽtur, vt ambas Maieſtates Veneti cõſimili legationis officio, excultas honorarẽt. Oratoresq; fuere, Ant. Capellius, & Vincẽtius Grim. Procuratores, quorũ illi Hiſpanica, huic Gallica demãdata eſt Legatio, ac publico nomine illis iniũctum, vt Reipub. diſcrimẽ exponerent, ſi cum Solymano diu ſoli bellum Veneti gererent, quibus niſi reliqui Chriſtiani principes opitularentur, potentisſimi hoſtis armis cedere neceſse erat. Publico ĩgitur nomine poſtulatum, vt in Turcas arma vterque indueret, ad Venetam, & Chriſtianam rem terra, marique ſubleuandam, quæ prępotentis hoſtis viribus valde premebatur. nulla tamen certi, pręſentisq; auxilii ſpes habita, quũ Regũ animi a pace, concordiaque inuicem diſiuncti eſſent. Ea propter res hunc habuit exitum, ut ad ſanctiſſimum dictatoria poteſtate decemuiratus conſilium cauſa deduceretur, quo decretum eſt, præuiſo rerum periculo, ut pax cum Solymano quibuslibet conditionibus, ac legibus conſtitueretur. Itaque Thoma Contareno è Byzantio in patriam reuerſo, paulò pòſt Veneti per Aloyſium Baduarium Oratorem de pace cum Solymano agere cœperunt: ad quam firmandam, ineundamque magno ſtudio ferebantur, ut ciuitati famæ laboranti conſulerent, & bellandi cum potentiſſimo hoſte iam finis imponeretur, quatenus res eò adducta erat, ut nec a Pontifice, nec a Cæſare auxilia ulla ex fœdere ſubmittebantur, quin commeatus, ac frumenta precio ſæpe negata, fraudeque ab Hiſpano quandoque intercepta. Annonæ itaque extrema caritate impulſi, pacem cum Solymano componere Veneti maturarunt, cui Naupliam, & Epidaurum in Peloponeſſo oppida Baduarius ad redimendam pacẽ tradere ſecretiſſime iuſſus eſt; ſoluendi quoque trecentas auri myriades poteſtatem habuit, cunctis tamen ingenii uiribus daret operam, aulicos præſertim muneribus conciliando, ut Nauplia, & Epidaurus Veneto nomini, quantum poſſet, ſeruarentur, grandemque pro his pecuniam offerret. itaq; euenit, vt quum Baduarius Byzantii apud Solymanum, & purpuratos impetrandæ pacis gratia ingentem auri ſummam vrbium loco polliceretur. Solymanus eum tãquàm uanum, mendacemque minaciter obiurgauit, ac non aliter ſe pacem daturum affirmauit, quin bellum proſequi furens teſtabatur, niſi eæ ſibi vrbes traderentur, quandoquidem certò ſciret, eius rei tranſigendæ Legatum plenam facultatem habere, literasque proditorum facti nuncias è ſinu protulit. tum Baduarius acerbe redargutus, perterritusque non dubio mortis metu, vbi arcana mandatorum detecta eſſe conſpexit: traditis urbibus, tercentumque ſeſtertiis ſolutis, pacem in eas conditiones accipere coactus eſt. in magnamque eouſq; infamiæ apud omnes labem Baduarius incurrit,

Not. prudentem patrum conſultationem.

Legati.

M. Foſcarus.

Not. Foſcari conſilium.

Ant. Capellus. Vinc. Grimanus.

Decemuiratus.

Al. Baduarii Legatio.

Pacis conditiones proponendæ.

Solymani minæ.

Pax cum Solymano.

donec res,prout acta eſt,in lucem non emerſit.bellum itaque cum Solymano acerbis cõditionibus grauiſsimum poſitum eſt, ſed magna ſtatim tritici copia ex Aſia auecta, urbem repleuit,quæ ad ſummam penuriam iam deuenerat,ac nulla vnquam grauior poſt hominum memoriam in urbe fuiſſe dicitur. Pace Solymanus cum Venetis firmata, contractis ſtatim ingentibus copiis aduerſus Ferdinandum Romanorum Regem in Pannoniam tranſiit,ubi res uariè bello geſtæ ſunt:& in Danubio claſſes concurrere,Pannonesque terra,& aquis uincuntur.ueneréq; in Turcorum poteſtatem Strigonia,& Peſtum,aliaque oppida,hæc ui,illa deditione occupata. Viennæ quoque expeditionem hoc uictoriæ curſu barbarus facere ſtatuerat:ſed per aduerſas tempeſtates, & anni tempus,expeditio omiſſa. Cæſar autem,audito Pannonico motu,in Italiã properauit,ut inde auxiliis contractis,fratri opem ferret:ac dum per Italiæ urbes iter faceret,Imperatoriam celans maieſtatem,atra in penula, uilique pileolo ſpectãdum ſe præbuit.& è Pannonia Solymanus cum uictore exercitu Conſtantinopolim reuerſus eſt.tum Cæſar Lucam profectus,cum Pontifice in colloquium uenit: & Veneti officii gratia ad Cæſarem quattuor Oratores miſere,Ioannem Antonium Venerium, Nico. Theopulum,M. Antonium Contarenum, & Vincentium Grimanum,procuratorem. diuque cum Pontifice ſermone habito, Cæſar in Aphricã cum claſſe traiicere ſtatuit, ut Algerium pyratarum receptaculum,quod olim Cæſarea appellabatur, expugnaret,Chriſtianosque a miſerrima ſeruitute liberaret,quorum prope infinitus erat numerus:atque ita media hyeme Cæſar cum inſtructis copiis,in Aphricam traiecturus, claſſem aſcendit, ac ex Hetruſco ſoluens littore, in Corſicam primùm nauigauit,inde in Lybiam tranſuehitur,copiarumq́ue parte in terram expoſita, Algerium uerſus ſigna ferri cœperant:& quum totis uiribus oppidum Cæſar aggredi parat, repẽte turbato cœlo,ingens oritur tempeſtas,claſſisq́ue Hiſpana tota procelloſo mari iactatur, plurimæq́ue triremes,ac onerariæ naues,littoribus alliſæ periere. tum in naufragam militum, nautarumq́ue turbam barbari Duce Aſenaga coorti,impetum faciunt,trucidantq́ue æquè omnes, ac ferro undique ingens Hiſpanorum multitudo cadit. & copiæ,quæ in continentem expoſitæ fuerant,ui frigoris,imbrium,aquarumq́ue inundatione,pene delentur. crebris quoque eruptionibus Mauri, Arabesq́ue huc, illuc uagos,palantesq́ue Hiſpanos fatigabant:at cunctis Cæſar periculis occurrens,ſæuientis fortunæ impetum incredibili animi magnitudine ſuſtinuit;in maioriq́ue metu verſabatur, ne commeatus deficerent, nauibus cibariis onuſtis a terra tempeſtate ablatis: Deorum tamen immortalium ope factum eſt, ut miteſcente uento, mare ſubitò tranquillum redderetur. decreuit itaque Cæſar, Algerio, & Aphrica relicta, quam infauſte tentarat, copias, claſſemq́ue abducere, & in Hiſpaniam reuerti. ad Methafuſium itaque promontorium claſſe conſcenſa, rurſum hac ſecunda nauigatio ex Vulturno, & Euro turbatum habuit mare: iactataque eſt alto claſſis, in Syrtesque pene impacta periit: equique bellatores ad leuandum nauium onus in mare proiecti, qui altis capitibus, ſuperbisque iubis uaſto pelago adnatantes (uiſu profectò miſerabile) in terram euadere fruſtra enitebantur, ſubmerſosq́ue omnes æſtuans mare deglutiuit. poſt ſæuam demum iactationem, ac maris nanſeam incolumis ad Carthaginem nouam Cæſar ex Holcachite ſinu cum tota claſſe Hiſpanum littus tenuit. periere autem duplici tempeſtate ex tota illa Cæſariana claſſe ad ſeptuaginta maiora, minoraque nauigia, partim fluctibus demerſa, partim littoribus, ſcopuliſque proximis illiſa. multi quoque frigore, geluque enecti, inter quos Marinus Iuſtinianus, Sebaſtiani procuratoris filius, Orator Venetus fuit, qui Cæſarem in bello ſequutus, fatum euitare non potuit; deceſſitque, dum æger medicamenta nulla in barbarico ſolo inueniret; & in eius locum Oratorem Veneti ad Cæſarem miſerunt, Nicolaum a Ponte Vtini tunc præſidem, quem locumtenentem appellant. Maranum in Italia oppidum ad Venetas paludes citra Aquileiam ſub id tempus Beltrandus Sacchiæ incola ex Vtino, adiuuante Turcheto Centurione, a Ferdinandi Regis poteſtate furtim ademptum, occupauit. ſublatoque Gallico uexillo, Petrus Strocius Florentinorum exulum Princeps, ad oppidi præſidium cum cohortibus circa Venetos fines ſubitò conſcriptis euocatus eſt,

qui

Strigonia. Peſtum. — LegatiVeneti ad Cæſarem — Cæſarea. — Algerii expeditio. — Not tempeſtatem. — Aſenagas. — Not. cladẽ ex maris tempeſtate. — Mar. Iuſtinianus orator interitus. — Nic. a Põte. — Maranũ.

qui dum ad portum Lignani latiſſimo ſpacio multorum nauigiorum capacem, munitiones erigere moliretur, ne id fieret, Patres Bernardum Sagredum, & Iulium ex Monte veteri, armorum ductorem, eò ſtatim miſere, quorum opera factum eſt, vt portus illa munitio a Strocio intermiſſa fuerit. is tamē, ne oppidum in Germanorum poteſtatem rediret, Venetis ſponte obtulit, quòd ſi non reciperetur, Turcis ſe illud traditurum atteſtabatur. Nil autem moleſtius, grauiuſq; patres audire poterāt, quàm Veneto portui proximam Barbaros nauigationem agere, uiciniſque littoribus aſſuefieri. præuiſo itaque periculo, ſtatutum eſt ex Senatus decreto, Maranum in fidē recipere, quod ſtatim Venetis, triginta aureorum millibus ſolutis, a Strocio traditur, ad illiuſque oppidi cuſtodiam continuò a Senatu Alexander Bondimerius, uir fortis cum valido militum præſidio miſſus eſt.

Maranū emptione receptum

Marano in Venetorum poteſtatem redacto, Ferdinandi Regis populi, qui finitimi oppido erant, culpam in noſtros referentes, incurſiones magno armorum ſtrepitu in Venetos fines hoſtiliter parabant. ſed Nic. a Pōte prudentia, qui, ut diximus, Vtino præerat, ab armis, cauſa melius cognita, temperatum, miroque opere poſtea medio Vtini foro Pontius fontem erigendum curauit, ac magna ea in re vſus diligentia, aquæductus, & tubulos ſubterraneos, per quinq; paſſuum millia extrui iuſſit, quibus irriguæ aquæ in fontem perpetuo curſu influerent: opus quidem priſcæ antiquitatis Romanæ.

Fons.

In legationem poſtea demandatā Pontius profectus, ſingulare in ea prudentiæ, & ingenii ſpecimen dedit. Mox Ianusbei Solymani Legatus Venetias acceſſit, patribuſque egregia belli facinora nunciauit, quæ nuper Solymanus Rex in Pannonia edidit, petiitque, ut leges renouati fœderis a Badoario Byzantii conſcriptas Patres publica authoritate confirmarent: Gallorumque partes modeſtè commendauit, quas Solymanus tuendas aduerſus Carolū Hiſpaniæ Regem ſuſcepiſſet, nil tamen vltra peteret, quàm ex æquo, & Reipu. commodo præſtari poſſet. Ianusbei poſtea magnis muneribus donatus, Cōſtantinopolim reuerſus eſt.

Ianusbei Legatio.

Et ad ſedandas controuerſias, quæ ſæpe numero de finibus in Dalmatia inter Turcas, & Venetos oriebantur, Senatus iuſſu Vincentius Centanus eò profectus, rem omnē prudenter compoſuit. Et Pontifex ut Chriſtiano nomini conſuleret, Cæſarem, & Gallorum Regem diu inter ſe bello digladiantes, placare nitebatur. Itaque Gaſparem Contarenum Cardinalem patria Venetum, virum philoſophiæ, ac ſacrarum litterarum cognitione inſignem, Legatum ad Cæſarem miſit, & Iac. Sadoletum Cardinalem itidem magna virtute præditum in Galliam ad Regem deſtinauit: vterque uero legationem iniunctam ſingulari prudentia adminiſtrauit. a bello nihilominus ad pacis ſtudia Regum animi minimè uerti potuere.

Vinc. Centanus.
Gaſp. Cōtarenus.
Iac Sadoletus.

Hoc etiam tempore ingens Venetiis motus ſequutus: nam quum decemuiri publicos miniſtros miſiſſent, ut Nicolaum Cauatium è Scribarum ordine, & Auguſtinum Abondium comprehenderent, quatenus ii proximo bello Turcico plurima Senatus arcana propalaſſet; uitæ periculo permoti, quum rem paulòantè reſciuiſſent, ad ædes Epiſcopi Mompolerii Oratoris Gallici ſe ſe continuò receperunt: ad quos miniſtri profecti, inde eos magiſtratus iuſſu extrahere conabantur. ſed Gallus Orator contumaciter agens, nunquàm paſſus eſt, vt rei ex penatibus ſuis abducerentur.

Nic. Cauatius.
Ang Abōdius.

tum ex triumuiris Aduocatoribus, Ber. Georgius vir integritate uitæ, & poeticæ facultatis ſtudio clarus, eò acceſſit, ac ampliſſimi magiſtratus poteſtate homines ſibi tradi poſtulauit. Galli autem ex Legati comitatu, ſpreta Triūuiri authoritate, non ſolùm obſequiū nō præſtitere, ſed etiā uim attentare auſi ſunt. tota proinde urbe tumultuatum, impleturque armatis forum. inde ad Oratoris ædes Gallorum in Diui Moyſis uico accurritur, miniſque, & ſtrepitu turba furibunda circumfremit, vimque in Legatum parant, ni ſontes producantur.

Ber. Georgius.

acceſſit & Vincentius Grimanus Procurator multitudine fabrorum naualium ſeptus, omniumque animi in uindictam accenſi erant. tum ille furorem populi pertimeſcēs, reos in triumuiri manus tradidit: qui ſtatim quæſtione adhibita, dum in aculeo poſiti torquerentur, crimen faſſi ſunt, ſceleriſque ſocios, Maphæum Leonum Senatorem, qui tribunatum aduocatoriū geſſerat, unaque Conſtantinum Cauatium apud decemuiros a ſecretis, & Ioannē Fr. Valerium ſacerdotio inſignitum, nominarunt, a quibus illi publicas res, Senatuſque arcana edocti, Gallorum Regi, exteriſque Principibus per occultiores litteras, nun-

Vinc. Cōtarenus.
Not. reos.

cioſq; omnia ſignificabant, pecuniaq; regia corrupti. per hunc modum diu Venetæ Reip. viri nequam inſidiati ſunt Proinde decemuirum decreto, Valerius, qui uocatus ſponte ad magiſtratus conſpectum uenerat, unaque Cauatius, & Abondius, inter geminas columnas laqueo ſuſpenſi necantur. at Maphæus Leonus, & Conſtantinus Cauatius abſentes, perpetuò tota Imperii tam terreſtri, quàm maritima ditione, exilio damnati ſunt, decretique ex publico in ſingulorum capita percuſſori mille aurei: mulcta quoque Leono grauior addita, cuius liberi, poſterique in perpetuum patritio ordine ac nobilitate priuati ſunt, bonaque in publicum redacta. alia quoq; per hos dies a decemuiris in Ber. Capellum ſequuta eſt damnatio, qui & ipſe perpetui exilii pœnā tulit, ob immoderatam in concionibus maledicentiam, & dicacitatē; locumq; relegationis Romā ipſe ſibi delegit, uir alioqui elegantiſſimi ingenii, Hetruciſq; rythmis tota Italia percelebris, uiuitq; adhuc a patria exul, in anguſta, tenuiq; fortuna conſtitutus. & hæc domi. In trāſmarinis aūt Græciæ oris Turca claſſem, exercitumq; parabat, Venetiq; ſubitò fallacis gētis motus ueriti, maritima & ipſi arma ſtatim contrahunt:

Stephan. Theupolus.

ſexagintaque triremium claſſis inſtruitur, eiusque Imperium Stephano Theupolo, uiro magnis rebus geſtis claro, commiſſum: & quum Cæſar fœdus cum Britannis aduerſus Gallorum Regem iniiſſet, ex Hiſpania profectus, Genuam conceſſit, ad quem Oratores Veneti, Carolus Maurocenus Procurator, Gabriel Venerius, Ludouicus

Legati ad Cæſarem.

Falerius, & Victor Grimanus, honoris, officiique gratia congratulabundi aduenere: exceptique ſunt a Cæſare multa comitate, atque ex Legatis Victor Grimanus, his Cæſarem alloquutus dicitur: Optime, & inuicte Cæſar Carole, Veneta Reſpub. de tua incolumitate plurimum lætatur; & quum in Italiam deſcendens, Venetos

Oratio.

fines attigeris, ecce nos ſtatim quattuor Oratores elegit, qui tibi officii gratia huc uſq; delati, obuiam prodiremus. Senatusque id in primis nobis mandauit, ut quicquid imperii, quicquid opum Italiæ ſolo poſſidet, ad tuum commodum, lætanter offert: ita enim beneuolentiæ, ac obſeruantiæ conuenit, qua te Reſp. noſtra Auſtrii generis cultrix proſequitur: meritoq; id facere licet, quum auguſtiſſimis ortus natalibus latæ terra, marique ditione polleas, maximiſque rebus geſtis, Romanum ſupra omnes Cæſares, qui ante te fuerunt, auxiſti Imperium. tuamque hanc fœlicitatem Dii tibi Carole perpetuò ſecundent, uitamque præſtent diuturnam, & tranquillam, cum Chriſtianæ fidei, ac Romani Imperii incremento, & glória. Ad ea Cæſar, in Legatos conuerſus, pauca ſubiecit, gratiiſque Senatui actis, Venetam omni tempore amicitiam ſe conſtanter culturum pollicitus eſt. Et claſsi Othomanica in Lyguſticum delata pelagus,

Nizza.

Nizzam in Gallorum gratiam, quibus cum Solymanus fœdus (ut ſupra memoratum) per Polinum percuſſerat, aggreditur, oppidumque præter arcem Turcæ occuparunt. Terreſtri quoque exercitu Pannonia eſt uexata, cuius maiorem iam partem Solymanus ſolito arridentis fortunæ curſu in ſuam poteſtatem redegerat. Nizza poſtea incenſa, & direpta, Tholonum in portum Barbaroſſa cum tota claſſe ad hybernandum ſe recepit, eo conſilio, ut uere primo maritimos Hiſpaniæ fines claſſe infeſtaret. & in Italia circa Pedemontanam regionem bellum inter Hiſpanos, Galloſque ingens ar-

Cardinalis Ferneſius.

debat, ad quod reſtinguendum ſuam Pontifex interpoſuit authoritatem; miſitq; ad ambas maieſtates nepotem ſuum Cardinalem Ferneſium, ut utrunque Principem ad concordiam, & pacem perliceret: uerùm obduratis animis, nil actum eſt: nouaque iniuria enata, mutuum odium incruduit: nam dum Gallorum regis Franciſci legatus Antonius Rincho ex Allobrogis Venetias peteret, ut inde ad Turcas Byzantium ſe conferrat, per occultas inſidias in Pado, quo nauicula ſecundo fluminis curſu fere-

Ant. Rincho Oratoris cædes.

batur, ab Hiſpanis interficitur. Interea concilio Cæſaris iuſſu ad Spiram in Germania indicto, Gallorum Rex grauiſſime accuſabatur, quòd ſocia cum Turco Chriſtiani nominis hoſte arma coniunxiſſet, claſſemque infidelem amicè aleret, ac in portus, oppidaque Galliæ natio effera admitteretur; proinde totius penè Germaniæ conſenſu bellum in Turcas, Galloſque decretum eſt, Cæſarique firmiſſima auxilia promiſſa. Spirenſem igitur hunc motum Rex perpendens, uerituſque, ne Germaniæ populi, liberæque ciuitates in unum aduerſus ſe coirent, & Rex Britanniæ Cæſaris ſocietatem ſequutus, Galliam inuaderet, Pontificem, & Venetos, miſſis legationibus, ad ar

ma

ma ſecum iungenda adhortabatur. nouiſſime Hippolitus Cardinalis Ferrariæ ad Pa- Hippolytus Cardinalis.
três profectus, Francorum regis nomine, eos orare, obteſtarique cœpit, ut quando in
ſatiabili dominandi cupidine Cæſar teneretur, ad monarchiamque aſpiraret, uellent
Veneti coniunctis cum Rege armis, imminẽti periculo maturè occurrere. reſponſum
eſt, maximopere Venetos dolere, quod ambæ Maieſtates tam atroci inter ſe bello agi
tarentur, uerùm patres nec poſſe, nec debere, ſalua Reip. dignitate, pacem, quam cum Venetorũ reſpõſum.
Cæſare habent, tam impudenter uiolare: quod ſi ingrato reſponſo regiæ offendantur
aures, Venetos Gallus excuſatos habeat, qui fidem ſeruare ex maiorum inſtituto ſem
per cupiant, culturam autem omni tempore amicam ciuitatem Gallicũ nomen, fidem
que, & obſeruantiam erga Regem Venetos perpetuò, conſtanterq; ſeruaturos. atq; cũ
his Cardinalis dimiſſus, Romam petiit, Pontificisque ſimiliter animo fruſtra tentato,
in Galliam reuerſus eſt. poſt hæc bello tota Subalpina regio agitabatur, ductabatq;
Gallorum exercitum Obiginius ex Belgarum proceribus uir fortiſſimus, qui multa Obiginius.
oppida armis cepit, Carignanumque poſtremò obſedit, ubi Pyrrhus Columna cum
ualida Hiſpanorum manu ad cuſtodiam, præſidiumque aderat. aliquandiu oppidum
tutatus, tandem uiribus hoſtium fame inualeſcente, cedere uidebatur: idcirco Vaſten
ſis Marchio è Mediolano cum decem armatorum millibus digreſſus, in Pedemonta-
nam regionem properè uenit, ut ſuos commeatu, ſubſidioque leuaret. tum Obiginius
parte copiarum ad Carignani obſidionem relicta, cum reliquo militiæ flore in hoſtẽ Cereſola.
ferociter uadit; & circa Cereſolam uicum collatis ſignis uterque exercitus conflixit.
acerq;, & ſanguinolentus congreſſus fuit, ac aduerſæ acies ſub duobus fortiſſimis du-
cibus inſignem pugnam ædebant: acriori tamen cataphractorum equitum impreſſio-
ne Gallus Hiſpanum loco ſummouit, atque ab omni parte grauatum profligat, pluri-
miqúe & in acie, & in fuga Cæſariani periere: ſupra enim quinque millia ex his deſi- Gallorum uictoria.
derata ſunt, & ex Gallis ſeptingenti, & amplius interfecti. ſauciorum quoque ex u-
traque parte ingens fuit numerus. Et Marchio Vaſtenſis citato curſu cum paucis Car
mignolam primùm, inde Vercellas ſe recepit, atque alii fuga diſſipati per uicina oppi Pet. Strocius.
da dilabuntur. nec multos poſt dies, quum Petrus Strocius, qui Gallicas ſequebatur
partes, uir ſingulari fortitudine, infeſtiſſimoque in Hiſpanam gentem animo, magnã
militum manum circa Mirandulam contraxiſſet, in Pedemontanam regionem ſubitò
mouit, ut Obiginii copiis iunctis, grauiori belli mole hoſtem fatigaret. ad eius autem
tranſitum impediendum Vaſtenſis exercitu nouo educto haud procul a Placentia cõ-
ſedit, in appropinquantemque cum inſtructa acie Strocium impetum facit, ſtatimq;
pugna atrox conſeritur, quæ uarios, dubioſque conatus habuit. Hiſpaniqúe pro de- Pugna recens.
menda recentis cladis ignominia uires omnes intendunt: contrà, Galli ad retinendũ
anteactæ uictoriæ decus connixi, pugnam ferociſſimam cient, poſtremò Cæſariani
ſub Vaſtii, Salernitaniqúe Principis ductu, cuneo facto inferunt ſe ſe magno impetu
in aduerſam aciem, proſternũtque Gallos cæde, ac uulneribus; uertunturque illi con Hiſpanorum uictoria.
tinuò in fugam, & Stroccius uſque ad ultimum pugnæ euentum, intrepide moratus,
quum uim hoſtium reprimere diu fruſtra tentaſſet, è media tandem cæde cum paucis
Placentiam profugit. inde iterum uir inquieti animi Mirandulam ſe contulit, ac con-
ſcriptis aliquot peditum centuriis, in Allobrogas per inuios ſaltus tranſiit, Obiginio-
que coniungitur, qui Carignano deditione recepto, ad alia Sabaudiæ oppida caſtra Cæſaris expeditio in Galliã.
admouit. at Cæſar ex altera parte è Spira ciuitate cum inſtructiſſimis copiis profe-
ctus, quibus Ferrandum Gonzagam clariſſimum belli Ducem præfecerat, Galliã uer
ſus iter arripuit, ut domeſtico bello implicitum auerterent ab Italiæ finibus, hoſtem.
Britanniæ quoque rex ad Calectum cum copiis mare tranſgreſſus, Galliam inuaſit,
Montiroloque ſub primum acceſſum capto, ad Boloniam caſtra poſuit. & Barbaroſ-
ſa ueris initio claſſe è Tholoni portu educta, ad Lyguſtica littora peruenit, iiſque ma
gno omnium terrore excurſis, in Siculum inde fretum tranſmiſit, ac dextra, leuaque
prædabundam claſſem agens, Telamonam, & Portumherculem Senenſium maritima Barbaroſſæ ſucceſſus.
oppida in ſuam redegit poteſtatem, atque hinc digreſſus, Policaſtrum, & Lyparim
occupauit, multaque infanda in Deos, hominesque perpetrando fœdiſſima clade No. captiuos.
Chriſtianam rem afflixit, oppidisque incenſis, octo millia captiuorum in ſeruitutem
Con-

Lunæ nauis naufragium.

Cōſtantinopolim abducta ſunt. Atque hoc tempore Cethea uaſtæ magnitudinis, quę cognominabatur Luna, mercibus precioſiſſimis onuſta, in Syriam nauigatura, circa Auguſtianos iuxta Raguſtium ſcopulos, non tam ui tempeſtatis, quàm nautarum imperitia, in profundum demergitur. Periereq́ue undis abſorpti, hi patritii adoleſcentes, qui in negociationem exierant, Fr. Contarenus, Th. Mocenicus, Hier. Zane, Vinc. Teopulus, Ang. Lollinus, & Tribunus Memmus, & cum his plurimi alii tam nautæ, quàm mercatores. Ad quadraginta autem aureorum millia hoc naufragio ciuitas amiſit. Mox Cęſar quum exercitum in Galliam induxiſſet, ſuperato ponte Rhodano, duo oppida Lygni, & Sandreſium aggreſſus expugnauit, ac ferro, & flamma totius Regni fines depopulatus eſt.

Oppida in gallia capta.

Progreſſiq; ulterius Cæſariani propè Cabilunum ad Sequanam fluuium caſtra ſunt metati. Tum Rex ſtatim uires totius Galliæ in unum contrahit, in hoſtemq; uadens, ſigna propè eius uallum conſtituit: duarumq; inuictiſſimarū gentium caſtra ita uicina erant, ut tubarum cantus, armorumq; utrobiq; exaudiretur ſtrepitus; omniumq; animi in pugnam ardebant, ingensque uertebatur diſcrimen, ac Gallo, Hiſpanoq; ea dies uel ablatura, uel ſtabilitura erat Regna. Deorum autem clementia factum eſt, ut procurantibus Grimano, Moronoque Cardinalibus antea a Pōtifice eò miſſis, commeantibusque citro, ultroque nunciis, pax ſubitò inter Cæſarianos, & Regios ſanciretur, conſcriptisque legibus, ab armis receſſum.

Pax ſubita.

Bolonia.

Quo temporis ſpacio Britanni Boloniam in Galliæ finibus urbem occuparunt. & Pontifex ut res fidei in Germania componerentur, quæ hæretica labe non parum deprauatæ erant, noua ſanctione Concilium Tridenti confirmauit, quod prius ſuſpenderat, eique Pontificis nomine præſidere tres Cardinales, Sanctæ Crucis, De monte & Pollus, uiri doctrina, & prudentia inſignes.

Concilii præſides.

Aduenere etiam complurium Principum Legati ex tota fermè Europa, multaque a uiris eloquentiſſimis dicta, diſputataque ſunt: ſed nil omnino ſancitum, immutatumque ex priori ritu, atque ita re infecta, concilium diſſoluitur. Poſtea conuentus Germanorum procerum apud Vormatiam indictus eſt, ubi Ferdinandus Romanorum Rex, & Cæſaris nomine Granuellius, multique alii affuere ex Germania, Pannoniaque uiri illuſtres: ueritusque Ferdinandus, ne Turcorum Imperator totis Aſiæ uiribus, in Auſtrię, Viennæque expeditionem primo uere exiret, ſtatuit, ex totius conuentus decreto pacem per Legatos, uel ſaltem inducias petere. atq; huius rei cauſſa mittitur Conſtantinopolim, Hier. Adurnus iunior natione Genuenſis ad Solymanum Orator; at ille quum primum Byzantiū appuliſſet, peſte correptus, extremum uitæ diem obiit, legatioq; altera decreta, quam Nicolaus Siccus ſuſcepit; triremique Veneta in Thraciam aduectus, cum Solymano Ferdinādi nomine annuas inducias pepigit.

Hie. Adurnus.

Nic. Sicc⁹.

Nouum poſtea Patres, Nicolao Geno authore, decretum tulere, ut centum triremes in Arſenatu (ne ab uſitato ciuitatis uocabulo diſcedam) inſtructæ, parateq; ſemper adeſſent, ut his ad omnem improuiſum belli motum Reſp. uti poſſet. Inſtitutumque eſt ob id collegium uiginti nobilium, qui maritimarum rerum peritiſſimi in ciuitate haberentur, ad ea maturè agenda, quę ad naualis rei curam pertinerent.

Landi. P. interitus.

Et quum Ducatui Landus ſex annos, & decem menſes pręfuiſſet, ex humanis fatali hora emigrauit, ſepeliturque in Diui Antonii ſacello, ubi uiuens tumulum ornatiſſimum erexerat, circa quem duæ marmoreę inſigni opificio uiſuntur ſtatuę, quarū una maris imperatorem, altera urbis principem Landum repreſentat; in cuius funere habita eſt a Michaele Barotio patritio doctrina claro, luculenta, elegansque oratio.

Fr. Donatus Dux 74. an. D. 1545.

Eo defuncto Fr. Donatum Senatorem ſingulari eloquentia præditum ducatu ciuitas inſigniuit. ac per id tempus Guidobaldus Vrbini Dux, copiarum Gubernator a Senatu eligitur, Venetiasque acceſſit, cui imperatoria ſigna in Diui Marci æde per manus Principis magno populi applauſu tradita ſunt. Et in Hiſpania Dux Aurelianenſis, Gallorum Regis filius natu minor, immatura morte præreptus è uita exceſſit: ueneno que extinctus in alieno ſolo fuiſſe creditur, quum ad illum poſt Cæſaris obitum, per pacis dudum ictæ leges, Flandriæ pars, Ducatusque Bugundiæ dotali iure peruenirent. Febri tamen eum planè conſtat, ex nimio pilæ luſu, quo adoleſcens plurimum oblectabatur, contracta, diem ſuum obiiſſe. Aurelianenſi itaque in flore ipſo ætatis ex humanis abrepto, pax inter Cæſarem, & Regem turbata eſt, ac bellum renatum,

tum, Galliq́ue Boloniam poſt multos obſidionis labores, a Britannis ingenti auro appenſo, recepere: paxq́; inter Gallũ & Anglũ Reges ſequuta eſt, in qua ſanciẽda Fr. Bernardi, qui in Britannia tunc mercaturam magna rerum opulẽtia exercebat, ſingularis induſtria apparuit: nam modò ad hunc, modò ad illum Regem citro, ultroq́; ſæpe commeando, uarias rerũ difficultates iuuenili ſupra ætatẽ prudentia enodauit, quibus diſcuſſis, ambæ Maieſtates poſitis armis concordes, pacatæq́; redduntur. quo facto Bernardus equeſtri dignitate decoratus eſt, cẽſumque annuum Henricus Rex conſtituit, qui in perpetuum ex Fiſco in Britannia illi perſolueretur. Sed quum apud Venetos leges non permitterent, ut ab exteris principibus quiſpiam ex patritio ordine præmium ullum, aut cenſum acciperet, ubi Venetias Bernardus rediit, iuſſus eſt, regium munus repudiare, paruitque ipſe ut uir frugi, ac ciuis optimus erat, ne legi aliquo modo in bene inſtituta Reip. præiudicium faceret, idque apud omnes magnæ gloriæ ſibi ceſſit. Hac etiam tempeſtate dum Cenetenſes ad Senatum de Cardinalis Grimani inſolenti, iniuſtoque imperio queſtum ueniſſent, Venetamque in tot malis clementiam, opemque implorarent; cenſuere patres, ut temporalis Cenetæ Domìnii ius a Cardinale ablatum, ſicuti iam centum ab hinc annis in Senatus libera poteſtate fuerat, ad Venetos rediret, comitiisque ſtatim habitis, Iacobus Surianus prætor Cenetæ creatur, quingenti populi illius lætitia, plauſuque exceptus, Veneti Senatus nomine urbis adminiſtrationem ſuſcepit, Cardinalis autem uehementer animo commotus, acerbiſſimam continuò ad Pontificem querelam detulit, Venetoſque accuſauit, quòd nulla habita Apoſtolicæ dignitatis ratione, urbem Eccleſiæ temerè occupaſſent, tum Pontifex iniuriam non tulit, effecitque, ut Veneti abrogato priore decreto, Cenetenſem rem in intergrum reſtituerent, atq́; ita Cardinalis priſtina ſua iura in ea urbe recepit, quod a Senatu in Pontificis gratiam factum fuit. Cardinaliſq́; ipſe paulò pôſt è uita exceſſit, uir ſecularibus potius, quàm ſacris rebus aptior: in eius autem locum Michael a Turre Vtinenſis, Cenetæ Epiſcopatum a Paulo Pontifice eſt conſecutus. Et Cæſar noua expeditione tentata, in Lutheranos copias eduxit, liberaſque Germaniæ ciuitates primùm aggreditur, quæ ſtatim inter ſe inito fœdere uires, copiaſque maximas contrahunt, communique Germanorum procerum conſilio ſumma imperii Philippo Lanthgrauio tradita eſt. apparatuſque armorum utrobique ingens factus. in ſubſidium autem Hiſpanorum Pontificiæ copiæ ſub Cardinalis Ferneſii, & Alexandri Vitellii auſpiciis in Germaniam uenere. leuiaque inter partes commiſſa ſunt ſæpe certamina, in hiſque ſemper ferè Germanis proſper fuit euntus. Ac per id tempus uir patritius Maphæus Bernardo, qui opibus, fortuniſque ampliſſimis longe primus in ciuitate erat, maximaque in totius Orbis emporiis negocia pertractabat, ob perduellionis crimen publice proclamatur: dieſque octo conſtituuntur, ad diluenda obiecta. at ille iudicium declinans, ex urbe cum duobus famulis profugit, ad Rauennam ſe contulit, ubi paratis inſidiis, doloſe ab urbe educitur, ac circa Pineam a tribus ſicariis multis uulneribus confoſſus, crudeliſſime iugulatur; cadauerq́ue expoliatum, nudumq́ue, ac cruore oppletum plauſtro impoſitum, Rauennam aduehitur, poſtea loculo incluſum, Venetias ductum eſt, atque ad Diui Auguſtini templum, ubi corpus uulneribus plenum, in propatulo poſitum iacebat, ingens populi multitudo per altum diem ſpectandi ſtudio confluxit: & quum propinqui exquiſitiſſimam funeris pompam ad condendas uiri illuſtris cineres pararent, decemuirum iuſſu id facere prohibentur: ſepulturæq́ue honore, qui maximas poſſedit diuitias, in patria caruit. Cæterùm ingentia ex publico præmia propoſita his, qui cædis perpetratæ authores indicaſſent, percuſſoriq́; impunitas promiſſa, ac duo millia argenti pondo, ſi mandantem denuntiaret. his præmiis allectus uir militaris, cognomento Campana, patria Cremonenſis,, qui Bernardum propriis manibus interfecerat, facinus detexit, ac Ludouicum, & Marcum Antonium Eritios fratres, nepotes Bernardi ex ſorore accuſauit, unàq́ue Ludouicum Armium Bononienſem, qui omnes pari ſcelere inquinati, ac locupletiſſimi uiri bona appetentes, Campanæ homini facinoroſo mandarant, ut auunculum, ſpreta ſanguinis propinquitate, fœde obtruncaret, pecuniaque corruptus, crudele ille homicidium perpetrauit. ſubiecti itaque quæſtionibus Eritii, & Armius, qui

Fr. Bernardi uirtus.

Not. Cenetenſium motum.

Iac. Surianus.

Michael a Turre.

Philippus Lanthgrauius.

No. de Mapheo Bernardo.

Maphei Bernardi cædes.

Campana

Lud. & M. Ant. Eritii

Lud. Armius.

Not. reorum ſupplicium.

qui è Mediolano uinctus, ſub armatorum cuſtodia Venetias, Gubernatoris urbis conſenſu, perductus fuerat, ſcelus confeſſi ſunt, Ludouicique ambo, Eritius, & Animus medio foro ſecuri percutiuntur, & M. Ant. qui aliquo modo neci non conſenſerat, minorique in noxa erat, perpetui carceris pœna damnatur. Is tamen paucis poſt diebus fracto carcere clam aufugit: & Campana index iuxta fidem publice datam, abſoluitur, promiſſamque recepit pecuniam. Nec diu & ipſe lætatus eſt, Romæ enim uir ſceleſtus, Pontificis iuſſu, non multo poſt in crucem ſublatus, uitam turpiter finiuit. Atque iiſdem prope diebus Ioannes Franciſcus Mocenicus, qui in cauſis orandis, primam Veneto in foro palmam obtinebat, multorum criminum cauſa abſens perpetuo exilio damnatur. & hæc domi accidere.

Ioan. Frã. Mocenici damnatio.

Obiitque per id tempus Henricus Britanniæ Rex, cui Odoardus filius, pubertatis annos nondum egreſſus, ſucceſſit, ſtatimque a Senatu Dominicus Bollanus Orator in Britanniam mittitur, ad utrumque & mœroris, & congratulationis munus cum nouo Rege obeundum.

Dom. Bollanus.

Fato quoque functus eſt Franciſcus Gallorum Rex, ac patris loco Henricus filius eius nominis ſecundus ampliſſimum Regnum obtinuit, duoſque ad eum Oratores, Math. Dandulum equitem, & Victorem Grimanum Procuratorem, Veneti deſtinarunt, in declaranda Patrum lætitia, de hereditaria ampliſſimi Regni ſucceſſione.

Legati in Galliam.

& ad Vrbini Ducem Federicus Baduarius ſingulari uirtute iuuenis miſſus ad amicum Principem conſolandum, in uxoris pudiciſſimæ fœminæ immaturo obitu.

Fe. Baduarius.

Dum autem his legationum officiis Veneta ciuitas erga Reges, Principeſque occupatur, in Germaniam Cæſar aduerſus ferociſſimam gentem bellum gerebat, Vlmamque urbem cepit: ſtatueratque gloriæ cupidine accenſus, omnem Germaniam armis domare. contrà, liberarum ciuitatum Duces, ac populi coniunctis uiribus res ſuas tueri, copiæque ab his ſtatim magno numero contrahuntur, & aduerſus Cæſarianos productæ apertis campis in acie conſiſtunt. leuibuſque ex caſtrorum uicinitate aliquoties certatum eſt præliis, in quibus præter paucos utrinque milites uulneratos, parum detrimenti hinc inde acceptum. Sed Cæſar locum inſidiis quærens, nocte tacitè Albi flumine ſuperato, ultra quod Ioannes Saxoniæ Dux caſtra habebat, tutoque ibi loco aquis ferè undique cincto conſiſtere arbitrabatur, in eum improuiſus impetum fecit, ſtatimque repentina vi Germani opprimuntur, quorum pars in fugam effuſa, pars in medio cæſa eſt, Ioanneſq; ipſe Dux ea trepidatione capitur:

Ioan Saxoniæ Dux captus.

caſtriſque & præda hoſtium Cæſar potitus, in Vertembergenſem ciuitatem ſigna conuertit, ubi Mauritius Ioannis Ducis frater præſidio aderat: urbem autem Cæſariani magno impetu agreſſi ſunt, nec maiorem uim Mauritius expectandam ratus, ultro ciuitatem Cæſari tradidit, atque ipſe Ioannem Ducem, quem antea captiuum fecerat, in Mauritii gratiam liberum dimiſit. Poſtea Philippus Lanthgrauius accepta fide in caſtra ad Cæſarem uenit, illiuſque ſe poteſtati liberè permiſit: cæteri quoque totius ferè Germaniæ Principes uictoris imperium recepere. Sed quum in deditos parum ille fido, pacatoque animo ſe geſiſſet, iterum bellum a Germaniæ populis in Cæſarem renouatum eſt. Et Placentiæ hoc tempore Pet. AloyſiusFerneſius Pontificis filius, quam urbem patris fauore occuparat, quum ſæuitiis, libidinibuſque omnia fœdaret, conſpiratione occulte inita, a ciuibus trucidatur, qui paulòante Victoriam filiam Guidobaldo Vrbini Duci nuptui dedit, & Octauium filium cum Cæſaris filia ſpuria matrimonio coniunxit:

P. Al. Ferneſii cædes.

atque ad utrunque Fr. Bernardo Senatus nomine congratulaturus acceſſit, donaque tulit, torques aureos, & ſtragula purpurea cum precioſis lautitiis.

Fr. Bernardo.

Tumultuantem uerò ob Ferneſii necem Placentiam Cæſaris nomine Ferrandus Gonzaga præſidio firmauit, omniſque in urbe tumultus ſedatur. Tulit autem Paulus Pontifex hanc crudelem filii necem conſtanti, fortiq; animo, ut ex Nic. Pontii Geneti Oratoris litteris cognitum eſt.

Nic. a Pōte.

Mat. Dandulus.

Nec multo poſt Mattheo Dandulo Oratore ſuffecto, dum Pontius functa legatione Roma digreſſurus, in patriam reditum parat, equeſtri dignitate a Paulo Pontifice decoratus eſt, cuius honoris inſignia nullus Romanus Pontifex Legato cuipiam Veneto unquam prius contulerat, primuſque ille uirtutis ergo hoc familiæ ſuæ decus Pauli III. Pont. Max. munere conſequi mœruit.

Stephan. Teopolus.

Et Stephanus Teopolus cum ampliſſima poteſtate legatus a Senatu delectus, in continentem tranſiit, urbeſque, &

oppida

oppida totius terreſtris Imperii diligenter inuiſit; in quibus omnibus multa ad publicum decus, & ſecuritatem prudenti conſilio inſtituit; luſtrumque ab eo conditum, in quo cenſa ſunt totius imperii finibus hominum capita centena quadringenta, & octuaginta ſex millia, quorum a uigeſimo; uſque ad quadrageſimum annum, qui bello apti eſſent, ſupra ducenta fermè armatorum millia communerata: & hæc undecim paulò plus menſium ſpacio Teopolus egit. reuerſusque eſt in patriam magna cum laude. Interficiturque ab ignoto quopiam in angiportu ad Diui Thomæ ædem Venetiis Laurentius Medices, qui Alexandrum Florentiæ Ducem in cubiculo antea obtruncarat.

Lau. Medicis cædes.

Permaximis poſtmodum copiis Solymanus in Perſiam aduerſus Tamaſſum Regem profectus eſt: quinquagintaquinque paſſuum millia per loca arida & inculta itinere confecto, commeatus deficere cœperunt; peſtilentiaque ad famem acceſſit, quibus duobus malis ingens Turcorum multitudo conſumpta interiit. Valde itaque diminutis & fame, & morbo copiis, Solymanus è Perſia fugienti ſimilis Conſtantinopolim reuertitur. Prodigiaque noua, ac inuſitata mortales hoc tempore exterruere: nam rubentes locuſtæ magnis agminibus ab Oriente per Illyricum in Italiam conuolarunt, immenſaque erodendi rabie non ſolùm ſegetes, ſataque abſumpta, ſed prata, & frondoſæ arbores ociſſimè toto foliorum honore ſpoliatæ ſunt.

Not. prodigium.

Tremuit etiam in Hetruria iuxta Florentiam Mugellus ager ad Apennini radices, quà Seuia fluuius decurrit, cultu, amœnitate, frequentia nulli ſecundus: nóctuque circa æſtiuum Solſtitium ea terræmotus clades incidit: Scarpariaque oppidum penè totum proſtratum, tellusque magnis hyatibus patuit, cum ingenti utriuſque ſexus mortalium, brutorumque animalium ſtrage. At circa Europæ fines Henricus Gallorum Rex Taurinum uenit, ad quem Ber. Nauagerius, qui tum Prætor Pataui erat, patrum iuſſu in Pedemontanam regionem officii gratia ſe contulit; Regeque Senatus nomine ſalutato, Patauium rediit.

Ber. Nauagerius.

Mox tres ſummi Gallorum Principes, Ghiſa, Vandomius, & Admiratus è Taurino Venetias ſpectandæ urbis gratia aduenere, excultique ſunt omnes maximis honoribus, ac publico excepti hoſpitio.

Galli Reguli.

Et Veneta claſſis pyratas toto mari inſectabatur; captusque eſt Sabba Rais prædonum ſæuiſſimus, quem poſtea Laurentius Amulius, claſſis Venetæ præfectus, clam interficiendum curauit.

Sabba Rais.

Huius autem necem Solymanus Rex grauiſſime tulit, iniuriamque ulciſci armis palam minabatur, ni ſibi Amulius traderetur, qui uirum inter Turcas clari nominis dolo interemiſſet. quare ad mitigandam Solymani iram, Senatus cenſuit, ut Amulius ſub cuſtodia ſtatim è claſſe, abrogata illi dignitate, reuocaretur: miſſique ſunt, qui patrum imperata facerent.

Lau. Amulius.

Sed re ille præcognita, relicta in Illyrico claſſe, in alienas terras profugit. Amulius poſtea, quum iam Solymani ira deferbuiſſet, Senatus ſuffragiis abſolutus, liberatusque, in patriam acceſſit, & ad priſtinos honores in Rep. euectus eſt. Capiturque a Draguth, impio Archipyrata, iuxta Saſinum promontorium triremis Hieroſolymitanæ religionis, prædaque opulenta abacta rerum, hominumque, qui in ea uehebantur. Ac per id tempus Philippus Cæſaris filius, Hiſpaniarum Princeps in Italiam uenit, atque è Balearibus cum uiginti triremibus per Ibericum mare nauigans, fœda diu tempeſtate iactatus eſt. Genuæ tandem incolumis appulit, inde Mediolanum ſe contulit. occurritque ei Federicus Baduarius Venetorum Legatus a Senatu delectus, ut amicum Principem publico nomine ſalutaret, cibariaq́;, ac precioſa ferculorum condimenta attulit.

Fe. Baduarius.

Inde ponte ſuper Atheſim conſtructo, ex Mediolano, Mantuaq́;, Tridentum ille peruenit. Hinc poſtea per Germaniæ fides in Flandriam tranſiit. Et Iac. Superantium præclaris animi dotibus iuuenem excultum patres ad Vrbini Ducem Oratorem congratulatum miſere, quòd ei maſculæ ſtirpis infantem uxor enixa fuerat; attulitque munera, torquem aureum, & gemmatam bullam.

Iac. Superantius.

Illa poſtea ad agendas Senatui gratias inſigni matronarum comitatu Venetias acceſſit, cui Donatus Princeps, ac Senatus frequens Bucentauro obuiam prodiit, exceptaque inde eſt a patritiis eleganti forma, corporiſque ornatu ſelectiſſimis fœminis, & ad Lippomanas ædes in Diuæ Fuſcæ uico triumphali applauſu deducta. Mittitur quoque ad Fr. Gonzagam Mantuæ Ducem, & ad Herculem patruum Cardinalem Legatus Paulus Teopolus, Stephani filius, florenti ætate, & in-

Paulus Teopolus.

Not. nuptias.

genio patritius, longe clarus, qui tum in magiſtratu ſapientum ordinum quinque ulrali conſtitutus erat, ut congratulationis munus publico nomine impleret, ob connubium Gonzagę Ducis cum Catharina, Ferdinandi Romanorum Regis filia, nuper contractum. Ad eas autem nuptias celebrandas, Maximilianus Archidux Auſtriæ, Bauariæ Princeps, & Cardinalis Tridentinus, aliique complures uiri Illuſtres ex Germania Mantuam conuenerant: lætitiæque, ac ludis publicè diu indultum. Hi poſtea, ut loci uicinitas inuitabat, ſpectandæ maritimæ urbis deſiderio accenſi, Venetias accedere ſtatuere. Tum ciuitas in tantorum Principum aduentu erecta, feſtos, triumphaleſque apparatus continuò ſumma cura inſtituit; negociumque triginta nobiliſſimis florenti ætate patritiis a Senatu datum, ut urbem exornarent, pararentque

Not. apparatum.

ea, que publicum in tot ſummis excipiẽdis Principibus munificentiã, ſplendoremque conteſtarentur. Illi uero accuratum adhibentes ſtudium, Comitia, ad tempus amotis ſubſeliis, regali apparatu exornata inſtruxere, ubi arcus, coloſſi, trophea, feſta fronde in Topiarii operis modum inflexa, ſimulachraque nudi genii configurata miro artificio erigi cœperant. Ad repręſentandas quoque fabellas, naumachias, ac uaria hiſtrionum ludicra, ſcenæ, pegmataque extruebantur: totaque ciuitas in ludorum diuerſi generis adinuentione occupata erat. Dum autem hæc fiunt, Pontificis mors ſubitò obnunciatur, quæ omnia turbauit. Germanique aduentum ſuum in aliud tempus diſtulere, Senatuique ab his tamen de inſigni apparatu ingentes per litteras gratiæ actæ. Poſt hæc Romæ Cardinalis De monte Aretinus in Pauli locum Pontifex eligi-

Iuli' III. Pont. Maxi.

tur, ac Iulius III. uocatus eſt. Quattuorque ad eum Oratores miſſi, Philippus Tronus, M. Ant. Venerius, Fr. Contarenus, & Nicolaus a Ponte, qui congratulatione publico nomine habita, nouum de more Pontificem adorarunt. Et ex legatis Pontius

Legati ad Pontificẽ.

orationem luculentiſſimam habuit, cunctaſque optimi Rethoris partes obiens, eximiam apud omnes, qui eum concionantem audiere, laudem conſequutus eſt; tantaque ſermonis ſuauitate in deplorando Italiæ, ac Chriſtianæ Reip. ſtatu uſus dicitur, ut lachrymas a piiſſimi Pontificis oculis excuſſerit. Decreuit interim Senatus Piſcheriam ad Mincii caput nobiliſſimum oppidum, uallo, foſſa, propugnaculiſque munire,

Steph. Triuiſanus.

Ioan. Michael.

præficiturque operi Stephanus Triuiſanus, uir ſingulari induſtria, oppidumque, ac arcem foſſis aggeribuſque breui cinxit, inexpugnabilemque omni æuo erexit munitionem. Accedente poſtea in Italiam Maximiliano, Ferdinandi Regis filio, Ioannes Michael eximia uirtute iuuenis legatus a Senatu deligitur, ut in ipſis Italiæ finibus officii gratia Auſtrio Principi obuiam progrederetur. Sed morbo implicitus, legatio-

Th. Contarenus.

nem obire non potuit; ac eius loco Thomas Contarenus, qui tum circa Piſcheriam erat, munus expleuit, Germanumque publico nomine per Venetos fines deducens, Mantuam uſque comitatus eſt. Et Octauius Ferneſius, qui pro Romana Eccleſia Par-

Octauius Ferneſius.

mam præſidio tenebat, dominio urbis capto, Gallos intra mœnia admiſit; ſtatimque Pontifex ira percitus, ad urbem Eccleſiæ recipiendam arma comparauit, ac Cæſaris copiis in auxilium euocatis, uim rebelli populo inferri iuſſit. diuq; urbs circumuallata, oppugnataque fuit, in ea autem tuenda Octauius, Gallique ſociis armis ſtrenuam operam nauarunt. Mirandula quoque bello petita, oppidumque a Gallis aduerſus Pontificios, Cæſarianoſque egregie defenditur, plurimique ex his ſub mœnibus, crebris Gallorum eruptionibus occubuere, inter quos Ioannes Baptiſta De monte Põtificis neceſſarius fortiter pugnando cecidit. Demum ab utraque urbe hoſtes cum cæde repulſi, obſidionem ſoluere coguntur. Et quum Venetiis nunciatum eſſet, claſſem Solymanum ingentem parare, ac breui in altum è Boſphoro proditurum, patres ſtatim & ipſi nauali apparatu ad tutandum maris imperium conuerſi ſunt, ac Stepha-

Stephan. Teopolus

no Teopulo, qui tum Pataui præturam gerebat, maritimi imperii ſumma ſecundùm demandatur. uigintique triremium gubernatores, uiri diſciplinæ naualis peritiſſimi a Senatu extraordinariis ſuffragiis creati, in claſſem aſcribuntur: hi autem fuere, Mich. Salamonus, Vinc. Iuſtinianus, Fr. Duodus, Iac. Armerius, Pet. Piſanus, Pandulphus Contarenus, Laur. Bembus, Iac. Priolus, Fr. Bernardo, Alex. Bono,

Triremiũ gubernatores.

Renerius Baduarius, Ber. Sagredus, Mar. Ant. Maurocenus, Geor. Cornelius, Vitus Ciurano, Iac. Marcellus, Nic. Dandulus, Mar. Quirinus, Iac. Celſus, &

Laur. Piſanus. Et ne Corcyra in tanto Turcorum motu incuſtodita maneret, cuius inſulæ periculum Venetorum animos uehementer angebat, mittitur eò ad præſidium Aloyſius Grittus legati nomine, unàque mercenariorum militum ingens numerus.

Al. Grittus.

Interim Othomanica claſsis in altum euecta, ſub Corcuth imperio ad Melitam inſulā curſum tenuit, ubi ſacrati uiri Hieroſolymitani equites poſt Rhodum amiſſam, ſedem fixerant.

Melita Inſula.

Inſula autem fœde deuaſtata, hoſtilis mox inde claſſis habiit, in Aphricamque celeriter tranſmiſit, ac urbē Tripolim, quæ Leptis antiquitus fuit, terra, mariq; aggreditur, uariiq; circa oppidum Turcorum conatus bellici fuere: obſtabantque acriter Hiſpani, qui antea in Lybiam trāſgreſſi, Tripolim occuparent. demum ui oppidum a Turcis capitur, ac appetēte iam hyeme, uictrix claſſis Conſtantinopolim rediit, Veneta quoque domum reducta.

Tripolis.

Creauitq; per Natalitios dies Pontifex Iulius quindecim hos Cardinales, uiros moribus, ac uitæ innocentia claros, Patriarcham Alexandrinum, Archiepiſcopum Pulitianum, in Luſitania Legatum, Archiepiſcopum Materæ, Poggium Bononienſem, Putheum Rotæ Auditorē, Miginellum epiſcopum Miſſinenſem, Romæ gubernatorem, Perugiā ex familia Ceruia, Pontificis ex ſorore nepotem, Dandinum olim Epiſcopum Imolenſem, Auditorē cameræ ex domo Citella, natione Lygurem, commendatarium Cypri Aloyſium Cornelium Venetum, Epiſcopum ex Fano oppido, Campegium Bononienſem, Prouestinum adhuc penè impubem, Pontifici a primis annis notum, & Georgium Varradinū Pannonem genere, armorum ductorem, qui aduerſus Turcas, pro Ferdinando Rege in Tranſyluania tum militabat.

Quindecim Cardinales.

Is poſtea proditionis inſimulatus, Ferdinandi iuſſu obtruncatus eſt.

Geor Varradini cædes.

Mox Germaniæ totius ferè Principes, & populi cum Rege Gallorum ſocietate, ac fœdere inito aduerſus Cæſarem ingentes copias contraxere, quarū Dux Saxoniæ Mauritius omnium confœderatorum Principum cōſenſu imperium tenuit.

Mauritius

in magnaque exiſtimatione apud Germanos Gallorum nomen erat, ac in cunctis liberarum ciuitatum portis Crucis albę ſignum affixum uiſebatur, cum huiuſmodi ſubſcriptione, Henricus Rex Gallorum Chriſtianiſſimus, protector Germanicæ libertatis.

Not. ſubſcriptionē

Nouum quoq; muniſma publice excuſſum, in quo puellę nudæ imago, inſculpta erat, habens in dextera cæleſtem ſpheram, leuaque florum faſciculos. Et rurſum Othomanica claſſis ualida, p ræpotenſque in altum prodiit, quo motu Veneti & ipſi maritima arma pararunt. declaraturque tertium Stephanus Theopolus claſſis Imperator, uigintique Gubernatores, quos ſuprà memorauimus, uiros ſcientia nauali claros totidem triremibus patres iterum præficiūt.

Stephan. Teopolus claſſis Imper.

Et Ferdinandus Rex in Tranſyluaniam cū exercitu profectus, prouinciam penè totam nuper defuncti Vaiuodæ Regis filio Stephano impubere eiecto, debellauit. Ad Solymanum autem adoleſcens ſupplex confugit. Ingentes itaque peditum, atque equitum copias Turcæ ferociter in Ferdinandum duxere, ac Lippa, Sagadinoque urbibus receptis, compreſſiſque Auſtrianorum armis, Stephanus in regnum Solymani ope reſtituitur.

Tranſyluaniæ Rex a Turcis in Regnū reſtit.

Et ex altera parte Germanorum copiæ, Ducibus Mauritio Saxoniæ Principe, & Alberto Brandiburgenſi Marchione, in Hiſpanos immiſſæ ſunt, ac ſub primum acceſſum Tingliſpillum, Rotimburgum, Nerlingum, & Tanauertum oppida in Principum fidem uoluntaria deditione rediere. & ad Auguſtam urbem totius Germaniæ Metropolim caſtra admota; quæ ultrò portas aperuit. inde Dux Mauritius cum copiarum parte in Franconiam tranſiit, ibique Gallorum aduentum expectabat, ut ſocia cum his arma coniungeret. Filii quoq; Lanthgrauii Haſſiæ nouum exercitum in Cæſarianos eduxere, & Pontifex metu impulſus, cum Galliæ Rege inducias in duos annos pepigit. Aggreſſique ſubito impetu Germani ſub Alberti Brandiburgenſis auſpiciis Cluſam munitiſſimum oppidum, ui illud captum, expugnatumque in ſuam poteſtatem redegerunt. tum Cæſar ab Iſprucho, ubi belli euentum expectans, aliquandiu ſe tenuerat, continuò cum paucis equitibus digreſſus ad Villachum in Foriulii vſque fines fugienti ſimilis ſe contulit, vixque hoſtium inſequentium manus euaſit.

Cæſaris fuga.

Cæſareque trepidè abeunte Vlma, ac reliqua oppida a Germanis ſtatim recipiuntur, è totaque prouincia Hiſpani fugati, expulſiq; ſunt. Dehinc Turcorum claſsis in Siculum fretum delata, Caietanum, Miſſinenſeque littus fœde diripuit, atque in Neapolitanam maritimam oram inde trāſgreſſa, ſimilem cla-

Gallorũ expeditio dem intulit.& hæc mari a Turcis geſta. terra verò nouam expeditionem Galli tentarunt.in Flandriam enim magna armatorum manu irrumpentes,Lucimburgum, Melziũque vrbes occupauere.In Italia quoque Senæ a Cæſare defecerũt, eiectoq; Hiſpano præſidio, ſe in libertatem vẽdicarunt,Arxq; a Senenſi populo a fundamentis diruta eſt.nec his malis fortuna contenta,noua alia clade Cæſarem affecit. nã ſeptem Doriæ triremes Neapolim milites aduehentes apud Caietam Turcorũ claſſis,Duce Draguth oppreſſit.poſtea diſcordia inter Germanos Principes orta, Mauritius Saxoniæ Dux, Cæſaris partibus adhæſit.Lanthgrauiusque è cuſtodia liberatur. & Auguſta ab Hiſpano recepta, trecentisq; aureorum nummũ millibus mulctata, in Cæſaris fidem rediit.mox & Albertus Cæſari reconciliatur, adiunctiſque cum Hiſpano caſtris, ad Metzium recuperandum copiæ eductæ.ciuitas autem Gallorum præſidio egregię munita erat,diuque a Cæſarianis circumuallata,omnem oppugnationis impetum fortiter ſuſtinuit:tantaq; frigoris vis in ea regione repente coorta deſeuiit,vt viginti armatorum millia è Cæſariano exercitu gelu exanimata confecerit. imminutis itaq; valde copiis,atq; in dies re Hiſpana in deterius collabente,Metzii obſidio ſoluitur.Edinum etiam a Gallis captum Cæſar amiſit.in Italia ille poſtea nouam in Senenſes expeditionem parauit,contractiſque ingentibus copiis,ſub Petri Tolledi proRegis Neapolitani imperio urbs obſideri cœpta.eam autem Gallorum Regis nomine Cardinalis Ferrariæ,& Petrus Strocius cum mercenario milite tuebantur,aderant & alii inſignes armorum ductores,qui rem Senenſem amice fouebant. in hiſque belli motibus Donatus Princeps poſt ſeptem annos cum dimidio,quibus Reip. præfuit, diem ſuum obiit,ſepulchrique locum in Seruorum æde ſortitur,eius autem laudes Ioannes Donatus,ut uir eloquentiſſimus erat,miro orationis cultu publicè celebrauit. ſucceſſorque ei datus eſt M.Ant.Triuiſanus, uir ſanctimonia incomparabili, inuituſque eam dignitatem ſuſcepit,quum natura potius religionis,priuatæque vitæ ſtudio oblectaretur,quàm publicos honores,imperiaque ambiret. miraque in pauperes beneficentia vtebatur,quibus quotidie pecuniam piè erogare cõſueuerat. neque hoc loco eius modeſtiam ſilentio præterire licet:nam quum Federicus Vallareſſus vnus ex quadraginta altero electoribus,uir patriæ amantiſſimus,ac ſingulari eloquentia præditus,antequàm ſuffragia inirentur,palam in concione dixiſſet,Triuiſanum magna virum integritate,& innocentia præditum eſſe,ſed naturæ dona non ſuppetere, quæ in altiſſimo Principatus apice requiruntur.nec hæc ipſe dicebat,vt virum optimum carperet, ſed patrię charitate,ne in demãdata ſuprema ciuitatis dignitate,incõſulte quicquam ageretur.nil tamen Triuiſanus,ut ſingulari humanitate uir erat, animo cõmotus eſt. Sed uere Vallareſſum loquutum fuiſſe ſubridens affirmauit. Electoreſque hortatus eſt,ut ad alium Ducalem dignitatem deferrent:qua animi modeſtia,cæteros vincens candidatus ipſe Dux creatus eſt.ſtatimque eius Principatus initio res proſperè in pyratas geſta nunciatur, quos Chriſt. Canalis in Adriatico ſinu claſſis Venetæ præfectus apud Hidruntum oppreſſit.ex quattuor enim longis nauibus tres interceptæ sũt, atque altera in qua prædonum Dux vehebatur,celeri remorum impulſu elapſa profugit. Scyriphuſque hoc tempore nomine Maulemeth,interioris Mauritaniæ Rex,aduerſus Luſitanos ad Atlanticum Oceanum bellum gerens, multas his clades intulit. illiuſque tum clarum,illuſtreque nomen toto orbe haberi cœptum.at Cæſar cũ exercitu in Morinos profectus,Terrouanam vrbem ex Gallis cepit, quam ſtatim direptã, incenſamque funditus euertit, alia deinde belli vis mari orta. fœdere enim Turcæ, Gallique adhuc coniuncti, ualidiſſimam claſſem inſtruxere, eaque in ſuperum delata,ſub Ariadeno Turca,& Polino Gallo Ducibus,maritimam Calabriæ oram depopulata eſt.pari quoque clade Siciliam afflixit.inde Corſicum littus tenuit, atque Inſulam expoſitis militibus terra,marique aggreditur, ad Bonifacium oppidum primo armis admotis,eo Galli,Turcæque poſt atrox certamen potiuntur,vbi Corſi, Lygureſque plurimi cæſi ſunt,ac tota Inſula hoſtis eiectus,antiquam terræ illius poſſeſſionem amiſit.poſt hæc Solymani claſſe Conſtantinopolim profecta,Gallorũ ſtatim maritimis, terreſtribuſque copiis ad Cæſarianos conatus repellendos Inſula firmatur. inter tantas autem rerum perturbationes dirum, inhumanumque Solymanus in Aſia

Margin notes: Septẽ Doriæ triremes captæ. — Not. frigoris uim. — Edinum. — Donati p. fateri eius — M. Anton. Triuiſan. Dux. 70. an. Dom. 1553. — Fed Vallareſſus. — No. Triuiſani modeſtiam. — Chriſtop. Canalis. — Scyriphus — Turcarũ claſſis.

facinus

facinus patrauit,qui filium Muſtapham in minori Armenia regnantem,quòd is patri inſidias ad occupandum Imperium tendere criminaretur,in conſpectu ſuo necandum curauit.accitus enim a Solymano,qui Alepi tum regiam tenebat,in Syriam uenire eſt iuſſus,ſtatimque paternis obtemperans mãdatis, eò cum magnis muneribus acceſſit, atque ubi equo deſiluit,nullas ueritus inſidias, Solymani tabernaculum ingreditur, iuſſuſque Acinacem,quo erat præcinctus,deponere,ad Solymanum propius inermis accedebat,ut patris manus oſcularetur.verùm antequàm appropinquaret,a regiis miniſtris,ut eis præceptum erat,ſubitò Muſtapha comprehenſus,fune collo iniecta, iubente, inſpectanteque patre ſtrangulatur: atque ita barbara feritate authorem necis filii crudelis pater ſe exhibuit.eadem quoque hora Solymani iuſſu in Muſtaphę ſigniferum capitali ſupplicio animaduerſum eſt.is autem è Michaelium familia nobili Venetiis ortus,adoleſcens enim in Illyrico a Turcis capitur. Conſtantinopolimque adductus, Chriſtianam fidem abnegare cogitur, in Muſtaphæq; poteſtatem adoleſcens claræ indolis dono datus uenit: ac ſtatim barbaro ob egregiam formam corporis,moreſque ciuiles gratus,acceptusque fuit.deditque illi Muſtapha militare ſignum in acie geſtandum,quod quidem munus apud Murcas in re bellica ampliſſimum habetur. Miraelinumque eum barbari uocant, ac nulli dubium, ſi Aſiæ imperio quandoque Muſtapha patris loco potitus fuiſſet, quin Miraelinus ex omnibus Aulicis principem locum apud eum obtinuiſſet. mortem filii poſtea Solymanus pœnitentia ductus, multis lachrymis palàm, & occulte per plures dies deploraſſe dicitur.

Muſtapha Solymani filius.

Muſtapha a patre necatur.

Signiferi cædes.

Miraelinus.

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber quartuſdecimus.

IN Britannia per id tempus magni rerum motus ſuborti, Regnum illud uariis caſibus agitarunt. Defuncto namque Odoardo Rege adhuc impubi, Maria ſoror fratris loco, quum nulla uirilis ſtirps ſupereſſet, Britanniæ regnum obtinuit, & ad coniugium animum adiiciens, ad hæredem procreandum ex multis terrarum orbis Principibus Philippum, Caroli Cæſaris filium, ſponſum ſibi delegit, qui ſtatim parata claſſe in Inſulam ad uxorē ex Hiſpania traiicere ſtatuerat. Sed has nuptias Britannorum primores impedire nitebantur, Hiſpanumque nomen, Principemque alienigenam oderant. contrà, cæteris poſt habitis, Regina ad unum Caroli Cæſaris filium reſpiciebat, cuius matrimonio auguſtior Regni Britannici dignitas reddi uidebatur: plurimique ob hanc cauſam Inſulæ proceres diſſentientes ab ea, uel relegati, uel interfecti ſunt; nonnullique uoluntarium ſibi exilium conſciſcentes, in longinquas emigrauere regiones, ne Hiſpanorum dominationem, ſuperbaque paterentur imperia. Cæſar quoque has nuptias uehementiſſime optabat, ut uxorio uinculo, tantaque affinitate, opulentiſſimum Regnum Hiſpanis opibus adiungeret. Id autem ne fieret, totis uiribus Galli, Scotique procurabant, quum Cæſaris potentia nimium per ſe grauis, tanti Regni acceſſione formidabilior omnibus redderetur. nam Italiā quoque armis oppreſſam ſuis ille tenebat, quum, præter Venetos, Pontificem Romanū, & Ducem Ferrariæ, ſecundiſſimo fortunæ curſu, cæteri Italiæ potentatus, Genuenſis, Neapolitanus, Mediolanenſis, Florentinus, Mantuanus, ſub Cæſaris poteſtate conſtituti eſſent. florebatque tum proſperis, fauſtiſque incrementis res Hiſpana. Senæ quoque hoc tempore Cæſaris armis premebātur, uariæque, ac multæ circa urbem pugnæ commiſſæ, cum uillarum incendiis, ac agrorum fœda deuaſtatione. Obiitque anno nō dum circumacto Triuiſanus Princeps, ad cœlos repentino fato euolās, dum ſacris de more in Ducarii ſacello ſummo mane intereſſet, uir ob ſingularem probitatem omnibus æque gratus, ac amabilis: quod mœrore funeris facilè iudicatum eſt, tumuloque inſigni poſt ornatiſſimam orationem a Bernardino Lauredano, And. Fr. habitam, in Diui Franciſci æde ſitus, æternum conquieſcit. Huic Fr. Venerius ad Principatum euectus ſurrogatur, nobili genere ortus, ac ſumma inter patres authoritate. Claſſis uerò Othomanica æſtate media è Græciæ ora profecta, in Apuliam tranſiit, Beſticemque oppidum cepit, multique ex uicinis agris, littoribuſque mortales in captiuitatem abducti, ac poſt ingentem prædam metu And. Doriæ, qui cum quinquaginta quattuor longis nauibus circa Siciliam conſederat, Draguth Rais Turcicæ claſſis imperator, ſe in Aulonæ portum recepit, inde in Corcyræ Euripum tranſmiſit, Venetis rebus nuſquam infeſtus. Ac poſt multos, uarioſque in Britannia tumultus, Philippus, Cæſaris filius, a Regina euocatus ad eam deſponſandam in Britanniam tranſire decreuit. naualique ingenti apparatu a Calecto ſoluens, unde breuiſſimus eſt traiectus, proſpera aura ad Inſulæ littus appulit. excipiturque maximis honoribus in Reginæ gratiam ab uniuerſo populo, Londiniique illuſtri triumpho nuptiæ celebratæ ſunt, quibus interfuit publico nomine Ioannes Michael Orator Venetus, atque ita Britanniæ ampliſſimo

Maria Britanniæ Regina.

Philippus

Not. Cæſaris potentiam in Italia.

Senæ premebātur

Triuiſani P. interitus.

Fr. Venerius Dux 71. an. D. 1554.

Philippus in Britanniam ad uxorem tranſit.

mo Regno per maritales thedas Hiſpanus potitur. In Italia uerò circa Senas Strocius ingentem armatorum manum ſecum habens, cum Marignani Marchione Cæſarianarum copiarum Duce acie decertauit; & cæde utrinque magna ædita, ad poſtremum Strocius fœmore tragula ictus profligatur: qua clade factum eſt, ut inſeſſis itineribus, rei frumentariæ penuria Senenſes laborare cœperunt, diu tamen fame macerati, obſidionem forti animo pertulere, omneque obſcenum eſculentorum genus comeſtum, priusquam deditio facta ſit; quæ tandem poſt nonum menſem ſequuta eſt, urbsque Italiæ nobiliſſima in Cæſaris poteſtatem uenit, ac mutatis pro eius arbitrio magiſtratibus, urbi frenum iniicitur. Et ad Septentrionalem plagam ingentes bellorum motus erant: nam in Aquitania, & in Morinis Galli, Hiſpanique magnis copiis contractis, aduerſa inter ſe arma miſcebant, agrique ferro, & flamma deuaſtabantur tanta partium rabie, ut omnia plena cruore, plena incendiis, cædibusque paſſim redundarent. In Sabbaudiæ quoque finibus Gallorum copiæ in Cæſarianos eductæ ſunt, ſub Briſachi Ducis imperio, proſperaque is fortuna uſus, Iurea, Sentia, Caſali, Vlpianoque munitiſſimis oppidis expugnatis potitur, ad Mediolanique uſque portas cum uictore exercitu adequitauit. Excedensque è uita per id tempus Iulius Pontifex, Romanam, quam per quattuor circiter annos pie rexerat, ſedem reliquit: ſurrogaturque eius loco in Pontificio apice Cardinalis Sanctæ crucis natione Thuſcus ex oppido Pulitiano, Marcellusque II. eſt appellatus, breuiſſimumque habuit in tanto faſtigio uitæ tempus, obiit enim primo, & uigeſimo die, quàm ſedere cœperat, ætatisque anno quarto, & quinquageſimo, luxitque eum Romana ciuitas, quũ multa in uiro ſanctitatis opinio eſſet, ſperarentq; omnes, eo præſide, cuncta Chriſtianę Reip. proſpera euentura. Cõſequutus eſt, Pontificatum poſt Marcellum, Cardinalis Theatinus ex Carafa familia Neapoli illuſtri natus, ac anno octuaginta circiter uitæ agens, Paulique eius nominis IIII. appellationem ſuſcepit, Legatioque ad eum continuò a Senatu decreta, in qua uiri ampliſſimi fuere, Fr. Contarenus, Carolus Maurocenus, Hier. Grimanus, & Matth. Dandulus, iidem illi, qui a patribus antea delecti Oratores ad Marcellum ibant ac cum his profectus eſt Ber. Nauagerius, qui Dominici Mauroceni loco ad Pontificem Orator creatus fuit, habitaque a Nauagerio in congratulatione magna ſua cum laude oratione elegantisſima, impartitum publico nomine de more eſt obſequium. Cooptauitque nouus Pontifex in Cardinalium collegium hos ſeptem illuſtres uiros, Archiepiſcopum Tolletanum, Hiſpani generis, Epiſcopum Arrienſem, Epiſcopum Motulenſem, ex Familia Carafa, Bernardinum Theatinum, Romerium natione Gallum, Ioannem Capiſucam, Romanum, ambos Rotæ Auditores, & Ioannem Gropperium, Germanum, inſignem Theologum, qui tanta animi moderatione fuit, ut Cardinalatus dignitatem, cuius amplitudinem, maieſtatemque cæteri mortales admirantur, ultrò repudiarit, rarisſimum in noſtri ſeculi hominibus moderationis, continentiæque exemplum. Interea fruſtra aliàs pace tentata, induciæ in quinquennium inter Hiſpanos, & Gallos ſequutæ ſunt. Cæſar autem quietioris uitæ ſtudio, Philippo filio è Britannia accito, Imperii, ac Regnorum Gubernacula publice ceſſit, ipſeque è Morinorum finibus, conſtituto in Regali, Auguſtaque ſede filio, per Aquitanicum Oceanum in Hiſpaniam abire decreuit. Miſereq; ad Philippum Veneti Oratorem Mich. Surianum, ut is apud nouum Regem publico nomine reſideret. Cæſar quoque unum ex Aulicis ſuis uirum inſignem, Venetias miſit, qui eius nomine Principi, & patribus traditam Regnorum ſuorum Philippo filio Gubernationem nunciaret, ſinceramque amicitiam, & promptum, officioſumque in qualibet fortuna filii animum Reipub. offerret. Gratiæ Cæſari ingentes actæ, piumque eius erga Venetos ſtudium multis laudibus tota urbe celebratum. nuncius autem qui a Carolo uenerat, è curia dimiſſus, plurimis muneribus donatur. Atque hoc tempore Bona Sforcia, Sigiſmundi Poloniæ regis mater, in Italiam ad Aponi in Patauino balnea curandæ ualetudinis cauſa ex Sarmatia profecta eſt. Inde poſtea Venetias, urbem maritimam uiſura, acceſſit; cui frequens Senatus, matronæque ad centum nobilisſimæ obuiam Bucentauro prodiere. deduciturque per mediam urbem in Hoſpicium ad Eſtenſes ædes Affuere & ſimul duo Cardinales, Ferrariæ, & Auguſtæ,

Senarum deditio.

Oppida Sabaudiæ a Gallis capta.

Marcellus II. Pont. Max.

Paulus IIII. Pontif. Max. Legati Veneti ad Pontificẽ.

Septẽ Cardinales.

Not. inſigne factũ.

Cæſar Philippo filio Regnũ ultro tradit.

Mich. Surianus.

Bona.

Card. Ferra. & Aug.

inter quos ipſa media per urbem incedere ſæpe uiſa eſt. paratam deinde triremem Regina aſcendens, in Apuliam ad Barium nauigauit, cuius urbis imperium gẽtilitio Aragoniæ ſtirpis iure, dotale, hæreditariumque illi erat.

Venerii P. mors.

Et poſt Reginæ diſceſſum, Venerius, qui annum vnum, & menſes vndecim Ducatum imbecillo corpore tenuerat, morbi tandem ſæuitia extinguitur, & in Saluatoris æde ſpecioſo tumulo obtegitur, quem Petrus frater illi piè erigendum curauit:

Lau. Priolus Dux 72. an. D. M.D.56.

creaturque eius loco Princeps Laurẽtius Priolus, uir prudens, ac moribus, litteriſque ornatus, qui tum conſiliariatum in quinto collegarum ordine gerebat; competitoribusque repulſis, Philippo Trono, Stepha. Teupolo, Th. Contareno, viris ampliſſimis, Principatum ipſe obtinuit. ſtatimque eius Ducarii regiminis initio ciuitas peſtilentia laborare cœpit, ingentemque mortalium ſtragem pernicioſa ea ædidit lues. emigrantibusque in vicinos agros, villasque ciuibus, magna in vrbe ſolitudo facta eſt.

No. peſtẽ, & famem

Annonæ quoque caritate laboratum, quum iamdiu peſtilentiæ metu, nec frumenta, nec alicuius generis obſonia uſpiam terra, marique venalia in vrbem adueherentur. atque hoc tempore Paulus Pontifex in Columnenſes, qui Romæ res nouas moliebantur, bellum intulit: illi uerò Cæſaris opem implorarunt; quo factum eſt, ut eius iuſſu, Dux Albæ Hernandus cum valido exercitu in Romanum agrum irrupit. eoque fœde populato, ad portas vſque Vrbis adequitauit: terrorque ingens Pontifici incutitur ob hoſtium vicinitatem. Copiiſque ille vndique contractis, rem Romanam defendere ſtudebat. per litterasque, ac Legatos Venetus Senatus ad arma in Cæſarianos ſumenda ſæpe eſt ſollicitatus:

Phœbus capella.

quocirca patres, qui Chriſtianæ pietatis ſtudio Eccleſiæ ſemper patrocinati fuerant, Phœbum Capellam a ſecretis virum ſolertem in Cæſariana caſtra ad Albę Ducem deſtinant, per quẽ publico nomine Hiſpanos Venetus rogabat, ut Pontificis res infeſtare deſineret, nec Apoſtolicæ ſedis ditionem bello turbaret, quam ex maiorum inſtituto Veneti nunq̃ exteris armis agitari paſſi eſſent. Reſponſum belli initium a Pontifice ortum; iniuriiſque affectis Columnenſibus, Cæſarem pro iuſtitia deeſſe non poſſe. Bellum itaq; Hiſpanus proſequens, oppida vrbi proxima aggreditur, atque ex his Tybur, Hoſtiamq; expugnat. & Pontifex aduerſis rebus permotus;

Io. Fr. Cõmẽdunus

Ioannem Franciſcum Commendunum, Cephaleniæ, & Zacinthi Epiſcopum, ad Venetos Legatum mittit, per quem eos pro Romana ſede in Hiſpanos arma induere hortabatur. ſed Patres fœdus, quod cum Cæſare habebant, violare nequaquàm ſtatuere. Gallorum itaq; ille, ac Ferrariæ Ducis auxilia implorauit, qui ſtatim Pontificis cauſam complexi, ſociis armis Cæſarianos inuadunt, ac poſt multos bellorum conatus, Thybur, & Hoſtia oppida recipiuntur.

Cardinalis Carafa.

Cardinalis deinde Carafa, Pontificis nepos, Venetias acceſſit, cui Princeps cum frequenti Senatu Bucentauro obuiam prodiit. Nec multò poſt, & Hercules Ferrariæ Dux, è caſtris ad Venetam urbem ſe contulit, maximiſque exceptus eſt honoribus, Venetaqua in Cęſarem arma concire maximis conditionibus propoſitis ſtuduit: uerũ conſtantiſſimi in ſeruando fœdere patres fuere.

Cardinales a Pontifice creati.

Et a Pontifice per id tempus Cardinales creantur, Alphonſus Carafa, ex ſorore nepos, Epiſcopus Strocius Florentinus, Epiſcopus Tholona, Triultius, legatus apud Senatum Venetum, Epiſcopus Coſentiæ, Epiſcopus Vitelotius, Alexandri Vitelli armorum Ductoris filius, Epiſcopi Iſchiæ, & Nepæ, unus Diui Franciſci Generalis, & alter ex Prædicatorum ordine cameræ præſes, uiri doctiſſimi. Interim Gallorum exercitus ſub Principis Ghiſæ ductu cum Pontificis copiis in Campaniam Neapolitanum regnum uerſus ſub ſignis profectus eſt.

Ber. Nauagerius.

legationiſque munere pro Veneto Senatu tunc Romæ Ber. Nauagerius fungebatur, quem diu Pontifex irarum plenus, ob negata a Veneto auxilia, ad colloquium admittere noluit. pacato poſtea Pontificis animo, in priſtinam eius gratiam Nauagerius rediit.

Palianũ.

Et in agro Romano circa Palianũ Columnenſium oppidum, quod iis eiectis, in Pontificis poteſtate erat, pugna contracta, ab Hiſpanis, Duce M. Antonio Columna Eccleſiaſticæ copiæ funduntur. magnamque res Romana cladem adiit.

Turcorũ claſsis. Cariathũ.

Claſſis interim Turcorum centum prope longarum nauium, ex Helleſponto in ſuperum mare aſſiduo curſu proceſſit, & Calabriæ littore, maritimaque Apuliæ ora fœdè populata, Cariathum oppidum terreſtri, naualique oppugnatione ferox Turca aggreditur. Sed cum magna cæde reiectus, claſſem inde trepide in Aulonæ portum abduxit. Ingens

quoque

quoque armorum incendium in Hiſpaniæ, Galliæq; finibus inter Henricum, & Philippum Reges ardebat, ac iuxta Pireneos montes, qui ulteriorem Hiſpaniam a Gallia diuidunt, ſæpe pugnatum. nouiſſime Sanquintinum munitisſimum oppidum Cæſarianis obſidentibus, ingenti equitum, peditumque numero contracto, Galli ſub Coneſtabilis imperio ad oppidi præſidium aduolarunt: eoque ualida militum manu firmato, dum in caſtra ſub ſignis ad ſuos redeunt, qui non procul aberant, in Hiſpanorum equitum alam ad Ararim Fluuium temerè incidunt, conſertoque ſtatim prælio acerrime utrinque dimicatum eſt. Aduenere inde celeri incurſu ſub Ducis Branſuicenſis auſpiciis Hiſpanæ pedeſtres, equeſtreſque copiæ, a fronteque, ac latere in Gallorum aciem illatæ, hoſtem fatigant, eumque feroci impresſione degrauatum loco ſummouent, mox fœda cæde proſternunt, deſideratique ſunt ſupra duodecim Gallorum millia: magnaque eorum pars, dum fugam trepide molitur, rapacisſimo flumine abſorpta, interiit: capiturque Magnus Coneſtabilis, & cum eo in militiam profecti totius Galliæ nobilisſimi iuuenes ſupra ducenti. Pace autem dum urbs Veneta ſuauisſima fruitur, decretum eſt a Senatu (urgente rei frumentariæ inopia) ut iugera, noualia, campi, qui late cunctis Veneti imperii finibus, neglecti, ac ſtagnantibus aquis inarati, nullam diu frugem attulerant, ad culturam reducerentur, ut elaborata per multa paſſuum millia tellus cererem humanæ indigentiæ largius ſuggereret, ne Veneta ciuitas deinceps, ut ſæpe aliàs euenit, annonæ penuria laboraret: treſque huius Agrariæ legis præfecti, Franciſcus Barbarus, Ant. Erizus, & Nic. Geno creantur, qui ſtatim in continentem transgresſi, magnam diligentiam, ſtudiumque adhibuere, ut uallium, paludium, amnium alluuione purgata, nouus hic agrorum cultus feraciorem, uberioreq; per ſingulos annos meſſem redderet: atq; ita urbi in omnẽ futuræ ſterilitatis, egeſtatisq; euentũ ſapiẽtisſime cõſultũ eſt. ceterũ quũ ad Gorzonũ circa Poleſinũ Præfecti ſe contuliſſent, paludium, & conualliũ ſtagnantes aquas decreuerant ad Brunduli portum ad duo fermè paſſuum millia, ab urbe Clodia diſtantem deducere: quæ res Clodienſium ciuium animos non parum turbauit: apparebat enim ob ingentem aquarum uim, quæ ex ea deriuatione in Brundulanam maritimam oram irrumperent, breui Clodiam in ſubmerſionis cladem ruituram. Periculo autem animaduerſo, ne Municipium finitimum interiret, Senatus decreuit, ut uallium, ac paludium aquæ non amplius ad Brundulum, ſed ad Atheſis fluminis oſtium ſupra Foſſiones deducerentur: in eoque Fr. Tagliapetræ tum Clodiæ prætoris uirtus plurimum enituit, cuius unius ſtudium in procuranda Ciuitatis illius indemnitate, ſingulare fuit. Et per hos dies Ioan. Baptiſta Rhamnuſius, Pauli quondam Iureconſulti filius, Decemuiralis conſilii a Secretis, uir ſummæ doctrinæ, & multarum linguarum peritia, ſed propter egregios mores, ac ingenii amabilitatem uniuerſæ Reipublicæ maximè charus, Patauii quò, curandę ualetudinis cauſa ſe cõtulerat, ſeptuagenario maior, ſexto Idus Iulii, diem obiit. Cui Bernardus Georgius tunc Patauii Prætor clariſſimus, atque idem inſignis poeta ſupremum amicitiæ munus perſoluens, huiuſmodi tumulum conſcripſit.

Sanquintinum. — *Gallorum clades.* — *Decretũ.* — *Agrariæ legis præfecti.* — *Gorzonũ.* — *Fr Tagliapetra Clodiæ prætor.* — *Mors Ioannis Baptiſtæ Rhamnuſii. 1557.*

Rhamnuſius Graiæ ſplendor Latiæq; Mineruæ
Occidit: aſt longum fama perennis erit.

Cadauer in urbem delatum, in Deiparæ Hortenſis æde, ut teſtamenti tabulis olim iuſſerat, gentilitio ſepulchro a Paulo inſignis pietatis filio, tumulatum eſt. Decemuiri, Phœbum Capellam illius Phœbi ſenioris magni Cancellarii pronepotẽ, optimè de Rep. meritum in demortui locum à ſecretis delegerunt. Curabant interim Veneti Italiæ pacis ſtudioſi, Pontificem, & Columnenſes ab armis retrahere. miſſusque eſt ea de cauſa a Senatu Romam M. Ant. Franciſcius a Secretis, cuius prudentia fœlicem res ſortita eſt exitum. Interea Sanquintinum a Cæſarianis expugnatum, magna Gallorum cęde capitur. ſequuta eſt poſtea pax inter Pontificem, & Philippum Regem, Columnenſibusque uenia data, quorum cauſa diu in Latio armis diſceptatũ fuerat. Prodigiaque eo anno terrifica Romana uidit Ciuitas, Tyberiſque adeò ſubita aquarũ excreſcentia ob continuos imbres intumuit, ut dira alluuione in urbe, agriſq; omnia plena eſſent, ac duobus cubitis altior aqua paſſim diffuſa, portentoſum Catachiſmum fecerit: cuius uiolenta rapacitate, & impetu plurima urbis ędificia collapſa

M. Anto. Frãciſcius — *Not. prodigia.*

lapſa procidere;& in agris rapta cum ſtabulis armenta,ingensq́ue utriuſq; ſexus multitudo ſubmerſa interiit,eandem quoque inundationis uaſtitatem ex Arni intumeſcētia omnis penè Hetruria ſenſit.Fuitq́ue Pauli Pontificatus ad eam uſque diem & bello,& his tempeſtatibus obnoxius.curauit autem ille quantum potuit, pacem componere inter Henricum,& Philippum Reges:miſſiq́ue ſunt ad utrunque Legati Carafa, & Triultius Cardinales,hic in Galliam, ille in Hiſpaniam, ut Regum animis a bello auerſis,Chriſtiana res aliquandiu pacata conquieſceret. Interim Galli poſt cladem ad Ararim acceptam,nouas copias contrahunt, reparatoq; exercitu in hoſtes magno impetu feruntur.

Legati Cardinales.

Venetiiſque hoc tempore Principis coniunx Ducalia magnificentiſſimo apparatu inſignia publicè delata ſuſcepit,renouataque eſt indeſuetæ rei memoria,quę centum ab hinc annis inueterata penè exoluerat: nam à Paſchalis Maripetri Principatu (ut traditur)uſque ad hęc tempora Duciſſa Veneta in urbe uiſa non fuerat.

Duciſſa.

Ingens itaque ad nouum,feſtumq́ue ſpectaculum totius ciuitatis multitudo confluxit. è Dandula autem nobiliſſima familia ipſa orta eſt,Ziliaque nomine appellabatur, patremque habuit M.Dandulum,Iureconſultum,& equitem,uirum inſignem, qui in adminiſtratione Reip. diu uerſatus,ſingularem ſibi peperit apud omnes tum ingenii, tum prudentiæ laudem. Mattheusque hodie Dandulus equeſtris ordinis Duciſſæ frater magna in omnium conſpectu gratia,& authoritate ualet,apparatus autem huiuſcemodi fuit, ad Barbadicas ædes in Geruaſi uico,ubi Duciſſa aderat,Patres frequentes Bucentauro acceſſere,ipſaque Pallio aureo talari amicta, Ducalique infula caput ornatum habens,ingenti matronarum comitatu in apertum proceſſit, exceptaque eſt a Conſiliariis,celſoque Trono media locatur.

Zilia.

M.Dandulus,pater.

Mathæus Duceſſæ frater.

Bucentauroque ad Diui Marci ripam egreſſa per forum innumerabili populi multitudine ſtipatum, media inter duos Seniores conſiliarios, M. Centanum,& Ant. Iuſtinianum inſigni pompa in Ducarium tranſiit. inde, aulæis,ſignis, ramentiſque auri, opifices urbis ferè omnes, ad quos ea cura ſpectat, iudicum tribunalia,per quæ Duciſſa tranſitura erat, mire exornarunt, multitudoq; ingens miniſtrorum aderat,baculos manibus geſtantium,qui e medio di mouebant turbas, & uias patentes,apertaſque reddebant.Paratę quoque de more in propatulo menſæ, ac lautiſſimæ epulæ,& expoſita magni precii eminenti pulpito ſupellex, ubi crateræ, phialæ, ſciphi, abaci,aliaq; multa ex auro, argentoq; uaſa,& pocula ſpectabantur,triduoque publicæ ciuitas lætitiæ, & feſtiuitati indulſit.

M.Centanus.

Ant. Iuſtinianus.

Not. apparatum.

Nec ab inſtituta hiſtoriæ narratione alienum erit edocere,quid Bucentaurus ſit, quando de eo mentionem ſæpe fecimus. eſt igitur apud Venetos Bucentaurus, nauigium maximū, atque ornatiſſimum:nam ſtructura eius ſublimis , columnelliſque frequentioribus culta,auroque a prora ad puppim præfulgida,hoſpiteſque inſignes, aliiq́ue eminentioris fortunæ uiri,qui ad urbem ueniunt,ea nauigii machina a Principe, & patribus officii gratia excipiuntur.Ducaleque ſolium in frontiſpicio, ſuperiori tabulato collocatum eſt,ubi Princeps inter Legatos,conſiliarioſque medius ſublimis reſidet,& circum per ſubſellia ſummus ille patrum ordo maieſtatis, & ſilentii plenus. in inferiori autem contabulato remiges nauigium tonſis agunt; & remulco interdum (dum aquæ in contrarium fluunt)tanta moles trahitur.publicumq́ue erigitur uexillum,& iuxta illud Principis auratum ſcutum.ſummitaſque Bucentauri holoſericum, purpureumve habet opertorium,funibus alligatum,ne uentus rapiat.& ad proram poſitum eſt Iuſtitiæ ſimulachrum,auro fulgens,cuius dextera nudum enſem,læua autem æquilibrium tenet.roſtrumq́ue inſigne prominet,ut nauigii forma conſpectior ſit.

Quid Bucentaurus

Dictaque Bucentaurus,a Bu,quod magnum aliquid ſignificat,& a Centauro,antiquo nauium inſigni. alii Ducentaurum appellatum uolunt , quaſi Ducentorum hominum nauigium capax,ſiue a Duce,quo ille publice uehitur.taliſque pelagi machina inſtituta, ſub Seb. Ziano Principe traditur,in aduentu Federici Imperatoris Barbaroſſæ, anno Domini M.C.LXXVII. dum ille pro componenda pace cum Pontifice, & Senatu Venetias acceſſiſſet. non nulli recentiorem huius nauigii ſtructuram eſſe affirmant , uariæq́ue ſunt opiniones.

Vnde Bucentaurus

Anciliaque hinc,ſeu ſcuta facta aiunt,quibus poſt Principum obitum tota aurea ædes ornatur. In Morinis autem hoc tempore Galli ſub Principis Ghiſæ ductu cum Philippo Rege bellum gerentes,Calectum munitiſſimum oppidum Angli

Ancilia.

Calectum a Gallis captum.

co

cō mari poſitum, armis recepere , quod ſupra ducentos annos Odoardus Britanniæ Rex eius nominis ſecundus,occuparat. Sed in arce recipienda Gallorum uirtus Duce Petro Strocio plurimum enituit: nam quum ea ferè tota aquis, paludibuſque alluatur,intrepido tamen animo Galli milites in ſtagnum ſe armati proiecere, uadoque tẽtato,umblico tenus ſupra aquam extantes,prælium ciebant,tantaque fortitudine uſi ſunt,ut ad deditionem hoſtes faciendam ſubitò compulerint, qui cum ſingulis ueſtimentis abire iuſſi,arcem Gallo tradidere.trecentaque,quod mirum dictu eſt, muralia tormenta capta dicuntur,ingensq́ue alius belli apparatus: precioſæ ad hæc merces in prædam actæ,ac tritici,hordeiq́ue incredibilis copia,cæſique ex Hiſpanis, Britannisq́ue circiter ſexcenti, & plerique alii capti, quorum quinquaginta genere, & fortuna eminentiores in Galliam ad Regem miſſi ſunt. Repenſaque hac uictoria clades,quam ad Ararim paulò antè Gallus acceperat, inde ad Gigneſium caſtris admotis,oppidum atroci oppugnatione fatigatum,a Gallis capitur, quod ſtatim euerſum, ſoloque æquatum eſt. Et dum hæc extra Italiam inimicorum Regum armis geruntur, trepide nunciatur,Othomanum Byzantii ingentem claſſem, & in Cilicia exercitum parare.motuſq́ue is ſuſpicionem Venetis iniecerat, ne Cyprum Turca inuaderet. Ea propter patres ſtatim centum triremium claſſem inſtruxere, cui Thomam Contarenum procuratorem uirum ingenio clarum præficiunt,curaque tuendi imperii in Græciæ ora aduerſus Othomani arma demandata eſt. & uigintiquinque triremium Gubernatores a Senatu creati,qui ſub Contareni Imperatoris auſpiciis rem maritimam adminiſtrarent,unuſq́ue fuit Zacharias Valerius Benedicti. F. qui ſuis ſumptibus triremẽ armare patribus in curia pollicitus eſt,ac ſine ullo ſtipendio operam ſuam in bello obtulit:quo confecto,poſt menſem,ſibi pecunia,quam nautis, militibuſq́ue in ſtipendium erogaſſet,reſtitueretur.generoſitaſque animi in Valerio præclara, memorabiliſque plurimum ab omnibus commendata eſt.Mittitur poſt hæc Melchior Michael Legatus Corcyram, uir magna inter patres authoritate, qui procurator creatus fuit,dum triremem ad deſtinatam prouinciam iturus conſcendit.Muniuntur quoque militum præſidiis Cyprus,Creta, Cephallenia, Zacinthus, atque omnis Dalmatiæ ora.Sed Turcorum claſſis in altum euecta,Aulonæ primùm littus tenuit, inde per Siculum pelagus,Lyguriæ oram petiit.Et Veneti ad Ferdinandum,Imperatorem declaratum,congratulandi publico nomine cauſa Ioannem Capellum equitem,& Ber.Nauagerium, Oratores miſere. Legationem quoque Paulus Teopolus Hiſpanam habuit,qua Philippum Regem adibat,ut cum eo fœdus, ſocietatemq́ue Senatus nomine renouaret. Profectiſque ad Ferdinandum Cæſarem Legatis,Ber.Nauagerius, ut erat eruditione,& facundia inſigni,elegantiſſimam apud eum orationem habuit. Et Galli,quum diu Tonuille oppidum in Morinis obſediſſent, aſſiduiſque illud oppugnationibus fatigarent,poſt longum certamen utraque pars receptui cecinit. Galliſque ductoribus armatis adhuc circa mœnia incaute uerſantibus, ex his Petrus Strocius uir magnis rebus geſtis clarus,tormenti pila ab hoſte omiſſa,capite diſcerpto, interimitur.oppidum tamen non multò pòſt deditione facta, in Gallorum poteſtatem uenit.atque alia regni parte(ut uaria eſt belli fortuna,)Galli ſub Ducis Thermes auſpiciis magna clade ab Hiſpanis profligantur,nouuſque reparatis uiribus ab Henrico Rege exercitus contrahitur,& ferox Hiſpanus auctis copiis dimicandi ſtudio non procul ab hoſte caſtra locauit.ſed Galli dubios,incertoſque Martis caſus(ut ſæpe experti fuerant, reputantes,uerenteſque,ne ſi uicti eſſent, Regnum in diſcrimen adducerent, pugna abſtinuere.eadem quoque Hiſpanos ratio a concupito certaminis ardore reuocauit, in pacatumque utraque pars caſtra retulit. Et Turcorum claſſis per inferum mare in Neapolitani Regni oram profecta,Surrentum oppidum ſubito acceſſu cœpit, & diripuit,ubi præda ingenti mortalium,rerumque facta, quòd diutiſſime belli immunis regio fuiſſet.claſſem inde Turcæ abduxere.Diſcordibuſque aliquandiu animis ab Othomano, Galloque commune bellum geſtum,ſocietatemque, & fœdus penè illi uiolarunt,dum acerbis odiis,contentionibuſque inter ſe certant.ſed barbari regia largitione deliniti,ſolitam in bello operam Gallis amice præſtitere. Magna interim, inſanabiliſque morbi uis Othomani claſſem inuaſit,qua graſſante, plurimi periere, ac infre-

Cædes ad Calectum

Veneta in gẽs claſſis

Th. Contarenus.

Zach. Valerius.

Melchior Michael.

Paulus Teopolus

Tonuille.

Petri Strocii cædes.

Surrentum

Claſſis Turcorũ imminuta

nfrequens turmarum internitione reddita eſt Turcorum claſſis. ſelectiſque ex ea ſexaginta paulò plus triremibus, reliquæ Conſtantinopolim laceræ, attritæque rediere. & Veneta claſſis in Illyrico conſedens, a Barbarorum in curſu maritimam oram tuebatur, tumultuatumque hoc tempore in Brixienſi fuit, ex Cremonenſium iniuria, qui fluminis Olii ripas, ueteribus colonis eiectis, ſibi uſurpare nitebantur: hinc ad rixas primùm, poſtea ad arma recurſum, & Brixienſes, ut fluminis fines intacti manerent, ex quo agri ſui uberes, feraceſque redduntur, magna auri profuſione mercenarii milites ad ſua ſtipendia euocantur. Cremonenſes quoque copias contrahunt, ut controuerſias uterque populus ſuas armis diffiniat: uerùm ne bellum oriretur, & Philippus Rex, & Venetus Senatus ſuos ab armis edicto reuocarunt, ac per arbitros controuerſiam amicè ob utriuſque populi indemnitatem expediendam curauere. a Venetis igitur arbitrer, Dominicus Bollanus Brixiæ prætor, & a Philippo Ioannes Anguſola Mediolanenſis Senator datus fuit: neque tamen lis paucis his menſibus, quibus Bollanus præturam adminiſtrauit, dirimi potuit. accidit autem, ut quum Cardinalis cognomento Durante, Brixiæ Epiſcopus uita his diebus functus eſſet, Paulus Pontifex Maximus in Senatus gratiam a Venetis patritiis quempiam in demortui locum cupiens ſubſtituere, qui & integritate uitæ & prudentia foret maximè præditus. poſt annum tandem ab Epiſopi interitu diuino inſtinctu, afflatuque impulſus, in eam deſcendit ſententiam, ut Dominicum Bollanum equitem Fr. F. Brixiæ tunc præturam agentem, cuius uirtus uno omnium ore prędicabatur, eiuſdem ciuitatis Epiſcopum declararet: ac ne tantum onus, quod eius humeris tunc imponebatur, Bollanus detrectare ullo modo poſſet (compertum enim habuerat Pontifex, nullam Eccleſiaſticam ab eo unquam fuiſſe ambitã dignitatem) ſcripto Apoſtolico, quod Breue appellant, utque ego uidi, perlegique, ad id munus alacri animo ſuſcipiẽdũ adigitur, ut in uirtute. ſ. ſanctæ obedientiæ diuinæ uoluntati acquieſcens, colla iugo Dei ſupponeret, & Brixienſem Eccleſiam regendam, adminiſtrandamque ſuſciperet. his itaque rebus Romæ peractis, & ſtatim per litteras Al. Mocenici equitis Oratoris tunc apud Pontificem Maximum Senatui ſignificatis, tabellarius eadem nocte, qua Venetias cum litteris peruenerat, diſceſſit, ac Brixiam uerſus magnis itineribus profectus, urbem ingreditur, feſto palmarum die, quo ab Eccleſia decantatur, Benedictus qui uenit in nomine Domini. allatoque hoc gratiſſimo nuncio Brixienſes tabellarium maximis muneribus donarunt. hac uerò præter ſpem dignitate auctus Bollanus, ſe ſtatim prætura, publicoque munere abdicauit, nondum tamen ab omnibus difficultatibus, quæ ſub ſe prætore ortæ fuerant, penitus explicare ſe ſe potuit: nam Senatus litteris, Brixienſiumque precibus, qui hoc ab eo enixe efflagitabant, adductus, licèt hoc munus, quum præturam, magiſtratumque amplius non gereret, diu recuſaſſet, ad locum tamen, de quo erat controuerſia, cum Anguſola, ut ſupra memorauimus, profectus eſt, atque ex ambarũ partium ſententia rebus compoſitis, Brixiam reuerſus, ſacris initiatus fuit, qua in urbe ob ſingularem eius pietatem, ſapientiam, liberalitatem omnibus æque charus eſt, & in cunctorum oculis uenerabilis habetur, maximaſque continuò Senatus Pontifici de hac Bollani ad Brixienſem Epiſcopatũ aſſumptione gratias per litteras egit. Atque alia Veneta in urbe non minor controuerſia inter Henrici Galliæ, & Philippi Hiſpaniæ Regum Oratores oborta eſt. uterque. n. principum ſuorum potentiam dimetiens primum, & honoratiorem locum publicè apud Principem, Senatumque ſibi exhiberi poſtulabat. diuque id patres decernere recuſarunt, quum ad Pontificem hæc ſpectaret cognitio, nilque ex antiqua, prioreque conſuetudine, & quod omnium memoria ſemper obſeruatum fuerat, a Senatu immutatum eſt. reuocauitque Philippus Rex Oratorem ſuum ex Veneta urbe in Hiſpaniam. Nec multò pòſt dum Othomanica claſſis circa Corcyram conſediſſet, inde poſtremò uelis datis in Helleſpontum abiit, & Veneta claſſis cum Imperatore domum reuocatur. atque ut maria prædonibus purgarentur, qui circa Cretam, Cyprum, & Syriæ littora rebus noſtris grauiter infeſti erant, quattuor Veneti maiores triremes armandas curarunt, earumque Ducem legere Vinc. Iuſtinianum uirum a primis ferè annis naualibus ſtudiis innutritum, tres quoque præfecti ſingulis triremibus adduntur, hi autem ex patritio ordine maritimas ar-

Not. de finibus controuerſiá.

Dom. Bollanus. Ioan. Anguſola.

Dom. Bollanus Brixiæ Epiſcopus.

Breue.

Al. Mocenicus.

Compoſitio de controuerſia.

Cõtrouerſia de præcedentia.

Vinc. Iuſtinianus.

tes

tes callentes fuere, Aloyſius Rimondus, Laur. Piſo, & M. Delphinus. expeditio hæc tamen eſt intermiſſa, nullibi naualium armorum toto mari tunc temporis obſtrepente tumultu. ſolus Turca arma terreſtria magno ſtudio parabat, bellumque Ferdinando inferre uidebatur, ad Viennæque oppugnationem totas Regni uires Solymanus intenderat, magni que ob id in Byzantio belli apparatus erant, atque ex Thracia, Armenia, Cilicia, Cappadocia, Meſopotamia, militum delectus habebantur. claſſis quoque, euocatis ab Euxino, Græciæque littoribus remigibus, nautiſque, ualidiſſima inſtruitur, ut primo ſtatim uere, omnia ad deſtinatam expeditionem parata eſſent. reuerſique ſunt per hos dies ex Auſtria legatione Veneti oratores, ex quibus Ber. Nauagerius ob præclaras animi dotes equeſtri dignitate a Ferdinando decoratus fuit, torquemque inſignem centum auri pondo dono ab eo accepit: & Capellus alter Legatus duodecim pateras decem talentorum precio habuit. Interim quum diu inter Henricum, & Philippum Reges terra, marique bellatum eſſet, ac per uarios, æqualeſque propè Martis caſus Gallica, Hiſpanaque res agitaretur, pax tandem honeſtis conditionibus ſequuta ab armis utrunque Regem reuocauit. & Turcorum claſſis primo uere ex Helleſponto egreſſa eſt, terreſtres quoque ingentes copiæ emiſſæ. libet quum de Turcis mentionem ſæpe facimus, eorum originem, ac admirabile incrementum paucis hoc loco memorare, ut cognoſci poſſit, quo nam modo Barbara, & infidelis gens in lucem per armorum gloriam emergens, ad tantum imperii faſtigium peruenerit, quod hodie adeò late patet, ut quicquid ad Orientem immenſo cæli ambitu obtegitur, dominatorem ampliſſimis terra, mariq́ue finibus Othomanum habeat. eius autem humilia, obſcuraq́ue, ut ſcriptores tradunt, fuere initia: nam a Caucaſi, ſiue Caſpii montium rupibus ea gens ex Scytarum orta genere, primùm in Perſidem, & Mediam tranſcendit, ibique latrociniis addicta per multos annos ſine egregio fuit nomine: paulatim autem uiribus auctis, ad Helleſpontum uſque Duce Bochano uiro audaci, & Bellicoſo penetrare auſa eſt. Coſdroeſq́ue Perſarum Regis Turcæ militiam ſequuti, magna fortitudinis exempla bello ædidere. è Perſide poſtea egreſſi Ciliciam armis occuparunt, diuque cum Armeniis, Sarraceniſq́ue bellarunt. uictorq́ue Turca anno Domini octogeſimo ſupra milleſimum utranque gentē ſubegit. inde temporum ſucceſſu coniuncti, Mauris, Sarracenis, Syris, Arabibus, eiuſdem generis, ſectæq́ue populis, Turca in Chriſtianos, qui in Orientem ad Maomethanum delendum imperium tranſcenderant, uaria fortuna pugnarunt. eiectis poſtea ex Aſia Chriſtianis, Turcorum nomen toto orbe celebrari cœpit. nam Sarracena gens, cuius ſub Saladini auſpiciis in Chriſtianos clara geſta fuere, maiori imperii parte ſpoliata, poſt Orientale bellum, primum Turcis locum facile conceſſit: hisque magnus poſtea rerum ſucceſſus fuit. debellatique ſunt Thraces, Cilices Cappadoces, Meſopotamii, uſque ad Euphratem, & Tygrim fluuios. Tauri quoque & Amani montium Accolæ ſubacti, in Parthorum poſtea Regem Vſſoncaſſanum proſpere pluries Turcæ pugnarunt. Sed paucis interiectis diebus, eos Thomyris, qui uulgo Tamberlanus appellatur, in Aſiam cum magna Tartarorum multitudine deſcendens ſuperauit, Bayſetheq́; Regem captum, in contumeliam, ac ludibrium cauea incluſum diu tenuit. Vnus tamen Othomanus Turcorum potentiam mirifice auxit, conflixitq́ue cum Melech, Laſeraph Sultano, magnaque ædita cæde, neutro fortuna inclinauit, Inde ultra Tanaim, Bolgam, Boryſthenemq́ue & Hircanum mare, ubi Nogays Aethiopum rex imperat, Othomanica arma peruenere, omniaq́; ad extremas usque Orbis metas, Orchanes, Morbaſſanus, Amurathes, bellicoſi Reges breui tempore edomarunt. Aſiaque penè omni ſubacta, Momethus terra, mariq́ue Byzantii expeditionem ſuſcepit, urbeq́; illa anno Domini, M. CCCCLII. expugnata, Greciæ imperium, per Conſtantini Paleologi Principis, Chriſtianæq́ue gentis cædem ſibi fœliciſſimè aſciuit. Moſcouitaſq́ue tributarios fecit, qui inter Sarmatas, Scytas poſiti, non procul Ripheis montibus recedunt. extenduntur que ſupra Tanais fontes, uſque ad Hiperboreos, & Oceanum glacialem. nec minora Bayſethi filii terra, marique bellica fuere facinora, qui Myſſiam, Thraciam, Macedoniam, & Peloponeſſum deuicit. ſub ſequutus eſt Selim Sach, maximus Imperator, cuius armis Sultano Memphitico de bellato,

Præfecti triremis.

Ber. Naua gerius eques.

Pax.

Turcorū origo, & geſta.

Bochanus

Saladinus

Tamberlanus.

Nogays.

Conſtantinopolis capta quo anno.

Moſcouitæ.

Selim Sach

Solymanus.

bellato, Aegyptus, Syriaq; latiſsimæ prouinciæ ceſſere. Solymanusque hodie filius, magnam Pannoniæ partem in Turcorum poteſtatem redegit, uerſisque in Sophenum Perſarum Regem armis, uaria fortuna cum eo bellum geſſit. uiarumque aſperitate multa paſſus eſt Solymanus incommoda, periitq; magnus Turcorum numerus, tum Perſarum armis, tum commeatus inopia, quum illi per uaſtas ſolitudines hoſtem fugitiuũ inſequuntur. uerè autem illud affirmari poteſt, quod & deplorandum eſt, ſeditiones, & bella principũ Chriſtianorum, quæ longo tempore inter eos deſæuiunt, maximam Turcis commoditatem præſtitiſſe, ad propagandam eorum terra, marique ditionem. addo etiam ad hanc ſuam fœlicitatem militaris diſciplinæ rationem, quam Gens illa exactiſſimè tenet. nec ab re fuerit, de ea in medium pauca afferre. primùm omnium quum belli gerendi tempus inſtat, equitum, peditumque ingens conflatur exercitus, in quo uaria armatorum genera cenſentur, equitesque ad octuaginta millia præſtanti uirtute Othomanica ſigna ſequuntur, Thymarcinique hi Turcica lingua appellantur, hoc eſt, Stipendiarii. nam prædia, uillas, agros, Caſtellaque, ut quiſque meritis præſtat, Regis indulgentia poſsident, ſtipendii, & mercedis loco. feroxque hoc bellatorum genus in præliis habetur, quibus duo Sanzachi, Latino idiomate præfecti, unus Aſiæ, alter Europæ cum ſumma poteſtate præſunt. In equitatus numero ſunt & Aconyzæ ſine ſtipendio Regi militantes, ſemperque agmen præcedunt, furacesque, & prædabundi in hoſtium res graſſantur, raptoque uiuunt. ſunt & Charippi, Spaigliani, & Soluphtati: ſed horum Charippi præſtantisſimi ex Scytis, Perſiſque militiæ aſcripti, pugnantque in conſpectu Regis, dum opus eſt, inſigniter. peditatus uerò triplici acie inſtruitur. primùm Ianizari ordinem tenent, hi impuberes, ac forma, habitudineque corporis præſtantes è Chriſtianorum prouinciis bello rapti, militarem artem a pueris addiſcunt, in pugnacisſimosque euadunt bellatores, ac quicquid unquam a Turcis bello partum eſt, horum uirtute quæſitum fuiſſe Othomanus gloriari poteſt. amiciuntur autem Ianizari breuiori ueſte, & pileo albo, ſurſumque erecto, ac poſt occiput demiſſo; ſcuto, enſe, arcu in præliis utuntur: urbes oppugnant, caſtra muniunt, omniaque militaria munera impigre obeunt. In ſecundo poſiti ordine Aſapi, imbelle hominum genus, rubeo pilo a Ianizaris diſcreti, enſe, longiorique haſta armantur, in præliisque hoſtium equos confodiunt, cæſosque ſpoliant. Poſtremò Spai uoluntariorum, ac euocatorum ingens turba, hisque calones, & lixæ immixti ſupra ducenta armatorum millia exercitum conficiunt. Comitantur caſtra uaria opificum genera, laniſtæ, cerdones, trapezitæ, caupones, ſcorta, atque alia id genùs hominum ingens manus, & colluuio, ne quid in tanto copiarum numero deſit, quod earum uſui conducat. Sed una in ea gente præcipua laus, imperii ſcilicet exactiſſima obſeruatio, qua Turcæ omnes alias nationes facile ſuperant. hi uorticoſa, & profunda tranant flumina, abruptos, inacceſſosque ſcandunt montes, non armatas horrent acies, non machinas, non ferrum; inediæ, æſtus, frigoris, tolerantiſſimi ſunt, uereque Romana priſca illa in Turcorum gente militaris diſciplinæ ratio uiget. nil mirum igitur, ſi res eorum florentes ac admirabili incremento indies tantum ſuccreſcere uidemus, quantum paucis ab hinc annis alterius ullius nationis, quæ ſub cœlo eſt. Poteſt tamen id genus hominum uſque eo dici inuictum, quoad Principes Chriſtiani cæca rabie inter ſe diſſident, nec ſocia inuicem coniungant arma. Rege uerò cum exercitu in bellum proficiſcente, unus ex aulæ primoribus, quos Baſſas barbari appellant, ſummæ rei præficitur, cunctaque donec Rex abeſt, ipſe adminiſtrat. Viſirque appellatur. omnium autem celeberrimus, nominatiſſimusque noſtra memoria in conſpectu Solymani fuit, Ibrayn ex Acharnania Pargæ uico humili natus, cui tãtum Rex poteſtatis, iuriſque permiſerat, ut opulentiſimum prope ſolus ille Imperium gubernaret, ac nulla fermè hora a mutuo conſpectu uterque abſcedi poterat. Regis itaque incredibili amore comparato, ac maximis opibus aggregatis, inter Othomanam gentem Ibrayn diu cum Regia poteſtate floruit: in Aulicorum poſtea inuidiam incurrit, quorum delationibus factum eſt, uti in affectati regni ſuſpicionem, quòd Chriſtianos nimium coleret, apud Solymanum uenerit. Quare priſtinę beneuolentiæ memoria deleta, miſſo ſpiculatore in cubiculo in tempeſta nocte Ibrayn dum alto ſomno preſſus obdormi-

Ghymarcini. — Sanzachi. — Aconyzæ — Charippi. — Ianizari. — Aſapi. — Spai. — Not. copiæq; numerum. — Ibrayn.

obdormitaret, Regis iuſſu fœdè iugulatus eſt. & Ruſten Solymani Gener defuncti Ibrayn loco ſubſtitutus. cuncta unus hodie in tanto imperio regis nomine moderatur. & hæc de Turcis.

Ibrayni cædes. Ruſten.

Venetorum autem quum hæc commentaremur, amplum terra, mariq́ue erat imperium: nam in Italiæ ora complures inſignes urbes, aliaq́ue multa in montanis, in planicie, littoraliq́ue tractu oppida Veneto nomini parebant: mari uero præter Hiſtriam, Dalmatiam, Illyricum, atque Epyrhi partem, Corcyra, Cephallenia, Zacinthus, inſulæ nobiliſsimæ, & in Aegeo Creta, & in Carpathio Cyprus, duò opulenta Regna ſub Veneta ditione erant.

No. Venetorum ditionem.

Quo quidem tempore tres ſummi orbis Principes, Carolus Cæſar, Henricus Gallorum Rex, & Solymanus Turcorum Imperator ampliſsima in Aſia, Aphrica, Europaq́ue imperia poſſidentes, arma terra, mariq́ue miſcebant. iiſque inuicem bello digladiantibus Veneti ſoli inter tot armorum fragores pacate agebant, eorumq́ue a cunctis Regibus, gentibus, populis, ſocietas, amplis propoſitis conditionibus, expetebatur. tanta enim erat apud omnes Principes Veneti Senatus authoritas, & exiſtimatio, ut in eam partem uictoria inclinatura uidebatur, cui Veneti coniuncti armis adhæſiſſent. At illi fœdere cum omnibus pie; ſanctéq́ue ſeruato, pacis ſtudia nemini Principum iniurii conſtantiſſimè coluere.

Nota.

Creaturq́ue hoc tempore apud Venetos Archiſcriba maximus Ioannes Franciſcus Othobonus, uir ex ciuium ordine, generis nobilitate, ingenio, & memoria clarus, qui diu a ſecretis apud decemuiros Reip. inſeruiens, ſingularem tum optimi, tum ſolertiſſimi uiri tulit laudem: tâtaq́ue excellebat memoria, ut quicquid Principum Legati in curia patribus exponerent, ipſe poſtea, ne ullo quidem uerbo omiſſo, quæ audierat, perſcribens, fœliciſſimè repeteret.

Ioan. Fr. Othobonus.

Deceſſereq́ue per hos dies è uita uno eodemq́ue fermè tempore Carolus Imperator, atque eius nurus Maria Philippi filii uxor, Britanniæ Regina: nec multò pòſt Reginaldus Cardinalis Pollus, natione Anglus, uir litterarum, ac ſapientiæ ſtudiis præſtantiſſimus. Heliſabethq́ue ſororis defunctæ loco, quum maſcula ſtirps nulla ſupereſſet, Britanniæ Regina ab uniuerſo populo ſalutatur: ſtatimq́ue (ut liberos procrearet, ad unum ex regio in patria ſanguine Principem nuptura animum adiecit. prius tamen Philippus legatione miſſa tentauit, Heliſabeth ad connubium ſecum iungendum pellicere, ut per nuptialis thori renouationem Britanniæ Regnum in Hiſpana gente confirmaret, quod, Maria priori uxore uiuente, per aliquot annos, ut ſuperiori libro expoſitum eſt, ſumma cum gloria tenuerat. Sed illa Hiſpanum nomen, Principemq́ue alienigenam auerſata, è ſua natione uirum deligere curabat, qui ſummæ rei preeſſet, atque ita Philippus Britanniæ Regno excidit, dum Hiſpana illa reſpuit connubia.

Caroli Imperatoris mors. Heliſabeth. Britanniæ Regina.

Cæterùm nouum Heliſabeth Regnum adepta, ſtatim petulans mulier in hæretica labe fouenda, Henrici patris ſequuta eſt ueſtigia: nam Miſſarum, concionumq́ue ſolemnia catholico ritu celebrari non permiſit, impiaſque, & damnatas ſuperſtitiones, cerimoniaſque inſtituit.

No. hæreſim.

Data eſt enim omnibus poteſtas ea religionis dogmata ſequendi, ad quæ proprio motu animi inclinarent. peſtiferumq́; hinc ortum eſt in Eccleſia Dei diſſidium, & ſchiſma, totumque Angliæ Regnum uirus illud infecit; quod utinam latius non ſerpat, quieſcatque aliquandiu ab hæretica prauitate Chriſtiana Religio, in qua diuina nimirum humanis actionibus adeſt prouidentia, idq́ue ex huius facti ſucceſſu manifeſto apparet.

Angliæ hæreſis.

Quem commemorabo: nam quum ex Mugla Hiſtriæ oppido, duo puerilis ætatis inopis parentis filii eius iuſſu parua Cymba piſcatum iuiſſent, atque hi iactis anchoris, ut fit, ſcapham tranquillo pelago firmaſſent, oborta ſubitò magna uentorum rabie, ac ſæua, ingentiq́ue tempeſtate, fractis retinaculis, ſcapha in altum abripitur; puerique in ea ſoli conſilii inopes, ſine remis, ſine gubernaculo, turbato, ac procelloſo mari iactabantur; totaq́ue die, ac inſequenti nocte nauicula tempeſtuoſiſſimis agitata fluctibus, incerto curſu medio pelago errauit, circumplexiq́ue ſe ſe inuicem, pueri ineuitabile naufragium, mortemq́ue ob oculos lamentabantur. alto tamen his ſomno preſſis, qui ſenſim medio tempeſtatis horrore irrepſerat, è ſummo cœlo ſtatim auxilium affulſit. Nam tumidis, ſæuiſque fluctibus ſuperatis, nauicula diuina ope per centum, quinquaginta paſſuum millia ad Veneta littora, iuxta portum incolumes pueros adduxit; qui rem totam magna cum audientium admiratione enarrarunt. Adiiciebantq́ue in horrida il-

Nota miraculum.

la maris tempeſtate, per obſcuram noctem ſe ſe ueluti deambulantis, diſcurrentiſque cuiuſpiam per nauiculam, ſtrepitum perſenſiſſe: creditumque eſt, Deorum aliquem extitiſſe, qui a cœlo miſſus, ab imminenti naufragio pueros liberaſſet.

Pax inter Henricũ, & Philippum.

Et Venetiis pro pace inter Henricum Galliæ, & Philippum Hiſpaniæ Reges ſequuta, unius diei ſupplicatio publicè decreta eſt, per forumque religioſa pompa tranſiens, incredibile, ex auro, argentoque uaſorum ſpectaculum præbuit. deferebanturque ea altis contignationibus manu factis, tanto numero, ut ciuitatis opulentiam omnes admirabundi obſtupeſcerent.

Legati Veneti.

Creatiq; ſunt poſtea a Senatu duo Oratores, Ioannes Capellus, & M. Ant. Amulius, qui tum Veronæ præfectus erat, ille in Galliam, hic in Hiſpaniam, ut publico nomine congratulationem pacis cum Regibus agerent: nam, ut pax diuturnior, ſanctiorque eſſet,

Nota nuptias.

Henricus Iſabellam filiam Philippo Regi coniugem dedit, & Margharitam ſororem Hemanueli Duci Sabbaudiæ, cui Principatus Gallorum armis iamdiu ſubactus, ab Henrico dotis nomine reſtitutus eſt, atque ita per nuptiarum lenocinia Reges deliniti, pacem inter ſe perpetuam firmarunt. ex Legatis autem Ioannes Capellus in itinere ob æſtiuos calores febri correptus, Pariſiis diem ſuum obiit, publicaque funeris pompa a Rege decoratus fuit.

Io. Capelli mors.

Et claſſis Veneta ſub Legato Pandulpho Contareno, dum maria perluſtraret, circa Dyrrhachium ſeptem Pyratarum biremes obuias habuit, quæ aliquot noſtrorum nauigia paulò ante intercepta oppreſſerant. ad eam igitur iniuriam ulciſcendam Legatus conuerſus, ſæuiſſimos prædones diu toto mari inſectatus eſt. Illi autem in Dyrrachii portum, ne in Venetorum manus inciderent, ſe ex alto recepere,

Not. Pandulphi Cõtareni factum.

in quos tamen Venetus claſſe ad urbem admota, impetum fecit, & oppidani ad uim arcendam erecti, arma ſtatim capiunt, ut biremibus, pyratiſque auxilio ſint. Ea propter Contarenus ira percitus armis rem gerere ſtatuit, oppidumque aggreſſus, tormentis, miſſilibuſque infeſtat; crebriſque ictibus ingens murorum ruina facta eſt,

Moſchea.

collapſaque Moſchea corruit, ubi plurimi ex Turcis tam maris, quàm fœminæ periere: quare territi omnes ex urbe effugere cœperant: nulla autem maiori ui illata, Contarenus inde claſſem abduxit. Senatus tamen, quia pacem cum Solymano habebat, quam nullo modo uiolare ſtatuerat, Contareni factum damnauit, eumque ſtatim abrogata dignitate è claſſe reuocandum cenſuit, atque in eius locum

Chriſt. Canalis.

Chriſt. Canalis ſuffectus eſt. & Solymanus ubi cognouit, nulla habita mutuæ ſocietatis ratione, tam temerè Venetum in res ſuas ad Dyrrachium infeſta claſſe impetum feciſſe, magno animi furore commotus, armis iniuriam uindicare ſtatuerat; ſed domeſtico bello implicitus, a ui in præſentia abſtinuit. nam filii Selyn, & Bayſethes,

Selyn, Bayſethes

Solymano patre iam annis confecto Regni cupidine accenſi, in armis erant, illudque uterque per cædem, & ſanguinem ante patris obitum ſibi aſſerere tentabat. Innumeris itaque equitum, peditumque copiis contractis, ad conferendas manus inimici fratres in aciem deſcenderant. fauebat autem Selyn maiori natu filio Rex Solymanus, & Bayſethi partes militum uulgus, & ſelecti bellatores ſequebantur. nam Bayſethes ob amabile ingenium, regalemque animum Turcorum primoribus, & multitudini perquàm charus erat: Selyn contrà immitis, aſper, ineptuſque ad omne regium munus, tãto imperio indignus a cunctis habebatur. contentus tamen ipſe paterno fauore, certam ſibi uictoriæ ſpem animo ſpondebat. Galeonumque hoc tempore immenſæ magnitudinis nauigium, quod maximis Veneti ſumptibus, ad arcendas Pyratarum incur

Aloy. Bono.

ſiones ædificarãt, cuius præfectus Alexander Bono uir maris ſtudiis clarus, nuper creatus fuerat. dũ ſex paſſuũ millia ab urbe in anchoris ſtaret, ſuborto primis tenebris ingẽti, uiolẽtoq; turbine, naualis magiſtri imperitia, qui illud (ut fertur) parũ exacta rõne fabricarat, abſorptũ mari mergitur, nullaq; poſtea arte, ui, & ingenio è ꝓfundo ex-

Galeoni naufragiũ

trahi unquã potuit, incredibiliſque tormẽtorũ, bellicique apparatus iactura facta eſt. Poſt hæc litteris, nunciiſque certioribus cognitum, Solymani filios, quos ſupra memoraui, uiuẽte patre, de Regno inter ſe diſſidere, magno prælio in Aſia ad Iconium Lycaoniæ urbem dimicaſſe, in quo poſt atrociſſimum unius diei, & inſequentis noctis certamen,

Bayſethi clades.

Bayſethes fuſus, profligatuſque, in Amaſiam Cappadociæ urbem duobus uulneribus ſaucius cum quingentis tantum equitibus profugit. cecidereque ex utroque exercitu ad quadraginta armatorum millia. ciuiliſque tunc primùm in Othomana

gente

Bayſethi fuga ad Sophenũ.

gente ſanguis in acie effuſus. Bayſethes autem poſt pugnam ad Sophenum Regem in Perſiam ex Amaſia ſe contulit, excipiturque ab eo magnis honoribus. gentisque bellicoſæ auxilio reparatis uiribus, iterum in patrem, fratremque ferox iuuenis arma induit. At Solymanus publico edicto propoſito, ingens aurum, atque ampla iis præmia obtulit, qui Bayſethi filii abſciſſum ad ſe caput detuliſſent. hanc inhumanam cæcare gnandi cupiditas in animis mortalium feritatem ingenerat, in tantumque furorem prolabitur, ut poſthabito Deorum metu, neglectaque omni pietate, in pignora ſua genitorũ (proh dolor) ſæuire cogit.

Ludi equeſtres in Gallia.

Et in Gallia in Regiis nuptiis celebrandis, magnificentiſſimi diuerſi generis ludorum apparatus, haſtarumque certamina per dies octo magno populi, finitimarumque gentium concurſu Pariſienſi in urbe celebrata ſunt. Rexque ipſe Henricus equeſtri ludo clariſſima fortitudinis exempla ædidit: nam plures concertatores equo deiecit, ipſe nouiſſime haſta de mutuo concurſu a Scoto quodã regulo capite diſfracta caſſide ſaucius, nõ multos poſt dies magno totius Galliæ mœrore ex eo uulnere uita deceſsit: interruptæque ſunt domeſtica clade ſplendidiſſimæ nuptiæ, ſolemneſque ludi, & triumphi, qui iam (ut regalem decebat maieſtatem) parari cœperant, uerſaque omnia in luctum. ſic Fatis in rebus humanis læta, triſtiaque uaria commutatione miſcentibus.

Henrici Gallorũ Regis caſus.

Henrici Regis caſu per uniuerſum terrarũ orbem uulgato, nõ defuere, qui dicerẽt, talem illi uitæ exitum meritò contigiſſe, ꝙ diu Rex cũ Turcis arma conſociaſſet; in fœdasq; ob id clades populus Chriſtianus incidiſſet, quum uiri, ſenes, pueri, uirgines, infinito propè numero in miſerrimam ſeruitutem a gente barbara traherentur; plurimique ex his inter nauigandum fame, ſiti, pedore enecti, in infimisque carinis conſtipati, infœliciſsime perierint.

Noc. cptiuorum internetionem.

Fráciſcus II. Gallorũ Rex.

ſucceſsit in ampliſsimo Regno patris loco Franciſcus filius eius nominis I I. ſextumdecimum ætatis annum agens; ad quem Veneti duos Oratores congratulandi cauſa deſtinarunt, Ber. Nauagerium, & Nic. a Ponte, qui paucis antè diebus è prætura Patauina ad urbem uenerat. iſque ob rectam, prudentemque adminiſtrationem fuit Patauinis omnibus æque chariſſimus: nullæ enim rei in eo magiſtratu defuit, Prætorium ædificauit, montem Charitatis erexit, ad quem inſtituendum octo aureorum nummum millia, uno prope die a ciuibus expreſſit, eo nomine, ut frumenta his pecuniis opportunis temporibus coemerentur in totius ciuitatis commodum, quæ ſæpe annonæ penuria ob anni, cœlique in temperiem, aliosve fortunæ caſus, laborabat.

Nic. Pontii laus.

unde gratiſſima ciuitas Pontium, tanti muneris authorem, oratione publicè a Iulio Sperone habita laudatum magno optimatum, plæbisque plauſu uexillo aureo donauit, cum hac inſcriptione, Fundatori perpetuo Charitatis. nec multos poſt dies Priolus Princeps, quum Ducatui triennio paulò plus præfuiſſet, è uita deceſſit, & funebri oratione a Leon. Iuſtiniano Laur. F. in ampliſſimo Gemellorum templo, ubi inferiæ celebrabantur, laudatus eſt. elatum eum poſtea ad Dominici ædem auitis tumulis ſui condidere.

Prioli P. mors.

Hie. Priolus Dux 73. an. D. 1558.

Eliguturq; in demortui locum Princeps Hier. Priolus eius frater, maior natu, Procurator de ultra, uir præter egregiam formam corporis, multa liberalitate, ac miti clementiq; ingenio. Hisdem quoque diebus & Romæ Paulus Pontifex moritur, quem tanto odio omnes in urbe proſequebantur, ut quod in uiuum non potuerint, in defunctum crudeliter perficere conati ſunt. nam in eius cadauer uiolentas manus iniicere tentarunt, illudque dilaniare, inhumatumque relinquere furibundus populus omnino ſtatuerat. id quod Cardinalis Neapolitanus defuncti Pontificis neceſſarius ueritas, ſcrobem ſtatim intempeſtæ noctis ſilentio ingentem in Diui Petri templo effodi mandauit, in quam Pontificis corpus ſine ullo funeris honore proiectum, humatumque ab imminenti periculo liberauit.

Not. Pop. Rom. in Paulum Pont. odium.

illud tamẽ a furenti populo factum eſt, quod marmoreã Pontificis ſtatuã, quã Romani ciues, antea ob tributi cuiusdam remiſſionẽ illi grato animo in Capitolio erexerant, cæſim comminutam ad explendum odium in Tiberim deiecit, ut memoria eius deleretur: inquiſitionisque locum incendit, magna cum Aulicorum cæde: & Cœnobiũ religioſorum opulentisſimum, quod eſt ad Mineruã, parum abfuit, quin armatæ plæbis furore eueteretur. ingens tumultus excitatus, maximo totam urbem terrore replebat. Sed euocata militum ſub Aſcanio Corneo Duce præſidia ſtatim affuere, quibus omnis populi motus compreſſus eſt. Et Cardinales ſedato tu-

Aſcanius Corneus.

multu in Vaticanum ad noui Pontificis creationem conuerſi ſe recepere, diſpoſitiſque circa conclaue præſidiis, ne quis tumultus in perturbata ciuitate oriretur, Pontificia comitia habita. Deceſsitque his diebus è uita Hercules Dux Ferrariæ, huius nominis

Alphon. Dux Ferrariæ. Phil. Mocenicus.

III. Alphonſumque filium maiorem natu opulentisſimi Ducatus ſucceſſorem, hæredemque reliquit. Et Sabbaudiæ Regulus Hemanuel ad ſuum in Allobrogis Principatum ex Hiſpania rediit, ad quem ſtatim a Senatu Philippus Mocenicus claro ingenio patritius Orator delectus eſt, ut Principatum antea ab Henrico Gallorum Rege ex nuptiali pactione, ut ſupra memorauimus, illi reſtitutum, publico nomine congratularetur. Inimicæ quoq; claſſes Othomanica, & Hiſpana diu toto mari euagatæ

Tripolis

ſunt: nam ad Tripolim in Aphricæ littore oppugnandam ingentem Philippus Rex naualem apparatum emiſerat. Turca quoque inſtructisſima uiris, armiſque claſſe in altum prodiit, ad inhibendos Chriſtianorum conatus. Sed quum nulla bene gerendæ rei occaſio oblata eſſet, per brumales dies utraque claſsis in hyberna conceſsit. Et Vicentio Diedo Venetiarum patriarchæ uita functo ſucceſſor a Senatu datus eſt Di-

Io. Triuiſanus Venetiarum Patriarcha.

ui Cypriani Abbas ex Triuiſana familia, Ioannes nomine, uir ſacrarum litterarum, ac uitæ innocentia clarus. Et ad Alphonſum Ferrariæ Ducem decreta eſt a patribus legatio, ut congratulationis publico nomine munus ageretur, de nouo ad eum Principatu hæreditaria ſucceſsione delato, qui etiam nuper cum Coſmo Florentiæ Duce affinitatem contraxerat, Lucretia eius filia matrimonio ſibi iuncta, puellaque per illos dies Ferrariam ad ſponſum uenit. Et Oratores, quos ad Ducem Alphonſum Veneti deſtinarunt, duo claro ingenio, & uirtute patritii fuere, Iacobus Surianus, & Lazarus

Iac. Surianus. Laz. Mocenicus. Sforcia Palauicinus Gubernator. M. Foſcolus. Lex ſumptuaria. Al. Amulius. M. Foſcolus.

Mocenicus, qui inſigni comitatu, cultuque in eam legationem profecti ſunt. Et Patres Sforciam Palauicinum genere Inſubrem uirum militari gloria inſignem, qui peditatus præfecturam gerebat, Gubernatoria exercitus poteſtate largo ſtipendio inauctorarunt, eiusq; diſciplina bellica res apud Venetos præclare adminiſtrata eſt. Domi etiã quum nimio luxu ciuitas ex longa pace opulenta laſciuiret, Marco Foſcolo uno ex ſecundi ordinis in collegio præconſultoribus rogationem ferente, ſumptuaria in Senatu lex lata eſt, qua immodicæ in mundis muliebribus, in conuiuiis, in ſympoſiis, peregrinis, & prouincialibus magiſtratibus expenſæ coercebantur, Duumuirique ad eam rem curandam creati ſunt, Al. Amulius, & M. Foſcolus, legis auctor, qui luxuriantes, corruptoſque Ciuitatis mores ſua ſolertia magna ex parte ſanarunt. Et Romæ poſt longam quattuor circiter menſium de eligendo Pontifice inter Cardinales animorum diſſenſionem, Cardinalis demum ex illuſtri Medicea fami

Pius IIII Pontifex Max.

lia, gente Inſuber, Pontifex creatur, & Pii IIII. in illo altiſſimo apice ſibi nomen aſſumpſit. perpetua autem pace, & fælicitate ſub tãto Præſide Chriſtiana Reſp. frui ſperat, quum uirtutum omnium in benigno, ac clementi patre clariſſimus ſplendor eluceat. delectique ſunt ſtatim ex Senatus primoribus quattuor hi Oratores, Melchior

Legati ad Pontificẽ.

Michael, Aloyſius Renerius, Procuratores, Nic. a Ponte Doctor, & eques, & Ber. Nauagerius, qui tum Patauii ſecundo Prætor erat, ut Romam proficiſcerentur, ad congratulationem, obedientiãq; de more nouo Pontifici publico nomine exhibendã. ſed Renerius priuſquam in Legationem iret, morbo correptus è uita deceſſit: eligiturque a Pontifice in hoc altæ ſuæ dignitatis initio Archiepiſcopus Regni Cypri in patrum

Archiepiſcopus Cypri.

gratiam, Philippus Mocenicus, qui ad Sabbaudiæ Principem Orator ibat. is autem quartus ex tribus patritiis, Laur. Foſcareno, Gregorio Barbadico, & Hier. Triuiſano ſacris initiatis, quos patres Pontifici petenti hoc ſacerdotio ornandos propoſuerunt, unus delectus eſt, atque in eius locum ad eundem Sabbaudiæ Principem Orator crea

And. Bolduus.

tur And. Bolduus uir prudens, cuius auus Antonius multas legationes, & magiſtratus domi, foriſque prudentisſime, & integerrime geſsit, tantaque iuſtitia fuit, quòd ſilere non licet, ut dum Triumuiratum Aduocatorium gereret, Dominicum Bollanũ Collegam ſuum, in Senatu accuſauit, quòd is a litigatoribus pecunia corruptus, uenalem iuſtitiam haberet: qua re damnatus, in exilium in Cretam abiit, creauitque ſta-

Tres Cardinales.

tim Pius in Apoſtolica ſede conſtitutus, treis Cardinales, Ioannem Medicem Coſini Florentiæ Ducis filium, decem & octo natum annos, Carolum Boromeum Archiepiſcopum Mediolani, ex ſorore nepotem, & Ioannem Antonium Cerbellonum Epiſco

pum

pum Fuligni. Dum autem Nic. a Ponte, & Ber. Nauagerius Oratores ad Romanum Pontificem creati fuiſſent, quum eiſdem Galliæ legationem patres antea demandaſſent, utriſque ſe magiſtratu quod contra leges factum foret, abdicare iuſsis, Hier. Grimanus, & Hier. Zane noui Legati ſuffecti ſunt, & cũ his M. Antonius Amulius eques, Romam eſt præfectus, pro Rep. Legationem Al. Moccenici loco apud Pontificem obiturus. atque alia a Senatu in Hiſpaniam ad Philippum Regem legatio decreta eſt, ad quam incundam Ant. Priolus Procurator, & Hier. Superãtius primò delecti ſunt, quibus ob ſenium, corporiſque imbecillitatem, ſeſe hoc munere abdicantibus, And. Baduarius, & Auguſtinus Barbadicus eorum loco ſubleguntur, ut nuptias amico Regi publico nomine gratularentur, quæ dudum, ut diximus, inter eum, & Iſabellam Henrici Gallorum Regis filiam factæ fuerant. ſed quum de totius Orbis gentibus ſermonem ſæpe facimus, non ab re fuerit, ſi in hac hiſtoriæ parte nouæ terræ a nobis deſcriberentur, quas Luſitani, Hiſpani perquàm uaſti Oceani ambitum nauigantes, nõ multis ab hinc annis curioſe inuenere. primuſque Chriſtophorus Columbus natione Lygur. ad nouas quærendas terras, ignota ſulcare maria auſus eſt. ſed ad rem melius cognoſcendam, Orbis ſitus paucis exponendus, de quo ab antiquis Coſmographis Strabone, Ptolemæo, Plinio, accurata mentio facta eſt: multa tamen illis loca ignota fuere, quæ noſtra ætate curioſa mortalium induſtria per inſanas nauigationes Iberico, Atlantico, Perſico, Indicoque mari, adinuenit. Terra enim ſita eſt in medio Mundi undique cœlo ſubiacens, ac ſuo pondere immobilis. diuiditurque uniuerſus Orbis in treis partes, Aſiã, Aphricã, & Europam, magnaque in his terrarum ſpacia ſub immenſi cœli ambitu ad Antipodas uſq;, ſi qui ſunt, inuoluuntur. illudq; (ut ſacræ atteſtãtur literæ) Deus Optimus Maximus in principio creauit. nec ab æterno fuit, ſecundum falſam Philoſophi opinionem, cœleſtis illa machina, in qua duo ſunt Poli, unus Auſtralis, ſiue Antarcticus, alter Borealis, ſiue Arcticus, qui nunquam occidens ſemper conſpicitur, quem nos incolimus. & ex quinque zonis, media, quæ inter Tropicos eſt, nimio calore exuſta, parum apta, creditur, habitationi: duæ quoque extremæ frigoribus damnatę; reliquæ autem duæ, quæ medium inter torridam, & gelidam ſitum obtinent, temperatæ ſunt, & humanæ uitæ accõmodatiſſimæ. ſub his ducta in auſtralem polũ linea, Cuccinum, Canariam, & fortunatas inſulas, per trecenta paſſuum millia priſci nauigantes inuenere; atque hinc ſoluentibus aliæ terræ ad occidentem Solem in Oceano obiectæ mari paulò minus per decies centena paſſuum millia emenſo, ubi populi liberali aſpectu, auro gemmis culti, quibus abundant, easque Vrinatores è profundo eruunt. Et Luſitani ex Olyſponenſi littore in Indiam nauigantes, dirigunt proras per Auſtrum, ut in Vincentii Quirini commentariis legitur, qui de Indiæ, & Colocuth rebus, dum Germaniam, Hiſpaniam, Luſitaniam pro Rep. legatus peragraret, multa memorauit, tantoque maris curſu procedunt, ut ſub æquinoctiali circulo circa Indiam conſiſtunt. Ea autem latiſſima prouincia ad mare poſita eſt, ſumitque initum ab oſtio maris Perſici, & terminum habet, ad Taprobanæ littus; longitudoque eius per ducenta quinquaginta paſſuum millia extenditur, latitudo per decem millia coarctatur, maritimaque omnis ora arenoſa, importuoſaque eſt. Habet quoque India multa Regna, quorum partem Mauri, partem Idolatrę, Gentileſque poſſident, qui uarios, ac complures Deos adorant. Eſt & Cathaium Indiæ alia pars uſque ad Bactras, inter Gedroſiam, & Indum fluuium, ubi Preianes, ut memoratur, potentiſſimus Rex Chriſtiana pietate imbutus imperat. primum autem ad latus maris Indici eſt Armuſſi Regnum, a Mauris inhabitatum, in quo unionum, gemmarumque magna copia, Combay quoque, & Pegum Maurorum fuſci coloris hominum loca uiſuntur, ubi Lacha naſcitur. nec procul hinc Battacala Gentilium ſedes, piperque abundè hoc in loco colligitur. atque in eodẽ maris tractu eſt Regnum memorabile Colocuth, cui Rex idolatra potentiſſimus dominatur, hoſtiſque acerrimus Luſitanis, in hoc regno Colocuth, quod antiquis incognitum fuit, naſcuntur aromata, quæ Zinzeri appellantur, in ora etiam quæ dicitur Malaoha, ſub torrida Zona poſita, uerſaque in polum Arcticum, ſub extremo ferè terræ globo, naſcuntur nuces muſcatæ, Indiciſque aliis inſulis, Cinnamomum, Gariofoli, Maſtici, aliaque precioſa aromatum genera, quæ omnia

Hier. Grimanus.
Hier. Zane.
Ant. Priolus.
Hier. Superantius
Alii Legati.
Orbis deſcriptio.
Chriſtop. Columbus.
Terræ ſitus.
Duo Poli.
Zonæ.
Vinc Quirini Commentarii.
India.
Cathaiũ.
Lacha.
Zinzari.

Mauri primum mercatores magno eorum quæſtu in Aegiptum ſuper Camelos deferebant, & ea per Venetos, miſsis Alexandriam maioribus triremibus, in Italiam uehebantur, Luſitani poſtea Indiæ emporia, ac nouas terras lucri cupiditate frequentare cœperunt, unde per aſsidua commercia ditiſsimis mercibus conuectis, Luſitaniæ

Indiæ fluuii.

Regnum longe opulentisſimum redditum eſt. in India etiam Hydaſpes, Iaxartes, Gãgeſque fluuii celebratisſimi labuntur, admirandaque in ea, ac pene fabuloſa, de Incolis, de feris, de uolucribus, Elephantisque, ac Rinocerothibus, uariisq; animalium generibus memorantur, quæ ſi quis noſcere cupiat, ad Plinianam naturalis hiſtoriæ

Plin. de nat. hiſtoria.

lectionem ſe conferat. Et Ioannis Baptiſtæ Rhamnuſii uiri doctisſimi tria illa itinerum ac nauigationum uolumina ſuperioribus annis edita, perlegat: quibus ille additis præclaris commentationibus, quod nemo antehac præſtitit, omnes cogniti ad hanc diem orbis partes quæ antiquis fuerant incognitæ illuſtrauit ſic, ut ingens noſtro æuo Coſmographica res ingenuo hominis labore lumẽ acceperit. Nos hæc pauca ſummatim dixiſſe ſufficiat. Et Veneti hoc tempore Vincentium Fidelem a ſecretis, uirum grauem, & prudentem Florentia miſere, qui apud Coſmum Ducem Senatus nomine reſideret.

Hiſpana claſsis.

Philippi quoque regis claſsis anni principio, ſub uice Regis Siciliæ imperio in altum prodiit, è Melitaque inſula ſoluens, ad Tripolis oppugnationem in Aphricam tranſmiſit: quo motu Turcæ & ipſi centum, & quadraginta triremiũ claſſem eduxere,

Sforcia Pallauicinus.

traditaq; ſunt per hos dies in Diui Marci tẽplo Sforciæ Pallauicino exercitus Gubernatori, per manus Principis militaria ſigna, inde magna populi frequẽtia Sforcia argenteum ſceptrum manu geſtãs, per forũ tranſiit, cõcelebratoq; ea die ſummis laudibus Pallauicino. creditũ eſt, bellicoſi, prudẽtisq; Ducis auſpiciis omnia Veneto imperio proſpera eſſe euentura, & Hiſpana claſſis in Aphricam profecta, poſt multa cum Mauris, Arabibusque fœlici ſucceſſu certamina geſta, Gerbin inſu-

Menice.

lam, quam Menicem olim appellatam fuiſſe Iouius aſſerit, uoluntaria incolarum deditione occupauit. miſitque Rex Perſarum Conſtantinopolim ad Solymanum Oratorem ſuum, per quem Bayſetho patrem reconciliare nitebatur; muneraque ampliſſima Perſa attulit, inter quæ longæui cerui lachrymæ Gutta fuit, cuius efficax uis contra uenenum habetur.

Turcorũ claſsis.

Poſt hæc Turcorum claſsis octuaginta quattuor diuerſi generis nauium ex Helleſponto digreſſa, in Achaiam peruenit, ad Methonumque appulſa. Inde recta in Aphricam curſum direxit. audito autem hoſtium aduentu Hiſpani, qui ad muniendum Gerbin intenti erant, claſſem ſubitò tumultuoſe educunt, ut in Siciliam reuerterentur, ne cum Barbaro, quem timebant, confligerent: ac ſtatim uelis datis medio mari Turcorum claſſem obuiam habuere. tum uiſo hoſte, territus Hiſpanus nulla

Nota Philippi Regis claſſem.

prælii fortuna tentata fugam arripuit, inſequutusque eum Turca, clariſſimam, præter expectationem, uictoriam adeptus eſt. nam Philippi claſſe ferè omni ſine cæde, & ſanguine, per ſe deuicta, & profligata fœliciſſimè potitur: ex ſeptuaginta enim diuerſi generis nauibus, quæ uiris, armisque egregiè munitæ erant, uiginti duo triremes, & triginta onerariæ naues, carauellæ ab Hiſpanis appellatæ, in Turcorum poteſtatem uenere. qua clade nil unquàm fœdius Chriſtiano nomini contigit.

Pii Pont. Comitas in Legatos.

& Romæ Pius Pontifex Oratores Venetos in Regum Aula excepit, multaque comitate uſus, ſplendidiſſimum eis poſtero die epulum præbuit, equeſtrique omnes dignitate decorauit, ac plurimis Venetam Remp. laudibus proſequens, ſuum omne in eius dignitate amplificanda ſtudium pollicitus eſt. Oratores poſtea ſingulos complexus, magnisque muneribus donatos, per pias ſanctiſſimarum manuum benedictiones dimiſit: & ut Chriſtianam rem, Eccleſiæque ſtatum reformaret, Concilium optimus uniuerſorum parens Tridenti indixit, ubi prius inchoatum fuerat.

Ducalis Inſulæ ornatus.

nouaque hoc Venetæ urbis tranquillo tempore Ducalis Inſula, per Diui Marci de ſupra Procuratores, ad quos publici Theſauri cura ſpectat, precioſiſſimis gemmis, unionibusque ornata, fuit, quæ centum aureorum nummum millia precium excedit.

Coronæ ex auro.

additæque ſunt duæ mira arte elaboratæ ex ſolido auro coronæ, quarum una Cretæ, altera Cypri Regnum Reip. Imperio ſubiectum repræſentat. furtumque hiſce diebus inſigne in urbe commiſſum eſt. nam uir quidam genere Neapolitanus, adulterinis clauibus, atrio quæſtorio reſerato, ubi ferreis archulis publici aſſeruantur theſauri, ad octo aureorum nummum millia ex aera

rio

rio abſtulit.uerùm is poſt aliquot dies captus,obtruncata illi prius dextera,decemuirum iuſſu media Riualti area,ubi furtum factum fuerat,laqueo eminenti furca ſuſpenſus,necatur,meritasq́ue luit tanti latrocinii pęnas.& in Aphrica quum Turcæ per tres ferè menſes Hiſpanos in Gerbi oppido uariis oppugnationibus fatigaſſent, cruenta utrinque certamina commiſſa ſunt:nam modo ad mœnia Turcæ ſubeuntes, è munitionibus cum cæde repellebantur, modò deiectis propugnatoribus, eas penè occupabant.eruptiones interdum in hoſtium caſtra ab Hiſpanis magno impetu fiebant, cum fœda utriuſque partis ſtrage,poſtremo fame,& ſiti in extremum uitæ diſcrimen Chriſtiani adducti,ex obſidentium manibus pugnando ſe eximere tentarunt, erumpenteſque ſubito ex oppido ſupra mille,& quingenti fortiſſimi bellatores,Duce Aluaro,intrepidi,conſtantiſque animi uiro,in Turcas impetum fecere.eiusq́ue pium, inſigneq; facinus memoratur, qui priuſquam ex oppido cum hoſte parata acie dimicaturus, erumperet,aduocata concione, Crucifixi Domini ſignum manu geſtans, commilitones ſuos hortatus eſt, ut quando graui Turcarum obſidione ad ſummam rerum omnium inopiam deueniſſent, nec uſpiam auxilia in tantis malis apparerent, ferro ſibi uiam ad ſalutem comparandam facerent,eriperentque ſe ab imminenti inediæ, ſitiſque calamitate,uel fortiſſime cadendo,nomina ſua æterna, ac animas beatas redderent.in cœlum enim ex hoc terreno carcere pro fide extincti, euolaturi erant.hæc pauca ille affatus,cum hoſte manus conſerit, ac primo congreſſu eum fundit, fugatque in caſtra:ſed Draguth hoſtium Dux ſuos cohortatus,prælium reparat, funduntur que Hiſpani,& Aluarus capitur.tum amiſso Duce,deditione facta Turcæ oppido potiuntur,in quod ingreſſi, fœdam Hiſpanorum cædem ædidere. magnumque per id tempus hæreſeos uirus ex Germania,Britanniaque paulatim ſerpens, Galliam inuaſit,totaque ferè ea prouincia, Duce Vggone quodam Hereſiarcha infecta ab antiquo Chriſtianæ pietatis ritu defecit,multique ex infima plebe, atque honeſtæ, eminentioriſque conditionis uiri uanis ſuperſtitionibus imbuti, Vggonis delirium ſequebantur,in quos ad extirpandam tantam fidei labem uariis cruciatuum generibus publice animaduerſum eſt.ſed nec ſuppliciorum metus peruerſos inſanæ gentis errores compreſſit,debacchãtium hæreticorum inſanabilis furor erat.nouique aliqui motus quotidie per totum ferè orbem emergebant,perniciosiſſimaque Religionis diſſidia.ob id que Optimus Pontifex concilium ſæpe euocare conatus eſt,ut tantis Chriſtianæ Reipublicæ malis aliquo modo occurrens,gregem ſuum diſperſum,errantemque pius paſtor ad rectam ſemitam reuocaret: quod ſperamus, Dei Optimi Maximi clementia euenturum. ingentem.poſt hæc admirandamque ingenioſisſimus artifex Bartholomæus Campi naualem machinam conſtruxit,ut Galeonum è profundo pelagi extraheret,quod exacto iam anno nocturnus turbo(ut ſupra memoraui, medio mari demerſerat,moleſque multis aſseribus biſpedalibus,ſeſquipedalibuſque compacta erat cum frequentioribus tubis ad euomandam maris aquam. eiuſque longitudo quinquaginta cubitis conſtabat,altitudo triginta,latitudo quindecim,& fibulis,clauisq́ue innumerabilibus tigna craſſiſſima ſupra,& infra duorum pedum interuallo mira firmitate reuinciebãtur.ingens ad hæc rudentum,funiumq́ue quadruplicibus maioribus ſpiris intextorum copia parata erat,ferreique unci,ac hami,quibus ſubligacula innecterentur ad erigendum aliquo modo ex profundo abyſſi Galeonum. depreſſaque eſt machina altis fluctibus ad perpendiculum circa Galeoni latera. ſed incaſſum omne ſtudium impenſum,operis tamen eximia ſtructura immortalem, claramq́ue artificis cunctis ſeculis memoriam reddet,cui non ingenii fœlicitas defuit, ſed occulta quædam fati uis obſtitit,quo minus res memorabilis ad exitum perduceretur. & Romæ quum Pontifex M.Ant.Amulium,qui apud eum pro Rep.Oratorem agebat, Veronæ Epiſcopum declarare ſtatuiſſe,id ægerrime Senatus ferens,quod per leges, uetusq́ue ciuitatis inſtitutum fieri non poterat,ſtatim Amulius, Hier. Superantio ſucceſſore ei ſuffecto,ex legatione domum reuocatur.Ioannes Frumentus quoque a ſecretis, Romam ad Pontificem miſſus, ſuam ſanctitatem publico nomine multis precibus rogauit,ne Senatus iudicium in reuocando ex legatione Amulio ſua Beatitudo, quæ ſapientiſſima eſt,ægre ferret:quandoquidem ex ueteri legis conſtitutione,Oratores, donec

No. furtū inſigne.

Garbi.

Aluarus Dux.

Gerbi a Turcis capitur.

No. Aluari pium factum, & concionē.

Concilium.

Barth. Campi.

Not. Machinā ingenioſam

M. Ant. Amulius.

Ioan. Frumentus a ſecretis.

nec legationis munere Romæ publicè funguntur, nullum aut Eccleſiaſticum, aut ſecu lare uſquam beneficium conſequi poſſunt. at Pontifex grauem ſibi a Senatu iniuriam illatam fuiſſe arbitratus eſt, qui indicta cauſa Amulium è legatione reuocatum tanta ignominia afficere uellet, a quo omnis culpa abeſſet, nec ille quicquã aduerſus leges, & patrias conſtitutiones egerat, quum ſponte ipſe ſua Pontifex Veronenſem Epiſcopatum Amulio inſcio, & inuito conferre uoluiſſet. atque ut eius dignitati conſuleret, multũ laborauit, litteraſque, quod raro euenire ſolet, manu propria ſcriptas, ad Senatum miſit, quibus ſummus Orbis Chriſtiani Princeps Venetos orabat, ut Amulius uir innocentiſſimus ad priſtinam dignitatem reſtitueretur. atque ita re in Senatu magnis contentionibus iactata, patres in Pontificis gratiam decreuere, ne Amulius Roma amplius abſcederet: quòd ſi forte in itinere eſſet, iuſſus eſt, ut eadem confeſtim hora rediret, in ſolitoque legationis munere apud Pontificem publico nomine perſeueraret, donec ſucceſſor ſuus Romam accederet. Quingentis præterea aureis nummis a patribus donatus eſt. atque ita exiſtimationem ſuam Amulius fortunæ iniuria penè uiolatam magna ſua cum laude retinuit. Romamque reuerſus a Pontifice ſummo gaudio excipitur. Interim religionis cauſa, quæ hæretica prauitate plurimum laborabat, Concilium Tridenti a Pontifice Maximo celebratum eſt, ad quod accerſiti ſunt ex omni ferè natione ad Eccleſiaſticam rem erigendam, eiuſque ſtatum reformandum, uiri omni ſcientiarum genere præſtantiſſimi. Poſtea dum Veneti magno ſtudio curarent, ut Veronæ Epiſcopus crearetur, per M. Ant. Amulium Oratorem a Pontifice impetrarunt, ut quattuor patritii a Senatu denominarentur, ex quorum numero unum poſtmodum Pontifex eligeret, qui Veronæ Epiſcopus eſſet. delectique ſunt ſtatim patrũ ſuffragiis, Ber. Nauagerius Senator in Rep. ampliſſimus, Daniel Barbarus electus Patriarcha Aquileiæ, And. Lippomanus, prior Trinitatis, & Hier. Triuiſanus Dominici fr. ex ordine Prædicatorum Theologus inſignis: iſque a Pontifice poſt aliquot dies Veronæ Epiſcopus declaratus eſt. deceſsitque per id tempus è uita florenti adhuc ætate, Franciſcus II. Gallorum Rex, cui Carolus eius frater in puerili ætate conſtitutus, quippe qui nondum duodecim annos attingeret, in ampliſsimo Regno ſucceſsit, ad quem congratulandi cauſa miſsi ſunt a Senatu duo Oratores uiri præclari, Ioannes Leggius Procurator, & eques, & Marinus de Caballis eques. Tutoreſque puero Regi conſtituuntur ex Gallorum proceribus, Rex Nauarræ, Borbonius, & Lothoringius Cardinalis, Dux Ghiſæ, & Regina mater inuicti animi mulier, quæ ſola reliquis tutoribus permittentibus, ad Regni Gubernaculum ſedens, omnia tantiſper adminiſtraret, donec ex ephebis Carolus exceſſiſſet, ad adultamque perueniſſet ætatem. & Solymanus Turcorum Rex Bayſethi filii fugam ad Perſas iniquo animo ferens, Oratorem ſuum ex purpuratis, Aulicisque primarium Begliarbei Amorath in Perſiam ad Tamaſſum Regem miſit, per quem Solymanus poſtulabat, ut Bayſethem filium ſibi Perſa traderet, muneraque ad eum Turca ad emoliendum Barbari animum precioſiſsima tranſmiſit. Et Ferdinandus Imperator Leonoram filiam Guelmo Mantuæ Duci matrimonio copulauit, cui centum aureorum nummum millia dotis nomine ſoluere pollicitus eſt. Et quia puella, ut in Italiam ad ſponſum accederet, per Venetos fines tranſitura erat, Senatus ſtatim ad eam excipiendam Leon. Contarenum Iuſtiniani F. Oratorem creauit, iuuenem ſumma uirtute prędituum, ac pontem in Veronenſi ad Dulceum ſuper Atheſim fabricari iuſſit, Hoſpiciaque ubique locorum honorifice parata. Ingens quoque lautitiarum, & obſoniorum copia ab urbe miſſa, ne officio patres deeſſent in nuptiis amicorum principium cohoneſtandis. nec multò pòſt ad augendam Apoſtolicæ Sedis dignitatem, decem & octo Cardinales Pontifex creauit, in quis duo Veneti patritii fuere, Ber. Nauagerius equeſtris ordinis uir, Senatorque ampliſſimus, & M. Ant. Amulius, qui tunc Romæ apud Pontificem publico nomine Oratorem agebat. reliqui Cardinales hi ſunt creati, Ioannes Saluiati, Florentinus, prior Romæ, Hier. Seripandus, Neapolitanus, Ladiſlaus Epiſcopus Varnienſis, nuncius Apoſtolicus apud Cæſarem, Petrus Franciſcus Vercellenſis nuncius Pontificis apud Venetos, Epiſcopus Angulen, Orator Regis Gallorum, Epiſcopus Aras, electus Tridenti, Aloyſius Eſtenſis, Ferrariæ Ducis frater, Franciſcus Gonzaga Mantuanus, Fer-

Liberalitas Senat' in Amulium.

Conciliũ Tridẽtinũ

Hier. Triuiſanus Veronæ Epiſcop'.

Carolus Gallorũ Rex.

Regis tutores.

Amorath

Leonora Ferdinandi filia.

Leon. Cõtarenus.

Decem & octo Cardinales creati.

Cardinalium noĩa

Ferrandi filius, Inichus de Aualos, Marchionis Piſcheriæ frater; Alphonſus Ieſualdus, filius Comitis Conſæ; Marcus Altaemps Epiſcopus Caſſani, nepos Pontificis, Epiſcopus Piſauri, Pacechus Hiſpanus, Epiſcopus Corregienſis, & Abbas Gambaræ, Camerarius Pontificis. Cæterùm Patribus, ut Nauagerii electio ad Cardinalatum gratiſſima extitit, ita Oratoris Amulii permoleſta fuit, quatenus is legatione perfungens, nullum Eccleſiaſticum beneficium, ut ſupra memoratum eſt, per leges conſequi poterat. miſſusque eſt propterea Ioannes Frumentus iterum Romam, ut publico nomine Pontifici gratias ageret, quod Nauagerium patritium inſignem in Cardinalium collegium ſua Sanctitas cooptaſſet: Amulii uero electionem minime gratam Senatui fuiſſe fateretur, quòd is Oratoris perſonam adhuc gerens, Eccleſiaſticam dignitatem aduerſus patrias legas conſequi curaſſet. Cardinalatum tamen Amulius. Pontifice ſic iubente, tenuit, non ſine graui patriæ offenſa. ea propter ſtatuit Senatus, ne quis affinium, propinquorumve Amulii purpuram induerent, nullumque in urbe uel publice, uel priuatim, ut in ſimilibus fieri ſolet, lætitiæ ſignum æderetur. atque hæc facta ſunt, ut omnes intelligerent, Venetos Iuſtitiæ obſeruantiſſimos moleſtè ferre, ciues ſuos legibus poſthabitis, a maiorum ſapientia ſanctè conſtitutis, Eccleſiaſticos honores immoderate appetere. Romæ etiam hoc tempore Cardinalis Carafa, Pauli IIII. Pontificis nepos, propter ementitam olim legationem, alia que flagitia, ſub obſcuram noctem, ne luce ſacrati uiri ſupplicium iuſpiceretur, Pontifici iuſſu in Adriani mole, ubi ſub cuſtodia aſſeruabatur, ſtrangulatus eſt: cui dum gula frangeretur, funiculus bis perruptus fuiſſe dicitur; linteo tandem collo inuoluto, ſuffocatus interiit. Dux poſtea Paliani, eius frater, capitali ſupplicio affectus eſt, unàq; Aliſiarum Princeps, quòd hi Carafæ etiam Cardinalis conſenſu innocentiſſimæ feminæ Ducis Paliani uxoris uitæ inſidiati, eam adulterii falſo inſimulatam gladio per uentrem adacto prægnantem interfici mandaſſet. Et quum ex Hieronymi Ferro baili litteris patres cognouiſſent, Solymanum ingentem claſſem parare, quæ breui in altum exitura erat, ne naualia præſidia ad Adriatici, Aegæique maris oram tuendam deeſſent, Veneti ſtatim octuaginta triremium claſſem compararunt, quæ cum triginta tribus longis nauibus, quæ foris erant, in omnem occaſionem coniungerentur. Creatique ſunt in Senatu triginta ex patritio ordine præfecti naualis diſciplinæ peritiſſimi, quorum opera Reſp. in maritimo bello uti poſſet. Sed dum quadraginta tantùm triremes Turca emiſiſſet, Veneti quoq; pauciorem nauium numerum eduxere. Magnus tamen Calabriæ, Apuliæ, & Dalmatiæ populis maritimo hoc Turcorum motu terror incuſſus eſt: ualidis itaque illarum prouinciarum urbes militum præſidiis firmantur. incerto autem curſu Othomanica claſſis huc, & illuc ferebatur. Interea circa Siciliam ſeptem triremes ex Meſſinenſis portu ſoluentes, ut Neapolim nauigarent, ad cæteram Philippi Regis claſſem, ut cùm ea coniunctæ, in Turcas maritimum bellum gererent, quinque ex his Draguth Pyratæ, conſpectis circa Lyparim nauibus, ſubitò in eas impetum fecere, quas dum Siculæ triremes armis temerè inuadunt, pugna oritur utrinque atrox. Interim decem aliæ hoſtium naues ex inſidiis ſubito coortæ in pugnam prodeunt, laborantibusque ſuis Barbari numero adaucti, opem ferentes, poſt cruentum prælium, Chriſtianorum triremes debellatas, uictasq; in ſuam poteſtatem redigũt, & in Aphricam captiuas cum ingenti rerum omnium præda traxere. Ac ſub id tempus ex ſententia Sforciæ Gubernatoris exercitus Senatus Bergomum, uallo, foſſis, propugnaculis, munire decreuit. Miſſaque eſt ſtatim ingens operariorum, foſſorumque manus, ad rem peragendam, ut quam citius poſſet, opus abſolueretur, milleque & quingenti ex Patauinis, Taruiſinisque finibus collectitii tyrones ad Bergomi cuſtodiam, dum urbs munitur, miſſi ſunt: demolitisque ſtatim aliquot ciuium domibus, & ſacris Diuorum Alexandri, & Auguſtini ædibus, ualidiſſimæ circa urbem munitiones eriguntur, eaque inexpugnabilis intra paucos dies Sforciæ induſtria, ſingularique ductorum Haſtoris Balleoni, Hier. Martinenghi, Iulii Saurognani, & Auguſtini Cluſoni uirtute reddita eſt, non ſine aliqua Mediolanenſis populi ſuſpicient, qui finitimam urbem tam ſubitis, ualidisque cingi munitionibus iniquo animo ferebat. Martinengus autem eximia in Remp. fide, ſtudioque inſigni Sforciæ abſentis loco omnia in urbe

Ioan. Frumentus.

Cardinalis Carafæ ſupplicium.

Not. crudelitatem

Venetorũ claſsis.

Draguth.

Septem Philippi triremes a Turcis captæ.

Bergomi munitio.

Not. Ductores claros.

curauit,

Not. Martinengi uirtutem. Ruſteni obitus.

curauit,ac ſedulam,indefeſſamque operam adhibuit,ut inſtitutæ munitiones, quanto celerius fieri poſſet,erigerentur. At apud Turcas Ruſten Baſſa, Solymani Regis Gener, magnæ inter omnes Aulicos authoritatis,& potentiæ,Byzantii morbo correptus interiit,qui dum in humanis ageret,Chriſtiano nomini hoſtis acerrimus ſemper fuit; eiusque inſatiabilem auaritiæ ſitim nulla pecuniarum uis explere unquam potuit; adeoq; ſordidum,ac uenalem ille animũ habuit,ut nihil aliud cogitaret,quàm rapere, quàm prædari; atque ea de cauſa quattuor Venetorum onerarias naues, quæ negociandi cauſa Conſtantinopolim adnauigarant,fraude intercepit,ut his ſpoliatis, inſatiabilem ingluuiem ſuam impleret,atque ut naues liberarentur, Hier. Ferro Bailus, diu fruſtra laborauit.

Hier. Ferro Bailus. Aly Baſſa.

in Ruſteni autem locum unus ex purpuratis Aly nomine ſuffectus eſt,qui in barbara gente eximiũ Iuſtitiæ,pietatis ſpecimenq; dedit:muneribusq; a Bailo delinitus,naues cum hominibus,bonisque omnibus Veneto nomini reſtituit; quod Ruſteno uiuente impetrari nunquam potuit.

Aluari fuga.

Et Aluarus, qui ad Gerbin in Turcorum poteſtatem ueniens,in Pera captiuus tenebatur,dum fugam deceptis cuſtodibus arripit,in barbarorum manus incidit,& ex fuga retractus,in Pontum ſub arctiori cuſtodia miſſus eſt,turrique tetra includitur. Et Solymanus Rex,dum bellum inter Moſcouitas,& Tartaros in extremis Aſiæ finibus arderet, ingens Tartaris equitum, peditumque præſidium tranſmiſit: claſſem quoque in eorum auxilium per Euxinum Turcæ adduxere.muniturque ab his Caſtrumnouum in Illyrico iuxta Catharum.

Caroli Regis coronatio.

uarios etiam rerum motus Europa habuit: nam Carolus Gallorum Rex in puerili adhuc ætate conſtitutus,in Ciuitate Rens magna ſolemnitate,de gentis more iunnctus, coronam Regni accepit. Et Pontifex,ut Concilium religionis cauſa Tridenti cōgeretur,plurimam curam adhibuit,Epiſcopique,ac Theologi,& Principum Legati, ab uniuerſa ferè Chriſtianorum ditione ſunt euocati,è Roma quoque ex Cardinalium numero Tridentum aduenere, miſſi a Pontifice, Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Hercules Gonzaga Mantuanus, tituli Sanctæ Mariæ Nouæ;Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Hier. Seripandus Neapolitanus, tituli Sanctæ Suſannæ; Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Stanislaus Hoſſius Polonus Illuſtriſſimus; & Reuerendiſſimus D. Ludouicus Simoneta Mediolanenſis,& cum his Illuſtriſſimi D. Ludouicus Diaconus Cardinalis Madrutius Germanus, & Marcus Siticus Archiepiſcopus Conſtantiæ: omnes hi ingenio, doctrina,& uitæ ſanctitate clari.

Cardinales ad Concilium Tridentinū.

Venetos quoque Pontifex hortatus eſt,ad creandos ſuos Oratores,qui Reip. nomine ad Concilium proficiſcerentur:quare ſtatim deſignati ſunt duo præſtantiſſimi uiri,Nic.a Ponte,Doctor,& eques,& Matthæus Dandulus eques:cæteri quoque Reges,Principesque Chriſtianitatis Legatos ſuos Tridentum miſere. omnesque ferè Europæ Gentes Pontifici paruere in deſtinandis eorum Oratoribus,Galli,Hiſpani, Poloni,Luſitani,Heluetii,Itali, & ex Germanis ſoli Auſtrii,Bauarique,quum ex his reliqui Lutheri adhuc delirium ſequerentur.

Legati Veneti ad Cōcilium.

Philippus Cicala pyrata capt.

Ac per id tempus Philippus Cicala ſenioris Cicalę Archipyratæ nepos, genere Lygur,qui multa latrocinia, depredationesque mari commiſerat, naufragio circa Siculum fretum Mioparone ſuo pereunte,in Chriſtoph. Canalis claſſis Venetæ præfecti poteſtatem captus uenit,& iuſſu Senatus Venetias ſub cuſtodiam miſſus, in carcerem intruditur:ſed in Pontificis poſtea gratiam,& Cardinalis Sancti Clementis patrui ſui precibus,reſarcitis prius multorum damnis,è carcere liberatur,Romāq; incolumis ſe contulit.

Controuerſia de finibus.

Inter Brixienſes poſtea,& Cremonenſes pro flumine Oleo, qđ amborum fines alluit,contentiones de integro ſubortæ,utriuſque populi animos prope in bellum impulerunt.ſed Veneti pacis ſtudio operam dedere, ut iudices eligerentur,qui utriuſque partis iuribus auditis,concordi animo rem componerent.

Hemanuel de Luna. Seb. Venerius.

itaque factum eſt,ut pro Cremonenſibus Hemanuel de Luna Hiſpanus illius urbis Gubernator,& pro Brixienſibus Sebaſtianus Venerius urbis præfectus,ad locum,de quo erat controuerſia,ambo ſe conferent.eò igitur profecti,tentarunt æquis conditionibus litem ſopire,quæ prius etiam per Dominicum Bollanum,tunc Brixiæ Prætorem, & Ioannem Anguſolam Senatorem Mediolani,ut ſupra alio loco diximus, diffinita fuerat:ſed aliquot diebus per multas inuicem altercationes conſumptis, nil confici potuit:hoc tamen concorditer actum,eſt,ut iterum priores illi Iudices Anguſola ſcilicet,

cet,& Bollanus,qui ſuperiori anno Brixiæ Epiſcopus a Pontifice datus fuerat,unà operam darent,ut quod antea ſtatuiſſent,ratum,firmumq́ue de finibus maneret, iuxta priorem diffinitionem. Controuerſia igitur unius Bollani Epiſcopi prudentia,ut aliàs ab eo factum fuerat,poſt uarias partium altercationes tandem ſedata eſt. eiusq́ue in patriam charitas plurimum laudari debet, qui ex Tridentino Concilio per aſperam hyemem celeri itinere Brixiam profectus,patriæ iterum eam operam impertiit, qua pacem & concordiam magna ſua cum laude utrique Ciuitati perpetuò parauit. Atq; eodem fermè tempore,ut in finitimis populis,plerunque accidere ſolet,altera ſuborta eſt eiuſdem generis,ſed maioris inſolentiæ,controuerſia,inter Bergomẽſes,& Triuilianos,ob fluuium Brembum,qui per medios eorum fines labitur,magnaq́ue Triuiliani arrogantia uſi,cum ingenti armatorum manu,immunitum,apertumq́ue oppidũ Brambatum improuiſo ingreſſi ſunt. exterritisq́ue,ac turbatis ſubita irruptione ciuibus,ex his ad duodecim captiuos factos,Triuilium perducunt, qui in carcerem omnes coniecti ſunt.

Noua cõtrouerſia.

Hac publica iniuria patres cõmoti,uehementer excanduerunt,eáq; ſtatim per Antonium Mazam Secretarium,tunc Oratorem Mediolani pro Repub. agentem Marchioni Piſchariæ Gubernatori denunciant,admonentq́ue, ut captiuos è carcere ereptos in libertatem reſtituere curet, nec permittat, his inſolentiis turbari communem pacem; quòd ſi Triuilianis aliqud ius in flumine ipſo competat, per arbitros cauſa pacifice diſcutiatur, nec his motibus turbetur communium populorum quies.

Ant. Maza.

Qua denuntiatione factum eſt,ut captiui paucos poſt dies liberati ſint. Et delecti iudices,qui fuere ex Triuilianorum parte Daneſius Philidonus, præſes Conſilii in Mediolano, & ex Bergomenſium Iulius Gabriel,præfectus urbis, ambo ad locum controuerſiæ profecti, poſt multas altercationes indeterminatam, indeciſamq́ue pro nunc cauſam relinquerunt,temperareq; interim ab iniuria utraque pars iuſſa eſt.

Captiui liberantur.

Daneſius Philidonus.

Iulius Gabriel.

His actis,medio æſtatis feruore turbato cœlo prodigioſa in Mediolanenſi agro grandinis uis cuncta circum deuaſtauit, periereq́ue in campis, in ſtabulisq́ue homines, & armenta,quæ grando magnitudine inſtar anſerini oui,& amplius fuiſſe dicitur,incredibilique incolæ per multa paſſuum millia damno affecti ſunt.

Not. grandinis uim

Nec id reticẽdum,quod ad Veneti nominis dignitatem ſpectare uidetur. cenſuit enim Apoſtolica authoritate Pontifex,ut Senatus eligendi Patriarchę Venetiarum liberam poteſtatem haberet, & patronatus in eo ius perpetuò confirmauit; id quod Apoſtolicis litteris plane eſt declaratum: atque idem de Aquileiæ Patriarchatu facere pollicitus eſt.

No. ius eligendi Patriarchæ Venetiarum.

Poſt hæc trepidè affertur, Turcorum ſexaginta triremium claſſem in Græciam delatam ad Zacinthũ conſediſſe,nihil tamen ea in Venetos hoſtile mouit, quin mutæ conſultationes, & ab oppido factæ,& a claſſe inuicem redditæ ſunt,muneribusq; ad præfectum claſſis a Zacinthiis tranſmiſſis. Turcæ cũ toto nauali apparatu uelis datis in altum è Græciæ finibus abiêre.

Turcorũ claſſis.

In Perſia etiam ob Bayſethi cauſam noui euenere rerũ motus. altera enim legatione decreta Solymani Orator ad Sopheni Regis conſpectũ uenit,expoſitisq; mãdatis iterum Solymani nomine poſtulauit, ut Bayſethes eius filius ſibi in uinculis traderetur,& ad conciliandum Sopheni animum munera a Solymano miſſa præbuit. Perſa autẽ cõſtãter affirmauit,ſe nullo pacto Bayſethẽ,qui ad ſe cõfugerat, uelle in patris manus tradere,ꝗ contra ius gentiũ,& regiã fidem faceret; & dona inſuper,quę ipſe attulerat,non muneris,ſed tributi nomine ſe libẽter accipere dixit; ſtatimq; ea Perſarũ primoribus,qui in cõſpectu Regis aderant, diſtribuenda curauit.

No. Sophi reſponſũ.

Magno dolore Solymani legatus his uerbis affectus eſt, qui paucos poſt dies è Perſiæ finibus abiit, & Byzantiũ reuerſus,ſuperbũ, cõtumelioſũq; Sopheni reſpõſũ Solymano expoſuit, qui ira percitus,ſtatim bellũ in Perſas parauit, & in Amaſiã profectus ut inde vere primo in hoſtium fines,& ducere exercitum,& arma cõmodius inferre poſſet.

Amaſia.

claſſis Hiſpana ſexaginta triremium,cui M. Antonius Carretus ex occidentali Riparia Genuæ regulus præerat,in ſuperum mare delata eſt,nilq́ue memoria dignum geſſit, ob remigum paucitatem,& tenuem armorum apparatum: & quum hyems iam appeteret, domum reuocata,in hyberna Genuam eſt profecta.

M. Ant. Carretus

Turcorum uerò claſſis ex Zacintho digreſſa, in Aulonæ portum ſe recepit. In Galliis poſtea magni in religione motus antea ſuborti,quũ ad præſens ſedati eſſe uiderentur, iterum maiori flamma exarſere; in tantumq;

Galli

Galli prorupere ſcelus, ut fuere aliqui, qui in Vaſconia, ſpréto Dei timore, in ſacra tẽpla armis irruentes, altariá in his demoliri, ac Diuorum imagines delere auſi fuerint. ideo optimus Pontifex Concilium cogere ſtudioſiſſime curabat, ut tantis Chriſtianæ

Hier. Ferro interitus.

fidei malis mederi poſſet. & per id tempus Hier. Ferro Bailus aduerſa ualitudine correptus è uita Byzantii intra paucos dies exceſſit, magnoque ciuitas eius interitu audito, mœrore affecta eſt. nam ſingulari uir prudentia publica negocia apud illam barbaram nationem ſumma cum laude & dignitate pertractabat. Daniel Barbadicus eius loco Bailus creatur, quem Aly Baſſa in Syria iam pridem cognitum magna be-

Daniel Barbadicus.

neuolentia complectebatur; atq; eo petente, factum eſt, ut Barbadicum Veneti incredibili conſenſu Bailum declararent, ut Aly gratificarentur, quod Reip. probe conſultum fuit. Et in Italia Coſmus Dux Florentiæ, magna ampliandi principatus cupidi-

Petilianũ occupat.

ne ardens, eiecto Nicola Comite malis artibus Pitilianum inuaſit, miſſoque ualido militum præſidio ſub Chiappini Vitellii imperio oppidum Hetruriæ non ignobile in ſuã poteſtatem redegit. At Nicola Comes ad Ferdinandum Imperatorem, & ad Philippum Hiſpaniæ Regem confugiens, eorum opem implorauit, ut in principatum ſuum tanquam ambarum Maieſtatum feudatarius conſtitueretur. Coſmus etiam nunciis miſſis utriusque Principis animum ſibi conciliare in hoc nouo motu ſtudebat, aſſerens Nicolæ tyrannide ſe impulſum, oppidum in fidem ſuam recepiſſe. Venetis per litteras

Petiliani motus.

Pitiliani ſucceſſum ſignificauit, prudentisſimeque Senatus eum reſponſo dato admonuit, ne his nouitatibus ſua Excellentia Italiæ pacẽ turbaret, Principatuque ſuo contẽtus, quem florẽtiſſimum poſſidebat, amice, pacateque cum omnibus agere uellet. Sed ille Pontificis maximi fauore innixus, rem trahebat. Et hoc tempore quum Ducis Sabbaudiæ uxor infantem puerum peperiſſet, id ſtatim lætabundus pater per litteras Senatui ſignificauit, reliquosq; Chriſtianos Principes de nouo ſuſcepti filii gaudio certiores fecit: nam liberorum procreationem uehemẽter optabat, ut ampliſſimi Principatus hæredem, ſucceſſoremque poſt ſe haberet. Miſſisque ſtatim litteris patres ei

Sigiſ. Caballus.

congratulati ſunt, nec non Oratori ſuo Sigiſmũdo Caballo, Marini equitis filio, ut idẽ publico nomine faceret, mandarunt: qui puerum etiam Senatus nomine ſacro Baptiſmi fonte lauauit. Poſt hæc dum temporis uetuſtate in ampliſſimo comitiarum conclaui nulla apparerent picturæ ueſtigia, quæ antiquitus configurata, dextra, leuaque pa-

Not. Saluatores.

rietes honeſtabat, ſtatutum eſt, procurantibus quattuor Saluatoribus, Petro Bollano, Hier. Mauroceno, Ant. Longo, & Petro Minotto, picturam in priſtinam formam reuocare. Tradita autem eſt ea prouincia Horatio Titiani filio, Iacobo Tentoretto, & Paulo Veronenſi, nobiliſſimis pictoribus, qui tribus locis conclaue eximia arte orna-

Not. Pictores.

rẽt. Primus enim Federici Barbaroſſæ coronationem, alter cruenti prælii faciem circa Romanam urbem in Neronianis pratis, tertius Alexandri Pontificis adorationem repræſentat. Principum quoque quorundã imagines circum aulam ad eius ſummitatem cura inſtaurandi eiſdem demandata eſt: quæ omnia diligentiſſimi pictores perficere nunc ſtudent. Et nouis ad inferiorem Pannoniam bellorum motibus ſubor-

Vaiuoda.

tis inter Alexandrum Vaiuodam Moldauiæ, & Iacobum Seruiæ diſpotum odiis, diſſidiisque ſæuitum diu eſt: nam dum Alexander ſuperbe, auareque dominatur, populi

Diſpotus.

tyrannice uexati, ad Diſpotum confugere; qui contracto ſtatim exercitu aduerſus Vaiuodam in populi illius auxilium aduolauit, at Alexandro, cui Rex Turcorum faue-

Diſpoti uictoria.

bat, maiori armatorum manu irruente, prælium continuo cruentũ accenditur, in quo Diſpotus ſuperior fuit, pugnauitque diu in confertiſſima acie nudo capite, magno cũ uitæ ſuæ diſcrimine. Vaiuoda tandem fuſo, ac fugato, uniuerſa Moldauia Diſpotus potitus eſt. & Solymanus, ut eum è uictoriæ poſſeſſione exturbaret, ingentem comparauit exercitum, quo armorum apparatu ille perterritus, miſſis Legatis, pacem a Soly-

Conditiones pacis Diſpoto datæ.

mano ſuppliciter petiit; quæ his conditionibus propoſita eſt, ut Diſpotus præter ſolitum tributum, in ſingulos quoque annos uiginti aureorum nummum millia Solymano penderet, atque in bello caſtra Turcarum cum auxiliaribus copiis ſequeretur. Solymanusque ob id Diſpotum in Moldauiæ Principatu perpetuò confirmaret, armiſque eum aduerſus quoſcunque protegeret. Sed conditiones non placuere, ob grauioris tributi impoſitionem. Alexander autem a Solymano euocatus, ſub cuſtodia Con-

ſtantinopolim

ſtantinopolim profectus eſt,& in exilium actus. hæc foris. domi autem decemuirali iudicio Ioannes Baptiſta Brambatus uir ex ciuibus Bergomatibus nobilitate, clientelis,diuitiis longè primus,abſens damnatus eſt,ex eo, quòd Ioannem Franciſcum Albanum Collateralis filium per inſidias ſicariis ampla mercede corruptis interfici curarit. perpetuo enim exilio ex tota imperii ditione mulctatus eſt, & bona eius fiſco addicta;ac tria millia ex decemuirum cenſu librarum paruarum decreta,qui eum occidiſſent,uel captum,uinctumque Venetias perduxiſſent,ubi is ſtatim capitali ſupplicio afficeretur. Nouus argenteus nummus hoc tempore centum uiginti quattuor ſolidorum ſignatus fuit,quæ denariorum ſumma Ducatum efficit: dimidia quoque, & quarta eiuſdem Ducatus pars excuditur, in quorum latere inſculpta eſt Leonis alati imago,cum ſubſcriptione, Ducatus Venetus; in altero flexo poplite Princeps inſpicitur, Diuum Marcum ſella ſedentem adorans: inſcriptioque de more Ducis nomen inciſum continet. nec reticenda hoc loco ſunt mirabilia opera Dei, quæ per manus Sanctorum ſuorum in hæreticæ prauitatis confuſionem fieri uidemus. Nam Patauii erecto nouo Diuæ Iuſtinæ magnificẽtiſſimo templo, religioſi patres tria Diuorum corpora,ſcilicet,Iuſtinæ,Matthiæ,& Lucæ,è ueteri templo in nouum traduci curarũt: atque ad ea uiſenda dum omnis populus deuote conflueret,ex ſacris uirginibus una Camilla nomine ex Papafaua nobili familia in Sanctæ Annæ monaſterio, quæ per duos fermè annos,pedibus ægra,capta luminibus,& penè muta, ac totius corporis parte languida, Medicorum auxilio deſtituta iacuerat,mente, ſpirituque accenſa eſt, ut ſancta corpora pie inuiſeret,& ſtatim ex Abbatiſſæ conſenſu,monaſterio egreſſa,quòd pedibus ire non poterat, uehiculum conſcendit, & ad Sanctorum corpora ſe deferre iubens, facta confeſſione, iis ſe deuotiſſime cum lachrymis commendauit: & poſt pias preces,exoſculataque Sanctorum oſſa,innocens uirgo,pedibus,oculis, & lingua,uno tempore miraculoſe reſtitutis,priſtinam membrorum omnium ſanitatem recepit, indeque ſine uehiculo laudans Deum,ſalua, incolumiſque in monaſterium per ſe regreſſa eſt. omniſque urbs ſtupore impleta exultauit tanto miraculo in ſacra uirgine conſpecto, quòd per litteras ſtatim Aloyſius Mocenicus prætor Senatui ſignificauit: diuulgatumque eſt miraculum per omnem Italiam, in orthodoxæ fidei argumentum, & Hæreticorum confuſionem. & hoc tempore Alphonſus Ferrariæ Dux Venetias acceſſit, Clodiamque primum magno ſuorum comitatu ſe contulit,ubi tunc prætor erat Marcus Iuſtinianus, Antonii F. qui cum pleriſque patritiis ab urbe officii cauſa miſſis, obuiam Alphonſo prodiit. poſtridie magno cymbarum numero omnes Venetias uerſus profecti ſunt,& ad Almi Spiritus fanum delati, obuiis aliquot ex equeſtri, Senatorioque ordine patritiis, in Ducalia nauigia purpura adoperta excipiuntur: inde urbi appropinquantibus, circa Antonii ædem Princeps, patreſque Bucentauro occurrerunt, in illudque ex humiliori naui Alphonſus tranſcendens, per mediam urbem ad ſuas in Euſtachii uicò ædes magno totius ciuitatis gaudio, & lætitia, a Principe, & patribus deducitur. in urbeque per dies octo moratus, incredibilem patrum munificentiam, comitatem, honorumque officia ſibi exhibita admiratus eſt. & Byzantii Selym Solymani Imperatoris filius, treis nobiles natas matrimonio copulauit, quarum una Begliarbei Græciæ uiro inter Turcarum gentem magnæ authoritatis, & potentiæ nupſit; altera Maometho Baſſa homini illuſtri; Tertia Aga Ianizerorum præſtantiſſimo armorum Ductori coniugata fuit. magnæque his nuptiis de more gentis Conſtantinopoli feſtiuitates, ſuperbique ludi æditi, ampliſſimis ad hæc in lætitiæ, obſequiique ſignum a Turcorum Principibus ſponſi muneribus donati ſunt. in Galliis ob populorum in Religione & fide diſſidia, ciuile propè bellum ortum, armaque utrinque parabantur coegeratque. Condeus Princeps Regis Nauarræ frater, ex Huggonotis uiris improbis, & infidelibus ingentem exercitum: & ex altera parte Regii Ductores magnam armatorum manum habebant, ut Catholicam fidem aduerſus Hæreticos tuerẽtur, qui Lugdunum incredibili furore ingreſſi, oppidum in ſuam poteſtatem redegerant, cædeque multorum perpatrata, euerſiſque altaribus, ac deletis Diuorum imaginibus, in populum Dei inſanabili amentia debacchabantur. multaque alia oppida in ſimilem calamitatem inciderant. in magnoque Gallia diſcrimine his religionis moti

Io. Baptiſtæ Brambati damnatio.

Noua numiſmata.

Iuſtinæ templum Patauii. Camilla.

Not. Miraculum.

Alphonſi Ducis ad Venet. urb. acceſſus.

Selym Solymani filius.

Condeus.

Not. Hugonotorũ impietatẽ.

bus uerſabatur. Nec apud Venetos quies in maritimis rebus erat. eruperant enim ex

No. Pyratarum inſeſtationē

Aſiæ minoris littoribus plurimæ pyratarum biremes, quarum pars in inferum, atque alia in ſuperum mare delata, hoſtili incurſu omnia infeſtabant, nullibique nauigantes tuti erant. Tantæq; audaciæ impii prædones fuerunt, ut in Dalmatiam, & Venetam uſque oram Myoparonibus ſuis irruentes, plurima nauigia interceperint, terroreque, & fuga uicinæ Inſulæ, littora, & maria repleta ſunt. Ex urbe igitur ad retinendam publicam dignitatem ſtatim decem triremes uiris, armisque optimè inſtructas in ſæuiſſimos prædones Veneti emiſere, quarum Gubernatores a Senatu lecti fuere hi patritii diſciplinæ omnes naualis peritiſſimi, Philippus Bragadenus, M. Quirinus, Th. Michael, Al. Rimondus, Ant. Bragadenus, Ber. Superantius, Geor. Cornelius, Iaco. Muſtius, Laur. Bembus, & M. Michael: qui incredibili celeritate conſcenſis triremibus, in hoſtem profecti ſunt.

Decē gubernatores.

Antonius quoque Canalis Adriatici ſinus præfectus, iuſſus eſt rem impigre gerere, ut pyratarum hac colluuione infeſſa maria purgarentur., qui ſtatim cum ſex triremibus in Piceni oram profectus, duas pyratarum biremes alto mari diu perſequutus eſt; easque circa Anchonæ littora proras in terram impingere metu perterritas coegit; hoſtiumque magnus numerus a Picentibus (dum in proximum littus effugii cauſa ſe recipiunt) captus eſt, & centū amplius Chriſtiani in ſeruitutem redacti, ex Pyratarum manibus liberantur; in quo quidem facto & Canalis ipſius præfecti, & Ioannis Baptiſtæ Bembi Trierarchi uirtus plurimum enituit: nam hi duo per triginta paſſuum millia pyratas inſectati, rem fœliciter geſſere.

Pyratæ capti.

Io. Baptiſta Bēbus.

No. fulguris uim.

Et in urbe circa tertiam noctis horam ingenti turbine exorto, fulgurè cœlo emiſſum diuini nuncii ſimulachrum, qui in ſummitate diui Marci turris poſitus erat, terribili ictu percuſſit; brachiumque eius, alarumque particulas fulminanter abſcidit. è manibus quoque marmoreæ Iuſtitiæ ad ſummi faſtigii latus lances ſuſtulit, deſcendenſque per exteriorem turris angulum, magnam in eo edidit collabentis muri uaſtitatem. Formidabilique illius noctis tempeſtate prodigioſam cœli comminationem in Remp. denunciari uulgo omnes interpretati ſunt. Sed diuinæ cuncta ſubiacent uoluntati, incapacemque habet mortales prænoſcendi animum, quum id ſolum diuinæ mētis proprium ſit. Vana itaque ſunt, & fallacia iudicia humana. Poſt hæc more ſolito pyratarū Turcorum incurſione maria omnia infeſtabātur, nilque uſquam tutum nauigantibus erat. quare Chriſtophorus Canalis claſſis Venetæ Legatus in uindictam ardens, magno ſtudio in acerrimum hoſtem curſum direxit: peruagatoque ingenti maris ſpacio circa Cephalleniam tres prædonum biremes uir ferox aggreſſus, magna eorum occidione oppreſſit: & ad Saſinum in quinque alias hoſtium longas naues impetum faciens, ex his quattuor poſt longam dimicationem expugnatas, in ſuam redegit poteſtatem, captiuoſque complures ex diuerſis nationibus Chriſtianos, qui in compedibus erant, liberauit. multi autem ex prædonibus cæſi, multi cum Muſtapha Duce ſuo ſagitta ſaucio, relictis myoparonibus in terram deſilientes, ſeruati ſunt.

Pyratarū clades.

Muſtapha

Atque ita Canalis intra paucos dies ſeptem hoſtium nauibus captis, inſignem adeptus eſt gloriam. fructu tamen uictoriæ fatorum inuidia, breui perfrui potuit: nam in eo facinore, dum per triremem arcu armatus, quòd ſagittandi peritia plurimū ualebat, curſitans, ſuos in prælium accendit, duobus dictus iaculis, quorum unum pedem leui uulnere perſtrinxit, alterum uiolentisſima percusſione totum fœmur perforauit, poſt ſeptimum diem uulnerum grauitate Corcyræ magno totius militiæ naualis mœrore è uita deceſſit. funuſque eius exquiſitisſima pompa, multiſque lachrymis celebratū eſt.

Chriſt. canalis interitus.

Hier. Canalis fili⁹.

Admirabiliſque in hoc facto Hieronymi eius filii raræ indolis adoleſcentis uirtus prædicatur. conuolantes enim hoſtium ſagittas ſcuto excipiens, patrem fortisſimus filius mira pietate protexit, quod ſimiliter Scipionem Aphricanum in ſeruando parente ad Trebiam aduerſus Pœnos dubio Marte pugnante, Liuius feciſſe tradit. Nec ciuitas in defunctum Canalem ingrata fuit, cuius liberis, lege in Senatu lata, quadringenti aurei nummi ex aerario, donec uiuerent, conſtituti ſunt, ac duabus puellis, quum hæ ad nubilem peruenisſent ætatem, dotis nomine, quattuor aureorum nummum millia ſingulis decreta: adiectumque, ut Hieronymus filius, qui præter maritimæ rei ſcientiam, paterna educatione litteris quoque Græcis, Latiniſque imbutus erat, ubi uigeſimum uitæ annum

Nu. Publicam munificētiām Hier. Canalis.

atti-

attigiſſet, triremis unius præfecturam haberet, cui tunc bina aureorum millia ex publica munificentia dono traderentur: patrumque gratitudinem omnes commendarunt, qui inſignis uiri pro patria cæſi hanc meritæ familiæ non minus ſapienter, quàm piè conſuluiſſent. atque id ſanè prudenti conſilio factum eſt, ut tantæ in fortisſimum uirum beneficentiæ exemplo alii accenderentur de patria bene mereri. ſufficiturque in Canalis locum Philippus Bragadenus, uir naualis diſciplinæ uſu admodum clarus, qui per id tempus, ut ſupra memorauimus, unius triremis Gubernator in claſſe aderat. iſque ſtatim ex propria triremi in prætoriam tranſiens, regendæ claſſis, quod fœlix, fauſtumque ſit, imperium ſuſcepit. triremi uerò ſuæ Canalem filium ex Senatuſconſulto præpoſuit. & Tridenti noua controuerſia ſuborta eſt, de præcedentiæ iure inter Bauaros, & Venetos Oratores: propoſitaque eſt res Illuſtrisſimis Concilii Legatis illi autem Venetæ dignitatis rationem habentes, blandis uerbis Bauaros hortati ſunt, ut hæc miſſa facerent, diſparemque fortunæ ſuæ conditionem cum Veneta conſiderarent: qui minime acquieſcere uoluerunt. Pontificis itaque declaratio a Roma petita eſt. honorificentisſimè autem ſua Sanctitas de Veneta Rep. loquutus, cui amplum terra, marique aſſerebat patere imperium, ac duo opulenta Regna Cretam, & Cyprum, ſubiecta eſſe. Legatos per litteras admonuit, ut Bauaro Beatitudinis ſuæ nomine perſuaderent ne in ea opinione perſiſteret, pateretur que æquo animo Venetum ſibi præferri, qui maritimæ, terreſtriſque ditionis magnitudine, & amplioris fortunæ maieſtate uel Regium nomen ſuſtinere poſſet. ſed pertinaci animo Bauarus Venetis Oratoribus circa ius præcedentiæ hæc per tabellas publicè denuntiauit: Reuerendisſimi atque Illuſtriſsimi ſacri huius Concilii præſides, cæterique Reuerēdisſimi patres: priuſquàm nomine Illuſtrisſimi utriuſque Bauariæ Ducis principale legationis meæ negociū aggrediar, ex ſpeciali mādato Celſitudinis ſuæ, non poſſum omittere, quin pro retinendo iure & præeminentia Illuſtriſſimæ & uetuſtisſimæ domus Bauariæ, quæ originem tam a Principibus electoribus, quàm Imperatoribus, & Regibus per multa abhinc ſæcula traxit, coram uobis Illuſtrisſimis, & Reuerendisſimis patribus proteſter, Illuſtrisſimum Principē, uel me Celſitudinis ſuæ nomine inclytæ Reipublicæ Venetæ ampliſsimos Legatos in ſesſione præcedere: quam quidem præcedentiam licèt iure ſibi competere Illuſtrisſima ſua Celſitudo iuſtisſimis ex cauſis arbitretur, tum quia in Imperio hic conſeſſus habeatur, tamen ne de priori loco certare uelle uideatur, in Concilio, in quo de pietate agitur, & ubi humiliatione Deus eſt implorandus, ut Eccleſiæ ſuæ miſereatur, denique ut antiqua amicitia cum Republica Veneta retineatur, hac uice benigne meam perſonam Legatis cedere permittit; ea tamen lege, & ſolemni proteſtatione præmiſſa, ut hoc ipſum poſt hac in quibus uis conuentibus ſuæ Celſitudini eiuſdemq́ue poſteris, cæterisq́ue Germaniæ Principibus. electoribus, & Ducibus, nulla ratione, uel modo præiudicare posſit, uel debeat. utq́ue huius ſolemnis proteſtationis memoria poſteris relinquatur, Reuerendisſimas paternitates ueſtras nomine Illuſtrisſimi Principis, ſubmiſsè oro, eamq́ue ad acta ſacroſancti huius Concilii regiſtrari, mihique copiam in forma ſolemnis inſtrumenti exhiberi. Tum Nicolaus a Ponte, altero Legato Mattheo Dandulo ob inualitudinem abſente, Veneti Senatus nomine ad publicam dignitatem retinendam, alta uoce hæc coram Legatis, totiusq́ue Concilii patribus Latino ſermone protulit, annotariq́ue curauit: Poſteaquàm Magnificus Orator Illuſtriſſimi Domini Ducis Bauariæ petiit, ſuam hanc proteſtationem adnotari, dico, quòd Illuſtriſſimus Dux Bauariæ, prout nunc cedit, ita ubique, & ſemper plurimis, iuſtiſſimisq́; cauſis cedere debet Sereniſſimo Venetiarum Duci, & Dominio: & hoc ego quoque adnotari peto. poſt hæc quum Gallia (ut ſupra retulimus) ſæuiſſimo bello laboraret, religionis cauſa, quam Huggonoti Hereſiarchæ armis impugnabant, qui etiam Orliens, Burges, & Rhoanum urbes antea expugnarant, aduerſus eos ualidiſsimum ſtatim pro Catholica fide tuenda Galli exercitum compararunt, uariique utrinque armorum conatus extitere: auxiliaribusq́ue hincinde copiis contractis Catholici, Huggonotiq́; partes ſuas firmabant. nam Pius Pontifex Maximus, & Philippus Hiſpaniæ Rex, quū Dei cauſa ageretur, milite, pecuniaq́ue rem Gallicam iuuarunt. Veneti quoque requi

Philippus Bragadenus.

Cont. de præcedentia.

No. Pontificis de Venetis opinione.

Not. denūciationē, a Ba. Ducis legato

Nic. a Pōte.

Centum aur. millia a Venet. mutuo data. Tributũ Ferdinandi.

ſiti, in tanto Reip. Chriſtianæ diſcrimine, cẽtum aureorum nummum millia Regi mutuo dedere. Pax deinde inter Solymanum Turcorum Regem, & Ferdinandum Imperatorem Conſtantinopoli per octo annos firmata eſt, quibus triginta aureorum millia monetæ Hungaræ Ferdinandus Turco penderet. ex Byzantio poſtea Baili litteris cognitum eſt, Sophenum Perſam in Solymani Turcorum Regis gratiam Bayſethem filium, & quattuor eius liberos interfici iuſsiſſe, quorum nece crudelis pater maximopere gauiſus fuiſſe dicitur: alium quoque trium annorum ætate puerum, qui Burſiæ alebatur, miſsis ſatellitibus occidi imperauit, ut Regnum per domeſticorum cædes ad unicum filium ſuum Selynum perueniret. & Romæ Pius Pontifex Ber. Nauagerium Cardinalem Venetum uirum eruditione inſignem Veronæ Epiſcopum in Hier. Triuiſani nuper Tridenti defuncti locum, declarauit. In Carniſque hoc tempore populi finitimi ſub Ferdinãdi Imperatoris ditione poſiti, res nouas quotidię moliebantur. Ad contrauerſias igitur tollendas ex communi Ferdinandi Imperatoris, & Senatus Veneti conſenſu delecti ſunt ex utraque parte quinque Commiſſarii, qui ex bono & æquo res componerent, creatique ſunt ex Germanis, Andreas Peghel ex Stiria prouincia, Maximilianus Dorimberg, Sthephanus Suorz Doctor, conſiliarius aulicus, Andreas Relingher, & Antonius Scotemberg, Doctor Tridentinus; & ex Venetis Seb. Venerius, Marinus de Caballis eques, Petrus Sanutus, Ioannes Baptiſta Contarenus, & Auguſtinus Barbadicus, cum aduocatis iuris utriusque Doctoribus viris excellẽtisſimis Iac. Chizuola, Fr. Gratiano, & Marquardo Suſana. in ſua tamen Germani proteruia inſiſtentes Veneto ſubditos, & in Foroiulio, & in Hiſtria nouis afficere iniuriis non deſinebant: nam in Gradenſium illi fines armata manu ſubitò irrumpentes, eorum piſcationes, & aucupia, ex quibus ſibi illi uictum comparant, diruerunt. Vtinenſium quoque, & Muglenſium fines uexati. Miſſus proinde eſt a Senatu Ioannes Frumentus è Scribarum a ſecretis ordine in Germaniam ad Ferdinandum, ut ſua Maieſtas ab inferenda iniuria ſuos reuocaret, a uique utraque pars abſtineret, donec ad fines Commiſſarii profecti, de his maturum iudicium ferrent. Poſt hæc Hiſpana uiginti octo triremium Duce Ioanne Mendoza claſsis dum ex freto Herculeo Barcellonam uerſus per Ibericum mare curſu intenderet, ut in Aphricam ad Orani præſidium nauigaret, ingenti ſubitò exorta tempeſtate, turbatum adeò mare intumuit, atque iratum, æſtuanſque deſæuiit, ut claſſem totam ad arenoſum Malicæ littus, proximoſque ſcopulos impactam diſiecerit, cuius pars inſanis fluctibus in profundum demerſa, pars terræ, cautibuſque illiſa, miſerabili modo periit; turmaque naufraga cum uiginti quinque triremibus mari eſt abſorpta. aliam quoque Hiſpano non minorem cladem fortuna intulit. nam ad uiginti onerariæ naues, quę mercibus onuſtę, ad Indię Emporia nauigaturę erant, fortuito incendio in Sybilię riuulo conflagrarunt. Ad Conciliumque his diebus Cardinalis Lothoringiæ uir doctiſſimus, & magno rerum uſu, prudentiaque inſigni ex Gallia cum quamplurimis Epiſcopis Tridentum acceſſit, ut Sanctæ Synodo intereſſet, ad Eccleſiæ ſtatum reformandum, quæ plurimum prauis hominum conſiliis laborabat. per id tempus quoque Maximilianus Bohemiæ Rex, Ferdinandi Imperatoris filius, a ſex electoribus unanimi conſenſu in Francfordenſi ciuitate Rex Romanorum creatus eſt. ſtatimque Veneti conſcriptis ad Ferdinandum, & Maximilianum litteris, publico nomine utrique congratulati ſunt. miſſi quoque duo Oratores præſtantiſſimi uiri, Ioannes Leggius eques, & Procurator, & Mich. Surianus eques congratulationis munus uiuæ uocis ſono expresſius peregere. alium deinde nouum legatum Senatus ad eundem Maximilianum in Germaniam deſtinauit, qui apud eum publico nomine reſideret. Legatus autem fuit ex iuuentutis Venetæ flore Leon. Contarenus, Iuſtiniani F. Et in Gallia ciuile prope bellum ardebat: nam Rex ex una, & ex altera parte Condeus Princeps circa fidem, pietatemque Chriſtianam inter ſe diſſentientes, maximas copias contraxerant, ut armis Religionis cauſam finirent, uariique animorum habitus in uiris principibus inſederant: ex his enim aliqui Regem, alii aduerſam partem ſequuti, omnem prope Galliam in aperta diſsidia coniecerant. ad arma itaque recurſum, quibus tota ea prouincia agitata, in maximas calamitates incidit: nam Regii uiribus auctis, in hoſtes

Ber. Nauagerius Veronæ epiſcopus.

Commiſſarii Germani. Commiſſarii Veneti.

Io. Frumentus.

Hiſpana claſſis.

Naufragium claſſis.

Onerariæ naues incenſæ.

Card. Lothoringię

Maximilianus Romanorũ Rex. Legati Veneti.

Leon. Cõtarenus.

ſtes impetum fecere, qui ſtructa acie confligendi ſtudiô opportuno loco conſederant, Hi poſtea prælium detrectantes, in proxima ſe ſe oppida receperunt. At Regii hoſte abeunte ad Burgas ciuitatem ſtatim caſtra admouere, quæ intra paucos dies uoluntaria deditione capta eſt, ubi nonnulli ex Huggonotibus infandæ ſectæ authores, laqueo ſuſpenſi necantur.

Burgas.

inde ad Rohanum ſub ſignis itum, urbsque munitiſſima a Regiis diu oppugnata, per multam utrinque ſanguinis effuſionẽ tandem ſubacta, in Regis poteſtatem uenit,

Rohanũ.

in cuius oppugnatione Rex Nauarræ glande plumbea humero ſaucius, poſt paucos dies uulneris grauitate è uita deceſſit.

Regis Nauarræ mors.

nec tamen Huggonotorum ſolita bellica uirtus elanguit, quin Germanorum, Anglorumque auxiliari manu illi adiuti, ualidiſſimum exercitum educunt, & ad Pariſienſem urbem ſignis admotis, maximum terrorem populoſiſſimæ ciuitati incuſſere. tum copiæ regiæ ex urbe erumpentes in patenti campo hoſtibus ſe ſe oppoſuerunt, uicinisque caſtris manus propè conſerebantur. Tentatum eſt interim per internuncios ampliſſimos uiros admiſſos honeſtis aliquibus conditionibus bellum dirimere. Nouus paulò pòſt, inſolitusque caſus in Hetruriæ finibus euenit: nam ex Coſmi Florentiæ Ducis liberis, Ioannes Cardinalis magnæ indolis adoleſcens, in uenationem cum duobus fratribus Hernando, & Cartia, aliisque comitibus profectus, dum canes leporem aſſiduo per latam planiciem curſu inſequuti fuiſſent, feramque morſu apprehendiſſent, in controuerſiam cum fratribus uenit: nam unuſquisq; canibus ſuis captæ prædæ palmam tribuendo, in dicacia uerba inuicem prorupere.

No. Ioannis Card. Florentini caſum.

Cardinalis autem probri impatiens, ut elati animi erat, Cartiam fratrem, cum quo iurgabatur, colapho percuſſit. tum ille iniuriam non ferens, gladio educto, Cardinali fratri in fœmore magnum uulnus intulit, quo paucis horis interiit, atque ipſe a Cardinalis heri ſui famulo ſauciatur, patrique Coſmo ex illa infœlici uenatione inter ferarum ſpolia occiſi filii corpus relatum eſt. Cartia quoque non multò pòſt, ex uulnere interiit. ita leuiſſima ex cauſa pater fratricidio filios amiſit.

Cartiæ mors.

Venetique per hos dies Iordanem Vrſinum ex Principibus Romanis uirum nobilitate, & rei militaris ſcientia clarum ad ſua ſtipendia accerſitum peditatus præfectura ornarunt. Brixiaque urbs ei aſſignatur, ubi ad patrum mãdata militari cum præſidio ſe contineret. fuitque is Valerii Vrſini filius, qui bello Turcorum in Illyrico fidelem, ſtrenuamque Reip. operam nauarat.

Iordanes Vrſinus, Valerii.f.

Interim Gallorũ Regis iuſſu quattuor oppida in Subalpina regione Sabbaudię Duci, Taurinũ, Chieraſcũ, Chieri, & Villanoua reſtituta ſunt. Siuiglianum autem, & Pinarolum Rex in ſua retinuit poteſtate, promisſione Ducis facta, ut ea quoque duo oppida breui in eius ditionem regia munificentia peruenirent.

Oppida Duci Sabbaudiæ reddita.

Et in Gallis poſt uaria efferæ nationis circa Religionẽ, & Regni gubernandi cauſa orta disſidia, dum nulla auertendi belli per iuſtas, honeſtasque pactiones ſpes affulſiſſet, ad dimicandi conſilia recurritur, quo finis tam graui bello armis imponeretur. Paratis itaque ualidisſimis utrinque exercitibus in aciem deſcenſum, pugnatumque atrociter non procul a Dura flumine inter Regios, & Huggonotos; quo in certamine prima ſtatim regia acies ab hoſte Principis Condei auſpiciis circumuenta trucidatur, captusque ex Gallis ductoribus Magnus Coneſtabilis, ab Huggonotorum equitatu ſub cuſtodia è prælio abducitur:

Pugna inter Regios, & Huggonotos.

uixque hoſtis ueluti uictor ex acie diſceſſerat, quum Ghiſæ fortiſſimus Princeps, ualidiſſimam armatorum manum ſecum trahens, in Condeum uictoria exultantem ex tranſuerſo irruit, diſiectamque Huggonotorum aciem penè omnem ferro concidit, reliquasque eodem temporis momento hoſtium copias fuſas, fugatasque profligat: capiturque leui uulnere illato Condeus Princeps, belli & tantorum malorum author;

Condeus captus.

cæſique ex ſuis ad duodecim hominum millia, ex Regiis quoque ſupra tria millia deſiderata in acie occubuere, & in his Mareſcalcus S. Andreæ, & Coneſtabilis filius. diuinoque potius auxilio, quo Catholica fides protegitur, Regii ex uictis ſubitò uictores redduntur. Communemque hanc uictoriam patres ducentes, per M. Ant. Barbarum Oratorem ſuum Regi congratulati ſunt, ſupplicatioque unius diei per omnia urbis templa decreta, actæque Diis immortalibus gratiæ pro re bene & fœliciter geſta, in communem Orthodoxæ fidei hoſtem, quo deuicto, cunctæ in Chriſtiano orbe gentes perpetua frui quiete ſperabant. Nam hæc dies poſt tot tenebras uiris Catholi-

cis lætiſſima illuxit. Et Pontifex duos hoc tempore Cardinales creauit, quorum alter Hernandus fuit, Coſmi Florentiæ Ducis filius, tertiumdecimum ætatis annum agens, in cęſi fratris Cardinalis locum in Patris ſolatium a Pontifice ſubſtitutus; alter Federicus Gonzaga, Mantuę Ducis frater, & ipſe impubes. In Gallia autem Pariſienſi in urbe circa uigeſimam ſecundam diei horam fortuitò ſulphureus puluis in publico, quo aſſeruabatur, loco, accenſus eſt, ingentique ædito ſtrepitu, in maximum terrorem ciuitatem coniecit, multaque ædificia flammarum impetu combuſta corruere: concremati que ſunt complures mortales tam in propriis ædibus, quàm foris in compitis, & uicis, prodigioſamque cœli comminationem afflicto Regno hoc incendium denunciare Aſtrologi interpretati ſunt. Sed diuina prouidentia omnia gubernat, non planetæ, non ſidera, quæ uirtutem, non poteſtatem in rebus humanis habent. Obiitque per hos dies Tridenti, dum Legatus Concilio præſideret, Hercules Gonzaga Cardinalis Mantuanus, uir ingenii, & ſapiētiæ laude tota Italia percelebris. In Galliis quoque Dux Ghiſæ bellum in Huggonotos gerens, in caſtris apud Aurelianenſem ciuitatem dolo interficitur: nam quidam è militum uulgo ad Ducem incautum ſub loquendi ſpecie propius accedens, ſclopeti glande humerum eius ſubitò traiecit, quo uulnere uir Gallorum fortiſſimus intra paucos dies interiit. Nauis item hoc tempore Quirina precioſiſſimis mercibus onuſta, ex Aegypti littore ſoluēs, in Cilicium mare ſecunda aura progreſſa eſt, quæ ſubitò in fœdam, horribilemque tempeſtatem conuerſa, nautas uela dimittere, & anchoras iacere coegit, ne uentorum vi nauis in proximum Cypri littus circa Paphum impingeretur. Sed procelloſi maris æſtu in terram impulſa, naufragium fecit. perierequè multi, & in his Nauarchus: ingensque iactura mercium, ac ſignatæ pecuniæ facta eſt. hinc patres priuati diſpendii rationem habentes, treis maiores triremes in Aegyptum emittendas curarūt, quæ iuxta antiquū ciuitatis morem in Alexandriam negociandi cauſa nauigarent, earumque præfectus Nic. Surianus creatus fuit. ad Syriæ quoq; emporia duas alias triremes mittere placuit, quibus Ambroſius Bragadenus præficitur, ſolita negociatio renouatur, quæ ob maria Turcorum claſſibus infeſſa diu intermiſſa fuerat. Syriacis itaque, & Aegyptiis commertiis, ut prius fecerat, Venetus uacare cœpit, cum magno totius ciuitatis, & publico, & priuato beneficio. Vita poſt hæc Tridenti functus eſt Cardinalis Seripandus uir doctiſſimus, qui priusquam expiraret, de diuinis rebus in lectulo ad circumſtantes loquens, quantopere mortem contemneret, facilè declarauit, a terrenoque hoc carcere ad cœlos euolare appetens, illud in Pſalmo ſummiſſa, ac moribunda uoce ſæpe enunciauit, Domine accelera, ut eruas me. & his dictis, uir ſanctiſſimus obdormiuit in Domino. Gonzaga itaque, & Seripando Cardinalibus intra paucos dies uita functis, in eorum locum Pontifex Moronum, & Nauagerium Cardinales ampliſſimos, hunc Venetum, illum Mediolanenſem legatos ad Concilium ſuffecit. Et in Gallia Pariſienſi urbe in eum, qui Ducem Ghiſæ dolo interemerat, crudeli ſupplicii genere animaduerſum: nam candentis forcipis primùm aliquot ictibus per nudum corpus petitus, a quattuor poſtea equis mēbratim diſcerptus eſt. in læſæ quoque Maieſtatis crimen Zacharias Delphinus, Pharenſis Epiſcopus, unàque Aloyſius eius frater Andreæ filii inciderunt, qui per Michaelem Cernouich publicum Veneti Conſtantinopolitana in urbe baili interpretem, Senatus archana ędocti, ad exterorum Principum aures ea peruenire per occultiores litteras curabant. Ea propter patres, Zachariam Epiſcopum, qui tum pro Pontifice in Germania apud Cæſarem Oratorem agebat, perpetuo exilio a Veneta urbe, ac tota imperii ditione, tam terra, quàm mari damnarunt; qui ſi aliquo tempore captus Venetias adduceretur, in uinculis, carcereque uitam finiret. & Aloyſius eius frater, qui in minori noxa erat, per decenniū comitiis, cūctisq; magiſtratibus priuatus eſt. In carcerē quoq; Venetiis Hieronymus Albanus collateralis intruditur, ob impiū filiorū eius ſcelus; qui, nullo habito Dei metu, Achillē Brābatū uirum innocentiſſimum, Bergomi ſacrorum hora in templo diuinā rē agentē, incautum, inermemque triplici ſclopetariæ glādis ictu crudeliſſime necarent. cuius ſceleris, gnarus, particepsque Collateralis pater eſſe ferebatur. & in Gallis hoc tempore ob uaria diu de Religione diſſidia, lachrymabilemque ciuilis ſanguinis effuſionem,

Marginal notes: Hernandus Car. — Fed. Gonzaga, Cardin. — No. ignē. — Card. Mātuani interitus. — Ghiſæ cædes. — Nauis Quirinæ Naufragium. — Nic. Surianus. — Amb. Bragadenus. — Seripandi Card. interitus. — Moronus & Nauager. Card. Legati. — Zach. & Al. Delfini damnatio. — Hier. Alban. Collateralis. — Achillis Brambati cædes.

ſionem, quum nihil arma ad ſanandam hæreticæ prauitatis labem proficerent, quin his grauiora in dies obuenirent mala, ad pacis ſtudia utriuſque partis animi inclinarunt: permiſſumque eſt, ut eum quiſque impune ſequeretur religionis cultum, qui ſibi magis placeret, oppidaque bello capta Regi Huggonoti redderent, & Condeus Princeps in priſtinam gratiam reſtitueretur, impunitasque omnibus promiſſa, qui bello, armiſque, & Regem, & Catholicam fidem impugnaſſent. atque ita bello finis impoſitus, quo diu Gallia concuſſa in magnas calamitates incidit, ut ſuperius enarratum. & Romæ Cardinalis Amulius quum in Venetorum gratiam, quos ſibi ſubiratos eſſe ſentiebat, reſtitui uehementer cuperet, ad id impetrandum Pontificis interceſsione uſus eſt; qui ſtatim conſcriptis litteris, magno animi affectu Senatum rogauit, ut Amulius in gratiam reciperetur, quod ſibi gratisſimum futurum eſset. Nauagerius quoque Cardinalis, qui tum è Romana urbe Venetias acceſserat, ad Concilium Legatus, unà cum Morono, ut ſupra attigimus, Tridentum profecturus, Amulii cauſam in curia egit, a patribusque Pontificis nomine idem precatus eſt. re igitur in Senatu magnis contentionibus iactata, è patrum numero plerique pro concione in Amulium inuecti, eius in patriam immanitatem, & perfidiam accuſarunt, qui legibus poſthabitis, uiolataque legatione, quam publico nomine adminiſtrabat, Eccleſiaſticis beneficiis ſe ſe ambitioſe immiſcere auſus fuiſſet. Pontifici igitur in hunc modum Senatus reſpondere cenſuit, Venetos maxime cupere, beatitudini ſuæ cunctis in rebus obtemperare; uerùm ad id omnem eos curam intendere, ut leges pro recta Reip. adminiſtratione a maioribus conſtitutæ exacte ſeruentur, quas negligendo, publica ſalus, & libertas fluctuaret, magnaque opum affluentia, ac imperii diuturnitate, Venetam rem ad eam uſque diem floruiſſe, ob legum ſanctiſſimarum inuiolatam obſeruantiam, quibus ideo omnes (ſecundùm Sapientis illius ſententiam) ſerui ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. reiectaque eſt huiuſcemodi prudenti Senatus reſponſo Amulii ambitioſa poſtulatio a Pontifice in eius gratificationem propoſita. delectuſque eſt hoc tempore a Senatu leuis armaturæ totius equeſtris militiæ præfectus, Hector Balleonus, uir bellica diſciplina, factiſque illuſtribus admodum clarus, & cuius maiores, ipſeque complurium annorum curſu Reip. militando fideliter, ſtrenueque inſeruierant. & in Illyrico per id tempus Catharum urbs ingentem terræmotum paſſa eſt, qui circa meridiem ſubitò exortus, horribilem ædium, hominumque ſtragem ædidit: nam centum, ſexaginta octo priuatorum ciuium domus repentino motu quaſſatæ corruere, & reliquæ formidabilem in modum apertæ, acclinatæque in ruinam pendebant: collapſum quoque uiolentiſſimo tremore prætorium Franciſcum Priolum urbis præſidem, uxorem, natos, totamque eius familiam miſerabili internitione oppreſſit. erutaque eſt (ui ſu præfecto miſerabile) è ſinu ſpirantis adhuc matris ſemiuiua puella, & ex ciuibus, ac ex plebe centum quinquaginta ædificiorum complurium mole collapſa obtriti perierunt, atque in his plurima agreſtium turba, qui ex uicinis pagis ad urbem acceſſerant, ubi ea forte die ſolemnes de more nundinæ habebantur. procedere etiam latè arcis mœnia, oppidique facies in portentuoſum excidium conuerſa fuit; ad cuius cuſtodiam, quum Turcæ prædæ auidi in proximo ſederent, ſtatim Philippus Bragadenus claſſis Legatus cum toto nauali apparatu aduolauit. è Venetiis poſtea ad ſubleuādum afflictæ ciuitatis caſum, miſſa ſunt cuiuſcunque generis præſidia: nouus inde prætor Andreas Duodus creatus, uir impiger eò acceſſit, cuius aduentus perterrefactum populum plurimum recreauit, eiuſdemque uirtute breui oppidum inſtauratum.

Pacis cōditiones.

Pont. interceſſio pro Amulio.

Actio in Senatu aduerſus Amuliū. Venetorū reſpōſum

Hector Balleon'.

Catharū.

Fr. Prioli mors. No. ingentem terræmotum, & ruinā.

philippus Bragadenus.

And. Duodus.

PETRI

PETRI IVSTINIANI, PATRITII VENETI, ALOY. F.

SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.

AB VRBE CONDITA

DE VENETIS REBVS HISTORIAE

Liber quintuſdecimus.

DEFATIGAVIT nos plurimum rerum maximarum deſcriptio, ſuperioribus libris facta, quæ ab hominum memoria remotisſimæ indagandi magnam curam ſcriptori attulere: nunc faciliorem in hiſtoria proſequenda curſum per notisſima ætatis noſtræ geſta habebimus, quum aliunde ea emendicare non opus erit, ſed omnia nobis præſentia tempora ſuggerere poſſunt, ita ut in ſolo ſcribendi labore uerſabimur, nec in euoluendis uoluminibus tempus amplius contereretur, ad res cognoſcendas, quando ea nobis ultro (ut aiunt) in manus ſe ſe offerunt. ſumatur itaque principium ab Aphricæ rebus, ut ordo hiſtoriæ ſeruetur, poſtquàm in Italia, cæ-

Oranum. teriſque Orbis partibus pacata omnia hac tempeſtate conquieſcerent. Rex Algerii, qui in maritima Lybiæ ora habet imperium, recipiendi Orani percupidus, quod oppidum Hiſpani antea armis occuparant, ingentes Arabum, Turcorumque copias contraxit: claſſem quoque inſtructisſimam parauit, ut oppidum terra, marique oppugnatum in ſuam redigeret poteſtatem, Hiſpanoſque, ac Chriſtianam nomen ex Aphrica expelleret. habuitque apud Barbaros totius rei bellicæ adminiſtrationis ſummam

Draguth. Draguth uir fortisſimus. admotis itaque caſtris multis oppugnationibus oppidum eſt fatigatum: ſuſtinuere tamen fortiter Hiſpani, qui in præſidio erant, hoſtium impetum, crebriſque eruptionibus funeſtas circa mœnia cædes, & pudendas uſque in caſtra fugas barbari paſſi ſunt. aſſiduis poſtea dimicationibus, quum plurimi ex Hiſpanis cecidiſſent, commeatusq;, & annona in oppido ob arctiſſimam obſidionẽ deficerent, illius ſeruandi ſpes apud Chriſtianos penè deplorata erat; deditionemq; omnino breuì illi facere cogebantur, niſi opportunè Philippi Regis nauale præſidium affuiſſet. nam uiginti nouem triremes viris, armisq; optimè inſtructæ, in Aphricam delatæ, ita Barbaros terruere, vt obſidio ſtatim ſoluta ſit, amiſisq; aliquot æneis ma-

Oranum ab obſidione liberatum. chinis fugatus hoſtis vix in tutum euaſit. eripitur itaque a ſummo diſcrimine Hiſpanorum virtute munitiſſimum Aphricæ oppidum. ſupplicationesq; hac victoria ad gratias Cœlitibus agẽdas in Hiſpania per triduum indictæ, ac plura lætitiæ ſigna ædita.

Not. pyratarum infeſtationẽ nec multò pòſt dum Pyratæ Myoparonibus ſuis a dextra, leuaq; totum ſuperũ mare excurſionibus infeſtant, quamplurima nauigia intercepere, mariaq;, & littora pene omnia in prædam agebantur. qua indignitate motus Philippus Bragadenus ſtatim cũ Veneta claſſe ex Illyrico in Apuliam nauigauit, vbi magna pyratarum colluuio ad deprædandam prouinciæ maritimæ illius oram, ſtationem habebat. nec mora, circa

Biremes a Veneta captæ. Sipontum tres Barbarorum biremes Venetus aggreſſus, vnam earum, trucidatis ferè omnibus, in ſuam redegit poteſtatem, reliquæ duæ ex fuga in terram impactæ, capiũtur. Cæſiq; ab Apuliæ quicunque in littus effugii cauſa deſcenderant. & in his Dali

Pyratarũ Duces. Naſuph, Carramuſſa, & Achmat, tres pyratarum Duces: liberatiq; exinde ſunt centũ, & amplius ex Veneta, aliaque ditione Chriſtiani, qui a ſæuiſſimo hoſte diuerſis temporibus capti, miſerrimam diu in cathenis, compedibusq; ſeruitutem paſſi fuerant. &

Albellum gratia. extra Italiam in Normandiæ fidibus Galli Albellum Gratiæ oppidũ a Britannis Hug gonotico bello occupatum voluntaria deditione poſt atrocem diei vnius oppugnationem

tionē recepere. In Moſchouitis prætereà, Polonia, Suetia, & Danimarcha, ad Septentrionalem plagam bellum ardebat, armorumq; ingentes motus inter gentes illas excitati ſunt. Nec Turcæ, Perſæq; adinuicem quieti erant, Græciæ quoq; Euxini, & Pāphilii maris ora claſſibus agitabatur. Et religionis cauſa in Tridentino Concilio parū proſperos ſucceſſus habebat, ob diſſentientes animos, cæcamq; prælatorum ambitionem. ſolus autem Cardinalis Lothoringius, vir pietatis ſtudio, & dicendi arte clarus, quæ ad Dei honorem, & veram Eccleſiæ reformationem eſſent, ſuadebat, cui pleriq; ex Concilii patribus humanarum potius rerum, quàm diuinarum curam habentes, refragrabantur: variiſq; opinionibus ſancta Synodo diſſidente, nil quod rectum, ſanctum, piumq; foret, decerni potuit, omniaq; confuſione, & cæcitate plena erant, tantaq; prælatos ambitio cœperat, vt nulla apud eos fidei, Religioniſq; pro vera Eccleſiæ reformatione ratio haberetur. Et circa Gradum res inter Cæſarem, & Venetum Senatum cōpoſitæ ſunt: iuraq; aucupandi, ac piſcandi, quæ paulò antea a finitimis accolis magno rerum motu (vt ſupra attigimus) turbata fuerant, iuſſu Cæſaris reſtituuntur. De Foroiuliēſibus tamen finibus, ad quos commiſſarii vtriuſq; partis Cludum cōponendæ rei cauſa profecti conuenerant, nil agi potuit, uariis emergentibus difficultatibus, circa Maranum, Sinuſq; Adriatici nauigationem, impudentemque Cæſarei Venetis calumniam incutiebant, ꝙ hi malis artibus Maranum occupaſſent, mariſq; imperium ſibi vendicarent: quod vtique a veritate alienum eſt: nam Maranum emptione quæſitum ſub antiquam Veneti Senatus dominationem redierat, & Adriatici maris nauigatio iuſtis armis, & ciuiū ſanguine parta, in Veneta ſola meritò manet poteſtate. Declaratumque id in Lugdunenſi fuit Concilio ſub Gregorio X. Pontifice Maximo, anno ſalutis Milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimoquinto, quòd Adriatici ſinus liberum dominium Veneti haberent, vt Blondus Flauius in lib. 8. Decadis Secundæ ſuæ Hiſtoriæ his verbis commemorat, Acta eſt, inquit, etiam tunc temporis in Lugdunenſi Concilio Anchonitanorum cum Venetis cauſa, Abbaſq; Neruoſiæ (cui eam Pontifex commiſit Gregorius cognoſcendam) Anchonitanos nil ſatis ſolidè probantes reiecit, permiſſa Pontificis authoritate Venetis cura, eā, de qua diximus, maris Adriatici oram a Sarracenis, pyratiſq;, ſimul cum vectigalium, portoriorumq; ſuorum iuribus defenſandi. quæ Authoris præclariſſimi verba legitimam Venetorum in mari Adriatico iuriſditionem apertè, clareq; probant. atque hæc eadē libro tertio, dum de Anchonitanis loquimur, copioſè a nobis ſcripta ſunt. Addatur ēt hoc, ad iuſtam poſſeſſionem maritimi Imperii declarandam, quam Veneta gens propriam, peculiaremq; ſibi meritò aſſerit: quandoquidem complurium ſeculorum antiquitus curſu per ſingulos annos claſſis ad maris cuſtodiam educitur, vbi tot rebus præclarè geſtis, multoq; ſanguine effuſo, nauigantium indemnitas, ſaluſq; curata, ac pyratarum, prædonumq; ſæuiſſimorum, Mancini, Rambai, Falconi, Gauallæ, Richii, Camali excurſiones compreſſæ: itaq; infinito auro, labore, & ſanguine, maris ditio, nauigationiſq; iura Venetis ſolis meritò debentur. Et Byzantii per id tempus ingens aquarum vis incredibili imbrium abundantia a cœlo, viciniſq; montibus, rapido curſu profluente, ſubitò oborta, totam vrbem, proximoſq; agros latè inundauit: Rexque ipſe Solymanus in magno vitæ diſcrimine conſtitutus fuit, dum fortè ad locum diui Stephani amœniſſimum, decem & octo paſſuum millibus ab vrbe diſtantem, venandi ſtudio profectus, in imminentem tempeſtatem incidiſſet; & niſi præuiſo periculo, fugam celerem parato nauigio arripuiſſet, cathaclyſmi illius ſæuitia, violentiſſimoq; aquarum impetu demerſus omnino periiſſet. nam vix Solymano è loco digreſſo, omnis illa camporum planicies profundiſſimis aquis impletur, atq; ædes, ad quam Rex è venatione reuerſus, ſe recipere cum comitatu ſolebat, ſubito lapſu corruit. At in maiorem vrbs ipſa Byzantium calamitatem incidit: nam pluuia, grandoq;, fulguribus, ac tonitribus immixta, vltimum excidiū ciuitati afferre videbatur, terribiliſq; exorto turbine, Turris Moſcheæ a Solymano nuper regio ſumptu erectæ de cœlo tacta eſt: quod infœlix Barbari portentum rebus ſuis iudicarunt. Mare prætereà ſupra ſolitum curſum intumeſcens, innumeras ædes, pōtes, porticus, aquæductus, ac publica, priuataq; ædificia miſerabilem in modum ſubuertit, vnde plurimi tam in agris, quàm in ciuitate

Bellorū undique motus.

Card. Lothoringiæ

Gradus.

Foroiuliē ſes fines.

De Marano, & maris nauigatione.

Conciliū Lugdunē ſe. Blondus.

Abb. &c. declaratio.

Notandū.

Prædonū nomina.

Not. Solymani diſcrimen.

Not. procellam in gentem.

Not. damnũ ex inũdatione.

uitate viri,fœminæ,pueri,ac omnis generis iumenta, aquarum inundatione abſorpta periere,quorum fluitantia corpora in mare rapi ingenti numero conſpecta ſunt. tantaq; collabentium diuerſi generis ædificiorum ruina facta eſt,vt horum reparatio decies centena aureorum millia exſorbere iudicabatur.

Draguth.

Poſt hæc Draguth prædo inter Turcas fama percelebris,ex Aphricæ littoribus cum claſſe ſoluens, in ſuperum nauigauit,atque ad Iſchiam inſulam ſex onerarias Chriſtianorum naues in anchoris ſtantes aggreſſus, eas poſt cruentum certamen, in poteſtatem ſuam redegit; periereq; ex Turcis ſupra ducenti,qui nauem Raguſeam poſt acerrimam pugnam occupantes,deſperata ſalute,a noſtris,igne ocius iniecto, omnes abſumpti ſunt; reliquæ naues a Barbaris non ſine vtriuſq; partis cæde capiuntur, inter quas vna Veneta fuit,Fabiana appellata,atque aliæ Genuenſes.

Nauis Fabiana.

reuerſuſq; eſt in Aphricam Draguth, nauium prẹda locupletiſſimus, ſed cum ſemilacera, & quaſſata claſſe, quam bellica noſtrorum virtus in maritima illa pugna acerrimè prælianntium penè deleuit. Interim Veneti in diſciplinæ naualis curam conuerſi,duodecim virorum, qui maritimis rebus peritiſſimi eſſent, collegiũ inſtituere.

Not. collegium maritimum.

Hiſq; ex duobus magiſtratibus alii quattuor viri bellica itidem arte inſignes adduntur,vt omnes ſexdecim numero eſſent, qui parandæ centum triremium claſſis poteſtatem, curamq; haberent, ad hoc,vt ea ad omnes illati ſubitò belli motus,armis, viriſq; inſtructa ſine mora in hoſtem emitteretur. Et Romanorũ Rex ex liberis ſuis,Rodulphum,& Herneſtum in Hiſpaniam ad Philippum Regẽ Catholicum,fratrem patruelem miſit,qui eos ad ſe accerſierat,cùm in ambigua ſpe verſaretur vitæ Caroli filii ſui vnici, quem inualetudinarium morbus ſæpe tentabat. vt igitur in Auſtria domo opulẽtiſſimum Hiſpaniæ Regnum,deficiẽte Carolo,permaneret, Nepotes alto ſtẽmate ortos,& propinquitate ſanguinis ſibi iunctos, Philippus penès ſe habere voluit,qui in ampliſſimis Regnis ſuccederent, ſi aduerſus aliquis caſus de filio eueniret. Illi itaque in Italiam cum Cardinale Auguſtæ, aliiſque Germaniæ viris illuſtribus venientes,vt Nizam proficiſcerentur, inde in Hiſpaniã mari tranſituri, per Veronenſem agrum iter fecere. Quibus Senatus iuſſu Nicolaus Contare-

Nic. Contarenus.

nus Veronæ præfectus,officii gratia frequenti ciuium comitatu obuiam prodiit, muneraq; lautiſſima attulit,aduentumq; eorum, atq; incolumitatem vti amiciſſimorum Principum publico nomine congratulatus eſt: qui poſtmodum Venetis finibus digreſſi, Mantuam,inde Cremonam, Mediolanumque conceſſere, omnibusque hiſce locis benigne,atq; honorifice excepti ſunt, & ludos,venationes, ac omnis generis oblectamenta ſociæ ciuitates magna feſtiuitate,regioq; ſumptu eis præbuerunt. Tridentiq; hoc tempore Concilium longa vigintiquinque menſium diſputatione diuina tandẽ

Not prælatos in Concilio.

pietate optatum finem habuit,vbi nouem Cardinales,Gonzaga,Seripandus, Moronus,Hoſſius,Simoneta,Siticus, Nauagerius, Lothoringius, Madrutius, tres Patriarchæ,Hieroſolymitanus,Aquileienſis,Venetus,Metropolitani trigintaduo, Epiſcopi Ducenti & triginta, Abbates, Generales Ordinum, Theologi, & Doctores, ſupra octuaginta interfuere, cùm Legati pariter Imperatoris, Regis Romanorum, Hiſpaniæ, Angliæ,Luſitaniæ,totiuſq; Italiæ Principum viri ampliſſimi in eo conuenerint.

Not. Concilii decreta.

Declaratum autem in ſancta œcumenica Synodo, decretumq; eſt,vt infra, quòd ſcilicet quilibet Epiſcopus, ad paſcendum Domini gregem ſecundùm ius Diuinum in ſua diœceſi perpetuò reſideret: quòd matrimonia clandeſtina, & fraude contracta, ſine legitimo parentum,aut propinquorum conſenſu pro nullis haberentur;ꝙ Miſſarum ſolennia priuatis,prophaniſq; ædibus celebrari non poſſent, niſi legitima cauſa

Nota

intercederet;quòd puellæ a parentibus, ſeu propinquis in monaſteria non intruderentur inuitæ;aliaq; multa circa ſacerdotum vitam,& Eccleſiæ, Principum, populorumq; mores ſacrum ſanxit Concilium,quæ omnia Pius Pontifex Maximus in publico,& generali Conſiſtorio Apoſtolica authoritate confirmauit,ab omnibusq; Chri-

Not Ioã. Baptiſtæ Peſarei facinus.

ſtianis obſeruari mandauit. Dirum autem per hos dies, atroxque Venetiis a Ioanne Baptiſta Peſareo ex patritio ordine iuuenè vigeſimumtertium ætatis annum agente, facinus patratum eſt: qui tantæ immanitatis fuit, vt poſthabita ſanguinis propinquitate,Carolum Zane ſocerum ſuum,cuius poſt obitum bona auarè appetebat,interfi-

Caro. Zane.

cere cogitauit. aſcito itaq; vno ex ſatellitibus ſuis comite, natione Græco, Cymbam

primis

primis tenebris ſclopeto armatus, occultè aſcendit, feroq; animo viri aduentum diu expectauit, vt eum incautum cõficeret. Aggreſſus igitur ſocerum circa fermè quartã noctis vigiliam cymba domum in Diui Vbaldi riuulo poſitam ſe recipientem ſicarius vano ictu nulla in corporis parte lædere valuit. & ille nefario propoſito inſiſtẽs, iterum poſt aliquos dies, cum alio impio ſatellite ad cædem maturandam ad eundẽ locum clam aduenit, [Not. ſcelus.] effuſæq; è ſclopeto, quem in manibus geſtabat, fruſtulæ lapillorum, extremas veſtimenti illius oras perforarunt, illæſo tamen ipſe corpore certum mortis diſcrimen, Deo cum Immortalium ope ſecundo, euaſit. Facinore autem per vrbem ſtatim euulgato, ꝙ bis vir patritius incerto ſclopeti ictu inſidioſè petitus fuiſſet, ſtatim in communi periculo a patribus ampliſſima præmia Decemuirali conſilio iis [Decemuiri.] conſtituuntur, qui impium facinus, ſcelerisq; auctores detexiſſent. Paucis itaque pòſt diebus, ſeruo, qui cum eo fuerat, rem prodẽte, Peſareus è penatibus ſuis, miſſis lictoribus Decemuirum iuſſu abſtrahitur, & in carcerem truditur; ſcelerisque conuictus, [Ioã. Bapt. Peſarei ſuppliciũ.] ſummo manè tertio die poſtquam detentus fuerat, inter geminas columnas laqueo necatus eſt, alligatoque pedibus ſclopeto, ad omnium terrorem per ſex fermè horas eminenti furca exanimis pependit. Duo item alii ſceleris ſocii, qui fugam arripuerant, ſi in poteſtatem viui redigerentur, eodẽ ſupplicii genere abſentes damnati ſunt. Heroicamque patrum iuſtitiam in puniendo tam atroci viri patritii delicto æquè omnes vno ore collaudarũt. Aliam quoq; non mediocrem perturbationem ciuitas ſenſit: Nam cùm Petrus Tronus, cui a Senatu cum quattuor triremibus tuẽdi Aegei ma- [Petr. Tronus.] ris circa Cretam cura demandata fuerat, in unam Turcorum triremem medio nauigationis curſu incidiſſet, in eam ſubitò hoſtiliter impetum fecit. poſitis aũt Turcæ armis, ſe minime a Veneto læſos iri debere aiebant, ꝙ nõ pyratæ, nec prædones, ſed Solymani milites eſſent. eorum tamen Tronus nequaquam ſermonibus acquieſcẽs, barbaros ad vnum omnes ferro conficit. quo facto Solymanus plurimum excanduit, in vindictamque ardens, pacem cum Veneto abrumpere ſtatim cogitauit, vt iniuriã vlciſceretur. & Patres bellum cum potentiſſimo Rege abhorrentes, per purpuratos auro corruptos Solymani animum emollire curarunt. Danielisque Barbadici Baili ſtudio [Dan. Barbadicus.] poſt varias difficultates vigintiquinque monetæ aureæ Venetæ millium ſolutione res componitur, bellumque imminens diſcuſſum; & Tronus, qui tantæ iacturæ publicæ author fuit, abſens, Fr. Taiaperio Aduocatore referente, totius Senatus votis, [Frã. Taiaperius.] damnatur, in Illyricumque per decennium in Cherſo inſula relegatus eſt. Secutaque etiam hoc tempore pax inter Reginam Britanniæ, & Gallorũ Regem honeſtis vtrinque conditionibus. Et Pontifex Sãcti Marci Palatium, quod Paulus II. Pontifex Maximus Romæ olim ſuperbiſſimum erexerat, Venetæ Reip. dono dedit, ubi eius Oratores, qui per tempora in Vrbe legationis munus obirent, vnà cum Veneto Cardinale [Not. Pontif. donũ de Palatio] titulum Sãcti Marci habente cohabitarent. Palatiiq; huius poſſeſſio ſolenniſſimo die data eſt Reip. nomine Iacobo Superantio Oratori. ad eius autem Palatii inſtaurationem, quoniã iã illud vetuſtate, ſitùq; collaberetur, dena aureorũ millia patres erogarunt, & Pontifex ſex decimas ſuper prælatorum prouẽtibus in toto Venetorum domi- [Sex Decimas a Pótif. conceſſæ.] nio per quinquennium impoſuit, pro claſſe in Turcas armanda, mariq; tuendo. Interim dum Genuenſes magnis Corſicam tributis, vexationibusq; premũt, excitus Sanpetrus Corſus vir pugnax cum aliquot nauibus, & magna armatorum manu in Inſu- [Sanpetrus Corſus.] lam tranſiit, eaq; fœdè populata Liſtriam, & Cortem oppida cepit. Genuenſes autem non exiguis coactis copiis, opeque a Philippo Rege implorata, in hoſtem varia fortuna pugnarunt. Oppreſſaque eſt a ſeptem triremibus Hieroſolymitanorum Equitum, qui Maltam Inſulam tenent, vna Turcorum triremis apud Zacinthum. Occupauit cõtrà Philippi claſſis, Duce Carſia Tolletano, in Aphricæ littoribus Pegnonum oppidũ ſatis munitum, ex illiusq; poſſeſſione Hiſpanorum armis Arabes, Mauriq; eiecti. Inde [Pegnonũ ab Hiſpanis captũ.] Io. Andreas Doria cum decem octo triremibus in auxilium Corſicæ enauigauit. Et Byzantii duo Chriſtianę Religionis viri, paternarum legum obſeruantiſſimi, accuſati [Not. duorum Chriſtianorum ſuppliciũ.] corã Cadi, ꝙ Maumethanam fidem deſpicerent, Chriſtianamq; extollerent, crudeliſſimo mortis genere affecti ſunt: nã vnus, qui appellabatur Nic. Grecus, in vncos nudo [Nic. Grecus.] corpore proiectus eſt, qui diu maceratus acerbiſſimo ſupplicio mortẽ obiit: alter Lucas

cas

Lucas Mytilenεus.

chas patria Mythilenεus cunctis membris laniatus, excoriatuſque per ſæuiſſimos cruciatus animam efflauit: ita uterque pro fide Chriſtiana extinctus, nobilem, ſempiternamque ſibi martyrii coronam parauit. Poſt hæc Mantuæ Ducis uxor, Ferdinandi Imperatoris filia, quum puellam in partu enixa fuiſſet, Vincentius, Tronus Pauli filius,

Vinc. Tronus.

a Senatu lectus eſt, qui publico nomine genitoribus congratularetur, a fonteque ſacro eam leuaret: muneraque attulit, inter quæ arculam precio, & opere inſignem. Pontifex interim circa ius præcedentiæ inter Gallorum, & Hiſpaniarum Regum Oratores, priorem locum Gallo, uti ſemper obſeruatum fuerat, attribuit: ex quo Philip-

De præcedētia Pōt. iudicium

pus Rex ualde indignatus, Oratorem ſuum è Romana curia ſtatim reuocauit. Pyratæque ſub id tempus tanta audacia fuere, ut in Hiſtriæ usque oram prædabundi irruerint, compluribusque nauigiis interceptis terrore, & fuga uicina maria repleuere. unde tres illico triremes, duæque celoces ab urbe tumultuario milite conſcripto emiſſæ ſunt, quarum Antonius Canalis Ductor fuit. Pyratis autem celeri effugio in tutum abeuntibus, nil fieri ex uoto in hoſtes fœliciter potuit.

Not. Pyratarum audaciam.

Ant. Canalis.

Tempeſtaſque per hos dies in Feltrenſi horribilis crudelem in modum deſæuiit, prodigiique loco habita eſt: nam tantus imber ſubitò è cœlo, nubibusque effuſſus terras inundauit, ut omnia ædificia ſemihoræ ferè ſpacio, tuguria, ſtabula diſiecta, ſubmerſaque fuerint; auulſaque grandiora è montibus ſaxa, ac è prædiis, agrisque diſſipata, effoſſaque humus, cum ſulcis, glebisque, unde agreſtium, & mortalium infinita multitudo, qui conuallem amœniſſimam cohabitabant, aquis, turbineque obruti, abſumptique periere. urbs quoque proxima eandem inundationem, ruinamque paſſa eſt, magno cum omnium incolarum damno, & formidine.

Not. Tempeſtatem in Feltrenſi.

Poſt hæc cœli prodigia, Ferdinandus Imperator graui corporis morbo diu conflictatus interiit, ſtatimque eius filii Maximilianus, Ferdinandus, & Carolus Regna inter ſe diuiſere, Boemiamque & Pannoniam, cum Imperio Maximilianus maior natu habuit; Styriam, Carinthiam, & Carniolam Ferdinandus: Auſtriam autem, & Nericorum fines Carolus ſortitus eſt.

Ferdinandi Imperatoris obit᾿ Deuiſio Regnorū.

Et hæc in Italiæ oris at in Thracia dum Solymanus Rex in uenationem exiſſet, ſubitò tenebris oculis obortis, ex equo in conſpectu ſuorum prolabitur, Byzantiumque aductus, adhibita medela intra paucos dies conualuit. Sed diuulgato eius grauiſſimo morbo, Muſtapha ex non ignobili inter Turcas genere, magna armatorum manu contracta, ſe Solymani Regis filium eſſe fallaci aſtu prædicauit, ut ſi Solymanus obiiſſet, Regnum tanquam hæres, patriſque ſucceſſor armis occuparet. Sed dum hæc ipſe temerè moliretur, à ſuis deſtitutus, captuſque, ad Solymanum perducitur, qui conſtanter filium ſuum ſe eſſe aſſeuerauit. unde Rex ira accēſus, ceruices illi abſcindi, corpusq; in uncos proiici ſtatim iuſſit.

Solymani caſus.

Not. Muſtaphæ facinus.

Pontifex quoque in magnum uitæ diſcrimen incidit: nam quinque facinoroſiſſimi uiri coniurationem occulte inter ſe inierant, ut eum opportuno tempore ſub ſpecie alloquendi in cubiculo aggrederentur, traditasque tabellas dum Pontifex intentus legeret, pugione ueneno illito confoderetur, ſtatimque illi fugam arriperent, quam facilem, ſecuramque fore putabant, in grauiſſimo ciuitatis motu. Inſidiis autem detectis, tres ex his capti ſunt, inter quos Antonius quidam ex Rhegio urbe fuit; nonnullique alii accuſati, & in poteſtatem redacti, quæſtioni adhibentur.

Not. Pontificis periculum.

Cōiurati.

Et Byzantii magnum hoc tempore incendium urbem deformauit: nam adeo terribili impetu cuncta corripiens deſæuiit, ut ad quindecim mille domus contiguæ deflagrarint; uaſtitasque in urbe ingens reddita eſt.

No. Incēdium.

Quibus quidem diebus Benchaomer legatus Aladyn Haſſiorum Regis in magna Taprobana Indiæ inſula, Byzantium ad Solymanum uenit, muneraque attulit, Librum ſcilicet Alcorani, ſeruum Aethiopem, qui humana carne ueſcebatur, duo uaſa olei precioſi, treis Eunuchos, quinque ſacculos piperis albi, decem pocula ex porcellana, pannos ſericos, & aureos, arcum, Sariſſas, ſagittarumque faſciculos miræ pulchritudinis ex duriſſimis Indiæ harundinibus: tria auium ſtupenda aduncitate roſtra, aliaque complura ex auro, & argento, Gemmisque admiranda, quæ omnia loculis ſigillo regio munitis recondita erant.

No. munera ad Solymanum.

Et Solymanus audito maximo Philippi Regis claſſis apparatu, quo Pignonum, ut ſupra memini, expugnatum fuerat, iniuriæ impatiens, claſſem & ipſe prǣpotentem in altum emiſit; terreſtres quoque copias ingentes contraxit, ut terra, mariq; in infeſtiſsimum

No. claſſes.

hoſtem

hoſtem Hiſpanum rem gereret, iniuriáſque ulciſceretur. Et Veneti in tanto Turcorum motu, ut Gens naualibus armis præpotens, Inſulas, urbeſque ſuas in Illyrico, Aegeo, Carpathioque mari, ualidiſſimis militum præſidiis firmarunt, claſſemque auctam magno armorum apparatu inſtruxere. Et Romæ Pontificis iuſſu, tres ex coniuratis, qui uitæ eius (ut ſupra attigimus) inſidiati fuerant, abſciſis ceruicibus ultimo ſupplicio afficiuntur, eodemque gladio, quo illi Pontificem confodere cogitarant: damnatorum membra diſcerpta ſunt. Duo autem reliqui, qui in minori noxa erant, ad triremium tranſtra cathenati perpetuò relegantur. prodigiaque hoc tempore noua obnunciata mentes hominum conturbarunt: nam in Hiſpania iuxta Syrrhacuſarum ciuitatem, campana Eccleſiæ in ſemoto pago per duas fermè horas motu proprio per ſe iugiter inſonuit: quod Antonius Teupolus Reip. Orator per litteras Senatui ſignificauit. & circa Corcyram ingens ſplendor ad octauam noctis uigiliam è cœlo ſubitò effulſit, irradianſque uibranti lumine, mare ſanguineum, uiſuque horribile reddebat. Interim Byzantii ingentem Turcæ claſſem parabant, quam uiris, armiſque optime inſtructam ad Melitæ inſulæ oppugnationem ducere iterum ferebantur. Et Maximilianus Imperator per Michaelem Cernouichium triginta aureorum nummum millia donatiui nomine Conſtantinopolim ad Solymanum miſit, paxque inter eos renouata eſt, quam Ferdinandus pater per octo annos cum Turca ſolemniter ſanxerat. comprehenſique ſunt in hac pace Ferrandus, & Carolus, Maximiliani fratres, qui diuerſis Regnis in Norico, Auſtria, Stiria, & Carinthia imperabant. Rumore autem increbeſcente de ingenti Turcorum claſſis apparatu, Veneti ſtatim maritimum Ducem, qui nauale Imperium haberet, cũ ſumma poteſtate legere: is uerò fuit Melchior Michael eques & Procurator, uir ingenio, authoritate, ac rebus geſtis inſignis. Creatique ſunt XXX. Gubernatores ex nobilitatis flore, qui ſingulis triremibus præeſſent. in Cyprũ legati nomine, Ant. Brag. miſſus eſt, & Corcyrã Fr. Barbarus, ambo patritii animi fortitudine æque clariſſimi. At Pontifex Quadrageſimalibus diebus tres & uiginti Cardinales creauit, omnes (præter unum natione Gallum, Italos; hi autem fuere, Epiſcopus Delphinus Venetus, nuncius ſuæ Sanctitatis apud Maximilianum Imperatorem, Epiſcopus Cribellus, Mediolanenſis, nuncius apud Philippum Hiſpaniarum Regem; Epiſcopus ſanctæ Crucis, nũcius in Gallia, gente Romanus; Epiſcopus Comendunus, Venetus, nuncius ad Polonos in Sarmatia; Epiſcopus Vercellenſis Pedemontanus, nuncius apud Venetos; Epiſcopus Vrſinus Romanus, Archiepiſcopus Columna, Archiepiſcopus Auinionenſis, Neapolitanus, Epiſcopus Pataui, Aloyſius Piſo, Venetus, Epiſcopus Sanctæ Floræ, Epiſcopus Parmæ, Lomellinus Genuenſis, Dominus Antonius Chrichi Gallus, Epiſcopus Auguſtæ, Sabbaudienſis, Archiepiſcopus Piſarum, Angelus Nicolinus, ex Florentia, Archiepiſcopus Ptolomeus, Conenſis, Secretarius Pontificis, Alciatus Datarius, Mediolanenſis, Epiſcopus Vintimilliæ, Paſqua Genuenſis Epiſcopus Sarzanæ, medicus Pontificis, Epiſcopus Bobii, Caſtellionenſis, ex Inſubria, Huggo Boncompagnus Bononienſis, Paleotus Auditor Rotæ, præſes Craſſus ex Mediolano, Gubernator Bononiæ, & Prothonotarius Sirletus, Calaber, qui unus incredibili animi moderatione Cardinalatus ipſius dignitatem inuitus ſuſcepit, quam cæteri mortales ardentiſſimis uotis ambiunt. & in Corſica res Genuenſibus aduerſæ erant, omnia Samperio Corſo in ea igni, ferroque uaſtante. & quum Turcorum claſſis ingenti armorum apparatu, ex Helleſponto egreſſa, in altum prodiiſſet, cuius Pialagi unus ex purpuratis regiis Imperium habebat, cum Muſtapha, Solymani ex ſorore nepote Terreſtrium copiarum Duce; Veneti ſtatim tradito publico uexillo, Michaelem electum Imperatorem claſſem conſcendere, & ex urbe in prouinciam fœlicibus auſpiciis emigrare iuſſere: mandatiſque ille parens, in Illyricum enauigauit. at Turcorum claſſis procelloſo mari Methonem in Achaiam profecta, tamdiu ibi ſubſedit, donec uniuerſa eò acceſſit: tum curſum in Melitam inſulam, quæ eſt inter Lybicum, & Siculum mare poſita, dirigens, milites, tormentaque ad eam oppugnandam in terram expoſuit. ad primum autem hoſtium conſpectum Hieroſolymitani equites oppido magno impetu egreſſi, Turcas male habitos ex his

No. ſupplicia in cõiuratos

No. prodigia.

Pax Maximiliani cũ Othomano.

Melch. Michael claſſis Imp.

No numerum Cardinalium

Not. animi moderationem.

Pialagi.

Melita.

ſexcentos ferro confecere:nam Inſula armis ,fortiſſimiſque militibus egregiè munita erat. Pontifexque, ut rem Chriſtianam coadiuuaret, pecuniæ haud parcens, præſidia affatim ſubminiſtrabat: quare hoſtis cum magna cæde a mœnibus ſæpe repulſus eſt. Acceſſit ad id malum nauis onerariæ unius naufragium, quo quadringenti Ianizari uiri fortes ex prætoriana Solymani cohorte, mari abſorpti periere, ingenſque bellici apparatus, armorum, pilarum, ac ſulphurei pulueris iactura facta eſt. Aggreſſi ſunt deinde Turcę acerrima oppugnatione Caſtellũ Sancti Hermi, non procul ab oppido ſitũ, multaq; hincinde occidione certatũ: ſed hoſtes magna clade affecti, in caſtra turpiter rediere, paucisſimis ex noſtris deſideratis. Admotis poſtea quattuordecim maioribus tormẽtis, oppidi mœnia iterũ Turcæ aggrediũtur, diſiectaq; nõ exigua murorũ, ac munitionũ parte, in oppidũ magno impetu irrũpere tẽtarũt. occupata aũt antemurali munitione, eã noſtri nõ ſine maxima Turcorũ cæde ſubitò recepere: nam ex his ſeptingẽti, & amplius cæſi ſunt, & ex Chriſtianis circiter ſexaginta, ſauciorumq; ingẽs ex utraq; parte numerus fuit. præcipites. n. in foſſas (dũ pugnarẽt) Turcæ acti, grauisſima uulnera tulere, fœdeque expirarunt. Poſt hæc hoſtes Turcæ uidẽtes, ꝙ muralia tormẽta, uineæ, arieteſque parum proficerent, aliam rationem ad maturandam loci expugnationem iniere. Repletis enim glebis, cratibus, aliaque materia uſque ad ſummum foſſis, eas tranſcendere magno impetu annixi ſunt; quibus tandem ſuperatis, ui, armiſque propugnatores deiiciuntur, Caſtellumque expugnatur, quingentiq́ue ex Hieroſolymitanis, mercenariiſque militibus ferro periere; tantamque ſæuiendi in deuictos rabiem immanis Barbarus exercuit, ut inermes, ac ſupplices pari cæde trucidaret. Expugnato Sancto Hermo, Turcæ caſtra ad Melitam propius admouere, circa quam plurimæ utrinque uariis per multos dies dimicationibus cædes ſequutæ ſunt. Periitque inter reliquos Draguth ex Turcis uir fortisſimus, qui nuper cum uigintiquinque triremium claſſe ex Græciæ finibus acceſſerat. Melitenſibuſque auxilia a Philippo Rege poſtulantibus, miſſi ſunt ex Hiſpania, Italiaque ſexcenti milites, ſub diuerſis Ducibus: claſſiſque ab eodem Rege ingens centum triremium paratur, cuius Imperium Garcias Toletanus prorex Siciliæ, uir rebus geſtis clarus habuit. Interim Turcæ acerrimis oppugnationibus Melitenſes fatigabant, nam ſeptuaginta maiores æneas machinas ad demolienda oppidi mœnia ſtatuere, crebriſque, ac uiolentis earum ictibus omnia proſternebantur, unde in magno diſcrimine res Melitenſis conſtituta erat. Dum hoſtes terra, marique obſeſſos acerrime urgent, ac nullam, tenuemve Chriſtiani Principes miſeris opem ferunt, & Byzantii hoc tempore Aly Baſſa, quem Turcæ primum Viſir appellant, uita functus eſt, in cuius locum Meemeth Selyni filii Gener a Solymano Rege ſtatim ſublegitur. Bellumque in Pannoniæ finibus inter Maximilianum Imperatorem, & Ioannem Tranſyluaniæ Principem ingens ardebat, cui Turcorum finitima auxilia aderant, uariaque utrinque fortuna bellum geſtum. Barbarorum autem præpotentium armis Tranſyluano ſubnixo omnia proſpere effluebant. pax tamen tentata, magnas habuit altercationes, nec ſperatum ſortita eſt exitum, in belloque perſeueratum, quod diu uarium, atroxque fuit. At ad Melitam Turcæ Chriſtianos grauiter premebant: hique multas, acerbaſque per plures dies oppugnationes paſſi ſunt, cecidereque utrinque quàm plurimi uiri fortes, ſed ex hoſtibus maior omnino numerus deſideratus, in quo præter militum uulgus, aliquot clari nominis inter barbaros pręfecti, Duceſque fuere. Mirumque eſt, quanta uirtute, animorumque præſtantia, gens Chriſtiana per pauci numero, ſub Magni Magiſtri Ioannis Valleti, gente Galli, uiri fortiſſimi auſpiciis aduerſus potentiſſimos hoſtes ualuit, bellicoſoſque Turcorum conatus non minori conſtantia, quàm informidabili animi uigore ſuſtinuit. diu tamen obſidionem exigua illa Melitenſium manus ferre non potuiſſet, niſi Deorum benignitate Hiſpana claſſis ad Inſulam propius accedens, nouem millia & quingentos milites ueteranos in terram expoſuiſſet, quorum Aluarus Hiſpanus, Popeius Columna, Chiappinus Vitellius, & Aſcanius Corneus, uiri bello inſignes, Duces erant. Noui itaque huius præſidii formidine Turcæ conterriti, pugnaque uicti, obſidionem ſtatim ſoluerunt, ac deducta claſſe, quæ deſolata penè erat, in

altum

Marginal notes: No. naufragium. — Turcorũ cædes. — Sancti Hermi expugnatio. — Draguth. cædes. — Gercias Hiſpanæ cl. Imp. — Aly interitus. — Ioan. Valletus. — Præſidii ductores.

altum trepide abiere; eamq́ue Gartias cum toto nauali apparatu mari inſequutus, fugam rapidò Græciam, Conſtantinopolimq́ue uerſus arripere coegit.

Melita obſidione liberatur.

& quum utraque claſſis Hiſpana, & Othomanica, illa Meſſanam, hæc Byzantium in hyberna conceſſiſſent, nec timor mari uſquam impenderet, Veneti & ipſi Imperatorem ſuum ad urbem reuocarunt; qui ſtatim Senatus iuſſu cum parte claſſis (nauali imperio rectè adminiſtrato) domum rediit. & per id fermè tempus Maximilianus Imperator duas ſorores Ferdinandi nuper defuncti patris filias, matrimonio copulauit, quarum unam Barbaram nomine Alphonſo Duci Ferrariæ nuptui dedit; altera, quæ Ioanna nuncupabatur, Florentiæ Principi Coſmi filio deſponſata fuit.

No. nuptiæ.

in Italiamq́ue dum puellæ inſigni comitatu ad uiros accederent, ac per Brixienſem, Veronenſemq́ue agrum trãſituræ eſſent, Senatus iuſſu publica hoſpicia in proximis finibus parata ſunt, & múnera ex urbe miſſa, duoq́ue Oratores è patritia iuuentute lecti, Aloyſius Contarenus, & Laur. Priolus, ut ille Ferrariam, hic Florentiam proficiſcerentur, congratulationiſq́ue munus cum utroque Principe publico nomine obirent.

Al. Contarenus. Laur. Priolus.

ex urbe itaque ambo ſumptuoſiſſimo rerum omnium apparatu profecti, iniunctam legationem non minori ſplendore, quàm prudentia adminiſtrarunt. Turcorum Rex Solymanus ubi claſſem, exercitumq́ue ſuum a Melitæ obſidione male habitum receſſiſſe cognouit, ira accenſus, maximum terra, mariq́ue belli apparatum, ut iniuriam ulciſceretur, renouari iuſſit, ipſeq́ue in bellum (licèt ſenio confectus eſſet) in militiamq́ue proficiſci ſtatuit. & in hoc rerum motu Pius Pontifex ſubitò morbo correptus, Romæ interiit præter omnium expectationem, quum paucis antè diebus adhibito Pumilione ſuo, quem in delitiis habebat, & eo plurimum oblectabatur, multa hilaritate inter ſales, riſusq́ue lætus cœnaſſet; ueneno q́ue, & lethifera potione necem tam celeriter contractam, nõ defuere qui crederent.

Pii IIII. Pót mors

ſtatim autem poſt nouem diales funeris cærimonias, Cardinales conclaui in Vaticano incluſi, comitia habuere, ut Pontificem crearent, qui inter ſacros ſupremi ordinis Antiſtites uitæ ſanctitate, & innocentia emineret, in quorum numero erant fama percelebres ad adipiſcendum ſummum honorem, Franciſcus Piſo Cardinalis Venetus, Epiſcopus Oſtienſis; Decanus, Ioannes Moronus Cardinalis Mediolanenſis, Epiſcopus Portuenſis, Frater Clemens Monilianus ordinis Minorum in Ara cœli, Cardinalis Genuenſis, Mons Pulitianus, Ferrerius, Vercellenſiſq́ue, uiri præſtantiſſimi. hæc foris. at domi, ob nouum, inauditumq́ue Alexandri Bono patritii ordinis, Marini F. facinus, commota eſt uniuerſa ciuitas, & penè ad arma conclamatum:

Alex. Bono ſcelus.

nam quum uir ille ad immenſas opes aggregandas animum adieciſſet, patriæ maieſtatem infando ſcelere uiolare auſus eſt, doloq́ue malo agens, quietum ciuitatis ſtatum inſolito motu turbauit. is enim rem prauam commentus, fœdam conſpirationem, occultum armorum apparatum, hoſtileſque in ciuitate inſidias ueluti a quopiam magno ſub ſilentio ſibi clam denunciatas ad patres detulit, eo conſilio, ut machinati ſceleris præmia tamquã publici diſcriminis, imminentiſq́ue cladis index conſequeretur. fuit autem in non mediocri metu per aliquot dies ciuitas conſtituta, uigiliæq́ue nocturnæ ab armatis in foro habitæ. cognita tamen paulò pòſt hominis perfidia, & eiuſdem ingenii uanitate, qui hæc per ſe falsò machinatus fuiſſet, ut aurum ex ærario extorqueret, Decemuirum decreto ſummo mane inter geminas columnas capitali ſupplicio affectus eſt.

No. Alex. Bono ſupplicium.

& Romæ poſt menſem & amplius elapſum Cardinalis Alexandrinus, Michael Giſlerius nomine ex Fratrum Prędicatorum ordine Põtifex creatur, uir humili ortus genere, ſed doctrina, uirtuteq́ue inſignis, & præceſſoris nomine aſſumpto, Pius V. uocatus eſt.

Pius V. Pót. Max.

diuinitusq́ue potius huiuſcemodi electio eueniſſe creditur: nam quum nullam ille adipiſcendi Pontificatus ſpem haberet, Cardinalium uotis in alios conuerſis, ſubita animorum mutatio in patribus facta eſt, qui diuino afflati Spiritu, adnitentibusq́ue Farneſio, & Borromeo ſummæ authoritatis Cardinalibus, Alexandrinum cunctis fauoribus nudatum, minimeq́ue eam dignitatem appetentem, Pontificem elegerunt. ad eum autem a Senatu congratulandi cauſa quattuor Oratores uiri ampliſſimi, Nicolaus a Ponte, Hier. Grimanus, Procurator, Marinus Caballius, & Hier. Zane, equeſtri omnes dignitate decorati, miſſi ſunt: ſed Nicolaus a Ponte, iuſto impedimẽto domi ſubſedit, nec in legationem profectus eſt. Inte-

Oratores ad Pontificem.

rim ex Byzantio litteræ a Victore Bragadeno Bailo afferebantur, quibus ingens terra, marique armorum apparatus denunciabatur: nullas tamen patres maiores mari uires pararunt, quum Solymanus Venetam amicitiam ſanctè percolens, totum belli impetum in Pannoniam terra, marique conuertere uideretur. ſed dum uiolentiſſimis latrociniis pyratæ cum duabus biremibus Dalmatiæ, Hiſtriæque uicinam oram infeſtant, M. Antonius Foſcarenus iuuenis acer, triremis unius præfectus, ſæuiſſimos prædones inſequutus, medio mari aggreditur, eosque poſt cruentum certamen biremibus alto demerſis, ad unum trucidauit, ipſeque, ac plurimi ſuorum è pugna ſaucii exceſſere, dum fortiſſimam in impigro, acerrimoque hoſte debellando operam nauant. Turcorum poſtea centum, & quadraginta triremium claſſis ab Helleſponto egreſſa, ad Chium Genuenſium antiquiſsimi iuris ſedem breui maris ſpacio recta peruenit, ibique hoſtiliter Barbarus omnia agens, urbem iam ſibi uectigalem, & quam ſuis legibus per multum annorum curſum uiuere permiſerat, abrepta libertate, multiſque ex ciuibus aut interfectis, aut fortunis omnibus exutis, Othomanico Imperio armis oppreſſam adiungit. indeque, relicto, Subbaſſi, qui urbem regeret, ferox Turca cum tota claſſe digreſſus, poſt longum, incertumque nauigationis curſum (quando minime credebatur) ad Aulonem in maritima Macedoniæ ora ſe contulit, Adriaticumque in ſinum incredibili audacia irrumpens, ad Cathari oſtium in Rizonico ſinu peruenit. inde Raguſium delatus, ad ſociam urbem conſedit. quo barbari motu Veneti, qui ad eam diem nullam maiorem claſſem Solymani ſocietate freti, parauerant, ne quid detrimenti in tanta Turcorum uicinitate improuisò proximis maris finibus paterentur, mira celeritate triginta triremes è nauali ſubito educunt, quæ aliis quadraginta tribus, quas Antonius Canalis Legatus ductabat, foris in Illyrico adiungerentur. hiſque ſingulos patritios uiros rerum maritimarum gnaros, ac manu fortes, ſub gubernatorum titulo præficiunt, totiuſque huius claſsis Imperatorem Hier. Zanium equeſtris ordinis Senatorem illuſtrem creant. nouus quoque additur Legatus, uir diſciplina nauali clarus, Philippus Bragadenus, ut his uiribus ſub fortisſimi Imperatoris auſpiciis maritimæ Venetorum res ſi forte bello impetitæ eſſent, ab hoſtium iniuria ſeruarentur. ſed Turcæ cum tota claſſe è Raguſio ſoluentes, ubi opulentum donatiuum acceperant, in Illyricum tranſmiſere, & ad Lyſſam inſulam iuxta Pharum, quæ Leſina uulgo dicitur, delati ſunt: nilque in ea hoſtile ab illis geſtum, nullaque iniuria in noſtros profecta, omniaque amicè acta, quin repetitæ res ſeueriſsimo Ducis iuſſu dominis quàm primùm redditæ, ne in ditionem Venetam barbari ingreſſi, leui ex cauſa pacem, ueteremque amicitiam, quam cum Senatu habebant, temerè uiolare uiderentur. Gentis tamen fallacia ingenia, periculoſamque uicinitatem patres uerentes, alias uiginti triremes continuò urbana iuuentute armandas curarunt, ita ut quindecim dierum ſpacio, quinquaginta longæ naues uiris, armiſque inſtructæ, maritimæ oræ, cum aliis, quæ foris erant, facile præſidio eſſe poſſent: nam in uniuerſum nauium roſtratarum nonaginta trium claſſem numero Venetus habebat; eaque ut ualidior redderetur, euocatis ad urbem ex agreſti pube ſex hominum millibus, qui in militiam naualem per cunctos Venetæ ditionis fines aſcripti ſunt, ex his quinquaginta armati in ſingulas triremes diſtribuuntur. traditoque Imperatori publici uexilli ſceptro, claſsis confeſtim emittitur. decem quoque maiores triremes, & uiginti naues onerarias cum aliis maioribus, minoribuſque compluribus nauigiis, patres armare, ſi opus fuiſset, parati erant. & ut omnis uiolandæ, abrumpendæque pacis occaſio præriperetur, poſtquàm barbarus in Adriaticum ſinum tam proximè aduenerat, triremes, quæ ſub Antonii Canalis ductu in Dalmatiæ finibus erant, in Hiſtriam reuocatæ ſunt, & claſſis Imperator urbanis littoribus non abſcedere iubetur. ingenſque is belli apparatus pauciſſimis diebus confectus, ciuitatis uires, Reipublica opulentiam, patrumque animi magnitudinem proximis, remotiſque, gentibus declarauit, famaque potentiſſimæ mari urbis ubique euulgata eſt, quum a Conſtantinopolitano Hemanuelis bello uſque ad hæc tempora nulla a Veneta urbe ualidior, maiorque claſſis in altum prodierit. is autem Martius pelagi apparatus ad Turcorum aures perueniens, conſilia eorum planè diſſipauit: nam expeditionibus omiſſis, quas illi animo

M. Ant. Foſcarus.

Not. de Chio.

No. claſſis Turcorum curſum.

Hie. Zane claſſis Imper.

Pharus.

No. claſsé auctam.

No. Venetorũ maritimas uires.

mo

mo tacitè deſtinauerant, ſtatim cum tota claſſe è noſtris finibus exceſſere. Itaque ſola armorũ oſtẽtatione, uicini belli pericula ſunt amota: & glorioſa quædam ex Barbaræ claſsis receſſu, parta eſt Veneto nomini uictoria. nec mihi quiſquã inuidi animi impulſu, obiiciat, quòd hæc iactanter in immenſum augeam. Sed omnia luce clariora ſunt, cunctique mortales claſſis magnitudinem, apparatus celeritatem, rerum opulentiam miris laudibus ubique prædicant. Interea Othomana claſſis ex Lyſſa in Apuliam transgreſſa, Peſcharam in Brutiis fruſtra oppugnauit. Tremiti poſtea in eadem ora oppidum tentatum, Turcorum impetum fortiter ſuſtinuit. inde ferox Barbarus digreſſus, parta ingenti præda, quam ex Apulo, Calabroque littore abegerat, ex Veneto ſinu cum tota claſſe exceſſit. Tum patres, Othomano abeunte, Imperatorem, Legatumque cum nauali militia in urbem reuocarunt. Emigrauitque per hos dies è uita Ioannes Franciſcus a Turre, Maximiliani Cæſaris apud Senatum Orator, qui publica funeris pompa elatus eſt. Laudauitque eum in Gemellorum æde, poſt ſolemnes exequias, pereleganti oratione Bernardinus Fœlicianus publicus Grammatices profeſſor. extemporaliſq; eius actio penè fuit, quum unius tantũ diei ad orationem componendam, memoriæque mandandam, ſpacium vix habuerit. In Pannoniam autem terribili Turcorum irruptione bellum ardebat, ubi præter leuia aliquot certamina, quibus ferè ſemper Cæſariani ſuperiores fuere, nil præclarum, memorabileque utrinque per plures dies geſtum eſt. habebatque Maximilianus florentes admodum copias: nam triginta equitum leuis, grauiſque armaturæ, ac peditum uiginti millia in eius exercitu recenſebantur. tripliciter autem maiorem armatorum numerum Turca ductabat. Solymanusque Rex iam ſenio confectus, ut ſua preſentia res bellica fœliciter adminiſtraretur, in caſtris aderat: qui poſtquam hoſtem ad conſerendas ſecum manus, & in aciem deſcendere, perlicere non potuit, ad oppidorum oppugnationem arma conuertit; Iulamque primùm aggreſſus, propugnatoribus Turcorum ferocia perterritis, uoluntaria deditione in ſuam redegit poteſtatem. eos tamen contra fidem datam Solymanus ad unum omnes trucidari iuſſit. ad Zigeth inde munitiſſimum oppidum caſtra ſunt admota, ubi diu multumque a barbaro laboratum, quum præſidiarius miles ſub Comitis Serini inuictiſſimi Ducis auſpiciis locum acerrime tueretur, ſæpeque Turcæ magna cum cæde a mœnibus ſunt reiecti, poſtremò ex propugnatoribus interfectis duobus millibus & quingentis, reliquos, qui ſuperfuerant, Comes Serinus uir ferox ſecum trahens, ut honeſtam mortem oppeteret, facto in hoſtes impetu, qui in apertum iam oppidum irruperant, fortiſſime pugnando cum omnibus ſuis cæſus eſt: ita munitiſſimum, ac inexpugnabile totius Pannoniæ oppidum Turcorum armis a Cæſaris ditione ereptum, in crudelis Bàrbari poteſtatem peruenit: Obiitque per id tempus Duciſſa nomine Lilia, olim Laur. Prioli Principis uxor, matròna uirtute inſignis; eademque funeris pompa, qua Principes tumulantur, elata eſt: nam triduo in publicorum Aula, quæ eſt in foro, balſamo delibuta eminenti ſuggeſtu ſub aureo amiculo, Ducalique infula humi condenda iacuit, circa quam ad pheretrum uiginti ex Veſtalium virginum cœtu miniſtræ per alternas uices excubarunt. Princeps inde, Senatuſque frequens cum toto ciuitatis clero, monialiumque ſacrarum ingenti numero ad Gemellorum ædem eam è foro ſublatam deduxit, atque ibi de eius laudibus a Diui Fantini Eccleſiæ Antiſtite uiro doctiſſimo publicè oratio habita eſt. piiſſimiſque, ac honorificentiſſimis exequiis celebratis, nobiliſſima matrona ſepulturæ traditur. Per multum autem annorum curſum nullas alias perſimiles Veneta ciuitas Duciſſæ exequias uiderat. Exceſſit quoq; è uita Solymanus Turcorũ Rex dum bellum aduerſus Cæſarem circa Zighet in Pannonia gereret. celataque eſt eius mors miro Maomethis, purpuratorũq;, ac totius exercitus ſilentio, ita ut Cæſar, qui in proximo caſtra habebat, tanti Regis caſum per plurimos dies ignorarit. ſucceſsit autẽ in ampliſsimo Imperio Selynſach filius, qui patris morte audita magnis itineribus Conſtantinopolim aduolauit: compreſſoq; ciuitatis ſingulari Gubernatoris prudentia tumultu, paterno ſolio pacatiſsime conſedit. Obiitque Solymanus anno ætatis ſeptuageſimo ſexto, & Regni quadrageſimo ſeptimo, quibus maximas, ac memorabiles res bello geſſit, triumphalique interitu inter arma expirans, glorioſum lon-

Nota.

Peſchara, Tremiti.

Receſſus claſſis Turcorum.

Ioan. Fr. a Turre obitus.

Ber. Fœlicianus.

No. immẽſas partiũ copias.

Iula, & Zigeth oppida a Turcis exp.

Comitis Serini cædes.

Duciſſæ obitus, & ſepeliendi ratio.

Solymani interitus.

Selynſach Imperator Turcorũ.

geuæ uitæ ſuæ curſum confecit. & uictoriæ lætitiam, qua morte præreptus frui in terris non potuit, apud Infernam ſedem, ſi quis poſt fata humanarum rerum ſenſus eſt, miſere recepit. Suſcepto autem Selyn Imperii gubernaculo, ſtatim a Diuinis orſus, ad celebrem uane gentis ſuperſtitione Moſcheam profectus eſt, ibique mille uictimarum ſacrificium peregit, quas Maometho ſuo immolatas mactauit: inde quinque alias urbis Moſcheas inuiſens, earum ſingulis quingentos nummos aureos largitus eſt. Poſtea Conſtantinopoli cum fortisſima equitum ala egreſſus, in Pannoniam ad exercitum conceſſit. Poſt hæc Aloyſius Mocen. qui antea in continentis oram legatus a Senatu cum poteſtate magna miſſus fuerat, ad urbem hoc tempore rediit, per annumq; diligentem Reip. operam præſtitit: nam Venetæ ditionis fines inuiſens, multa in his utiliter conſtituit, certisque diebus ad copias exercendas, luſtrandasque aſſignatis, labantem militarem diſciplinam, armorumque errata correxit: eiusque accuratum ſtudium in bellicis rebus mire laudatum: togaque, & armis uir illuſtris, ac de patria benemeritus, Procuratoriam dignitatem M. Antonii Grimani loco abſens adeptus eſt. Et in cœli parte per id tempus ſub ætherea Cretæ Inſulæ plaga, octaua noctis uigilia apparuit cœleſtis circulus iuſta magnitudine, in cuius ſummitate Vexilli forma cũ paruæ crucis ſigno ſuper eo rutilanti ſplendore emicabat; qui poſtea ad Occaſum celeri curſu rotare uiſus eſt. oſtentique, ac prodigii loco res eſt habita. Actum poſtea in Senatu, habito prius cũ Sforcia Gubernatore, & reliquis armorũ Ductoribus conſilio, de muniendo ualidisſimis propugnaculis Vtino in Foroiulio, inſigni, ac peramplo oppido, ut quolibet belli motu ea prouincia hoſtium armis tuta redderetur, quæ antea aperto circunquaque acceſſu bellorum periculis expoſita erat: nam eo itinere per retroacta tempora Barbarorum exercitibus irrumpendi in Italiam, ad eam flagellandam, ſemper facilis, liberque aditus patuit. ſed priuſquam res tanta moueretur, miſſi ſunt ex patrum primoribus tres amplisſimi Senatores, Thomas Cõtarenus, Melchior Michael, & Aloyſius Mocenicus, Diui Marci Procuratores, ad oppidi formam, terræ bonitatẽ, aliarumq; rerũ materiã propriis oculis recognoſcendã, ut matura illuſtriũ, ſapiẽtumq; virorũ relatione conſultius in muniendo oppido decretũ patres conſtituerent, ne auri uis ingens, quã ad tantum opus perficiendum publicè expendere neceſſe erat, incaſſum profunderetur. Reuerſusque eſt interim Selyn Conſtantinopolim, reliquias paterni exercitus penè attritas, & belli incommodis abſumptas, ſecum trahens: nã Pannonici illius belli motu in frigidisſima regione, ingenti hominũ, iumentorũq; internitione Turcæ clade affecti ſunt; nec parua quoque in expugnandis oppidis gentis calamitas fuit, deſiderataque variis caſibus amplius ſexaginta Turcorũ millia tradunt. Ianizari autem vbi Conſtantinopolim ex Pannonica expeditione peruenere, a Selyno ſinguli ſtipe donati ſunt, quam noui Imperatores his erogare de more ſolent. Et Patres, vt Selyno de nouo Regno cõgratularentur, Marinum de Caballis, Equitẽ, virum ſingularis prudentiæ Oratorem ad eum miſere, curatumque eſt, vt quantocyus poſſet, in demandatam is legationem proficiſceretur. Quo nondum ab vrbe digreſſo, Ibraymbei Chiaus, è Sophia in Triballis oppido, Selyni Legatus Venetias acceſſit. Exceptuſque eſt a Patribus multo honore. vectus enim ex Illyrico prædonum metu, qui proxima maria infeſtabant, ad vrbem triremi Valareſſia, paratum habuit hoſpitium, & Iudaicam in Maripatris ædibus. & triduo pòſt, frequenti patritiorum comitatu in curiam aſcendit; primaq; eius legationis pars fuit, in nunciando fœlicem Selyni ad Imperii faſtigium aſſumptionem, qui pacem antiquam cum Solymano patre ſuo a Venetis tam diu excultam, confirmaturus eſſet: poſtea ſecretum cum patrib. habuit colloquium, grauiſſimeque conqueſtus eſt, Imperatoris ſui nomine, de Vſchochis, qui maria aſſiduis latrociniis infeſtare non deſinunt, Turcasq; negociatores, mari nauigantes deprædantur. Et Veneti, qui has iniurias vindicare deberent, parum curæ adhibent ad refrenãdos horum immaniſſimorum prædonum maritimos incurſus. Itaque denunciabat, quòd coacti erunt Turcæ viribus vti, claſſemque armare, quæ in Adriaticum ſinum delata, communi hoſti arma inferat, Vſchochorumq; nomen, euerſis Senia, & Bochari oppidis, quæ eos amicè excipiunt, funditus deleat, mariaque obſeſſa his monſtris purgentur, aliaque magni momenti. Reges ſui nomine mandata

Marginalia: Not. ſacrificium. — Al. Mocenicus. — No. Oſtentum. — Not. de Vtino. — Th. Contarenus. Melch. Michael, Al. Mocenicus. — Not. Turcorum cladem. — Marinum de Caballis. — Ibraymbei Chiaus. — No. Ibraymbei legationé. — Vſchochi

eſpoſuit

expoſuit:quibus reſponſo prudentiſſimè a Senatu reddito,ille ſtatim liberaliter,magnificeq́ue donatus abiit. Et domi,Rep.pacis ocio fruente,multa præclara ædificia tã publicè,quàm priuatim conſtructa vrbem exornarunt, inter quæ duæ coloſſeæ magnitudinis ex albicanti marmore ad ſcalam Ducarii lapideam in eius ſummitate conſpicuo in loco ſtatuæ erectæ ſunt,quarũ altera Martis,altera Neptuni formas repræſentant,miraq́ue eæ arte a Iacobo Sanſouino ex Florentia opifice nobiliſſimo exculptæ, ſpiraculum quodam modo vitæ habere uidentur. præbent autem nuda corporũ in utraq; ſtatua membra examuſim, affabreq́ue elaborata, omnibus admirationem; quibus ad exprimendam eximii ſculptoris ingenii fœlicitatẽ nihil excellentius,præſtantiusq́; eſſe poteſt. verſusq́; gemini baſi marmoreo incidendi compoſiti ſunt, De Marte, Adria bellipotẽs Martis fulgore coruſcat. De Neptuno, Scæptra mari Veneris trado, regna vda relinquens. poſtea circa Vtini munitionem res in Senatu acta eſt,auditusq́; pro concione Thomas Contarenus, unus ex Legatis, qui (ut ſupra retulimus) in Forumiulium ad rem inſpiciendam,miſſi fuerant. Declarauit autem is in Senatu,circumiectum Vtini ſolum optimum eſſe, quod lateres, calcem, ligna, & aquas abundè ad fabricandum ſuppeditare poſſet; propterea occaſionem hanc nõ eſſe omittendam, ut oppidum totius partis nobiliſſimum muniretur, ad Vtinenſis populi ſecuritatem,Venetiq́; Imperii,& totius Italiæ defenſionem, ſi quãdo improuiſa aliqua hoſtium uis in Italiæ fines ab ea parte barbara feritate irrumperet. Et in Corſica dum belli reliquias Samperius in Genuenſes armis ſuſtineret, Inſulamq́; paſſim deprædaretur, magno incolarum detrimento, & calamitate, miſſus eſt cum valido equitatu a Genuenſi populo Raphael Iuſtinianus, uir in Lyguribus belli arte apprime inſignis, ut hoſtium impetum armis reprimeret,ac inſulanos tueretur. nec multis elapſis dieb. tumultuaria inter partes caſtrorum propinquitate pugna orta eſt, in qua Samperius, fuſis, fugatiſq́ue commilitonibus ſuis, fœdè trucidatur: unde ferociſſimo Duce cæſo, inſula priſtinam ab armis quietem recepit. Pacataque ſunt in Corſis omnia, quæ graui bello antea ardebant. Aduentanteq́ue per hos dies ex Stiria prouincia Carolo Archiduce Auſtriæ,Maximiliani Imperatoris fratre minori natu,in Italiam ad Noricos ditionis ſuæ fines, qui Foroiulio,atque Hiſtriæ contigui ſunt,a Veneto Senatu officii gratia ad eum Hieronymus Lippomanus,Ioannis filius,iuuenis animi,corporiſq́; dotibus clarus,miſſus eſt,ut amiciſſimo Principi fœlicem eius in proximam prouinciam acceſſum publico nomine congratularetur, frequenti itaque,& honorifico comitatu Lippomanus ad eum in Carnos ad Goritiæ oppidum proficiſcitur, quò Carolus pridie peruenerat;ibiq́ue,ut erat,ſupra ætatem ingenio,& prudentia ſingulari, iniunctũ legationis munus magna ſua cum laude peregit.pauciſq́; diebus apud Principem moratus, quo cum bis familiariſſimè pranſus eſt.ab eo poſtea diſceſſit, & in patriam reuerſus,parto ingenti nominis apud Archiducem Carolum ſplendore,& prudentiæ fama,a Senatu lætãter excipitur. Accidit aũt hoc tempore nouus, & tumultuarius in vrbe caſus quorundam improborum hominum exteræ nationis inſolentia, inter quos cùm uetus odium,inimicitiaq́; arderet, alter alteri hoſtili animo ſibi adinuicem inſidiabatur. illi itaque mutuum excidium machinantes, matutina hora frequentiſſimo ciuium concurſu, dum ad inferiorem Palatii curiam armati ſe contuliſſent, neglecta ſacroſancti loci maieſtate, ubi ſuperiori aula ſummus reſidet collegii magiſtratus, ſtrictis gladiis maximum tumultum excitarunt, quo uulneribus mutuò illatis, cruor effunditur,non ſine graui confluentis,indignantiſque populi motu. Tum ſubitò a miniſtris,cuſtodibuſque,clauſis curiæ ianuis,ne ſicarii fugam arriperent, quinq; ex his, reliquis per proximam Diui Marci patentem ædem celeri effugio elapſis, comprehẽduntur; coactóque ſtatim eadem hora Decemuirum conſilio, eorum iuſſu duo ex his tumultus, rixæque authores, ſummo manè inter geminas columnas laqueo ſuſpenſi ſunt,triduoque in patibulo exanimes ad aliorum terrorem reſte collo alligati pependerunt: cæteri uerò, qui in nulla culpa erant, cuſtodia liberantur,priſtinaque ſtatim quies redditur, quam uiri factioſi in pacifica ciuitate ob ſummi magiſtratus oculos, inſolito motu turbarãt. Nec hoc loco, licèt Hiſtoriæ ſeries aliquo modo interciditur, res memoratu digna de uiro principe Alphonſo huius nominis ſecundo Marchione

Not. Statuas.
Iac. Sanſouinus.
Not. Carmina.
Th. Contarenus.
Raph. Iuſtinianus Ligur.
Samperii cædes.
Hier. Lippomanus.
Not. caſus.
Not. ſupplicium.
Nota. de Marchio. Finarii.

Finarii in Lyguribus oppidi reticenda eſt, qui noſtræ Reipu. amantiſſimus, Venetis & ſcriptis meritò illuſtrari debet. in hoc enim uiro altum generis ſtemma, uirtuſque animi ſingularis plurimũ elucet, cuius origo effluxit ab Othone Magno Duce Saxoniæ, primo Imperatore, & Adheleyden Alberti Regis Italiæ filia, a quo natus eſt Otho II. Imperator. ab eo autem, & Theophania eius coniuge, ac Imperatoris Conſtantinopolitani filia, nati ſunt Otho III. Imperator, & Alaſia, quæ fuit uxor Aberhami Saxonici filii Vuidikindi, cui Aberhamo Otho Imperator in coniugis ſuæ gratiam elargitus eſt multa feuda in regione Lyguria, Montisferrati, & alibi, ut apparet priuilegio donationis, Dat. Rauennæ X. Kalendas Aprilis, Nongẽteſimo, nonageſimoſeptimo, a quorum iugalium ſecundogenito originem ſumpſit domus de Carreto nobiliſſima, cui obuenit Marchionatus Sauonæ, & Finarii, ac pars feudorum, & bonorum in dicta Othonis donatione comprehenſorum, a quibus per continuatam lineam deſcenderunt quamplures excellentes uiri, & inter reliquos modernus Marchio Alphõſus; qui omnes a Diuis Cæſaribus fuerunt inueſtiti, ut conſtat per priuilegia. Pacificum autem, & quietem per multa tempora continua ſucceſſione hi Marchiones principatum tenuere, nullis bellis exagitati, & ipſi nemini iniurii. nouiſſimè proximis annis his præſentem Alphonſum Genuenſes bello infeſtarunt, ac per aliquot menſes eum in caſtro Finarii, magna armatorum manu, innumeriſq; tormentis cinctũ obſedere, qui poſt multa prælia, ſtrenueque a ſuis nauatam operam in eo tuendo, cogitur tandem caſtrum deſerere, illud apud Andr. Doriam Melphi Principem, eius affinẽ, in ſequeſtrum, quod aiunt, deponendo. eo quoque tempore, aliis quamplurimis oppidis, lociſq; della Langhe nuncupatis a Gallis priuatus fuerat, eo nomine, atque ea de cauſa, quòd Imperatoris partibus, maiorum ſuorum ſtudia in Cæſare percolendò ſecutus adhæſiſſet, ob idq; maximam rerum ſuarum iacturam ſeptennio paſſus eſt. itaque rebus ſic ſe habentibus Marchio Ferdinandum Imperatorem Auguſtæ comitia celebrantem adiit, rem enarrat, Iuſtitiamq; eius ſupplex implorat. Ferdinandus, vt humaniſſimus erat, eum benignè excepit, & iuſtitiam, opemque pollicetur. Genuenſes ex altera parte ſtatim ad Cæſaris Tribunal in Germaniam citantur. Marchio inſtat, ſe in dominium, quo fuerat ſpoliatus, ac in priſtinum ſtatum reſtitui, damnaq; reſarciri, iniuſto bello accepta: tum proceſſus (vt vulgo dicitur) formatur, & in cauſa proceditur. Habitoque maturo conſilio Cæſar pro Marchione aduerſus Genuenſes ſentẽtiam tulit, qua poſtea Francfordii per Electores Imperii confirmata, reſtituitur Alphonſus in principatum, omniaq; iura ſua recepit. magnis poſtmodum Germania excultus eſt honoribus, inter quos Cæſar ipſum & ſucceſſores eius Principis ſacri Romani Imperii titulo inſigniuit, vt patet publico Cæſaris diplomate a me perlecto in quo alta viri præconia, & clariſſimæ maiorum ſuorum laudes continentur.

Franc. de Carreto. — *Alphonſ. Marchio.* — *Langhe.* — *Cæſaris ſententia pro Marchione.*

Et ad ultimas oras in Scotiæ Regno hoc fermè tempore noui ſunt motus ſuborti, qui gentis efferæ pectora a Catholicæ Religionis ſtudio, Regina ipſa conniuente, auerterunt. hæc enim uiduitatem perteſa, nam Franciſco Gallorum Regi eius nominis ſecũdo, nupta fuerat, cum Mirlot Darlin ex alto, regalique orto ſtemmate matrimonium contraxit, infantemque puerum eſt enixa, maximo cum totius gentis gaudio, ut regius hæres, quo diu Scotia caruerat, ampliſſimi Imperii habenas teneret. ipſe poſtmodum Mirlot Reginæ coniunx, qui nunquam Regis titulo uſus eſt, a coniuratis, in quis Regina ipſa fuiſſe dicitur, per inſidias in cubiculo intempeſta nocte fœdè trucidatur, corpuſque eius multis uulneribus confoſſum extra Regias ædes proiectum eſt. Regina poſtea ad tertia uota tranſiens, Comitem Baduelem nobilem adoleſcentem ſibi coniugem delegit, detecto autem paulò pòſt impio facinore, quòd ipſe necis Mirlot author fuiſſet, armis arreptis, in eum furens populus impetum fecit: ſed fugam illè celerem arripiens, periculo ſe ſubtraxit, Reginaq; comprehenſa cuſtodiæ traditur, quatenus ea tam crudelem uiri necem curaſſet. puerum autem Scoti magno omnium conſenſu Regem ſuum creauere. & Byzantii Marino Caballo Reip. Oratore, uiro ſapientiæ ſtudiis claro, procurante, pax cum Selym Imperatore confirmata eſt, iiſdem legibus, quibus antea cum Solymano patre ſancita fuerat. quo facto, quum Caballus perfuncta legatione in patriam redire mari pararet, a Baſſa iuſsus eſt, ut non diſcederet, niſi

Not. Scotiæ motũ. — *Myrlot cõiugium, & eius cædes.*

No. Turcorum in ſolentiam in Bailum

niſi prius ipſe,& Bailus pro Veneto Senatu ſoluere pollicerentur centum, & decem aureorum nummum millia, quam pecuniarum ſummam nonnulli mercatores Hebręi imperiali Turcarum fiſco debebant,ex Alluminis uectigali, quod illi publice Byzantii ſub haſta conduxerant: atque inſolita Baſſa uſus inſolentia, Oratori Caballo, & Bailo Superantio uis illata eſt, quum ad Caddi uterque magno populi furore ducti fuerint,ut coram eo ſponſores, uadeſque pro Veneto Senatu ſe ſe exhiberent, ad ſoluendam eam auri ſummam: nam multa Iudæorum bona, ac ditisſimæ merces Veneta in urbe reconditæ eſſe dicebantur. ſed Caballus, ac Bailus nullis Turcarum minis exterriti,impudentisſimis eorum poſtulationibus minime aſsentiri uoluere. tum

Cogetum

Baſsa priore illo rigore depoſito,mitius agere cœpit,Cogitumq;, quod Turcica lingua obligationem ſignificat,& quod ſiue errore,ſiue interpretis inſcitis perperam factum fuerat, ſtatim reuocauit,Caballoque liberam diſcedendi præbuit poteſtatem. Verùm patres in ſuſpicionem grauioris noxæ de Caballo ex litteris Iudæorum interceptis adducti,ſtatuunt,ut Caballus per Antonium Canalem claſsis Legatum,ex Inſula Cerigo in uinculis adduceretur,atque ubi Venetias appuliſset,publicæ cuſtodiæ ad dicendam cauſam traderetur.

Caballus in uinculis.

Senatu poſtea indignante,quòd nulla a barbaris habita Venetæ dignitatis ratione contra ius gentium, & pacis nuper ſancitæ formulam uis Oratori,& Bailo contumelioſè illata fuiſset,creatur ſtatim Hier.Zane Orator, ut Conſtantinopolim quamprimùm proficiſceretur, iniuriamque exponeret,quam Veneto nomini,impudenti Hebræorum fallacia Turcæ intuliſsent.

Hie.Zane

Re tamen ad compoſitionem ſpectante,Orator ad Pharum inſulam in Illyrico ſubſidere iubetur. Interim Cubat Chiaus a Baſsa Venetias miſsus eſt,ut omnem pecuniam, mercimoniaque Iudęorum a debitoribus ſuis exigeret. adiutorque ei ad rem perficiendam a Senatu datus eſt Aloyſius Grimanus uir prudens,qui unà cum Cubat negocium fœliciter confecit. atq; ille poſtea,receptis pecuniis, & immēſi precii mercibus de Iudæorum ratione recuperatis,lætus Conſtantinopolim reuerſus eſt.

Cubat.

Compoſitis itaq; rebus,Orator Zane ex Illyrico ad vrbem reuocatur. His ſecutis, Caballi ſtatim cauſa in Senatu acta eſt: accuſauitq; eum Antonius Valerius Triumuiralem Aduocatoris magiſtratum gerens. Duplexq; illi crimen obiectum, ꝙ ſcilicet,cogeti author fuiſſet;deinde,quòd a Iudęis pecunia corruptus,eis nimium in grauem Reip. iacturam fauere viſus eſſet. Verùm Marinus obiecta clarè diluens,tanta eloquentia ipſemet cauſam ſuam in Senatu egit,vt cunctis ferè patrum ſuffragiis abſolutus ſit, in priſtinamq; dignitatem magna ſua cum gloria reſtituitur, ciuitatiſque non ſolùm vniuerſæ de eo ſingulare ſtudium apparuit,ſed totius fermè Venetæ ditionis populorum animi conſolati ſunt, omneſque ampliſſimi viri abſolutione mirificè lætati: atque vt in initio in eum cunctorum animi inuidia,odioque flagrabant,ita cognita veritate, hominisq; innocentia, cuius incorruptus,candidusque animus erat,nemo fuit,qui non magnopere lætaretur,Caballumque ſummis laudibus non extolleret, cùm Senator optimus per multos annos in Reip. adminiſtratione,tam domi,quàm foris verſatus, in difficillimis temporibus, eximia eius uirtus,iuſtitia,ſapientia,probitas mirum in modum enituiſſet.

Caballi abſolutio

Et hæc domi. ex alia verò parte deflagrante tota fermè Europa bellorum incendiis,maximis exercitibus comparatis,Suetiæ,Datiæque Reges ad Germanicum Oceanum,cruentiſſimo prælio inter ſe conflixere: victusque Suetius ingentem cladem accepit,repertæque ſunt quingentæ virili habitu fœminæ in acie cæſæ,quarū paſſos crines æreæ obtegebant caſſides.

No. de Fęminis ex Suetia.

Moſcouitis quoque a Lithuaniis ingenti pugna ſuperatis, decem & ſeptem eorum millia in acie deſiderata ſunt. Nec Gallia cladium, ſæuientiſque fortunæ expers fuit: nam Principis Condei, Huggonotorumque perfidia per inſidias Rex petitus,parum abfuit,quin eorum armis cum Regina matre, & fratribus vita ſpoliaretur.

Not. Galliæ Regis periculi.

In quo diſcrimine, rerumque perturbatione, petita eſt a Rege mutuò a Venetis ingens auri uis, qui paucis ante menſibus centum aureorum nummum millia eidem Regi ex ærario benignè deprompſerant, vt immaniſſimi Chriſtianæ fidei hoſtes Decemuiratis omnifariam auxiliis delerentur: ſed ea in præſentiarum ob ærarii tenuitatem, bellicoſq; ingentes Turcorum ex Aſia apparatus, ad quos repellendos, & tutandos Imperii fines,claſſis, armaque,a Veneto paranda erant, præſtari non po-

tuit,

tuit.Plurimæ itaque acceptæ,illatæque clades, oppida capta,templa euerſa, agri incenſi, deprædationes, fugæque paſſim toto Regno ſecutæ, in miſerabile vniuerſam Galliam exitium trahere videbantur. verùm cùm Regii, & Huggonoti proxima caſtra inter ſe haberent,contracto ingenti certamine, diu vtrinque acerrimè pugnatum eſt,immotæque per longum temporis ſpacium ambæ acies dimicando perſtitere.poſtremò facta fortius impreſſione Regii Huggonotos profligarunt, obtruncaturq; ingens militum vulgus, & complures eminentioris fortunæ viri; & ex Regiis,quorum

Coneſtabilis interitus.

non incruenta victoria fuit, magnus Coneſtabilis, octuaginta natus annos in bellum profectus,ac in aciem prodiens, lethaliter ſauciatur,atque intra paucos dies vulneris grauitate Pariſiis interiit. Augebâtur tamen a Regiis, & ab Huggonotis vtrinque copiæ, vt iterum prælii fortuna tentaretur, tanta omnium animis rabies, cæcitasq; inerat.Belli inde Maximiſianus Imperator perteſus,pacem a Selyno per Oratores petere ſtatuit;quæ licèt antea inter eos compoſita,initaque per octo annos fuerat, parum tamẽ ſincera fide ſeruabatur,ſed per occaſiones aſſidua inter Cæſareos & Turcas cer-

Cęſaris legatio ad Turcas.

tamina fiebant,ſuperioresque ferè ſemper barbari erant:idcirco decreta a Cæſare legatione,ad Selynum tres creantur Oratores,quorum princeps erat Epiſcopus Agriẽſis.Vienna igitur illi digreſſi inſigni comitatu vnà omnes Conſtantinopolim profecti ſunt,muneraq; ampliſſima,ac nonaginta monetæ aureæ Humgaricæ millia ob non ſolutas trium annorum tributi nomine penſiones attulere: diu tamen de pacis confirmatione cum Baſſa actum eſt,qui multas circa eam difficultates propoſuit.miſſiſq; ultro,citroq;,modò ad Cæſarem,modò ad Selynum nunciis,res iñ longum protraheba-

Not. Inducias.

tur.Demum induciæ per octo annos inter eos firmantur, in quibus comprehenſi ſunt Rex Gallorum,Rex Poloniæ,& Veneta Reſp.Rumore poſtea increbreſcente, famaq; iactante Selynum hoc Regni ſui initio,de Cypro inuadendo cogitare,ingentemq; ob id a Turcis claſsem parari, armaque vndique in Aſia obſtrepere; Veneti imminenti periculo moti, omnis generis præſidia ſtatim contrahunt,milites conſcribunt, commeatus parant,tormenta maiora,minoraque magno numero in naues imponunt, ut omnia opportune in Inſulam immenſo maris ſpacio longinquam, quanto citius poſ-

Iulius Saurognan'

ſet, conueherentur.Mittiturque eò Iulius Saurognaus Dux totius militiæ, uir bellicæ rei peritiſſimus, qui triremi in Inſulam celeriter actus,omni ſtudio curauit, ut Leucoſia urbs ampliſſima, ac totius Regni caput, foſſis,aggeribus, propugnaculiſq; muniretur. Cyprioſque hortatus eſt,quando de ſalute omnium, patriiſque ſedibus ageretur,in communienda ciuitate pecuniam conferrent, nec in communi periculo patriæ deeſſent.quo factum eſt,ſexaginta amplius aureorum nummũ millia libentiſſimis animis ciues ex ditioribus ſoluere polliciti ſint,& ĩ his fuere Reip.amãtiſſimi,Comes Rochaſſii,Veneti exercitus in Italia Collateralis Generalis; Comes Tripolis, & Antonius Dauilla, aliique complures ex urbis Decurionibus. & ex patritio ordine

No. in priuaiis liberalitatem.

Venetiis fuere, qui peramplas in Inſula fortunas poſſidebant, Aloyſius Cornelius Cardinalis, Philippus Mocenicus Archiepiſcopus, Nic.Iuſtinianus Comes Carpaſſii, Geor.Contarenus Comes Ioppe. Qui omnes ſingulari in patriam charitate ex priuato ſuo cenſu ingentem auri uim lætanter in ærariũ contulere: quo auxilio, opeque, euocatis ſtatim è tota Inſulam foſſoribus operariorumque ingenti numero urbs

Not. Leucoſſiæ munitionem.

Leucoſſia undecim ualidiſſimis propugnaculis uallari,communirique cœpta eſt, quæ ſex menſium paulò plus ſpacio, admirabili Saurognani, Barbari legati, aliorumque Ductorum ſtudio & uigilantia erecta fuere, tanta firmitate, & corroboratione, ut urbs Campeſtris, quæ modò aperta erat,aduerſus quaslibet belli minas inexpugnabilis prope redderetur.

Creta.

Creta quoque ſub Hiero. Martinengi uiri fortiſsimi auſpiciis, & militum præſidiis, & ualidisſimis munitionibus firmatur: nam Cypriorum exemplo nobiles feudati magnam auri uim in medium contulere, ut ciuitate uallo,foſſaq;, & propugnaculis cincta,patriis ſedibus extra omne periculum cum liberis, & uxoribus tutò conquieſcerent. Nec Iaderæ curam patres abiecerunt, quam urbem Vene-

Iadera.

tis littoribus proximam communire ipſam etiam ſtatuere: miſſuſque eò eſt Sforcia Gubernator,ad opus perficiendum,quod pluribus ante annis cœptum, intermiſſumque fuerat, in ualidioremque formam, additis aliis propugnaculis,caſtigatiſque in-

firmioribus

firmioribus munimentis,eius uirtute, breui tempore inſtauratur. Exceſsitque è uita(dum hæc fierent) ſubitò animis languore Priolus Princeps,quum octo annos,duos menſes, & tres dies Remp. tenuiſſet, quam prudenter, conſtanterque rexit, maiorumque artibus inſiſtens, pace,ac ubertate fouit.

Prioli Ducis interitus.

Petrus Lauredanus loco eius Princeps declaratur; ſenio iam confectus,quum ſex, & octuaginta uitæ annos ageret, ſed integris ſenſibus,animique uigore in effœto corpore non carebat,diuinitusque,ac inſperatò Principatum obtinuit: nam Ducis creatio electorum diſsidio per tredecim dies,quod rarò accidere ſolet,retardata eſt, uariantibusque ſuffragiis, quum nemo ex competitoribus ſibi inuicem ſupremam dignitatatem cederet, conuerſis in unum Lauredanũ uotis electores præter eius,ac totius ciuitatis expectationem,Ducem eum creauere,qui tum rei ignarus, quòd in electorum numero non eſſet, è foro digreſſus, per mercatoriam uiam domum proficiſcebatur:acceptoque in uia nuncio,magno populi concurſu facto,ſtatim in curiam gratulabundus acceſsit. Poſtridie de more in Diui Marci templum progreſſus,è ſuggeſtu populo ſe oſtendit:ita uir optimus inſperata dignitate potitus eſt,ac tanti faſtigii repulſam tulere ex candidatis plerique uiri ampliſsimi.

Pet. Lau. Dux 74. Ann. Do. 1567.

No. Viros ampliſ. in petitione Principatus.

Eliguntur que noui Principatus Lauredani initio a Senatu,ſopita nondum de finibus inter Cæſarẽ,& Venetos controuerſia,tres Commiſſarii uiri prudentia, & uſu rerum clari,Seb. Venerius, And.Baduarius, & Aug. Barbadicus : totidemque Cæſar ex ſuis eò ire iuſsit,ut ad loca cuncti pariter profecti, rem amicè componerent. De cæteris autem maioris momenti controuerſiis, partes conuenere,ut in Principum ſuorum aula per Oratores ageretur.

No. Commiſſarios.

Ex Hiſpania poſtea allatum eſt, Carolum Philippi Regis filium,iuſſu eius noctu in cubiculo captum, cuſtodiæ traditum fuiſſe, quatenus is parum mentis compos, patrem interficere uoluiſſet.multaque alia indigna præcipiti conſilio in tanta fortunæ claritate commiſiſſet.

No. de Carolo Hiſp. Principe.

Pax quoque poſt multos armorum fragores inter Catholicos,& Huggonotos,qui ſub Principe Condeo militabant, ſequuta eſt;iniquiſſimasque conditiones,ut funeſto,ac propè ciuili bello finis imponeretur, Galli accepere. Nec in ultimis Aſiæ finibus bellicus furor deerat: nam Arabes ingenti armatorum multitudine, Duce Moro, qui ſe ex Sultanorum genere ortum prædicabat,in Syriã prorumpentes,totam prouinciam depopulati ſunt, atque ope Ianizarorum interfectis Cayri,& Alepi præfectis, qui Baſſæ uocantur, prouinciam Gemeth,quæ eſt inter ſinum Perſicum,& mare Rubrum occuparunt.

No. ingentes Arabũ motus.

Ad quos motus comprimendos miſſa eſt ſtatim ingens Turcorum manus a Selyno Rege è Byzantio, quæ Alexandriã per triremes ad id paratas conueheretur, ut inde terreſtri itinere in Aegyptum,Syriamque aduerſus nouos hoſtes contenderet, qui Adem etiam urbem expugnaſſe magna Turcorum cæde dicebantur. Atque hæc dum fierent, Selynus Rex Hadrianopolim relaxandi animi cauſa cum tota curia profectus eſt: quibus diebus Orator Sophi Perſarum Regis frequentiſſimo comitatu Cõſtantinopolim acceſſit; indeq; recta ad Selynum Hadrianopolim ſe contulit; cui ad urbem appropinquãti,Regis iuſſu quinque mille ex Turcis armis cincti equites honoris gratia obuiam prodiere. Et poſtridie dum Orator ad Selyni Regi conſpectum pro exponenda legatione, renouandaque pace magno populi concurſu proficiſcitur, ac quadraginta dromedarios uariis muneribus, Gazisque Perſicis onuſtos ſecum haberet, plumbea glande ab incerto Authore clam emiſſa,penè occiſus eſt. Dimiſſus autem poſt aliquot ille dies, maximis muneribus a Rege acceptis,in Perſiam ad ſuos rediit.

Legatus Sophi.

Et Romæ ſoborta coram Pontifice noua controuerſia de quattuor utriusque partis agro pagis, inter Ferrarienſem Ducem,& Remp. Venetam,non mediocriter patrum animos turbauit : nam Pontifex,ueluti uniuerſæ Reip. Chriſtianæ, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus Dominus,cauſam ſui ſolius arbitrio expedire ſtudebat : quod ipſum Senatus ab eo fieri non permiſit,ne Reip. libertas, legesque patriæ extraordinaria Pontificis authoritate,nouoque ac inaudito exemplo uiolarentur. Miſſus eſt ob id Romam ad Pontificem a Senatu Antonius Maza a ſecretis, ut Pontificem a ſententia reuocaret, quæ cunctorum Principum animos uehementer offenderet, & ſua Sanctitas ſineret, ut iuxta morem per communes arbitros controuerſia diffiniretur.

Ant. Maza.

Inter has autem tractationes Pontifex quattuor creauit Cardinales uiros inſignes, præſidentem conſilii, in Hiſpa-

No. Card.

in Hiſpania, Abbatem Claromontis, natione Gallum, Eccleſiam (ita uocitatum, Senatorem Mediolani) & Antonium Carrafam Neapolitanum. At foris Pyratæ proxima hæc maria ſæuiſſime infeſtabant, nauigiaque, ac homines & bona hoſtili incurſu deprædabantur. Duo tamen eorum biremes circa Hiſtriæ littora captæ ſunt, quarum alteram Nic. Vallareſſus trierarchus uir fortiſſimus oppreſſit, in terramque octuaginta circiter prædones Turcæ deſilientes, ut effugio ſibi ſalutem quererent, ab Hiſtriis omnes trucidati ſunt. alteram M. Quirinus ſinus præfectus, cęſis ferè ex hoſtili myoparone omnibus, in ſuam redegit poteſtatem; liberatique ſunt nonaginta circiter Chriſtiani, qui ad tranſtra religati, in captiuitate, cathenisque erant. Et domi in Aloyſio Grimano inſignis euenit caſus. Qui cenſuram, ſummum in Reip. magiſtratum agens, cui ſeruandarum, cuſtodiendarumque legum cura commiſſa eſt, in magnum incidit imprudens errorem: nam de more euocatur ad urnam, ut ſingrapham ſuum afferret, pro uno tribus occulte allatis, in pyxidemque impoſitis, ſtatim fraus a Ioanne Donato decemuiro, qui urnæ præſidebat, detegitur. Grimano autē rem negante, in iurgia uterq; prorūpit; decēuir vehemēti vir ingenio de lege a cēſore violatā exclamat, ille cōtrà purgare ſe ſtudet, magniſq; cōtētionibus res agitur. poſtremò, q̃a Grimanū aduerſus legem feciſſe apertè conſtabat, damnatus eſt, cenſuraq; priuatur, ac decennio a Senatu, & a ſecretis Reip. muneribus, amouetur. dimidiæq; horæ momento (tanta eſt fortunæ uarietas) omnem dignitatem amiſit. in Pyratas poſtea iterum proſpere pugnatum eſt: nam Ant. Canalis claſſis legatus duas eorum biremes armis, uiriſque optime inſtructas circa Zacinthum oppreſſit; cæſique ſunt omnes ad unum ſæuiſſimi prædones; & quod ſucceſſum fœliciorem reddidit, manus ingens Chriſtianorum ex diuerſis nationibus, qui cathenati remum trahebant, ex miſera illa ſeruitute erepta eſt.

Ant. Canalis.

Pyratarū cædes.

parte alia poſt Selyni reditum in Conſtantinopolim, ſtatim ſexaginta triremium claſſis, ſub Ali nouo Imperatore in altum emittitur: nam Pialagi Baſſa delationibus purpuratorum, nauali priuatus fuerat maris poteſtate, quam diu tenuerat, ſucceſſitque in ea Selyni iuſſu ipſe Ali Aga Ianizarorum, uir bello fortis. claſſis autem adiunctis triginta longis nauibus ab Alexandria reuerſis, lenta nauigatione in Græciam peruenit.

Ali. Pialagi.

dubioſque, ac ancipites diu cunctorum animos ea cura tenuit, quænam expeditio a Turcis ſuſciperetur, & in quam prius partem naualis eorum apparatus ſe conuerteret. Veneti tamen, ne imparati in aliquod diſcrimen inciderent, rebus ſuis maturè conſulentes, maritimas uires contrahunt, ſtatimque cæteræ claſſi, quæ ad ſolitam ſuperi; Adriaticique maris cuſtodiam foris erat, triginta triremes uiris, armiſque optimè inſtructas adiungere ſtatuunt, & Hieronymum Zane equitem, & Procuratorem iterum Imperatorem creant; trigintaque gubernatoribus nauali ſcientia claris in Senatu lectis, ex his ſinguli triremibus præficiuntur. Corcyram quoque Seb. Venerius Legati nomine uir impiger cum ualida armatorum manu miſſus eſt, ut vrbi præſidio eſſet: in Illyrico inſuper, & Aegeo Inſulæ, maritimæque uſque ad Epyrhi littora urbes bellicis firmantur auxiliis; in eamque patres omnem curam intendunt, nequid in tanto barbarorum motu detrimenti Reſp. pateretur.

Claſſis Venetæ.

Hier. Zane Imp. claſſis ſecundum. Seb. Venerius.

& in Flandria regione in finibus Belgarum ad littora Oceani Septentrionalis poſita, Philippo Hiſpaniæ Rege cum rebellibus, & Huggonotis ſub Ducis Albæ auſpiciis bellum gerente, multis præliis uario euentu eſt dimicatum: detectis demum compluribus coniuratorum in Regnum, & Religionem inſidiis, Philippus in uindictam ardens, rebelles comprehenſos, ex his ad quadraginta uariis cruciatibus necauit, in quibus duo eminentioris fortunæ uiri, Comes Agramonius, & Comes Ornæ, medio Burſellis urbis foro capitali ſupplicio affecti ſunt.

Flandria.

No. ſupplicium clarorum uirorum. Paul. Teupolus.

& Romæ dum Paulus Teupolus Reip. Orator Senatus nomine duas Decumas pro claſſe armanda, præſidiiſque aliis parandis, aduerſus recentem Turcorum motum a Pontifice poſtulare iuſſus eſſet, eas Pontifex inofficioſe negauit, cleri inopiam excuſans: Quem utinam nimio luxu laſciuientem hac indulgentia potius non redderet. cuius reſponſi acerbitas Senatum ualde turbauit. Venetis enim armis non ſolum propria defenſio, ſed totius Chriſtianitatis ſalus, incolumitasque parabatur: ſemperque Decumis a ſuperioribus Pontificibus benigne conceſſis, rem Chriſtianam Veneti aduerſus barbarorum iniurias, hoſtileſque prædonum incurſus fortiter tutati ſunt, uniuſque

Decumæ.

uſque

uſque ſolùm Venetæ claſſis formidine ferox Turca euagari latius per ſuperum, inferumque mare non audet, nec ad præſens benemerito de Eccleſia Dei populo hæc exigua auxilii portio a communi omnium parente neganda erat, quum per tot annos Veneti belligerando barbarorum impetum ſoli ſuſtineant, multaque ſanguinis effuſione, opumque iactura, bellicam uirtutem in ſæuiſſimam gentem exercent. Sed hodie in Principibus meritorum ingrato exemplo memoria obſoleſcit. In Belgarum finibus Dux Albæ cum iuſtis copiis profectus, aduerſus Principem Aurantium, qui magnam Huggonotorum manum ſecum habebat, prælio non procul ab Oceani Maris littore inito, quinque eorum millia in acie cecidit, præclaramque retulit uictoriam. Solemnemque ob id ſupplicationem Pontifex Romæ, cunctiſque Orbis Chriſtiani partibus pie indixit. Nouæ tamen copiæ ex Germania, proximiſque prouinciis, Aurantio, Condeoque Principibus omnia bello miſcentibus, in Huggonotorum auxilium parabantur, uindictæque auidæ gentes arma undique, ac præſidia contrahebant. Ex altera parte Turcorum claſſis in Calabriam uſque excurrens, eius oræ littora ſæuum in modum deprædata eſt, captiuoſque utriuſque ſexus complures abduxit. inde ab Adriatico mari egreſſa, in Aphricam nauigauit, nec memorabile quicquam gerens, poſt quinque menſes nauali expeditione exactos, Conſtantinopolim reuerſa eſt. Quo comperto, parata quoque a Veneto claſſis domi eſt retenta, armaque depoſita. ab Hiſpania de inde ad Senatum litterę aduenere, quibus Carolum Principem, Philippi Regis filium, ſub cuſtodia uitam cum morte commutaſſe, allatum eſt: nam (ut ſupra memorauimus) pater eum, neſcio qua læſæ maieſtatis criminis ſuſpicione, cuſtodiæ tradi mandauerat: ipſe autem impatienter tanti probri iniuriam ferens, ſpiritum non amplius ducere animo propoſuit; & quum ferro amoto, ſibi mortem conſciſcere nequiret, inedia primùm uitam abrumpere cogitauit. Sed a cuſtodibus, qui circa eum aſsidui erant, cibum capere coactus, alio occultiore modo necem ſibi afferre machinatus eſt. Adamante enim, quem annullo ademerat, ore ſumpto, ſe a corporis uinculis ſoluere ſperauit: periculum tamen euaſit. Obſtinato denique animo extremum uitæ diem ultro appetens, commeſſationibus, & crapulis ſe totum tradidit, adiuncta autem frigidæ aquæ continua epotatione per ciborum immoderantiam, morbo contracto, interitum ſibi breui maturauit. Sunt, qui ueneno extinctum iuuenem tradant. ſed, utcumque res ſe habeat, magna in morte conſtantia uſus, Chriſtianiſsimè, ac Religioſiſsimè Sacramentis omnibus Eccleſiæ pie aſſumptis, exceſsit è uita, incredibili cum totius Hiſpaniæ mœrore, & luctu. Paucos etiam poſt dies a priuigni obitu, Regina quattuor menſium infantem immaturo partu enixa, interiit: geminatiſque funeribus, filii, & uxoris, Philippus acerbiſſimam paſſus eſt domeſticæ cladis calamitatem. & hi in Hiſpania aduerſi intra regios penates caſus aduenere. In Gallia autem res bellicæ cum Huggonotis fœlices ſucceſſus ſortitæ ſunt: prælio enim inito, Condeus Princeps, cæſis ex ſuis mille, & quingentis, ſuperatur; Princeps etiam Aurantius in Belgis fuſus, fugatuſque eſt. Non defuere tamen incendia, deprædationes, templorum, ædiumque ſacrarum excidia, cædeſque infandæ. quas Huggonoti animis exacerbatis paſsim tota Gallia ædebant. Domeſtico autem bello Rex grauiſsimo implicitus, maximos in exercitibus comparandis, alendiſque theſauros effudit, uix infeſtiſsimorum hoſtium arma ſuſtinebat: coactuſque eſt ad alienas opes confugere, Italiæque in primis Principum auxilia implorare, ex quibus Pontifex quattuor equitum millia largo ſtipendio contracta, in Galliam ad partes Regis tuendas tranſmiſit: nec Veneti huic bello manus ſubtraxere, centenaque alia aureorum nummum millia officioſe amico Regi ex ærario ſunt deprompta, ea lege, ut totidem ſex annorum ſpacio æquis portionibus Veneto reſtituerentur; precioſuſque gemmarum numerus pro pignore, & promiſſorum obſeruatione Senatui datus eſt. Nec multò pòſt contracto ingenti ad Sarrentam amnem certamine, inter Gallos, & Huggonotos, Regii, Duce Angioo Regis fratre, uicere. interficiturque Condeus Princeps, & cum eo mille & quingenti equites, uirorumque illuſtrium non exigua cęſa manus. incredibilique hæc Regis uictoria omnes Principes Chriſtianos lætitia affecit, poſtquam acerbiſsimus hoſtis Condeus tanti belli au thor mortem obiiſset, gratiæ idcirco Deo Opt. Max. per omnia Chriſtiani orbis templa, piè actæ ſunt: bellum nihilo-

Not. hominũ Hug. cædem.

Not. de Turcorũ claſſe.

Not. Filii Regis Philippi caſum, & interitũ.

Condei P. clades.

Not. mutuo datæ pecuniæ Gallo Regi à Venetis.

Condei P. cædes.

Nn minus

minus ardentius renatum, Galliam turbauit, armaque utrinque iterum renouata ſæuiebant. Acceſſit autē per hos dies ignoto habitu Venetias ex Hiſpania reuerſus Carolus Archidux Auſtriæ, Maximiliani Cæſaris frater, ut urbem mediis aquis poſitam inuiſe ret, ſequutique ſunt eum officii gratia Ferrarienſis Princeps, aliique inſignes eminentioris fortunæ uiri. a patribuſque excepti ſunt omnes ampliſſimis, ſummiſque honoribus, licèt illorum ignotus, occultuſque fuerit ad urbem acceſsus, hoſpitalitatis tamen, benignitatisque ſuæ ſolitæ ciuitas immemor eſſe non potuit. datique ſunt a Senatu honoris gratia duo patritii in eorum comitatu Hieronymus Lippomanus, Ioan. Fr. & Hier. Quirinus, ambo elegantiſſimi ingenii iuuenes, qui ab eorum latere, quò ad in vrbe fuere, nunquam diſceſſerunt. Hęc apud Venetos fiebant.

Caroli Auſtrii ad vrbem acceſſus.

At Romæ Pontificis auſteritatem, animique implacabilitatem omnes oderāt, qui hominum delicta ſeueriſſimè plectebat: ex quibus; multi & patibulo affixi, atque aliqui in duas partes uiui ſecti ſunt, nouis quoque & inſolitis legibus in mulieres conditis, quòd eæ parum caſtè & honeſtè uiuerent, petulantiuſque laſciuire (ut eſt ſexus illius fragilitas) in ſuſpicionem uenerant: omnia in Vrbe confuſione & metu plena reddiderat, aliquotque ex eis publicè uirgis cæſæ ſunt, ac in dies nouos rerum motus excitabat. In Aſia ex alia parte Selyno Turcorum Rege terra, mariq; quieſcente, Veneti & ipſi pacatè agebant. In Galliis ſolummodo bellum prope ciuile ardebat. Philippus quoque Hiſpaniæ Rex aduerſus rebelles Mauros in Bethica armis rem gerebat; eius etiam claſſis, dum in Hiſpaniam nauigaret, orta ingenti tempeſtate, undecim longæ naues mari abſorptæ ſunt. Adriaticum inſuper ſinum ſæuiſſimi prædones latrociniis infeſtabant, nauigantiumque mercimonia magnis eorum ſudoribus & periculis parta aſſiduo incurſu hoſtilem in modum diripiebantur, unde in uindictam ardens indignitateque rei motus Marcus Quirinus, qui ſuperi maris cum Veneta claſſe cuſtodiā habebat, Turcorum biremem ad Meledam in Lyburniæ ora aggreſſus, in ſuam redegit poteſtatem, prædonibusque ad unum cæſis, ac incuſſo incredibili barbaræ genti terrore, mare his monſtris purgauit. Et Gallia ſolitis Huggonotorum armis acrius uexabatur, oppidaq; complura ab his capta, in miſerabiſes calamitates incidebant, cùm ferro, & flamma in his omnia excinderentur: leuioribus autem certaminibus ſæpius ex occaſione inter partes pugnatum eſt, quibus ſuperiores fermè hoſtes aduerſus Regios fuere, armatorumque auxilia undique ex Germania in Huggonotorū caſtra confluebant. Gallorum contrà exercitus milite dilabente in dies imminuebatur. Admiraldus itaque hoſtium Dux libero campo florentes copias trahens, ſummæ rei præerat, Regisq; uires infirmas, debileſque contemnebat: auſuſque eſt ad Poitiers vrbem quæ hodie Pictauium appellatur, caſtra ponere, quam multis oppugnationibus fatigauit. Ac per id tempus, quod fuit decimo octauo Kalendas Octobris, anno ſalutis Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimonono; ſub profundo intempeſtæ præcedentis noctis ſilentio, nouus, inauditusq; caſus Venetiis obuenit, per quem commota eſt vniuerſa ciuitas, animiq; omnium conſternati ſunt: nam ſulphureus puluis in Nauali publico accenſus, ſubita fulgurantis impetus vi adeò horribilem ædidit mugitum, terroremq; paſſim incuſſit, ut præter grauiſſimam terræ, aerisq; commotionem, murorū ipſius Naualis partem, turresq; aliquot noua, ueterisq; ſtructura firmiſſimas formidabili, fulmineoque impetu proſtrauit, contiguaſque quattuor ſacras ædes Diui Franciſci, Cœleſtriæ, Trinitatis, & Iuſtinæ, quaſſatę penè totas ſubuertit. Domus quoq; proximiores aliæ ſuper alias incredibili ſtrage corruere, & longinquæ, eſtremisq; vrbis partibus poſitæ, uel incuruatæ acclinarunt, uel tremorem horribilē paſſæ ſunt; ac nemo fuit, qui ſupremam rerum omnium deſolationem, mundiq; finem, refulgenti illa ſubita flamma, furentiq; turbine aduenisse non expauerit. tota proinde ciuitate trepidatum eſt, augebat terrorem nocturnus inſoliti incendii fulgor, vehemensq; collabentium ædificiorum fragor, fugaq; paſſim, & ploratus mulierum, puerorumq; ex domeſticis penatibus ſeſe per tenebras in apertum proripiētium, ne tectorum ruinis oppreſſi, uitam amitterent. perpauci tamen deſiderati ſunt, quod miraculi loco penè habetur, cùm tot ædificia ea hora improuisò corruere cōtigiſſēt, qua omnes ſomno preſſi obdormitabant. Tāta autem fuit incendii magnitudo, pulueris crepitantis rapacitas, &

No. in Pō tifice animi rigorē

M. Quirinus.

Nota. de Admiraldo.

No. Aſſenatus incendium.

Not. Ciuitatis metum.

tas,&

tas,& uehementia,euerſarumque ædium ſtrepitus, ut per quinquaginta paſſuum millia,ceu furens tonitrus,ac rapidum fulgur aures hominum perculerit, proinde furibũdo per uniuerſam ciuitatem motu audito,armati complures ex optimatibus, ciuibuſque patriæ amantiſſimis,occultę alicuius conſpirationis metu,ut urbi præſidio eſſent, armati in forum aduolarunt: inde ad Nauale(vulgato eius diſcrimine)properatũ eſt, ubi per plures dies armata iuuenum manus duce Ioanne Leggio Equite, & Procuratore præſtantis animi uiro,inſomnes noctes ducendo,in loci cuſtodia excubauit. *Ioan. Leggius.* magna autem præmia publico edicto decreta,qui facinus indicarent, quando non fortuito,ſed fraude humana contractum fuiſſe incendium,una omnium eſſet opinio. cæterùm intra paucos dies,reparatis mœnibus,ac turribus, quæ pulueris ſuccenſi uiolentia procubuerãt,Nauale ipſum in priſtinum ſtatum inſtauratum eſt. Et ne in ſimilem amplius cladem ciuitas incideret,multa ad diligentiorem urbis cuſtodiam a Decemuiris prudentiſſime conſtituta ſunt. At foris maritimæ res fœliciter,proſpereq; in pyratas geſtæ, Marci Quirini Venetæ claſſis præfecti nomen plurimùm illuſtrarunt. is enim peruigili cura nauigantium indemnitati conſulens, die, noctuque Adriaticum mare enauigando ſulcabat: etenim modò a dextra, modò a læua per horridas etiam tempeſtates,procelloſumq; mare, ubi hoſtem adeſſe ſubodorabatur,claſſem agebat, circuibatq; portus,promontoria,littoraque omnia. quo factum eſt,vt dum circa Apuliam nauigaret, tres pyratarum biremes alto mari uiſas nulla interpoſita mora inſequi cœpit,triremisque ſuæ agilitate eas Quirinus aſſecutus,iuxta Brunduſii littus, in quod duas earum barbari effugii cauſa impegerant, cæſis ad unum prædonibus, oppreſſit; *Dux pyratarũ biremes captæ.* tertia beneficio ſuperuenientis noctis ægrè aufugit, centumque & amplius Chriſtiani cathenis uincti,pedoreque,& fame penè enecti,liberantur. compreſſaque eſt per aliquod tempus(uariis illatis cladibus) prædonum audacia: nam octo eorum Myoparones paucis diebus mari Quirinus oppreſſerat, vir planè bello acer, ac maritimarum rerum Veneta in gente peritia inſignis. Poſt hæc multorum menſium ſpacio circa regales nuptiarum tractatus elapſo, ad optatum demum finem res perducitur: nam primogenita Maximiliani Cæſaris filia Philippo Hiſpaniarum Regi nuptui tradita eſt: *Not. Nuptias.* altera Carolo Francorum Regi matrimonio copulatur; atque eiuſdem ſororem Margaritam nomine Rex Luſitaniæ duxit uxorem affinitasque; inter tres ſummos Orbis principes per nuptiarum lenocinia arctiſſima contracta eſt, tacito animis omnium timore illabente,ne Reges uxorio uinculo coniuncti,ius diuinum,humanũque (bello Gentibus illato)uiolarent. Alia quoque multo atrocior poſt Venetos clades rem Turcorum afflixit,multiplicantibus per totum fermè terrarum orbem prodigiis,dirisque infortuniis: nam Conſtantinopoli quinto Kalen. Octobris eodem menſe,& anno,quo Venetum Nauale,ut ſuperius deſcripſi, cõflagrauit,de prima uigilia, ex furnaria taberna(ut aiunt)ſubitò ignis exortus, cõtiguas,cohærẽteſq; ædes, quarum maior ferè pars ex aſſeribus conſtructę ſunt,paulatim ſerpẽs corripuit,inde perflante uehementius Aquilone, adeò incendii uis latius diffuſa deſæuiit,ut totam penè *Not. incẽdij in Cõſtantinopoli.* vrbem incenſam deleuerit. attonitiq; omnes deflagrantes ædes,volitanteſq; in cœlũ flammas nec quicquam ſpectabant, nemine ex tanta confluentis turbę multitudine opem ferente. continuatumque eſt incendium non ſolùm per totam noctem, ſed etiã quindecim,& amplius inſequentes dies,ita vt ampliſſimæ ciuitatis maior ferè pars in cinerem propè conuerſa fuerit: per quattuor ſi quidem paſſuum millia recta linea maximo inextinguibilique incendio deuaſtata eſt: corruereque igni combuſtæ ad viginti Moſcheæ,quindecim Iudæorum Sinagogæ, balnea,thermæ,porticus, aliæque fabricæ conſumptæ,antiquæ, illuſtriſque vrbis faciem defœdarunt. eademque fermè incendii vis ad Tartaros,ſeu Scytas tranſiit. in Tanai enim ad Euxinum oppido, tormentarius puluis de repente ignota originis cauſa ſuccenſus,turrim,vbi ſepoſitus ſub cuſtodia ſeruabatur,in aera ſublatam,ab imo ad ſummum ſubuertit, milleque ex Ianizaris,& Tartaris,laceratis artubus periere: ingentem autem humano generi calamitatem(quæ poſtea ſecuta eſt)hæc alia ſuper alia incendiorum oſtenta portendere viſa ſunt. Dum domi,& foris hæc per diuerſas Orbis regiones uaria fortuna eueniunt, in Gallia atrox inter Huggonotos, & Regios in latiſſima ad Moncontur planicie pugna

Not. Huggonotorũ cladem.

committitur, in qua victi Huggonoti fœdam cladem acceperunt: nam ad duodecim ex his millia in acie cæſa dicuntur, Admiraldusque eorum Dux duobus ſaucius vulneribus ægrè aufugit: pauciſſimi autem ex Regiis occubuere, diuina virtute manifeſtè Gallicam rem protegente, Angioo præſertim Principe Regis fratre, qui cum Imperio exercitui præerat, diuinitus è morte erepto, quandò is inter pugnandum equo prolapſus, ac pedes hoſtium telis ſæpe petitus, ſuorum uirtute, ac diuino pòtius auxilio, opeque ſeruatur. ex ea ſtatim uictoria, cuncta ferè oppida, quę ad hoſtes defecerant, in Regis fidem rediere: liberaturque Regnũ, & Eccleſia Dei ab immaniſſimæ gentis nefaria perſecutione. triplici iam clade, poſt Condei cædem alia ſuper alia Huggonotis illata, increbreſcentibuſque è cœlo aſſiduè prodigiis, ingentes diuerſis Orbis partib. terræmotus auditi ſunt, Cypruſque præſertim inſula ex tam graui terræ commotione in magnum incidit terrorem; perterrefactique omnes pias templis preces, ſupplicationeſque cum lachrymis effudere, ut tantam Dii immortales è ſuis ſedibus peſtem auerterent. Ex hoc autem aduerſo caſu denunciata eſt, bellica in eam inſulam Turcarum expeditio, quæ breui ſecuta eſt, ac funeſta, & miſerabilis nobiliſsimæ Inſulæ clades, in Turcorum ſeruitutem (ut modò memorabitur) armis redactæ: nam ad totius ſubigendum Orbis Imperiũ Othomana gente hæreditaria ambitione anhelante, magni belli apparatus Byzantii fiebant, nec certi tamen quicquam afferebatur, in quam partem Turca tantis conatibus arma verteret. Ducentarum enim, & amplius longarum nauium numero claſſem contraxerat, & ad ferenda bellica inſtrumenta centum Hippaga, quæ Parandariæ, ſeu Mahone, uocantur, totiuſque Græciæ ora uſq; in Thraciam armis obſtrepebat. Cypri autem expeditionem ſuſcipere Selynum fama erat. Qui etiam in uita patris (antequam ad Imperium perueniſſet) totum in eam cogitationem ſe dederat, iuraſſeque fertur, quod ſimul ac in Regno patri Solymano ſucceſſiſſet, Cyprum ſtatim armis inuaſurus eſſet, ut nobiliſſima inſula Syriæ finibus proxima ſubacta, totius Pamphilii maris ora potiretur. pacemque abrumpere, ac Deos fallere inſatiabili dominandi cupidine raptum impium tyrannum minime puduit. Idcirco Veneti ad tutandas maritimi in Oriente res Imperii, ingentem & ipſi claſſem inſtruere cœperunt: octuaginta enim roſtratas naues, duodecimq; alias maiores triremes armandas curarunt, in quibus totius naualis militiæ robur erat. Quarum præfectus Fran. Duodus uir impiger creatus fuit. annumeratiſque triginta triremibus, quæ Adriaticum ſinum, ſuperumq; mare tuebantur, aliiſq; uiginti duabus, quæ circa Cretam ſtationem habebant, ſupra centum & quadraginta longarum nauium claſſis conflata eſt, cuius Imperium Hieronymo Zane Equiti, & Procuratori uiro ampliſſimo tertiò demandatum. additurque ei alter Legatus, Antonius Canalis, qui bellica uirtute plurimum ualebat, ac pyratarum ſpolia ſuperioribus annis ſæpe uictor rettulerat. Præter hæc in Cyprum, Cretam, Corcyram, & Illyricum magna militum manus tranſmiſſa, ut inſulis, maritimiſque oppidis præſidio eſſent. multi autem nobiliſſimi armorum Duces, ut Reip. inſeruirent, in tanto acerrimi hoſtis apparatu operam ſuam lætanter obtulere: inter quos Hiero. Martinengus, uir Reip. amantiſſimus, Ductorque armorum fortiſſimus fuit, qui nil longinquam militiam, maris, cœlique tempeſtates veritus, in Cyprum, vbi maius periculum verteretur, cum vnico filio adhuc impube ſe nauigaturum pollicitus eſt; atque intra paucos dies bis mille & quingentos milites Martinengus ſecum ducens, in paratam ſtatim nauim aſcendit, vt in Cyprum nauigaret, incomparabileque fidei ſuæ omnibus præbuit exemplũ. Sed vt claſſis bellatoribus vſu armorum peritiſſimis validior redderetur, octuaginta Gubernatores è patritio ordine, ac nobilitatis flore a Senatu delecti, qui ſingulis triremib. præeſſent. omniumque animi incredibili deſiderio ardebant ad aliquod præclarum facinus in hoſtes ædendum. nullam etenim maiorem, apparatioremque omnibus rebus, multis ab hinc annis Venetus in altum claſſem non emiſerat: naues quoque onerariæ complures paratæ in anchoris ſtabant, ut omni nauigiorum genere claſſis numero adaucto, præpotentibus hoſtium armis pares vires obiicerentur. Admiratique ſunt omnes tantam potentiam, vireſq; maris, quas una Italiæ ciuitas aduerſus immaniſſimũ Chriſtianæ Reip. hoſtem breui admodum temporis ſpacio fœliciter contraxerat; animatique

Terræmotus.

Not. Turcarũ motum & armorũ apparatũ in Cyprum.

Ingẽs Venetorum claſſis. Frã. Duodus.

Hier. Zane claſſis Imper. Anto. Canalis.

Hier. Martinengus.

Octuaginta Gubernatores triremiũ.

tique

tiq́ue erant Veneti totis uiribus Cyprum ſeruare & defendere, ac mortem potius ipſos glorioſè oppetere, quàm unquam pati, nobiliſſimæ Inſulæ (niſi fata aliter ſtatuiſſent, quæ homini ignota ſunt) Turcorũ armis Imperio ſpoliari. Proinde claſſis in dies nouis ſupplemẽtis augebatur, ac militum præſidiis, armorum ductoribus, commeatibus, bellicis inſtrumentis oppida, Inſulæq́; muniebantur: cunctaq́; ſingulari diligentia parabantur, quæ perfidiſſimi hoſtis conatus propulſare poſſent, qui tam latis Imperii ſui finibus non contentus, ac hæreditaria Othomanæ gentis ambitione raptus, tam impudenter, poſthabito iuſiurando pacem uiolarat. Ea pp non ſolum Venetorũ animi commoti indignabantur, ſed exteræ quoque gentes immanem hoſtium facinoris atrocitatem ſtomachatæ deteſtabantur, qui nullo Deorum metu, ac recenti pace uiolata contra amiciſſimum populũ nullis laceſſiti iniuriis, iniuſta arma induiſſent. in bellum aũt oĩum aĩs accenſis, miſſus eſt legati nomine Lucas Michael ad Cydonem in Creta oppidum, & Seb. Venerius Corcyram; ũnaq́; eodem tempore Iulio Saurog. armorũ ductori nobiliſſimo, ac Ioanni Leggio eq. & Proc. in locum Fr. Barbari morbo laborantis, & poſtmodum defuncti, ſuffecto, Dalmatæ, Illyriiq́ue prouincia decreta, ubi omnia hoſtilia Turcæ in Venetum nomen agentes, magna equitum, peditumq́ue multitudine in Iaderæ fines irrupere, quos ferro, igneq́ue ſæuiſſime deuaſtare cœperunt, leuibusq́ue aliquot præliis inter Turcas, Venetosq́; certatum eſt. nouiſſimè Ber. Maripetrus Epyrhotarum equitum præfectus ex Iadera in hoſtem erumpens, rapiente fato, cum eo manus conſeruit, multaq́ue pugnando ſtrenuitate ferox iuuenis uſus eſt: poſtremò lancea brachium, latusq́ue traiectus, interimitur, corpusq́ue eius Iaderã cum lachrymis perductum, tumulo militaribus ſignis ornato reconditur. Fabius Canalis in demortui Maripetri locum a Senatu ſurrogatur: ſtatimq́ue ipſe, ut uir pugnax & impiger erat, in prouinciam profectus eſt. His geſtis, Cubat Chiaus Legatus ad patres a Selyno miſſus, Venetias acceſſit: is è Byzantio terreſtri itinere Raguſium peruenit, inde triremi Suriana recta Venetias aduehitur, comitemq́ue itineris ſecum duxit. Aloyſium Bonricium, baili ſecretarium, ut per eum tutior eſſet ad Venetos acceſſus: nam poſtulati indignitas eum de ſalute ſua non parum ſubdubitare cogebat. E triremi igitur ille ſub cuſtodia eductus, ſummo mane per incredibilem populi cõcurſum, qui eius aduentum audierat, in curiam aſcendit, ac dicere ante patrum conſpectum iuſſus, legationis iniunctæ mandata ſubtimidè expoſuit, petiitq́ue Regis ſui nomine, ut uoluntaria deditione Cyprus ei traderetur. Quod ſi Veneti negarent, bellum terra, mariq́ue Selyni nomine indicebat. Tum Princeps, Cyprum patres legitimo iure tot annos poſſidere, reſpondit; nec ex Veneta dignitate foret, ut nobiliſſima Inſula tam abiectè abalienaretur, quam parati Patres erant, armis, totiſq́ue Imperii uiribus defendere, ſperabantq́ue Superos in hoc bello habere ſecundos contra eam gentem, quæ tam impudenter pacem, fidemq́ue uiolaſſet. Nulloq́ue alio colloquio utrinque habito, è curia Cubat dimiſſus abiit, qui per forum ingenti ſtipatum turba tranſiens, maledicis populi uocibus contumelioſè exploſus eſt, ac in paratam eandem triremem illico reuerſus, Raguſium, unde uenerat, Patrum iuſſu deuehitur. quorum animos poſtulati indignitas grauiter commouit, ac totam ciuitatem turbauit. indicto itaque per hunc modum Venetis bello, quod quidem antea ex mercimoniis, nauigiiſq́ue Veneti nominis ad Narentam, Aulonemq́ue interceptis, ac ex agrorum populatione, uillarumq́ue incendiis in Dalmatiæ finibus patefactum fuerat, claſſis, armaq́ue, quanto celerius fieri poterat, expediebantur. Pontificis; in hoc Turcarum bellico motu præcipua adiuuandæ Venetæ Reipub. cura, ſtudiumq́ue conſpectum fuit: nam propoſito in publico conciſtorio Venetorum, ac totius Chriſtianitatis optimus parens diſcrimine, centum aureorum nummum millia ex cleri prouentibus exigenda Reip. elargitus eſt; tritici quoque non modicam uim ad panem nauticum conficiendum pro alenda tam numeroſa claſſe ex Eccleſiaſtica ditione libens conceſſit: duodecim item triremes ſuis ſumptibus armare pollicitus eſt. De coniungendis etiam Chriſtianorum Principum armis ad ſacrum bellum Turcis inferendum curam ſuſcepit. Et Veneti omnem operam dabant, ut cum Philippo Hiſpanorum Rege præcipuè ſocia arma iungerent, cùm naualibus ipſe armis plurimum ualeret, & cu

Lucas Michael.
Seb. Venerius.
Ioan. Leggius.
Ber. Maripetri cædes.
Fabius Canalis.
Cubat Selyn Orator ad Venetos.
Cyprus a Turca expoſcitur.
Venetorũ reſponſũ.
Pontificis inclinatio ad bellum
XII. Pontificis triremes.

No. ingẽs omnium ſtudiũ in bello.

ius de re etiam agebatur, ob Siciliæ periculũ, in ea parte, quæ Aphricæ littoribus ad Goletam contermina eſt. Incredibile autem dictu, quantis omnes fauoribus Venetos in hoc bello proſequantur ad eorumq́ue ſtipendia ſpontè, lætanterq́; Italæ, exteræq́ue gentes admirabili alacritate confluebant. unuſque omnium erat conſenſus, una uox, concordeſque animi ad bellum gerendum aduerſus immaniſſimum tyrannum, pacis uiolatorem, Deum, hominumq́ue contemptorem, compluresq́ue ſacrati uiri patriæ amantiſſimi, ciuesq́ue, & inquilini, aurum, pecuniæq́ue magnam ſummam ad Reip. commoda in tanto belli motu vltro in ærarium contulerunt. ſociæ quoque ciuitates, Brixia, Bergomum, Crema, Verona, Vicẽtia, Patauium, Vtinum, Rodigium, Feltrum, Bellunum, minoraq́ue alia oppida, fidei ſuæ memorabile exemplum ædidere, a quibus ingens auri uis in armanda claſſe, in militum præſidiis comparandis effuſa eſt, tanto ſtudio, & animorum propenſione, ut multi ex patribus præ dulcedine lachrymas continere non potuerint. Nec ipſe generalis Gubernator Sforcia domi in ocio ſedere uoluit, quin claſſem, licèt æger, & ualetudinarius eſſet, conſcendere cum inuicta fortisſimorum militum manu ſtatuit, ut tum armis, tum conſilio Reip. in hoc maritimo bello ſtrenuam operam nauaret: expeditisſimamq́ue Petri Hemi Gubernatoris triremem ſibi delegit, ut in ea ueheretur. Paratis itaque rebus omnibus, publicum uexillum Imperatori de more in Diui Marci baſilica traditur: qui ſtatim prætoriam Quadriremem mirè ornatam aſcendens, in Illyricum ad cæteram claſſem nauigauit, ut rem bellicam in ſæuiſſimum hoſtem mari adminiſtraret: nam omnia hoſtilia Turcus in Venetos agebat, duasq́ue per antea eorum naues Byzantii Balbam, & Bonaldam interceperat, poſtea alias duas Alexandriæ Barbaram, & Delphinam. In his belli motibus, Coſmum Florentiæ Ducem, quem paucis ante diebus Pontifex Magni Hetruriæ Ducis titulo inſigniuit, Romam profectum ſummis honoribus Pontifex excepit, trabeaq́ue eum, ac præclaris regalem in modum inſignibus publicè decorauit, hoſpitalitateq́ue, ac muneribus, donec ille in urbe moram traxit, a Pontifice cultus eſt. Contraria autem ratione ab Alphonſo Duce Ferrariæ Pontifex alienati animi ſigna dabat, ac tacita quædam ſimultas inter eos erat, ob Padi nauigationem in ſalis uectura per liberum fluminis tranſitum. Hinc Alphonſus de nimia Pontificis duricie conquerebatur, ac iura ſua defendere bona illius uenia apertè denunciauit. ſed Veneti Senatus authoritate, ne Italiæ quies alieno tempore turbaretur, miſſo Ferrariam ad Alphonſum Ioanne Frumento a ſecretis uiro prudente, omnia ſedatá ſunt, & Dux ipſe in gratiam a Pontifice benignè recipitur. Sed unus, ut ad Coſmum redeã, præter multos alios Italiæ principes, Maximilianus Cęſar fuit, qui Coſmi magni Ducis appellatione titulum grauisſimè tulit: ſuas enim partes eſſe aſſerebat, non Põtificis, ſimiles honoris prærogatiuas concedere, quòd Cæſaream dignitatem aliquo modo tangeret. Proinde miſsis Romam Oratoribus, titulum ipſum tanquam inualidum, inefficacemq́ue ſe abrogare declarabat, & de eius nullitate publicè proteſtatio in ſcriptis, Pontifice muſſante, per Oratores ſuos facta eſt. Coſmus autem hoc noui tituli incrementum per Angelum Guicciardinum ad Venetos miſſum conſcriptis humanisſimis literis Senatui ſignificare uoluit. abiens poſtea ille læti nuncii cauſa torq́ue aureo a Patribus donatus eſt.

Not. ſociarũ urbiũ fidem, & liberalitatem.

Sforcia Gubernator.

Nota. de Coſmo Duce Florentiæ.

Alphõſus Ferr. Dux

Angelus Guicciardinus.

PETRI

PETRI IVSTINIANI
PATRITII VENETI,
ALOY. F.
SENATORII ORDINIS VIRI AMPLISS.
AB VRBE CONDITA.

DE VENETIS REBVS HISTORIAE
Liber ſextuſdecimus.

PRAEPOTENTEM Veneti Turcam hoſtem nacti,ſummo ſtudio uigilabant,partes ſuas nouis Chriſtianorum Principum auxiliis firmare,curarũtque imprimis per Michaelem Surianum,Romæ Oratorem, ut Pontifex Philippum Hiſpaniæ Regem hortaretur ad fœdus cum Veneta Rep.ineundum;miſitque ob id ad eum Dominum Torres ex cubiculi ſui unum,ad ſuadendam ſocietatem, ſumendaque in communem hoſtem arma:& à Veneto ex alia parte Iac.Superantius,qui tum Patauii prætor erat,Orator creatus eſt ad Maximilianum Imperatorem in Germaniam , ad conuentum in Spira ciuitate; & Antonius Theopolus ad Poloniæ Regem,a quibus in tanto belli terreſtris,maritimique Turcarum apparatu publico nomine auxilia peterẽt. Moſcouitę quoque,& Perſæ tentati ſunt,ut è finibus ſuis cum inuicta,fortique armatorũ manu in Aſiam irrumperent.conſcriptis autem a patribus ad Selynum de pace ab eo uiolata litteris,priſtina illa tituli inſcriptio ablata eſt,Sereniſſimi, & Excellẽtiſſimi Selynſach maximi & inuictiſſimi Regis utriuſque cõtinentis Aſiæ,& Europæ, Arabum,Perſarum,Syriæ,ac uniuerſæ Aegypti,& cætera.tum ſimplici tantum inſcriptione uti placuit,Sereniſſimo Selynſach Turcarum Imperatori : quod ſuperbiſſimas eius aures maximopere offendit.nam tumidos ipſe tanti Imperii magnitudine ſpiritus gerens,iniquiſſima animi indignatione ferebat , ſolitam inſcriptionem in ſuæ dignitatis contemptum inuerſam , ac reuocatam eſſe feroces itaque in Venetos minas Selynus furenti ore protuliſſe dicitur.poſt hæc M.Antonius Barbaro Bailus in ſuis ad Peram ædibus Ianizarorum cuſtodiæ traditur.ſimiliter & omnes mercatores noſtri, tam Byzantii,quàm tota Aſia è finibus diſcedere publico edicto ſub pœna capitis prohibentur; bonaq́ue eorum in maxima pecuniarum merciumq́ue ſumma tabellis deſcribuntur.& apud Venetos Mamuth Chiaus,qui in Galliam profecturus , Veneta in urbe ſubſtiterat , cunctique Turcæ,& aduenæ Iudæi , atque eorum bona retinetur . mox ipſe Mamuth ſub cuſtodia in fœlicianam Veronæ arcem captiuus mittitur . inde alię iniuriæ,offenſionesque aperto iam bello utrinque hoſtiliter inferuntur.ſed Deo Opt.Max.perfidiæ,impietatiſque ultore,a Turcis ad eam uſque diem infœliciter pugnatum eſt:nam in Dalmatiæ,ac Epyrhi finibus leuioribus ſæpe præliis illi a noſtris ſuperati ſunt,fuſique,& fugati multa cum cæde & ignominia.addebãtur ad hęc euulgata aliqua prodigia de ſanguineo Solis iubare Conſtantinopoli uiſo,flammiſque in ſummo ęthere interdiu ardentibus.in duobus quoque Ianizaris res mira accidiſſe fertur,ut quum ex his unus uiolatę pacis a Selyno factum damnaret,alter approbaret,orto inter ſe iurgio , gladios ſtringunt,amboque ſtatim mutuis uulneribus confoſſi cadunt;prior tamen ille,qui pro Selyno pugnam ſuſcepit,exanimis obiit.uariique hinç multorum ſermones orti, fatale aduenisſe tempus augurantium,quo Othomanicum Chriſtianorum armis uel ruiturum eſſet Imperium,uel magnã aliquam cladem ſubiturum. Turcorum tamen bellici terra , marique apparatus ingẽtes , formidabileſque erant:nam pręter infinitam ad fabricandas nouas triremes,ueteresque reſarciendas, lignorum ſtruem,ac ferri,rudentum , machinarum congeriem,nouem quoq; Camel

Dominus Torres.

Iac. Superantius.

Ant. Teopolus.

Not. de tituli abrogatione.

M. Ant. Barbaro Bailus.

Prodigia.

Not. Turcorum terra marique apparatus.

lorum

lorum millia infenſiſſimus hoſtis contraxit, ad ferendos commeatus, & omne eſculentorum genus, uſque ad Caramaniæ è Cypri regione littora, unde mox unà omnes copię mahonis, ac parandariis ad id paratis, in Inſulam traiicerentur, ipſeque (ut ferebatur, Selyn bello intereſſe ſtatuerat. Hæc barbarorum conſilia erant. Nec Veneti, ubi abrupta pace, bellum gerendum cum perfidiſſimo hoſte ſenſere, inertiæ, ac ocio ſe dederunt: uerùm ſumma diligentia claſſem expedire curabant, ſupra quam duodecim armatorũ millia ex bellaciſſimo hominum genere impoſita ſunt, ut ea ferociſſimo hoſti, in quancumque maris partem ille ſe uerteret, intrepide obiiceretur, armiſque rem gereret: nam incredibilis in omnibus cupiditas, ardorque erat cõfligendi cum ſuperbisſimo hoſte, glorioſamque uictoriam ſibi cuncti animis ſpondebant: ſpiritualibuſque armis plerique ex ducibus, gregariiſque militibus ſe ſe munientes, ab omnique criminum labe Chriſtiano ritu puriter expiati, Euchariſtiam ſumpſerant, ut ſi uitam, corporaque pugnando amitterent, animas ſaltem cæleſtibus regnis perpetuò ſeruarent.

No. in Venetis animorũ alacritatem.

Is erat apud noſtros animorum habitus, is in generoſiſſimis pectoribus ſenſus, hæc alacritas, ut uel uincere, uel mori unuſquiſque animo conſtanter propoſuerat, probraque in Turcas militum uulgus iactabat, ſemilixas eos, effœminatoſque ſpadones contumelioſè appellantium; Imperiique ſui finem hoc tempore certiſſimum adeſſe non uanis coniecturis omnes diuinabant. Nec hoc loco complurium eximia in Rempublicam fides, ac ſingularis liberalitas reticenda eſt, quorum nomina hìc inferius referre libet, ne tantorum meritorum, pietatiſque erga patriam memoria unquam obſoleſcat, ingratoque ſilentio inuoluatur.

No. in adiuuanda Rep. ſtudium.

De Eccleſiaſticis primùm, ſacratiſque uiris, Fr. Piſanus Cardinalis fuit, qui quattuor aureorum nummum millia Reip. condonauit. Ioannes Triuiſanus Venetiarum Patriarcha mille aureos, Patriarcha Aquileienſis Grimanus mille, Philippus Mocenicus Archiepiſcopus Cypri bis mille: hos ſecutus Fr. Cornelius Epiſcopus Taruiſii ſupra mille aureorum ſummam largitus eſt. Idem fecit Mattheus Priolus Vicentiæ Epiſcopus, & Electus Daniel Barbaro. his adiunguntur Dominicus Bollanus, Brixiæ Epiſcopus, & Ioannes Delphinus Torcellanus. Qui bina aureorum nummum millia Reip. dono dedere. fuere & Aloyſius Contarenus Epiſcopus Bellunenſis, Prothonotarius Valerius, & Carolus Peſarus, Leon. F. beneficentiſſimo in patriam animo. eadem liberalitate Petrus Lando Archiepiſcopus Cretæ, & Abbas Iulianus uſi ſunt, magnam ſignati auri ſummam, domeſticamque immenſi precii ſupellectilem Reipub. dono dantes.

Eccleſiaſtici.

Laicorum ſimiliter ſingularis munificentia conſpecta eſt; ex his Honofrius Maggius ex Brixiæ decurionibus, ſpectatæ uirtutis uir aureorum nummum duo millia Senatui erogauit. Pandulphus Ottauanti Florentinus mille aureos, Aloyſius Vetturius octingentos dono dedit, Ant. Bragadenus Andr. F. tum Brixiæ prætor bina aureorum nummum millia, quod magnis opibus afflueret, Reip. elargitur: totidem Iulius Contarenus Procurator ſingulari in patriam charitate condonatos quæſtoribus dinumerauit. Nobiles Brixienſes de Porcellaga quadringentorum militum ſtipendia per ſex menſes contribuere; Patauini ducenti ſub Bartholomæi Dotto præfectura. Sergius de Pola, Lucretius Scotus, M. Antonius Martinengus, atque alii complures ipſi met cum filiis, clientibuſque ſuis in naualem militiam proficiſci lætanter ſe ſe obtulerunt. Idem M. Antonius Maurocenus, Andr. F. idem Petrus Lippomanus eques Hieroſolymitanus, & Benedictus Ciuranus patritii optimi cooperati ſunt, in claſſemque cum armatorum manu ſuo ære comparata conſcendere non dubitarunt, ut ſtrenuam patriæ in hoc bello operam nauarent.

Viri patritii, exterique.

Actio de fœdere ineundo cũ Philippo Rege.

agebatur interim in Hiſpania cum Philippo Rege de fœdere ineundo inter eum, Romanum Pontificem, ac Venetum Senatum, aliosque Chriſtianos Principes aduerſus Turcarum gentem per Pontificis nuncium Torres, ad id miſſum, & Leon. Donatum Reip. Oratorem, qui Sigiſmundo de Caballis in legatione Hiſpanienſi his diebus ſucceſſerat. Poſt hæc circa Nouemgradum in Dalmatiæ finibus oppidum parum proſperè a duarum triremium præfectis, Federico Nani, & Marco Antonio Quirino pugnatum eſt, cæſique ſunt ab hoſte in inſidias præcipitati ſupra Quinquaginta ex utraque triremi milites, nautæque, qui in proximum littus temerè deſilierant: nam Turca ſimulatione fugæ terga uertente,

Noſtrorũ cædes.

alia

alia ex inſidiis noua hoſtium manus prodiens,facto ſimul a fronte & a latere impetu, fœdè noſtros trucidarunt. cautiusque ex ea die Venetus cum hoſte manum conſeruit. Atque his belli initiis obiit poſt paucorum dierum ægritudinem Lauredanus Princeps,annos ætatis ſupra octuaginta octo agens, regiminisque ſui in Ducatu menſibus uigintinouem, & diebus bis undecim.habitaque eſt in eius funere oratio ab Antonio Zeno,iuuene eruditiſſimo,in Gemellorum æde. corpus inde magna pompa ad Iobi fanum elatum,loco conſpicuo reconditur. Optimum autem toto adminiſtrationis ſuæ tempore Lauredanus Principem ſe egit,nullumq; in tam graui ætate(ut Reip. prodeſſet) laborem unquam ſubterfugit: faciles enim (reſeratis ſemper Ducarii foribus) aditus unicuique patebant. Frequens quoque in Curia,in Senatu, in comitiis, pro tribunali maieſtate plenus aderat,ac legum obſeruantiſſimus, magni, prudentiſque Principis uſque ad extremum uitæ diem partes impleuit; cuius interitum boni omnes æque luxere. Cæterùm propter plurimas grauiſſimi belli occupationes,omni mora ſublata,in demortui Lauredani locum.Dux ſtatim creatur Aloyſius Mocenicus Procurator de ultra,ſingularis uir eloquentiæ,ac domeſtico trium in ampliſſima familia Principum ſplendore clarus,ſub cuius fœliciſſima adminiſtratione, omnia in hoc bello proſpera Reip.ſperanda ſunt,quod & iuſtiſſima cauſa,& præpotens ac inuicta claſſis,uiris pugnaciſſimis repleta facile pollicetur; nulla enim unquam ualidior, inſtructiorque Veneta ab urbe claſſis emiſſa mari apparuit; ad quam augendam patres intenti,naues uiginti onerarias armandas curarunt, quarum præfectus a Senatu creatus fuit Petrus Tronus,uir planè fortis.Turbauit tamen ciuium animos grauiſſimus,ac inexpectatus Hier.Martinengi caſus.Qui quum in Cyprum nauigaret,ut Inſulæ præſidio eſſet,medio maris curſu morbo contracto,interiit: unde orbata tanto armorum ductore ciuitas,in grauem mœrorem incidit: ab eo enim uiro militari uirtute claro,ac Reipub.amantiſſimo,omnia proſpera & ſecunda hoc in bello expectanda erant: cuius inſignis memoria apud Venetos in Antonii filii unici ſuperſtitis imagine, ſempiterna manebit,quem paternam uirtutem æmulātē dignū patres duxere eodē militiæ gradu,quo pater inauctoratus fuerat,in amiſſi bene meriti genitoris ſolatium cōdecorare. Poſt modum ex Hiſpania per celeres tabellarios litteræ aduenere,quæ Senatum edocebant,Philippum Regem Ioanni Andreæ Doriç,maritimç militiæ præfecto,mandaſſe,ut quàmprimum cum quinquaginta duarum triremium claſſe ex Lyguſticis oris in Siciliam ſe conferret, ibique mandata Pontificis expectaret,cui libera (ut aiebant) de regia claſſe diſponenda,poteſtas tradebatur. quo nuncio Veneti non parum lætati ſunt,in ſpem certam adducti,quòd Philippi Regis ad Pontificis nutum ſocia arma in hoc bello aduerſus Turcas non defutura eſſent. Apertis quoque horreis in cunctis Regni finibus permiſſa eſt Venetis frumentorum libera extractio.armis itaque, & cibariis celerrime in naues congeſtis,claſsis reliqua pars, quæ adhuc domi erat, expediri curabatur,in quam(ut ſupra conſcripſimus)Sforcia Gubernator cum duodecim armatorum millibus aſcendit.maritimus autem diuerſi generis nauigiorum numero apparatus,amplisſimus erat: nam centum & ſeptuaginta longis nauibus claſſis uniuerſa conſtabat,in his duodecim maiores triremes, ac uiginti onerariæ naues recenſebantur,cum ingenti armatorum manu ex pugnacisſimis nationibus contracta, qui ſpontè incredibili in barbaros pugnandi ardore naualem militiam capeſſere non dubitarunt. Claſsis igitur uniuerſa in Illyrico ſimul coniuncta,fœlicibus auſpiciis ad hoſtium fines inuadendos parata erat.Trium interea nauium Venetarum, quæ in Cyprum milites conuehebant,proſpera circa Rhodum pugna fuit: nam uiginti quinque Turcarum triremes medio mari aggreſsæ in ſuam poteſtatem redigere totis uiribus diu concertarunt: ſed tormentorum,ac glandium procella barbari obruti,turpiter ceſſere: aliquotque eorum triremes perforatæ ſunt,nautarumque plurimi interempti. ita noſtri cum intactis nauibus incolumes ad Inſulam cum præſidio peruenere: quod ſumma lætitia ab omnibus exceptum eſt.alia ex parte,apud Antibarim Epyrhi urbem aduerſus Marcouitas Turcarum ſubditos Alexandri Donati prætoris ductu res fœliciter geſta eſt: qui cum quingentis ſcutatis militibus, qui ab Italia miſſi fuerant, oppido erumpens, uicinum non ignobilem pagum Dobrouadam nomine aggreſſus,incēdio abſumpſit: inde

Lauredani Principis interitus.

Al. Mocenicus. D. 75. ann. D. 1570.

Pet. Tronus.

Hier. Martinengi obitur.

Not. numeroſam Venet. claſſem.

Naues ad Cypri præſid. & Alex. Donatus.

inde præda ingenti abacta, ducentiſque ex hoſtium numero, poſt dubium certamen cæſis, ueteres iniurias Antibarenſes ulti ſunt: factumque ex hac uictoria, ut incolæ ex circumuicinis Macedoniæ, Dalmatiæ, Epyrhique locis, Paſtrouicchi, Spicences, Zopeſes, & Polizani, ſponte in Venetorum fidem conceſſerint: ad defectionemque omnes in proximis illis regionibus Othomanici imperii iam pertęſi, ſpectare uidebantur, nilque aliud in uotis optabant, quàm ut Veneta claſsis ad illas oras appelleret, cuius uexillis conſpectis, nullam moram facturi erant, quin ſtatim ultro ſe Venetis dederent.

Populi in Venet. fidem ſponte dati.

Atque hoc tempore Romæ Pontifex ſexdecim Cardinales creauit: hi autem fuere, uiri omnes ſingulari uirtute præditi, Reuerendus Dominus de Aquauiua, Ducis Atrii filius; Epiſcopus Tarraconenſis, Epiſcopus Sybilliæ, ambo genere Hiſpani; Archiepiſcopus Senonenſis, gente Gallus; Reuerendus Dominus de Cæſis, Epiſcopus Narnienſis; Reuerendus Dominus de Maffeis Datarius; Reuerendus Dominus Ruſticucius, Secretarius Pontificis, Archiepiſcopus Sanctæ Seuerinæ; Reuerendus Dominus de Craſsis, Romæ Gubernator; Orator Regis Gallorum, Reuerendus Dominus Sanctæ Agathæ; Frater ex Diui Franciſci ordine; Epiſcopus Theanus Frater ex Prædicatoribus; Reuerendus Dominus Iuſtinianus Generalis Ordinis Prædicatorũ, Reuerendus Dominus Albanus Gubernator Marchiæ, Bergomenſis; Reuerendus Dominus Aldobrandinus Epiſcopus Imolæ; & Reuerendus Dominus Epiſcopus Placentiæ.

No. Cardinales creatos.

Poſt hæc octuaginta Turcorum triremes ex tota claſſe, ſub Piali Baſſa Duce Byzantio egreſſa, nullum adhuc certum curſum tenebat, Aegeo, & Ionio euitabunda uagabatur. Quin audito ingenti potentisſimæ Venetæ claſsis apparatu, nec non conſilio Pontificis, & Philippi Hiſpanię Regis de ineunda cum Venetis ſocietate, Selyn, purpuratique eius ſubtimuiſſe dicuntur, pœnituiſſeque eos ferunt, arma tam temerè in Remp. induiſſe, libẽterque priſtinam cum Venetis amicitiam renouaſſent. ſed patres conſtantisſimos belli proſequendi animos retinebant; Turcarum dubia fide, periurioque ante oculos continuò obuerſante, unde bellum potius apertum, quàm ſuſpectam pacem cum eis malebant.

Piali.

No. Turcorũ metum.

Itaque Pontifex in ſacri belli curam tota mente conuerſus, ad Ioannem Andream Doriam, qui cum quinquaginta quinque triremibus in Siciliam aduenerat, conſcriptis litteris Apoſtolicis mandauit, ut cum Veneta claſſe, quanto citius fieri poſſet, ad Corcyram ſe coniungeret, hortatusque eſt ad rem impigre gerendam contra fidei hoſtes, & auunculi ſui illiús Andreæ Doriæ fortitudinem imitaretur, cuius nomen apud Turcas ex rebus præclarè geſtis formidabile adhuc vigere memorabat. Ex altera parte Venetus Senatus Imperatorem ſuum cum tota claſſe, ex Illyrico, vbi diu ſubſederat, Corcyram verſus curſum dirigere iuſſit, ad conſocianda vtriuſque claſſis arma: cunctis uerò imperata alacri animo ſuſcipientibus, in hoſtium fines iri cœptum eſt, eo conſilio, ut aut cum claſſe Othomana confligerent, aut ſi nullibi ea appareret, tum libero, ac aperto mari, Peloponeſſo, ac totius Gręciæ uſque ad Conſtantinopolim maritima ora armis ſubacta, Aſiæ Imperio ſæuiſſimus Tyrannus exturbaretur. Quod omnes ita euenturum ſperabant, cùm ob præpotentes Chriſtianorum terra, marique uires, tum ob iuſtitiæ cauſam, quando tũ impudenter impius tyrannus Deorum, hominumque contemptor pacem uiolaſſet, cuius perfidiam Reges, Principes, populi uehementi ira ſtomachari uidebantur, Barbarorumque ultimum excidium exoptabant, tantam indignationem æquè omnes aduerſus impios Maomethanos animis conceperant. augebaturque in dies nouis militum, nauiumque auxiliis Veneta claſsis: nam præter duodecim Pontificis triremes, quarum præfectus M. Antonius Columna, uir Romæ familiæ ſplendore clarus, conſtitutus fuerat, accedere feſtinabant etiam ex Melita inſula, quattuor Hieroſolymitanorum Equitum inſtructiſſimæ triremes, Duce Petro Iuſtiniano Priore Meſſinæ, uiro admodum belli ſtudiis claro. Quippe qui ſuperioribus annis Melitenſem rẽ unus propè reſtituit. Et ne Adriaticus ſinus, claſſe in Orientem abeunte, ſine maritimo præſidio foret, quattuor triremes ad eius cuſtodiam ſunt decretæ, ſub Petri Salamoni auſpiciis. ſex quoque biremes armari placuit, quæ proxima littora tuerentur: creatusq; eſt erum ductor Hermolaus Teupolus. Sed antequã claſſis è Dalmatiæ littoribus ſolueret, Enona oppidum immunitum, ac belli metu habitatoribus uacuũ, ne eo hoſtis poti-

No. Chriſtianorũ cõſilium.

M. Antonius Columna.

Pet. Salamonus.

Hier. Teopolus.

Enona.

potiretur, Senatus iuſſu, diſiectis mœnibus deſtituitur: alia porrò minora oppida, & caſtella, quæ non pauca per prouinciæ fines conſtituta erant, ualidis præſidiis firmantur, ut incolis, indigenisq;, quò illi cum liberis, ac bonis ſuis confugerent, tutus receptus foret. Deinde Seb. Venerius Procurator, è Corcyra, ubi Legatus erat, in Cyprũ Prouiſor Generalis in Laurẽt. Bembi demortui locum ſublegitur: eò etiam Marchio Palauicinus, Rangonus Ductor armorum fortiſſimus, poſt Hieron. Martinengi obitũ ex Senatus decreto, ad Famaguſtæ præſidiũ nauigare iuſſus eſt. At Cubat Chiaus ubi ex legatione Byzantium rediit, reſponſumque Venetorum attulit, quo patres Cyprum armis defendere, ac uim ui repellere ſtatuiſſent, ingentis inſuper claſſis apparatum, atq; unita inter Chriſtianos Principes fœdera ſignificaſſet, addens etiam, quòd confluerent ex tota fermè Europa ad Veneta ſtipendia, nobiliſſimi Duces, & milites tanta animorum alacritate, ut nihil hoſte reformidato, ad certam, paratamque uictoriam properare omnes uiderentur, non mediocrem Selynus Rex, Turcæq; cuncti metum animis concepere. Vocato itaq; Diuano, multa inter purpuratos corã Rege conſilia agitata ſunt. Memethque primi Viſiri ſententia erat, ut per Bailum cum Venetis reconciliatione tentata, ad priſtinam amicitiam, & ſocietatem utraque pars reuocaretur, quod facile a Veneta gente impetrari poſſet, pacis, & quietis ſtudioſa pariter & prudentiſſima, quæ Chriſtianorum Principum dubias, mutabilesq; uolũtates uerita, & ad Imperii ſui ſecuritatem reſpiciens, quamlibet pacem cum Turcis potius renouare, quàm dubios, incertosq; belli caſus ſubire curabit. Cõtrà Muſtapha ardentis ingenii uir, non ex Othomanici nominis dignitate fore cẽſebat, pacem priorem Selynum Regem petere, nec Veneti eam ullo pacto amplexabũtur, poſtquàm fidem Turcæ uiolaſſent: nam Chriſtianorum omnium Principum animi a Rep. abalienarentur, ſi in amicitiam iterum Veneti cum Turca coirent. Itaq; de pace mentionem nullam faciendam putabat: ſed auctis terra, marique copiis, Cyprum totis uiribus aggredi, ac bellũ ardentius proſequi pro Turcici nominis dignitate Regem adhortabatur. Hæc conſilia apud Barbaros Byzantii erant, terrorque omnium animos ceperat. At poſt Venetæ claſſis è Dalmatiæ littoribus diſceſſum, Turcæ ſtatim comparata ingenti equitum, peditumque manu, Xemonicum Veneriæ familiæ oppidum aggreſſi, quod ab Iadera octo paſſuum millibus diſtat, Hieronymi Contareni, uiri nequam, & damnato coitu ignobiliter nati, nefaria proditione occuparunt; qui etiam malum malo addens, relicta Chriſti fide, Maomethi ſacra ſuſcepit, pecuniaque a Turcis corruptus, tantum in patriam facinus perpetraſſe fertur. Perpetuo itaque exilio a Iaderæ magiſtratibus damnatus eſt, permiſſaque omnibus poteſtas, eum impunè ubique locorum necandi, publicumque interfectori æs decretum. Caſtello quoque Polizana, non multò pòſt, militum, qui in præſidio erant, metu deſerto, barbari potiuntur. His rebus in Dalmatia ſic ſe habentibus, maiorem armatorum numerum in eam prouinciam patres deſtinarunt, ut hoſtibus iuſta acie reſiſti poſſet, cùm Turca terreſtribus armis præpotens, rem ubique fœliciter gereret. Claſſis autem noſtra ex longa, inertique circa Dalmatiæ fines mora, aduerſa ualetudine obrepente, ægrorum ſtatim multitudine repletur, ex quibus plurimi nautarum, remigumque ſunt extincti; triremium quoque plerique Gubernatores, & Nobiles adoleſcentes, qui iuuandæ patriæ ſtudio in claſſem aſcenderant, morbo conflictati interiere, ſingulisque in nauibus ingens hominũ turba lãguebat. At his ad recuperandam ſalutem in terrã expoſitis, aliis proſpera ualetudine firmiores, ut nautarum numerus impleretur, ſunt ſuffecti. Parte alia, Duces, Rectoresq;, qui Corcyræ præſidio erant, ne tempus ocioſum elaberetur, ad nobile aliquod facinus aggrediendum accenduntur: collocutiq; inter ſe, conſilium inierunt de Suppoto oppido inuadendo, quod in proxima continenti è regione Corcyræ ſedet. Coactis itaque terra, marique copiis ſub Sebaſt. Venerii Prouiſoris Generalis, Iacob. Celſi, claſſis Legati, auſpiciis expeditio tentata eſt. præmiſſus Natalis Cremenſis ductor armorum fortiſſimus, qui militare in inſula habebat Imperium, cum ingenti militum manu, & muralibus aliquot tormentis ad oppidum acceſſit: ex altera parte Celſus Legatus cum nouem triremibus optimè inſtructis, mari arma intulit, & ne Turcæ ſuis auxilium ferre poſſent, ſaltus montium, per quos

Seb. Venerius.

Cubat.

Not. Memeth de pace renouanda cũ Venet. cõſilium.

Muſtapha diſſuit.

Xemonicum dolo a Turcis captum.

Polizana amiſſa.

Not. claſſem morbo laborantem.

Suppoto.

S. b. Venerius.

I. c. Celſi.

Nat. Cremenſis.

Hemanuel murmuri

Suppoto a Venet. captum.

quos tranſeundum erat, Hemanuel Murmuri, vir Epyrhotæ Reip. amantiſſimus, cum armatorum manu inſedit. His paratis, oppidum terra, mariq; oppugnari cœptum eſt, quod triduo pôſt diſiectis mœnibus, ſubactum, in Venetorum poteſtatem redigitur: ultroque omnis illa Epyrhi regio. Acharnaniæ, Cimeriorumque ora in Reip. fidem conceſſit, magna cum Venerii, Celſique, & Natalis præſidii gubernatoris laude, qui pauciſſimis diebus, non ignobile oppidum, latoſque eius fines uictricibus armis Veneto imperio adiunxiſſent. Poſt fœlicem hunc ſucceſſum, alius proſperior euentus nunciatur: nam Turcarum centum & ſeptem triremium, biremiumque claſſis ſub Piali Imperatoris ductu ex Aegeo pelago profecta, in Thinem Myconem inſulam unam ex Cycladibus tranſiit; expoſitiſque quinque mille Ianizaris ferro, igni que omnia euaſtantur; ad oppidumq; Barbari accedentes, illud armis, tormentiſque atrociter fatigarunt. Sed Hier. Paruta Rectoris uirtute, militumque, ac oppidanorum incredibili ſtrenuitate, hoſtis a mœnibus cum cæde & ignominia eſt repulſus. redintegrataque barbari oppugnatione, ingenti glandium procella iterum reiecti, grauiorem priore cladem ſubiere. Tentauit poſtea, conſcriptis ad Rectorem, Tynimiconenſeſque litteris Piali, eos premiis, tum comminationibus ad uoluntariam deditionem pellicere: impauidos tamen oppidanorum animos, & inexpugnabilem loci ſitum contemplatus, ab inſula ſoluta obſidione, claſſem abduxit. Cæterùm Philippo Rege circa coniunctionem ſuæ claſſis, quæ in Sicilia conſederat, cum noſtra, antequam fœderis leges conſcriberentur, multa in dubium trahente, Romæ de his pertractari cœptum eſt: curaque expediendi negocii ſex Cardinalibus Rutticeutio, Cæſis, Aldobrandino, Morono, Granuelio, & Pacecho a Pontifice, & Philippo data eſt; & pro Veneto Senatu Mich. Surianus Reip. Orator interfuit. conuenereque omnes per multos dies in unum, uariæque in opinionibus (ut ſunt hominum ingenia) contentiones obortæ, difficilem compoſitionem reddebant. Et hæc Romæ circa fœdus agebantur. In Dalmatiæ autem finibus, mediterraneiſq; Luburniæ inſulis, ferè uſque in Epyrhum nulla dies elabebatur ſine aliquo memorabili armorũ inter Turcas, & noſtros congreſſu; multitudineque hominum hoſtes abundantes, occupare oppida, & caſtella, modò dolo & inſidiis, modò aperta vi nitebantur. Ad Nouemgradi poſtea cum magna equitum, peditumque manu, & minoribus aliquot tormentis profecti, oppidum obſidione, cinxerunt, triduoque in demoliendis tormentorum impetu mœnibus elaboratum: nam centum & ſeptuaginta grandioribus pilis emiſis, exigua collabentis muri ruina facta eſt. Interfectis itaque conuulneratiſque non paucis, Turcæ ſoluta obſidione in pacatum abiere. Et circa Catharum mari aduerſa pugna noſtris fuit: qui cùm ad Luſticenſes ſocios adiuuandos, cum duabus triremibus & decem ſcaphis accurriſſent, ab hoſte numero nauium ſuperiore circumuenti, poſt quattuor horas, quibus cum maxima utriuſque partis cæde accerrime pugnatum eſt, profligantur, ipſaque nauigia capta, cum his, qui prælio ſuperfuerant, ad Caſtrumnouum a uictore perducuntur. Statim autem, ne Catharenſum res in aliquod diſcrimen inciderent (nam in proximo ingentes Turcarum copiæ aderant) tres uiris, armiſque triremes optimè inſtructè ad eorum præſidium Veneta ab urbe emittuntur, quadringenti etiam milites eò è Dalmatiæ præſidiis aduolare iuſſi ſunt: commeatus ad hæc, pecuniæ, bellicaque inſtrumenta abunde tranſmiſſa, ut ſocia urbs, quam tum Bernardus Contarenus Caroli F. uir ſolers, impigerque regebat, his præſidiis ab hoſtium armis ſeruaretur. Interim alia cœli plaga uiginti duo triremes ſub M. Quirini ductu, Cretenſi remigio armatæ, quæ Othomanæ claſſis ſuſpicione diu in Cydonis portu ſubſederant, audito eius in Oriẽtis partes receſſu, uelis ſtatim datis in apertum prodiere, ad infeſtandoſque hoſtium fines, animis omnium accenſis, Arcem munitiſſimam in Laconiæ parte, ad Brachium Maynæ, a Turcis paulò antè extructam, quòd ea hoſtiliter proxima maria infeſtaret, Quirinus, ut uir indefeſſus, acerque erat, claſſe admota aggreditur. reque fœliciter acta, locum breui in ſuam redegit poteſtatem, ubi ad ſeptuaginta Turcæ, qui in præſidio erant, trucidati ſunt, prædaque plurima abacta, in qua quidem, quod uictoriam nobiliorem reddidit, triginta, & amplius æneæ machinæ inuentæ fuere. Sed ex noſtris ſubita ſuccenſi ſulphurei pulueris flamma,

Hier. Parutæ uirtus, in Tynomicone defendenda.

Nouégradi ſtrenue a noſtris defenſum.

Ad Catharũ a Venetis male pugnatũ.

Ber. Contarenus.

M. Quirinus.

Brachium Mainæ.

Arx diruitur.

ex prædantium auiditate contracta, plurimi ambuſti perierunt. Arx poſtea, ne eam amplius hoſtis occuparet, diruta, ac ſolo æquata eſt. Et hæc in Græciæ ora a Venetis mari gerebantur. At Philippus Rex, ne Chriſtianorum cauſæ deeſſet, & in celeritate uictoriam ponens, ante firmatas Romæ fœderis conditiones, Ioanni Andreæ Doria claſſis ſuæ præfecto, conſcriptis ex Hiſpania litteris, mandauit cum ſexaginta triremibus, Venetæ claſſi ſe coniungeret. Quod extemplo a Doria factum eſt. poſt hæc Luciali Archipirata inſignis è Lybico mari in Siculum fretum cum uigintiquinque triremibus transgreſſus, per ſpeculatores cognouit, quattuor longas naues Melitenſium Equitum Hieroſolymitanorum optime uiris, armiſque inſtructas in proximo, ad locum, qui dicitur Gozus, ſtationem habere, ut palmigatio carinis præberetur. ſtatimque Luciali, ex inſidiis, in quibus paulò ante ſe poſuit, erumpens, in eas impetum fecit: quarum tres modico negocio, quum ſuperior uiribus eſſet, magna ædita cæde, in ſuam redegit poteſtatem. Quarta celeri fuga in Siciliam delata, ſociis littoribus ſeruatur. cladeſque non parua, fœda complurium uirorum nobilitate & fortitudine inſignium occidione, accepta eſt, quorum pars ferro contrucidatur, pars in mare proiecta, fluctibus abſorpta, periit. erantque ad hanc uſque diem res belli in hoc ſtatu dubiæ, & incertæ, tum ad implorandũ Deorum immortalium opem ſupplicationes ex patrũ decreto, per forum indictæ, quibus Princeps, Senatuſque omnis interfuit, populus quoque, & matronæ cum liberis pias in templis ad cœlites effuédre preces, eorumque auxilia humillimis uotis quotidie inuocata, ut in tanto rerum motu, reiectis, contuſiſque hoſtium armis, Reſp. incolumis maneret. nec incaſſum ad Superos emiſſæ preces, quorum auxilio factum eſt, ut rem Veneti proſpere in hoſtem ad eam diem uſque geſſerint. Et claſſis Pontificia, & Hiſpana poſt uarias difficultates, cum Veneta ad Cretam tandem coniunguntur. Sed cùm Romæ in fœderis tractatione cenſurarum mentio facta eſſet, eas iuſtis ex cauſis Senatus admittere recuſauit, proinde Ioannes Superantius hoc noīe ad Pontificem Orator miſſus eſt, in Mich. Suriani locum, qui iam ad perfunctę legationis ſuæ finem peruenerat; ambobuſque hęc de Cenſuris cauſa commiſſa eſt corā Pontifice, & deputatis Cardinalibus diſcutiēda. Interim conuerſis potētiſſimis Turcarũ in Cyprum terra, mariq; armis, Veneti nõ parum cõmoti ſunt, poſitiq; inter ſpem, & metũ ex incerto grauiſſimi belli euentu, dubiis animis pendebant. nam Turcę cum toto nauali ſupra ducentarũ nauium longarum apparatu in Cyprũ delati, auerſa parte Inſulæ ad Salaminam copias ſub Duce Muſtapha uiro acerrimo, in terrā expoſuerunt: ex uicinitate autem Caramaniæ ingens ex barbaris armatorum numerus in Inſulam quotidie traiiciebatur, quibus nulla ex noſtris armatorum manu uſpiam occurrente, liber, faciliſque in terram deſcenſus ab hoſte factus eſt. ad Leucoſſiamque ſtatum oppugnandam, Regni metropolim, caſtra admota. in tanto proinde rerum diſcrimine, ad diuinam implorandam opem Pontifex toti orbi Chriſtiano iubileum conceſsit, mandauitque ſcripto Apoſtolico, ut tridui ieiunio, preces, ſupplicationeſque per omnia Deorum templa agerentur, quod piè factum eſt. in cunctis Chriſtianæ Reip. ciuitatibus, & locis. maximuſque deuotionis affectus in populo, in matronis, in ſummis, infimiſque ordinibus ubique conſpectus eſt. barbarorum copiis in Cyprum tranſgreſsis, ſociæ claſſes uiris, armiſque optimè inſtructæ, ſtatim è Creta, ubi coniunctæ ſubſtiterant, ſoluentes, in Cilicium mare ad inueniendum hoſtem, ut cum eo confligerent, curſum direxere. in omnibuſque incredibilis ardor erat, Turcorum claſſem debellare, ueteresque, ac nouas iniurias ulciſci. & quum propinqua pugnæ alea breui futura eſſet, conuocato Venetus Imperator primorum, qui in claſſe erant; concilio, ad excitandos eorum animos hæc dixiſſe pro concione fertur.

Luciali. Gozus. Tres meliteſium naues lõgæ a Luciali captæ. Supplicationes. Io. Superantius. Leucoſia a Turcis obſeſſa. Not. Iubileum.

Imperatoris Vene. oratio.

Nullo unquam tempore, Viri fortiſſimi, ſi a primæua mundi ætate res geſtas memoria repetimus, grauior, atrociorque in terris belli ſonus increpuit; quod nobis cum potentiſſimo opum, & Imperij magnitudine hoſte, terra, mariq́ue gerendum eſt. agiturque cum eo de ſumma rerum, cui tamen iratos, infeſtoſque Deos immortales fore non dubitamus, ob cauſæ iniquitatem, quum perfidiſſimus tyrannus ab effera, ac inhumana Scytarum gente originem trahens, ſancitam dudum cum Rep. noſtra pacem impudenter uiolarit,

tantoque ſurore, rem bellicam, coactis totius Aſiæ uiribus in nos effudit, ut incautos, paciſque fiducia ocioſos penè oppreſſerit: ſed uim ui repellere parati, claſſem ingentem, ac cunctis ſeculis memorabilem eduximus, & huc uſque in medios hoſtium fines, nullo diſcrimine maris, armorumque reformidato, proceſſimus, progredique ulterius animati ſumus. unde lætari, gaudioque non parum efferri licet, ex præſenti occaſione nobis diuinitus oblata, confligendi nauali pugna cum immaniſſima Turcarum gente, quibus dempto hoc uno inſitæ feritatis horrore, quid eſt? quo illi nobis comparandi ſunt? nuper audita claſſium noſtrarum coniunctione, intra ſuos fines ſeſe recipientes, congreſſu euitato, pugnam detrectant. ſed ad Pontificis, Philippique Regis, ac Veneti Senatus dignitatem ſpectat, trepidantem hoſtem, quocunque ille ſe uertat, armis aggredi. Quod ego Venetæ Reip. claſſis Imperator ſub tuis auſpicijs Marce Antoni Columna, uir fortiſſime, qui ſacroſanctum Pontificis nomen repræſentas, uel tuo Ioannes Andrea Doria ductu, Imperium ſequutus, ſi ita expedierit, prior in hoſtem uadam: omnia enim pro communi beneficio, ac Chriſtiani nominis dignitate libenter facere paratus ſum. idcirco ferri aciem, tormẽtorum uim, glandium procellam, non expaueſcens, mortis diſcrimini me ultro obijciam: eam autem in cauſa Dei ceu glorioſam & decoram, quis non appetere debet, magnanimeque amplecti? ſpero tamen ex ueſtra uirtute, uiri fortiſſimi, ſocialibuſque armis, quæ nobis ex icti fœderis formula adiunxiſtis, hoſte debellato, clariſſima nomini Chriſtiano uictoria illuceſcet. Eamus ergo Dijs bene iuuantibus, uel ueſtris, uel meis Auſpicijs in hoſtem, eiuſque claſſe profligata, quod Dij immortales faxint, Imperio Aſiæ ſæuiſſimum tyrannum exturbemus; redeantque Iudæa, Syria, Græcia, Aegyptus, nobiliſſimæ prouinciæ armis noſtris receptæ, ad legitimos ſuos Principes, uexillumque ſanctiſſimum Crucis in illis oris poſtliminio reſtitutum, cum maximo nominis noſtri ſplendore, omniumque populorum lætitia, conſpicuo in loco ad inſtar nobiliſſimi, ac perpetui Trophæi erigatur, ut uocem illam è ſacra pagina dulcem, reſonantemque emittere poſſimus, Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Vbi ſilentium, finemq; dicendi Imperator fecit, tum omnes magnis clamoribus efflagitabant, ut in hoſtem quàm primùm ducerentur, cum quo ferro congredi incredibili cupiditate accenſi erant. ergo claſſis rebus omnibus paratiſſima ſigno tubæ dato, in altum euecta eſt, ac in hoſtem, qui circa Syrium, Carpathiumque mare conſederat, intrepide ferri cœpit. Fuere etiam nonnulli, qui omiſſo cum hoſte nauali congreſſu, Byzantium, Othomanici Regni caput, armis primo petendam cenſerent, quò Turcæ rerum ſuarum periculo adacti, a Leucoſiæ obſidione recederent: & plerique huic opinioni aſſentiri uidebantur. uicit tamen cõfligendi cum hoſte ſentẽtia, id quod omnes mira animorum alacritate depoſcebant. Cæterùm dum hæc noſtri parant, priuſquam ad confligendum proficiſcerentur, data eſt ſedulo opera, ut claſſis bellatoribus, nautiſque in mortuorum, languentiumque loco, quorum ingens numerus erat, inſtauraretur. Suſcepta itaque ſtatim cum inſtructiſſima claſſe, ab extremo Cretæ littore nauigatione, ad Caſtrum Rugium peruenere, quod centum & ſexaginta paſſuum millibus a Cypro diſtat: ibique aperto mari, M. Antonio Columna imperante, qui Apoſtolicæ ſedis Dux ſummæ rei præerat, claſſis ad ineũdam cum Turcis pugnam, in aciem diſponitur. nam ſiniſtrum cornu Sforcia Palauicinus habuit; dextrum Doria ſibi delegit, nec ſuas triremes cæteris immiſceri paſſus eſt, ut liberum mare haberet, aliquid in ſecreto pectoris ſuis coquens. M. Antonius Columna, & Venetus Imperator mediam aciem tenuere, atque hoc ordine in hoſtes pugnandi ſtudio iri cœptum. Tum Doria repente a cætera claſſe dato ſuis ſigno cum quadraginta nouem triremibus, quas ſecum adduxerat, diſcedens, in altum abiit, maritimiſque Philippi Regis auxiliis ſubtractis, Venetum nil tale expectantem deſtituit. in magnamq; admirationem, ac ſtuporem hoc inopinato Doriæ facto omnibus adductis, nuncius paulò pòſt hoſtili frehata intercepta ſuperuenit, per quem inexpectata Leucoſiæ expugnatio allata eſt. Quare turbatis omnium animis non ulterius progrediendum Venetus ratus, in Cretam ſtatim cum tota claſſe reuerti ſtatuit: eòque M. Antonius Co-

Not. pollicitum Imperatoris.

Caſtrum Rugium.

Claſſis ordo.

Not. Doriæ facti.

Leucoſiæ expugnatæ nuncius.

lumna

lumna Venetum ſequutus, cum Pontificis triremibus ſe contulit: Doria autem in ſuperum mare delatus, Leccium in Apuliam ſecunda aura acceſſit; ibique compluribus militibus Hiſpanis in terram expoſitis, in Siciliam transfretauit. inuiſusque hoc facto Lygur apud gentes redditus eſt: ac dubiis per multos dies animis de Cypri caſu Veneto manente, è Byzantio tandem litterę a Bailo aduenere, a quo miſerabilis Leucoſſiæ a Turcis expugnatio certiori ſignificatione confirmata, omnium animos turbauit: nam poſt uarias, atroceſque quadraginta dierum oppugnationes, urbs undecim propugnaculis, latiſſimiſque præcincta foſſis, ſuperante hoſtium multitudine capitur, cædeſque oppidanorum, ac militum magna ædita eſt. crudelis quoque gladius ad Magiſtratus peruenit, Nicolao Dandulo Locumtenente, M. Antonio Priolo, Petro Piſano, conſiliariis, & Quæſtore Antonio Paſqualico ſæuiſſime interfectis, unàque cum his Eugenius Rochaſſii Comes, Collateralis, cum quattuor fratribus fortiſſimis uiris obtruncatur. Quorum ferè omnium abſciſſa capita ad Famaguſtam miſſa, ut horum miſerandę cædis aſpectu urbs perterrita, ad uoluntariam deditionem compelleretur. captiui deinde plurimi diuitiis, & genere clari Conſtantinopolim perducti, ingensq; præda ex opulentiſſima ciuitate diuturna pace florente abacta. Quæ quidem clades incredibili dolore cunctorum animos in uniuerſo Chriſtiano orbe affecit. Leucoſſia capta, Arapamat uir impiger ad eius urbis, proximique maris cuſtodiam cum parte claſſis conſtitutus eſt. Atque his prope diebus ſæuiente fortuna, Caſtellum Pargæ in continenti è Corcyræ regione a Turcis occupatur: inde motis repēte caſtris Turcæ ad oppugnandam Famaguſtam aduolarunt. Belloque proxime ardente, miſſus eſt in Dalmatiam Iacobus Foſcarenus prouiſor Generalis Ioannis Legii equitis & Procuratoris loco, qui ſe magiſtratu abdicarat, & M. Grimanus Cretam, Laur. Amulio domum reuocato, aduerſa ualetudine laborante, atque cum eo Marinus De Caballis, ut ambo ciuilem, ac bellicam rem in ampliſſima inſula adminiſtrarent. Et quum hyems iam obrepens inſtaret, pars claſſis in Creta Senatus iuſſu ad hybernandum ſubſtitit; reliqua uerò ſexaginta & amplius longarum nauium, circa Corcyram conſedit, ex quarum numero triremibus, debilioribuſque exarmatis, ac domum remiſſis, robuſtius totius claſſis corpus conficitur, atque id factum eſt, ut uere primo, bello totis uiribus a confœderatis ocius reparato, cladis illatæ damna aliquo modo reſarcirentur. In urbe autem aduerſi de claſſis Imperatore, de Ducibus, & præfectis, rumores iactabantur: Qui tanto nauali apparatu, qùo nullo unquam maritimo bello maior, memorabiliorque fuiſſet, inepta cunctatione ocioſum tempus ſine ulla memorabili re geſta effluere paſſi eſſent, inclytæque uictoriæ fructum eorum uel ſegnities, uel metus ignauiter corrupiſſet; maledicentisſimæ proinde populi uoces audiebantur, in claſſis primores, qui cunctando pulcherrimam victoriam inglorii amiſiſſent. reuocandos igitur tam deſides Duces, alioſq; eorum loco ſurrogandos omnes ſucclamabant. His vocibus accenſis patrum animis, Senatuſconſultum factum eſt, vt nouus claſſis Imperator quamprimùm eligeretur, ſub quo melior fortuna fortaſſe arrideret: nam ad hanc vſque diem omnia aduerſa nobis, & hoſtibus proſpera obuenerant, illaque præcipuè clades deploranda, quòd tam in claſſe, quàm in vrbium, ac inſularum præſidiis ſupra triginta hominum millia, præter clariſſimos illuſtrium familiarum uiros, morbo, tabeq; abſumpta periere. Taceo quattuordecim circa Cretam triremium naufragium, aliaque Reip. vulnera, quæ eius anni principio Venetus ſuſcepit, quo cum Turca bellari cœptum eſt. Has autem calamitates ingens terræmotus Veneta in vrbe, finitimiſque oris auditus facilè denunciauit, Ferrariaque præcipuè horribili tremore concuſſa, ac ad extremum prope excidium perducta eſt: nam corruentibus aliis ſuper aliis domorum, ſacrarumque ædium, ac turrium ædificiis, non exigua mortalium vtriuſque ſexus multitudo miſerabiliter ruinis oppreſſa interiit, ac tam frequens, crebraque ſubinde ſoli ſubſultantis motatio agebatur, ut pauidis ferè omnes animis ſemiruta vrbe emigrantes, tabernacula latis, apertisq; campis caſtrenſi more ſub diuo erigerent, atque alii huc illuc diſperſi, nouas ſedes quærebant adeo præcipiti fuga, ut urbs paulò antè populo plena, exinanita, vacuaque habitatoribus penè redderetur. aliaque Orbis parte, inundante, ſuperfundenteque ſe in immenſum Oceani ma-

Att. Magiſtratuum cædes.

Iac. Foſcarenus.

No. aduerſos de Imperatore rumores.

Nota cladẽ, ex ægritudinibus.

Terræmotus ingẽs Ferrariæ.

ris excreſcentia,Caniphatum,Batauarumq; in Belgio Inſulæ, quæ Salanda,& Holanda nuncupantur, ingentem ſubmerſionis cladem ſubiere: ſtagnantiumque aquarum

No. prodigioſam aquarum in Belgio inundationem.

prodigioſa altitudo diu terras obtinuit, ubi commutato elemento, immanium piſciũ agmina, & marinæ belluæ inſolito curſu enatabant. atque his è cœlo oſtenſis mortales tacitè admoneri uidebantur,ut uitam,moresque emendarent, & ad Dominum reuerterẽtur,ut ſacra inuitat lectio. Diuina enim flagella ceſſabunt, ſi homines peccare

Seb. Venerius Imperator claſſis creatur.

deſierint.Hæc foris. domi autem,nulla interpoſita comitiorum mora,Sebaſtia. Venerius Procurator de ultra,ſingulari uir ingenio,dictatoria poteſtate, Imperator claſſis creatur, qui tum abſens Cretæ ſubſtiterat, ut cum tribus armatis nauibus per medios hoſtes in Cyprum traiiceret, ad ferendum obſeſſæ Famaguſtæ ſubſidium: nam capta Leucoſſia,Turcæ cum uniuerſis copiis eò acceſſerant,oppidumque corona cinxere. ueteribus etiam Legatis Iac. Celſi, & Antonio Canali noui in claſſe prouiſores loco eo-

M. Quirinus, Petr. Tronus Legati in claſſe.

rum ſubſtituuntur, Marcus Quirinus,& Petrus Tronus, qui tum abſentes maritimas præfecturas gerebant, ambo nauali uirtute clari, ac manu prompti. Nec dubia ſtatim ſub nouis ducibus,fortiſſimis uiris,fœliciorum ſucceſſuum cunctorum animis ſpes affulſit. Et cùm Hieronymus Zane claſſis Imperator rem naualem bellicam parũ rectè adminiſtraret, eiusque nomen apud omnes inuiſum foret, quòd militaris diſciplina, per quam res Veneta ad eam diem ſteterat, nimia eius indulgentia,ſtupidoq;,ac inerti ocio ſolueretur; quatenus Sebaſt.Venerius ad demandatum claſſis Imperium aliis

Aug. Barbadicus Prouiſor Generalis.

negociis publicis impeditus,tam maturè accedere non poſſet, Auguſtinus Barbadicus uir prudẽtia,& authoritate clarus, Prouiſor Generalis maris a Senatu ſtatim creatur, cum his mandatis, ut quamprimùm ad Corcyram ſe conferret,in urbemque Zane ſub cuſtodia remiſſo, claſſem tantiſper ipſe regeret, quò ad Venerius è Græcia reuerſus, ad claſſem acceſſiſſet. Iadera interim in Dalmatia validiſſime communitur, urbesque in Epirho,& Inſulæ in Illyrico. Corcyræ quoque tuendæ curam patres non omiſere, ad cuius oppugnationem Turcæ cum ingenti copiarum numero accedere ferebantur. Miſſa itaque ſunt magna militum præſidia, commeatus ingens copia, & bellica varii

M. Georgius.

generis inſtrumenta, cum Aloyſio Georgio Legato, uiro impigro, & prudente. Inter hæc Vincentius Maria Priolus, & Angelus Surianus triremium præfecti, ſpeculandi gratia in Aegeum delati, in quattuor Turcarum triremes circa Parium inſulam incidere,pugnaque ſtatim inita,acerrimè utrinque diu dimicatum eſt, imparibusque uiribus temerè concertans per ſex fermè horas Priolus hoſtilium triremium impetũ ſolus ſuſtinuit: nam ſocia triremis, ne a ſuperiore uiribus hoſte opprimeretur, honeſtæ fugæ ſe dedit; nullo tamen timoris ſigno dato Priolus ſupra ætatem iuuenis ferox

No. Prioli ſtrenuitatem.

cum omnibus ſuis fortiſſimè pugnando, hoſtium multitudine oppreſſus cecidit, vitamque caducam amittens, gloriam ex alia parte ſibi peperit immortalem. Aduerſum quoque ſimilem propè caſum Franciſcus Tronus expertus eſt, qui a Venerio Imperatore ad explorandum Turcorum claſſem miſſus circa Cephaleniam ab hoſte capitur. Chriſtianorum interim ſtudio in fœdere ineundo, ac bello in Turcas reparando frigeſcente, in magna patres animorum anxietate poſiti erant: ſine enim ſociis armis Venetus cum Othomano bellum gerens, ægrè eius impetum diu ſuſtinere poterat. Hinc autem miſera Chriſtianorum Principũ conditio deploranda eſt, qui in tantis acerrimi hoſtis terra,marique apparatibus,alto ſopore obdormitãt, præſentemque occaſionem cœlitus demiſſam ad delendam Turcarum gẽtem è manibus elabi ſinunt,quin ſuo diſſidio omnia peruertunt,ac per illud facultas datur, vt Othomani,qui toties vel ſuperari,vel ſaltem debilitari potuerint,ad totius Orbis Imperiũ ſu-

Not. miſeram Chriſtianorũ conditionem.

perbè aſpirent, Chriſtianaque Reſp.hoſtium furore conculcata,in dies proteritur;vnde breui tempore(vtinam aberrem)Principum noſtrorum delirio Turca omnia occupabit.idque eueniat planè uereor,quando illi inter ſe diſſidentes, inuidia, odioq; exacerbati, labanti Reip. Chriſtianæ auxilia ſubtrahunt; atque in hunc maximè modum barbari uictores Chriſtianam rem miſerè affligunt, eamque aliis ſuper aliis cladibus debilitant,tanta eſt in Chriſtiana gente mentis cæcitas, nullaque Regnorum ſuorum cura,ad quæ armis paulatim ſibi vendicãda, Chriſtiani ſanguinis impius tyrannus ſitibundus,nullum cogitandi tempus prætermittit; noſtriſque diſſenſionibus ad tãtum

Imperii

Imperii culmen, potentiamque peruenit, vt vel aggregatas, & coniunctas omnium Chriſtianorum vires, facto dudum periculo, uſque modò, ceu inanes, ridiculasq; contemnat. ſed ſi in his eſſet fidei, pietatiſque ſtudium, in quibus eſſe debebat, non utiq; laboraremus. Multa enim Romę dicta, factaque ſunt in Cardinalium congregatione, pro firmandis fœderis legibus, circa quas minimis in rebus nimium cautionis, ſeu potius cauillationis ſtudium, damnoſaque uanis in contentionibus mora conſpecta eſt. Demum conſcriptis legibus fœdus in hũc maximè modum firmatur, vt Philippus Rex octuaginta triremes, & naues viginti onerarias uiris, armiſq; optimè inſtructas in altũ emitteret, quæ ad Corcyram cum Veneta claſſe centum & viginti triremium ſe coniungerent: & duodecim longas naues Pontifex armaret, ſub M. Antonii Columnæ ductu. totius autem claſſis Imperium Ioanni Auſtrio, Philippi Regis fratri, vigintiquinq; ætatis annos agenti, ſingulari virtute prædito demandaretur, eique omnes parerent: Huiuſcemodi tamen lege, vt quæ communi conſilio ipſi Imperatores, ſeu eorum maior pars decernerent, Auſtrius ſolus cunctis ſuperior omnimodam poteſtatem haberet, ac ſummæ rei præeſſet. Fruméta ad hæc ex Apulia, & Sicilia precio coempta ad alendam claſſem Venetis traderentur; ſuam præterea vnuſquiſq; ex confœderatis principibus æquam expenſarum portionem ſolueret, bellumque recta fide gereretur pro Chriſtiani nominis gloria, & ſæuiſſimi communis hoſtis euerſione. Ita ſubſcriptis tabellis Legatorum manibus, quod fœlix, fauſtumq; ſit, fœdus inter partes ſancitur: idque ad ſexto nonas Iulias, anno a partu Virginis. M D LXXI. poſt ſolemnem per forum ſupplicationem ex ſublimi marmoreo ſuggeſtu in Diui Marci area præconis uoce populo denunciatum eſt, aſtantibus Principe, pallio candido amicto, Senatu, ac Regum, Principumque Oratoribus. & in aurea æde Regis Philippi Legatus ſacra celebrauit, quibus ipſe, qui hęc ſcribo, tum Venetiarum Conſiliarius, interfui. Supplicatio autem ſex fermè horarum cum incredibili argenti cælati uarii generis copia pegmatib. impoſita, ſpacium abſumpſit, totumque forum exteriori parte aulæis, ſignis, uexilliſque pulcherrimè ornatum, inſigne ſpectaculum reddebat. crebra inde magno ſtrepitu tormenta in lætitiæ ſignum diſploſa ſunt; tribusque noctibus faces ſummis ciuitatis turribus colluxere, & campanum æs perſonuit. Poſt hæc domi acta, dum Corcyræ claſſis Veneta, quam Sebaſt. Venerius ductabat, parum idoneam ſtationem haberet, in Siciliam, quo in loco commodiſſimus inter amicorum præſidia, ad coniungendas claſſes receptus foret, ex confœderatorum conſilio nauigauit, Meſſanæque ſubſtitit, ut cum Philippi claſſe ea in urbe coniungeretur. In hac tamen claſſium coniunctione trium, & amplius menſium ſpacium effluxit, quod plurimum gerendis rebus obfuit: nam ea occaſione Turcæ utentes, è Cypro digreſſi, ubi rem fœliciter geſſerant, cum maiori parte claſſis ducentarum prope nauium longarum in Cretam peruenere, ac in Amphimaleum ſinũ, ſeu portũ, qui hodie Sudda eſt, inſidentes, nobiliſſimam inſulam deprædati ſunt, Rethimumq; urbẽ, ex qua populus, habitatoresque metu territi, cum Hieron. Sagredo Rectore, ꝙ ea immunita eſſet, diffugientes, deſtituerant, & ad montes in tutum ſe receperunt, crudelis hoſtis diripuit, & incendit, ubi Rectoris iuſſu, quinque aureorum nummum millia in occultam latrinam coniecta ſunt, ne his rapax Barbarus potiretur. Qui inde digreſſus, Zacinthum, Cephalleniam, Cythercam, ferro, igniq; fœdisſime uaſtauit. ad Corcyram poſtea in reditu ex Adriatico ſinu curſum dirigens, plurima ea in Inſula damna intulit, deprædationum, cædium, incendiorum. Sed a Hierony. Diedo conſiliario, cui Cittadellæ cuſtodia demandata fuerat, in hoſtem egregiè pugnatum eſt, qui creberrimis tormentorum pilis ab oppido, Othomanum claſſem proxime ducentem per tria paſſuum millia ſummotum retrocedere coegit. Et Seb. Venerius Dirrhachio fruſtra tentato; uires ſuas ad alias hoſtium oras conuertit. Tum fortuna rem bellicam alternante, in maritima Lyburniæ ora tres Turcarum biremes, & quattuordecim longæ ſcaphæ è Narenta egreſſæ, ut Braciam inſulam depopularentur, a duabus Venetorum triremibus, præfectis earum Fr. Trono, & Hier. Venerio capiuntur, paucis hoſtium interfectis, quòd hi relictis nauibus in terram proximam deſilientes, ſalutem ſibi effugio parauere. a noſtris autem nauigia ipſa in conſpectu hoſtium incenduntur, compreſſaq; eſt hoc facto eorum audacia,

No. fœderis leges inter Pontificē, Philippũ Regem, & Venetos.

Ioan. Auſtrius totius claſſis Imperator.

No. fœderis noui publicationem.

No. Turcarum geſta.

cia, qui maria proxima aſsiduis incurſionibus infeſtabant. Nec hoc loco Nic. Donati unius triremis præfecti bellicam uirtutem reticendam duco. Qui poſt Leucoſiæ expugnationem, quum ad Famaguſtæ cuſtodiam aduolaſſet, ne inerti ocio ſederet, tacitè per obſcuram noctem in proximos Turcarum fines non ſine ingenti diſcrimine transfretauit, ibique ponte ab hoſte conſtructum reſcindit, & incendit, ut ablata traijciendi è Caramania in Cyprum armatos facultas eriperetur. inde ſtatim cum Fr. Trono, alterius triremis præfecto, coniunctus, Tripolim uerſus adnauigauit, audacterq́ue primis tenebris intendentibus, in portum irrumpens, qui ſeptem fortisſimis turribus munitus eſt, nauigium bellicis inſtrumentis repletum, quæ in Cyprum perducebantur, fugato præſidio, in ſuam redegit poteſtatem. idem poſt modum expeditisſimam ducens triremem, Venetias a Famaguſtę magiſtratu cum litteris miſſus eſt, quibus memorata rerum omnium indigentia, ut maturè patres laboranti ciuitati auxilium ferrent, enixè petebatur: ipſeque per medios hoſtes miro ſilentio triremem agens, ſecuro, proſperoque nauigationis curſu uſque in Adriaticum uſus eſt. indignatusq; ob id Arapamath. qui cum aliquot inſtructis triremibus circa ea maria conſederat, ad furtiuas noſtrorum transfretationes prohibendas, complures ex præfectis, uigilibuſq́ue ſuis, quorum ſocordia liber Veneto tranſitus patuiſſet, uirgis ſubiecit, ac graui mulcta damnauit.

M. Quirini uictus.

In altera uero Orbis plaga, Veneta claſsis M. Quirino Duce, ubi Turcas ex Cilicio mari in Aegeum nauigaſſe cognitum eſt, in Cyprum ad ferendam Famaguſtæ opem conuolauit, atque ibi quinque hoſtium triremes apud Conſtantiæ portũ Quirinus debellatas in ſuã redegit poteſtatem, & cum his duas naues, ſeu mahonas, in quibus trecenti Ianizari cæſi, captique ſunt, cum ingenti præda & amplisſimis fortunis. Deceſsitq́ue è uita per id tempus Tranſiluaniæ Princeps, acclamatusq́ue

Stephan' Battori Tranſiluaniæ P.

eſt Rex in demortui locum Stephanus Battori. qui ut regnaret, Selymi tributarium ultrò ſe conſtituit. At immanisſimi Barbari ſuperbia elati, quòd eorum incœptis circa Cretam, Aegeique maris inſulas fortuna aſpiraſſet, & nuper tres Venetorum triremibus, ac duas naues onerarias non procul a Corcyra intercepiſſent, in quorum manus amicarum triremium errore Venetus deceptus fortè inciderat, auram ſecundam Turcæ nacti, ad maritimos Epyrhi fines in Adriaticum iterum reuerſi primùm

Not. oppida a Turcis capta.

peruenere, ubi Olchinium aggreſſi, oppidum armis expùgnarunt. Antibaris quoque, & Budua, à facta prætoribus earum Alexandro Donato, & Auguſtino Paſqualico uoluntaria deditione, in Turcarum poteſtatem uenere. Sed Donatus, qui Antibari præ-

Alex. Donati ſcelus

fuerat, abſens, Decemuirum decreto hoſtis patriæ iudicatus eſt, quod is rebellionis author ignauo metu oppidum munitiſſimum hoſtibus prodidiſſet. Aſcriuioque inde terra, mariq́ue fruſtra tentato, in Lyburniam, ac Illyricum Turcæ cum tota claſſe ex Rizonico ſinu prædabundi peruenere, a quibus Curzula, Pharusq́ue, ac Lyſſa, Inſulæ crudeliter direptæ, ac ferro, ignique uaſtatæ ſunt. Quare in urbe tot rebus aduerſis non exiguus metus omnium animos inceſſit, hoſtium audaciam formidantium, qui tam proxime in Adriatico ſinu, ac in oculis propè ciuitatis Barbaro furore rem Venetam infeſtabant, liberoq́ue, ac aperto mari gloriabundi uagabantur; claſſe proinde noſtra procul a domo ſedente, ne ciuitas præſidiis nudata, in aliquod diſcrimen incurreret, Patres arenoſum illum tractum, ac proxima littora, quæ circum ambiunt urbem, ualidiſſimis equitum, ac peditum præſidiis, è continenti celeriter euo-

Not. portus & littoris munitionem.

catis, firmarunt: portum quoque Venetum, Methamaucenſem, & Clodienſem, uſque ad Brondulum ingenti tormentorum vi, nauibus, triremibus, & cathenis, ualidiſſime obſtruxere, ne hoſtibus furtim ingreſſus pateret: uigiliæ quoque ubique appoſitæ, & nocturnæ per urbem cuſtodiæ, conſcripta ex tota ciuitate fortiſſima iuuenum manu, copiarumque omnium imperium tumultuario delectu habito, Sforciæ Palauicino Gubernatori demandatum eſt, & Vincentius Maurocenus unus tum ex conſiliariis,

Vin. Maurocenus.

prouiſor generalis creatur, qui Sforciæ hæreret. Octo etiam ex patritio ordine uiri delecti, ad bellicas res tam in littore, quàm circa portus, atque alibi curandas; ex quorum numero Caſtelli munitiſſimi, quod ad Veneti portus fauces ſedet, Aloyſio

Al. Grimanus.

Grimano cuſtodia tradita; Alexander Bonius Clodiam mittitur, Andr. Bernardus commeatus parandi curam habuit, reliqui iuſſi, ut ad prouiſoris Generalis

Mauroceni

Mauroceni mandata præſto eſſent, atque eius imperia exequerentur. Poſt modum Iacobus Ragazognus, ex ciuium numero uir eximiæ uirtutis, & patriæ amantiſſimus, è Byzantio reuerſus, quò patrum iuſſu antea ad procurandam mercatorum liberationem profectus fuerat, ſpem aliquam renouandæ cum Selyno Turcarum Imperatore pacis ad Senatum attullit. Sed iam initum cum Pontifice, & Philippo Rege fœdus a Senatu erat, coniunctiſque armis ſociæ claſſes in hoſtes parabantur: nam è Creta ſexaginta triremium claſſis magnis uotis ab omnibus diu expectata ſub M. Quirini auſpiciis Meſſanam aduenerat, ubi Seb. Venerius Imperator cum altera Venetorum quinquaginta longarum nauium claſſe, & Ioannes Auſtrius cum octuaginta triremibus, & uiginti onerariis nauibus Hiſpanis aderant, ita ut ſumma totius Chriſtianæ claſſis CCXXX. & amplius nauium numero recenſebatur. [No. claſſium numerum.] & quum Venerius nauali cum Venetorum apparatu ad Meſſanam ſederet, claſſem Hiſpanam, quæ nondum aduenerat, ibi opperiēs, cibo, potuque indigere cœpit; tum ut annonam contraheret, quando Meſſinenſium ſtudia in alimentis ſubminiſtrandis pigreſcerent, cum triginta triremibus è Meſſanæ portu ſoluit, ut in Calabriam ad Tropeam urbem proficiſceretur, ubi panem, uinumque coemeret. at medio maris curſu ingenti tempeſte oborta, ſeptem triremes littoribus illiſæ, naufragio periere: ita, ſæuiēte in Venetam rem fortuna, ſemihoræ ſpacio ſeptem triremium iactura facta eſt. [Triremium naufragium.] coniunctione poſtea claſſium ad Meſſanam ſequuta, communi omnium Ducum conſenſu ſtatutum, ut cum hoſte confligeretur. ea propter ex Miſſinenſi littore nauigatione ſuſcepta, totus naualis apparatus ad Phæacum oras perrexit; inde ad Paxum Inſulam conſedit, quo in loco, nouus, inexpectatuſque caſus euenit, qui Principis Auſtrii animum non parum turbauit. nam ut claſſes maiori armatorum numero replerentur, ſingulis Venetorum triremibus milites Itali Hiſpanique impoſiti ſunt, quarum in unam, cuius And. Calergi nobilis Cretenſis præfectus erat, Mutius quidam nomine ex Cortona Thuſciæ oppido, uir factioſus cum ſuorum manu aſcenderat: is, ſuborta altercatione, in nomen Venetum inuectus, multa probra, conuiciaque mordaci ore protulit, in rixamque, & iurgia utrinque proruptum, periculumque cuiuſpiam maioris ſeditionis imminebat. [Mutii temeritas.] tum Venerius Imperator, ad cuius aures motus peruenerat, ne malum altius ſerperet, prudenti conſilio ad rem ſedandam animum adiecit. præmiſſo itaque eius Admiraldo, & cum eo quatuor Anteſignanis ad Mutium, ut cognita cauſa, res pacificè componeretur, contumaci ille, & inſolenti furore penè amens, in Admiraldum armatorum manu ſeptus, inſurgens, immiſſa plumbea glande grauem plagam humero inflixit; duo quoque eius comites, qui eum ſequuti fuerant, tertio fuga elapſo, interficiuntur. Quod acerbiſſimo animo Venerius ferens, tantæque iniuriæ impatiens, quatenus patriam maieſtatem unius hominis temeritate uiolatam cerneret, ipſemet cum prætoria triremi ad iniiciendas Mutio & ſequacibus ſuis manus, feſtinauit; quem ſtatim captum, & cum eo tres eius manipularios, ad triremis antennam, ut ab omnibus conſpicarentur, laqueo necauit. [Mutii ſupplicium.] hoc facto Auſtrius Venerio grauiter ſuccenſuit, qui nulla habita ſupremæ ſuæ dictatoriæ dignitatis ratione, tribunum Mutium Regi militantem, tam ignominioſo mortis genere affeciſſet: plectendique eum ad ſe facultatem ſpectare aiebat, qui ſupremum in regia claſſe teneret imperium. ſed contrà Venerius, meritum ob læſæ maieſtatis crimen irrogatum reo ſupplicium aſſerebat, qui in Venetis triremibus tam atrox dicacitate, opereque facinus patraſset. factum tamen eſt, poſt tacitos in iuuenilii pectore irarum æſtus, M. Antonio Columna, & Aug. Barbadico adnitentibus, ut delinitus ſit Auſtrii animus, ac renouata gratia, uterque Imperator ad bellum proſequendum ſolitam curam ſuſceperit. Interim audita per litteras, & nuncios Famaguſtæ amiſſione, ingens mœſtitia omnium animos inceſſit: nam quum ciuitas per annum duriſſimam obſidionem paſsa fuiſset, multa in ea memoratu digna euenere, quæ a noſtris pro urbis defenſione in hoſtes facta ſunt, in cuius præſidio erant ex ueterano, tyroneque milite Latino, & Græco ſupra ſeptem bellatorum millia, tribunique, & centuriones fortiſſimi ex Italia profecti, & in his Heſtor Balleonus Gubernator generalis, uir militari diſciplina clarus, cui omnes parebant, urbis autem præfectus erat M. Antonius Bragadenus inter Venetos patritios armorum ſtudio, & [Nuncius de Famaguſtæ amiſſione.] [Heſtor Balleonus.] [M. Ant. Bragadenus.]

conſtan-

conſtantia ſingulari,aderant & Laur. Teopolus, Paphi Rector,unaque And. Bragade-nus,arcis cuſtos,& Ioan. Antonius Quirinus, qui priuatæ rei ſuæ cauſa in Cyprū paucis antè diebus uenerat. Exercitus igitur Turcarum ſupra octuaginta armatorum millia Famaguſtæ admotus, primo acceſſu ad locum, qui Podamus dicitur, tribus paſſuum millibus ab urbe diſtantem caſtra poſuit,

Pedamus

unde cū octuaginta duobus uaſtæ magnitudinis muralibus tormentis urbs a quattuor partibus oppugnari cœpta eſt,ad Reuellinum, ad Turrim Sanctæ Nappæ, ad locū Andruzi,& ad Arſenatus portā,eo conſilio,ut defenſores pluribus locis uno eodemque tempore diſtracti opē ſuis laborantibus ferre non poſſent.

Oppugnatio Famaguſtæ.

cuniculiſque utrobique res agebatur, quibus ingens murorū ruina facta eſt,ac ſtrages hominum hinc & illinc ignitis facibus ædita. Tentaruntque Turcæ magno impetu per ruinas in urbem irrumpere, iamque munitiones audacter ſcandentes affixis ſuper eas uexillis occuparant, pugnabaturq; circa eas utrinque acerrimè.

Not. de epiſcopo.

Aderatq; in medio noſtrorū Epiſcopus Limiſſioenſis hortator,cruci affixi Chriſti Regis noſtri imaginem manu geſtans, ac præter milites, & oppidanos, mulierum quoque ingens turba armis cincta accurrerat,non illa uirum, nō illa pericli,telorumque memor. Quorum omnium uirtute hoſtes è munitionibus cum cæde exturbantur, cecidereque è noſtris pugnando clari nominis tribuni, Rubertus Maluetius, & Dauid Nocius. Impletis poſtea in altera parte ſaxis,glebis,ac arborum truncis,uſque ad ſummum foſſis,propius Turcæ complanato ſolo ad oppidi mœnia acceſſere; ductiſq; per tranſuerſum aggeribus, ad euitandos tormentorum ictus, qui ex obliquo latere ceu fulmine in hoſtium cuneos uolitabant,urbs egregie Barbarorum impetum, atque arma ſuſtinebat,ac nunquam ea potiti fuiſſent, niſi ad rerum omnium penuriam ciuitas deueniſſet, ubi modicus panis,tormentarii pulueris indigentia,ac exigua militum manus reperiebantur.

Not. penuriam.

acceſſit ad hoc malum,quòd parata ſubſidia in tempore non affuere, quæ Nicolaus Donatus cum duabus onerariis nauibus ad Famaguſtam adducere iuſſus erat, imperataque uir impiger feciſſet,niſi aduerſæ tempeſtates aſpero,infeſtoque mari omnem celeris nauigationis curſum impeditum reddidiſſent:

Nicolaus Donatus.

ipſe tamē deſiderio ardens proficiſcēdi, in turbatum mare cū præſidiariis nauibus euectus vi uentorum retrocedere coactus eſt, nauiſq; altera in terrā impacta penè demergitur cum ingenti omnis generis commeatus,ac rerum aliarum iactura, quæ naui ad obſeſſos uehebantur,atque ita ferēdi ſubſidii occaſio amiſſa eſt: unde Donatus, ubi Venetias acceſſit,accuſatus,patrum ſuffragiis (re in Senatu iactata) abſoluitur.

Tempeſtatis vis.

Conati autem ſunt ſæpe Turcæ,demolitis propè mœnibus, & munitionibus,in ſemi apertam urbem tranſcendere: ſed a noſtris cum ingenti cæde ſemper repulſi, rem infœliciter geſſere. interfectaque eſt,& ferri acie,& cuniculorum flammis ingens hoſtiū multitudo: ex proxima tamen Caramania per celeres Mahonas noui ſemper milites traiiciebantur, caſtraque replebant,foſſorumque imprimis magno numero accito,erecta ſunt circa urbem decem ab hoſte propugnacula,ſeu potius montes, ex quorum uertice paruo temporis ſpacio ex machinamentis bellicis centum quinquaginta mille grandiores pilæ die, noctuque ſine vlla reſpiratione in urbem contortæ fuiſſe dicuntur: quod obſeſſis pauorum uehementer auxit.

Decē circa Famaguſtā hoſtium propugnacula.

Bragadenus tamen,& Balleonus, primoreſq; alii Duces imperterriti omnibus locis aderant,fortiſſimamque operam præſtabant, unuſq; Bragadenus fulgentibus armis tectus, ſcutumque manu tenens,ſua præſentia omnes conſolabatur,& in ſpem erigebat.

Nota de Bragadeno.

namque uir ipſe præter egregiam animi fortitudinem, dignitate oris,barbaque ad pectus uſque promiſſa,& proceritate corporis,inter mortales naturæ munere plurimum eminebat; factumque eſt,ut uirtutem pugnantium animis ita adderet, ut diuturniores ciuitas in ſui gratiam obſidionis ærumnas paſſa fuerit,maliſque obdurata,perſeuerauit,quò ad potuit,conſtanter in fide, in cuius annuæ obſidionis ſpacio,ſeptuaginta Turcarum millia noſtrorū armis cæſa dicuntur. Sed poſtremò, cùm commeatuum, ac rerum omnium bellicarum ciuitas inopia laboraret, quibus deficientibus, nulla deinceps tuendæ,conſeruandæq; urbis reliqua ſpes erat: nam fuere,qui equos, aſellos,caneſque præ fame(ut accepi) eſitarunt.

Not. famem.

Itaque neceſſitate adacti milites,oppidanique deditionem,pacta prius cum Muſtapha hoſtium Duce incolumitate, facere maturarunt. ſed uir omnium nequiſſimus fidem abrumpens,

immanitate,

immanitate, ac barbarie plenum facinus ædidit: nam Bragadenum, Balleonum, atque alios complures uiros fores, qui in caſtra ad Muſtapham profecti fuerant, ut clauibus portarum ciuitatis ei traditis, abeundi (ſicut conuenerant) commeatũ peterent, in tentorium ad eius cõſpectum introductos, ſatis benignè in initio ſermonis allocutus eſt, laudauitque eorum fortitudinem, & ſtudium in defendenda pro Principe ſuo clariſſima urbe: poſt modum in ſubitum furorem uerſus, omnes in uincula coniecit, ex quibus Hectorem Balleonum, Aloyſium Martinengum, Andr. Bragadenum arcis præfectum, Quirinumq́ue, atque alios, cæſis ceruicibus in conſpectu ſuo interfici iuſſit, eodemque temporis momento, centum, & amplius milites, qui Duces ſuos ſecuti fuerant, ab armata cohorte, & haſtatis Ianizaris fœdè trucidantur. M. uerò Antonius Bragadenus, poſt ambarum aurium abſciſſionem, crudelem in modum a carnifice excoriatus, diſcerptuſque per acerbiſſimos cruciatus, interiit, tantaque animi cõſtantia, atque ea frontis, oriſque hilaritate, dum excoriaretur, atque aliis contumeliis afficeretur, fuit, ut lætari quodammodo uideretur, quòd ex hac mortalium turba, & colluuione diſcedens, ad æternam gloriam per martyrii palmam citò euolaturus eſſet, conſorſq; in cœlo Diui illius foret, qui a fidei Chriſtianæ primordio eodem genere mortis affectus, in India periit: nec mortuo impiiſſimus Muſtapha parcens, cutem è totius corporis membris auulſam palea repleri iuſſit, eamque medio foro fune alligatam, ſuſpenſamque omnibus oſtendi uoluit; caput autem haſtæ cuſpide infixum, micãtes per treis noctes flammas radiis Solis per ſimiles emiſiſſe dicitur, miramque ex eo (aiunt) ſpiraſſe fragrantiam. Laqueo pari perfidia poſt crudelem Bragadeni interitum Laurẽ. Teopolus necatur; atque cum eo complures uiri fortes cæſi, qui ſpontè ad Famaguſtã ſe receperant, ut urbi præſidio eſſent, ac in hoſtes pro fidei cauſa pugnarent. Sed huius tantæ impietatis, ac inhumani ſceleris breuì Dii immortales ultrici manu a perfidiſſimo hoſte meritas pœnas ſumpſere: qui poſt uarias, multipliceſque deprędationes, incendia, & funera barbaro furore Veneto Imperio terra, mariq; illata, clade omnium maxima, quæ nullo unquam tempore nauali conflictu audita eſt, fœdiſſimè profligatur. Nam ut omnia ordine enarrentur, è Communitiæ portu, qui eſt contra Corcyram Turcarum claſſis primùm ad Preueſam ſe tacite contulit, inde recto curſu in Naupacteum ſinum progreſſa eſt, eo conſilio, ut cum Chriſtiana claſſe, quam circa Cephaleniam in proximo ſtationem habere per ſpeculatores acceperat, confligeret. ferunt, Gubernatorem prætoriæ quinq; remis Auſtrii, cùm prope iam eſſet, ut confligeretur, nauiculã paraſſe, ut ſi aduerſæ pugnæ caſus fortè eueniret, ea ſtatim cõſcenſa Imperator in tutum ſe reciperet: tum Auſtrius ad eum conuerſus, Amoue, inquit, Gubernator nauiculam, quum in aduerſa prælii fortuna non fugere, ſed mori in acie Dei in cauſa mihi dulce fuerit. At primùm a noſtris certaminis auidis in hoſtes ferri cœptũ, ex loco, qui Vallis Alexãdriæ dicitur, hoc ordine, ut in fronte ſex maiores Venętorũ triremes ſub Fr. Duodi imperio uiris, armisq́; inſtructisſimę collocarentur, in quarũ robore omnis ſpes victorię repoſita erat: ſiniſtrũ cornu Aug. Barbadicus prouiſor generalis teneret; dexterũ Ioã. And. Doria, in media acie Imperatores eſsẽt: in leuo itidẽ latere Ant. Canalis, & M. Quirinus legati, viri fortisſimi penes Barbadicũ cõſiſterẽt, in altero Ioãnes Cardonius Siculorũ triremiũ pfectus, ad dextrã Dorię aciẽ, pone quẽ in poſtremo ſubſidii agmine Aluarus Bacianus cũ XXXVIII. roſtratis nauibus Neapolitanis poſitus erat. Acceſſit & Lignius cũ aliquot triremibus Ducis Sabbaudiæ nomine, & prior Meſſinę, Petrus Iuſtinianus, Melitenſiũ Equitũ Hieroſolymitanorum tres roſtratas in claſem naues adduxit, & utriq; in media Imperatorum acie datus eſt locus. Ex aduerſo Turcarum claſsis è Neupacti ſinu digreſſa, inflatis uelis, proſpera aura in noſtros ferebatur, in formamque lunati agminis compoſita mare ſulcabat, cuius Aly Baſſa ſpectabundus ſuperba, ac criſpata multiplicis lintei circa caput de gentis more inuolutione, cum Parthau altero Baſſa militiæ terreſtris præfecto, imperium tenebat. Non pauci quoque eminentioris dignitatis Duces, Iaffer, Ochan, Muſtapha, Caiabei, piratæque claro nomine inſignes, Luciali, Xirochus, Caracoza, Othomanica ſigna ſequebantur, omneſque hi imperatoria funalia in puppibus geſtantes, naualem apparatum ſuperbum, illuſtremque reddebant. Nec defuere etiam, ut breuitas temporis

No. perfidia in Muſtapha, & noſtrorũ cædem.

No. M. Anton Bragadeni crudele ſupplicium, & mortẽ miſerabilem.

Not. Miraculum.

Laurent. Theopoli ſupplıciũ.

Præparatio ad pugnam.

Not. de Auſtrio.

Ordo claſſis ad confligendũ.

Lignius.

Petr. Iuſtinia. Prior Meſſinæ.

Aly Baſſa.

Turcarũ Ducũ nomine.

poris, & prælii propinquitas patiebatur, aduocatis concionibus hinc inde Imperatorum magnanimæ ad ſuos cohortationes, admonentium, inſtingantiumque precibus, & præmiorum pollicitationibus, ad capeſſendum fortiter prælium, hoſtemque debellandum pro Principum ſuorum gloria, pro fidei ſuæ incremento, pro ſalute patriæ, parentum, coniugum, liberorum; aliisque uerbis, uirtutem, & mortis contemptum animis pugnantium addentibus. pari autem fermè uirium robore utrinque con curſum: nam Chriſtiana claſsis ducentarum quinquaginta triremium, Turcica paulòminus trecentarum ſummam continebat. Appropinquante itaque nauali ab utraq; parte duarum potentisſimarum claſsium apparatu, erectoque in noſtrorum prætoriis Sanctisſimæ Crucis uexillo, ad cuius conſpectum piæ cum lachrymis preces ab omnibus effuſſæ, ut per ſignum illud Dii immortales Chriſtiano nomini uictoriam præſtarent, animæque pro Fide, & patriæ ſalute in acie cadentium in cæleſtem beatorum ſedem reciperentur, pugna ſtatim claſsico initur, quæ inter Cephaleniã, & Naupactum, ad ſcopulos Cruzelarios, ſeu inſulas Echinades, Acheloo flumine Aetoliam interlabente, nonis Octobribus, quinta fermè diei hora, Diuæ Iuſtinæ luce, ſalutis Anno MDLXXI. commiſſa eſt. Ac primo ſtatim congreſſu Catafractæ Venetorum triremes in hoſtes rem præclarè geſſere: harumque ualidisſima impreſsione, Chriſtianis armis uictoriæ ſine dubio aditus patuit: nam conglobatas hoſtium denſa acie roſtratas naues a fronte in noſtras magno impetu irruentes, crebris fulminantium uaſtæ magnitudinis tormentorum ictibus adeo diſſiparunt, ut turbatis ordinibus, penè in fugã ea in parte Barbari uerterentur. experti enim, quod non putarant, ingentem ſex triremiũ uim, futurã ſtragẽ præſaga mẽte agurabãtur. in magno proinde pauore, Turcis hoc pugnæ initio conſtitutis, ſolitaque ferocitate amiſſa, incredibilis languor, torpedoque eorum animos occuparat: noſtri contrà animoſiores facti, fœlici prælii exitu, uictoriam citò reportare ſperabant: multisque claris in hoſtes facinoribus æditis, res eorum fortunæ inclinatione collabi uidebantur: nempe fluctuantes uidiſſes ſine remis, malis, & gubernaculis Turcarum triremes huc, illuc mari diſiectas, terribili fuſilium machinarum impetu quas pugnæ initio noſtri in hoſtes exercuere. In ſiniſtro tamen cornu acerrime præliatũ eſt, ac complures uiri fortes pugnando utrinque cecidere: nam tormentis, baliſtis, miſſilibus, ſclopetis maioribus, minoribusque res cruentiſſime gerebatur: itaque uel ferro, uel igne, uel aquis pereundum erat. aduolabat enim ab utraque parte ingens glandium procella, & pilarum, ſagittarumque grando tam copioſo numero, ut penè aer obtenebraretur: qua in acerrima dimicatione, dum armis cinctus Aug. Barbadicus fortisſimi legati in uictoria paranda munus nauiter obit, atque enſe ſtricto, umboneq; inſigni obtectus, in medio bellatorum agmine verſatur, nec terribiles hoſtiũ irruẽtium uoces, nec minas, impetũq; eorũ expaueſcit, nullaq; efferueſcẽtis Martis pericula declinans, feritq; hoſtes, tueturq; ſuos; infœlici fato ſagitta per tẽpora oculo trãsfixo, paucis horis uir æterna memoria dignus è vita exceſſit. uiditq; eũ cadẽtẽ And. Surianus ſecretarius, quem ſtatim in inferius triremis habitaculũ ſubduxit, vt medicamẽta vulneri adhiberẽtur. Interim Fed. Nani, & Syluius Portius Tribunus militũ, viri fortisſimi, Barbadici vices aſſumentes, in hoſtiũ turmã, q̃ mediã fermè triremẽ occuparat, impetũ fecere; cõtractoq; certamine egregiæ fortitudinis, magnanimitatis, fideiq; prębuere exemplũ. multos enim ex hoſtibus Syluius uir pugnax interfecit, nec ipſe intactus abiit, qui duo uulnera ſagittarum ictibus in ilio, & femore excepit, ſemicaptaque a Turcis triremis ſingulari eius uirtute defenſa, ſeruataque eſt. Inde ocii impatiens, recentium uulnerum cruore adhuc penè reſperſus, in Veneta caſtra ad Margarithi ſe contulit, ſubactoque oppido, ut ſuo loco dicemus, in Italiam poſtea ipſe ſumma cum gloria reuerſus eſt. At Barbadicus, audito, antequàm expiraret, fœlicis prælii euentu, libens ſe è uita migrare ad circumſtantes dixiſſe fertur, quando hoſtium claſſem profligatam eſſe intelligeret. Epaminundam illum Thebanum imitatus, qui dum hoſtium telis ſaucius, parum ab interitu victor abeſſet, conuerſus ad commilitones, Non finis, inquit, meæ uitæ, ſed melius & altius initium aduenit: nunc enim Epaminundas ueſter naſcitur, quia ſic moritur. Idem de Barbadico noſtro uerè dici poteſt, cuius glorioſus exitus cunctis ſæculis ſcriptorum omnium uocibus

Cohortationes ad pugnam.

Claſſium numerus.

Locus prę lii.

Not. triremium im petum.

Turcorũ metus.

Aug. Barbadici uirtus, & interitus.

And Surianus.

Not. de Barbadico.

Epaminũdas.

bus decantabitur. In dextero autem cornu (ubi Doria conſtitutus fuerat, ſegniter eſt dimicatum, quin laborantibus noſtris auxilium ferre neglexiſſe dicitur. Circumuentæque ſunt ſeptem triremes, quæ ab aliis diſiunctæ, in maiorem hoſtilium nauium globum, cuneumque inciderant. atque alio loco, ubi totius Martis robur, molesque incubuerat, cruentum æditur prælium. Noſtrorum enim Imperatorum prætorias Turcæ aggreſſi, directis triremium roſtris audacter inuadunt; & primus omnium Aly, qui ſummæ rei in hoſtili claſſe præerat, & Parthau Baſſa, ambo ſimul ferociter in pugnam prodeunt, inuictam propè nonaginta triremium ſecum aciem ducentes, pauloque inferioribus Chriſtiana acies uiribus fulta, in hoſtes uadit, pertinacique diu partium conatu laboratum eſt, dum uictoriam aſſequi unaqueque earum plurimum exſudat.

Aly. Parthau.

Superior tamen res Chriſtiana ſæuum hoſtem armis proterit. Raiſſiumque, Ianizarorum, Spaicarumque ingens multitudo occumbit. conſpectique ſunt Imperatores noſtri, Auſtrius, Columna, & Venerius inuicto animorum robore cunctis ſe ſe pugnæ periculis intrepide obiicere, hoſtemque gladio ferire, ac clypeis, & thoracibus, quibus inſigniter obtecti erant, telorum hoſtilium ictus, cominus, eminusque excipere, tanto uitæ contemptu in eo rerum diſcrimine, ut mortem ultro pro uictoria paranda appetere uiderentur.

Not. de claſſis Imperatoribus.

Eadem quoq; acie Ioannes Contarenus ex Ioppenſium Comitum ſtirpe, uir acer, & manu promptus, cum Memeth Xiroco manus conſeruit, qui triremis ſuæ roſtro per tranſuerſum longam Contareni nauem feriens, penè alto demerſit. annixusque ſæpe Turca in eam inſilire, non ſolùm a noſtris repellitur, ſed in fugam uerſus eſt; trirememque hoſtilem Contarenus cum ſuorum manu animoſo ſaltu ſcandens, cædem ingentem edidit; grauatusque uulneribus, ac cruore oppletus Xirocus capitur, quem ſaluum & incolumem reddere adhibitis medicamentis Contarenus curabat, ut uiri in armis ſtrenui, ac rebus geſtis clari uitam ſeruaret. uerùm quum grauitate uulnerum nondiu ſuperſtes eſſe poſſet, ad mortem compulſus eſt.

Io. Contarenus. Xirochi mors.

Cruentam alia in parte Caracoza pugnam ciebat, inſtructiſſimaque uiris, armisque triremi huc & illuc uolitans, acerrimi bellatoris officium præſtabat: nam a teneris propè annis pyraticam exercuerat, multaque ſupero, inferoque mari in nauigantes latrocinia commiſit. nouiſſimè cum aliis prædonibus in Turcarum claſſem delatus, nec manu, nec conſilio cæteris Ducibus inferior habebatur.

Caracoza

In hunc in ſiniſtro cornu pugnantem Ioan. Baptiſta Benedictus Cyprius expeditiſſima triremi uectus impetum fecit, ſtatimque in eius triremem proſiliens, cum Caracoza in ſingulare certamen uenit, ipſumque poſt atrox prælium ingenti plaga confoſſum interfecit: quem dum Cyprius exanguem armis expoliat, immiſſo ab hoſte eminus ſpiculo & ipſe transfigitur: ita æquata pugna unus ſuper alium eodem loco exanimes cadunt.

Io. Bapt. Benedict. Caracozæ & Benedictus interitus.

Mirus quoque animi uigor in M. Ciconia poſt Barbadici Legati obitum, ſpectatus fuit; ad cuius dextrum latus poſitus, dum ſola ſua cum roſtrata in acie ſtaret, ſex Turcarum triremium impetum ſuſtinuit, quo in diſpari congreſſu, ſaxis, ſagittiſque petitus, ac faciem, manuſque ambas peruſtus, penè exanimis redditur. unam tamen ex hoſtium triremibus, quinque fuga elapſis, noſtrorum motu, qui Ciconiæ opem ferebāt, fœliciter debellauit: cæſique Ducis Caraperi aureum funale, bellicas exuuias, ac militaria ſigna in ſuā redegit poteſtatem: quæ poſtea in Nauali maximo repoſita fuerunt.

M. Ciconiæ uirtus

Debellata poſtremo prætoria Aly duplici plumbeæ glandis lethifero ictu ſemiuiuus capitur, perductusque ad Auſtrii Imperatoris conſpectum ex grauiſſimis uulneribus indignantem animam efflauit; caputque lancea ſuffixum, terrori ſuis, noſtriſque ludibrio fuit, & truncus in mare deuoluitur.

Aly cędes

Tum uictoriæ uoces, Duce cæſo, Imperatorioque uexillo deiecto, a noſtris ſublatæ adeo Turcas territauere, ut in fugam uerſi, ſe ſe ex triremibus præcipites in ſubiectum mare proiicerent, aliique ferro trucidarentur, tanta hoſtium ſtrage, & occidione, vt vniuerſa ferè Othomanica claſſis, uel interfectis, uel in mare lapſis Epibatis, & uectoribus, capta, in Chriſtianorum poteſtatem uenerit. nam facta ſupputatione, C C X. paulominus Turcarum triremes, & earum quidem non exigua pars aureis funalibus, purpureiſque ad puppes opertoriis ornatæ, quod nunquam antea ullo nauali conflictu priſcis, noſtriſque temporibus auditum, ab hoſtium poteſtate fœliciſſimè ſubtractæ ſunt: ex hiſque ſeptuaginta circiter nauigiorum corpora

No. ingentem Turcorum cladem.

tum

tum profundo demerſa,tum incendio abſumpta. Cæſaque ad Turcarum uigintiquinque millia cum Aly Imperatore,& triginta nouem triremium præfecti,qui funalia in puppibus geſtabant,inter quos Archypiratę illi inſignes teterrima maris monſtra Caracoza,& Xirochus fuere, unaque Amathbei,Aga Ianizarorum Aſsambei,Maſmeth Giadat,Carabauth,Capſambei,Ocman,Damur,atque alii complures, quorum barbara nomina reticemus,ne aſper locutionis ſonus legentium aures obtundat. Parthau uerò alter Baſsa uix fuga elapſus euaſit. Luciali quoque inclinatam Turcarum fortunam uidens,cum ſuis prædatoriis triremibus(quæ ad uiginti male habitæ fuiſse dicuntur)fugam arripuit.ſed a M.Quirino,Legato,cuius nomen apud Turcas tremendum erat,inſecutus,tormentiſque creberrimis petitus, ægre è noſtrorum manibus ſe eripuit.nec uictoria apud noſtros incruenta fuit: nam ad tria & amplius Chriſtianorum millia deſiderata ſunt. In quibus præter Aug. Barbadicum prouiſorem generalem,præfecti,gubernatoresque triremium patritii inſignes connumerantur, Benedictus Superantius,Vinc.Quirinus,Marci Frater,Ioannes Lauredanus, Marinus Contarenus,Catharinus Maripetrus,And.Barbadicus,Danielis filius;M.Ant. Lando Petri Principis nepos,Hieronymus Contarenus,Fr.Bono,Ant.Paſqualicus, & Hieronymus Venerius.Qui omnes tormentorum pilis,glandium procellis,ſagittarum, miſſiliumque ictibus expoſiti,heroica,quouſque uitalis in his ſpiritus fuit, facinora ædidere:eiuſdemque fati, & gloriæ participes celebrantur ex ſociis ciuitatibus triremium præfecti,Ioan.Baptiſta Benedictus,Cyprius,And.Calergi Cretenſis,Ant.Eudemontius,Cydonenſis,Hieronymus Byzantius ex Aſcriuio, Iac. Metius Dalmata, & Iacobus Triſſinus Vicentinus, initiumque uitæ hi omnes ſic moriendo in cœlum recepti, glorioſe aſſequuti ſunt. de qua quidem uictoria, quod præter ſolutam orationem, a Muſis non abhorrerem, in Cæſorum in acie ciuium memoriam, hos uerſus contexui.

Cæterorũ nomina ex Turcis.

No. noſtrorum cædem.

No. verſus.

Fœlices animæ patriæ pro laude cadentum,
Quales ad Cremeram Fabij, Sparthana Iuuentus
Qualis ad Eurotam occubuit; ſic carmine ſacro
Lætus ad Echinadas cantabit prælia vates.
At veſtra cæde Heroes, Achelous acerbò
Ingemuit luctu, ac turbata eſt vnda Malei,
Aetholiæ fines, vicinaque littora lambens.
Et doluere maris longinqui numina, Glaucus,
Et Triton, madidis & crinibus Amphytritæ.
Noſtra etiam ſit ſubtriſtis, ſit mæſta camæna,
Tantorum pro cæde virûm, pro ſanguine fuſò,
Dum ſtrage ingenti furibundus vincitur hoſtis.
Vnde vrbs innumeris eſt condecorata trophæis,
Imperio ſubdens populos terraque, marique,
Virtute armorum, ac bellandi nauiter arte.

Conſauciatiq; innumerabiles fuere, & eorum maior pars ſagittis ueneno illitis: nã Turcæ arcu & ſagittandi peritia plurimum valent. Venetorumque imprimis non modica cædes facta eſt,cùm ex Hiſpanis pauciſſimi interierint. at in occiſorum ſolatium, quinque Turcarum millia capta:quorum plures genere,& diuitiis clari magnum auri pondus ad ſe redimendos,dominis,in quorum poteſtate erant, obtulere. Quindecim præterea Chriſtiani gregis ex uariis nationibus millia, qui in cathenis nexis pedibus apud hoſtes remum trahebant, liberata ſunt. uirtus in Sebaſt. Venerio Imperatore admirabilis bellica in hoc conflictu ſpectata eſt: qui iam annis grauis,ſed uigore animi ſingulari,nullum corporis laborem,nullum uitæ diſcrimen effugit; receſſitq; è pugna in genu ſagitta ſaucius. pariter & in Ant.Canali,& M.Quirino,Legatis,eadem in

armis

armis præſtantia conſpecta: nec minori ſtrenuitate a Fran. Duodo, ab And. Peſareo, a Vinc. Quirino, a duobus Bragadenis Ant. & Ambroſio, a Iaco. Gauro, & a Petro Piſano cum ſuis maioribus triremibus aduerſus hoſtes in dextro, læuoque cornu poſitis pugnatum eſt. ex cunctis tamen Venetæ claſſis Ducibus (ignoſcant mihi cæteri) unus Frã. Duodus cataphractarũ triremium præfectus, unicam tulit laudem, qui in prima acie frontem hoſti in certamen ruenti exponens, ſtrenuiſſimam nauauit operam: diſſipatis enim tormentorum impetu (uti ſupra deſcripſimus) Barbaræ claſſis ordinibus, ad parandam uictoriam adiumento ſingulari fuit, ut Auſtrii, & Columnæ Imperatorũ munita ſigillis ſcripta abundè teſtantur.

Auſtrius, & Columna.

Fuere autem & Io. Auſtrii, & M. Antonii Columnæ, Imperatorum, necnon Cõmendatarii Caſtulonẽſis memoranda facinora, quæ cunctis florebunt ſæculis, linguis extollentur, annalibus decantabuntur.

Paul' Vrſin', Proſper Columna.

Nec Pauli Vrſini & Proſperi Columnii Romanorum ex nobiliſſimis familiis inuicta fortitudo merita laude caret: qui uigilando, agendo, pugnando, inter antiquos Heroes connumerandi ſunt.

Lignius, Pet. Iuſtinianus.

horum exemplo Lignius Sabaudienſis, & Petrus Iuſtinianus Melitenſis eques cum ſuis triremibus ambo egregiam in prælio operam nauantes, ſupremæ famæ alis ad immortalitatem euolabunt.

Põpeius Specian'.

Cognita quoque ab omnibus eſt eximia Pompei Speciani Mediolanenſis uirtus, & propenſa defendendæ Chriſtianæ Religionis in hac pugna uoluntas, qui paternæ uirtutis æmulus (nam patrem habuit Ioan. Baptiſtam Specianum uirum ampliſſimum) ita ſuam fortitudinẽ cunctis probauit, ut licèt primo congreſſu ſagitta ictus eſſet, tamẽ omnibus in rebus partes ſtrenui Ducis impleuerit, egregiiq; militis perſonam ſuſtinuerit. Fatigati demum hoſtes undique noſtrorum armis, fuga, terroreque replentur, ac magna ſtrage, & internitione profligantur. Diuinum autem è cœlo uerè noſtris affuit auxilium, ut ſæpe eueniri ſolet, dum piis uotis clamatur ad Dominum:

No. mirũ.

nam uentus, qui pugnæ initio aduerſus, contrariusq; in fronte erat, paulò pòſt in hoſtium ora reflare cœpit. Solis quoque radii uibranti lumine eorum oculos hebetabant, unde & tormentorum fumo, uaporeque, & Solis iubare uiſus hoſti adimebatur. Itaque diuina uerè è cœlo ope memorabilis, glorioſiſſimaque uictoria parta eſt.

No. de victoria.

Nec quiſquam, ſi uerum fateri uoluerit, hanc tam lætam, admirandamq; uictoriã cum decantatis ſuperiorum ætatum maritimis, terreſtribusq; ſucceſſibus Athenienſium, Romanorum, aliarumve gentium conferat. Pugnauit ad Marathonem Milciadès cum Perſis, Themiſtocles ad Salamina cum Xerxe, qui mare ponte iunxerat, & Atho montem perfodit: nec Lutatii Catulli uictoria aduerſus Carthaginenſes ad Egathes parua fuit. ſuperaturque ingenti clade Antiochus Syriæ Rex ad Myoneſſum. armis Romanis: claraque apud Actium promontorium Octauii fama celebratur, qui M. Antonii, & Cleopatræ pudendam fugam aſpexit: hæc autem apud eundem Actii locũ ueluti fatalem renouata naualis pugna, cæteras omnes rerum geſtarum ueteres, recẽteſque memorias claritate ſua facilè obſcurauit; Venetuſque per hanc uictoriam priſtina naualis diſciplinæ exiſtimatione retenta, ſplendorem nomini ſuo immortalẽ peperit.

Onfr. Iuſtinianus

Ad denunciandam autem tantæ uictoriæ lætitiam Onfredus Iuſtinianus ſtatim cum ſua triremi remigio & uelis expeditiſſima, Venerii Imperatoris iuſſu, Venetias aduolauit, qui manè circa quartam diei horam ſalutata multis tormentorum bombis urbe, tractiſque per mare deuictorum hoſtium inſignibus, portum bellico tympanorũ, & tubarum cantu ingreſſus, fœliciſſimum uictoriæ nuncium in curiam patribus attulit,

Venetorũ lætitia de victoria.

unde uniuerſa ciuitas commota incredibili gaudio perfuſa eſt, congratulationeſque inter patritios, populumque, atque omnes ciuitatis ordines adinuicem magnæ factæ ſunt, cunctorumque ab oculis præ lætitia lachrymæ effluebant; è penatibuſque egreſſi uiri, & matronæ cum liberis in publicum prodibant, ut iucundiſſimum haurirẽt gaudium atque: ipſe ſtatim Princeps, patreſq; lætabundi è curia digreſſi in Diui Marci baſilicam deſcenderunt, ut Deo Opt. Max. Cœlitibuſq; cunctis gratias piè agerent, qui tantam Reip. Chriſtianæ, confœderatiſque Principibus uictoriam condonaſſent:

Supplicatio.

triduoque deinde ſupplicatio per forum habita eſt, in qua Princeps, Senatus, ciueſque omnes cum toto clero affuere: gratiarumque actiones humillimis precibus peractæ, ſacris poſtridie ritè aurea in æde celebratis, Princeps, patreſque purpuram induti, ſanctiſſimam Euchariſtiam deuotè ſumpſere.

Eleemoſynæ in pauperes.

liberatique ſunt ſtatim è carceribus exilio

Deuotio publica.

damnati, fures, debitores: egenis quoque eleemoſinæ publicæ, priuatimq; exhibitæ: & ut quemadmodum in uiuos, ita & in mortuos de Rep. benemeritos gratitudine ciuitas uteretur,

Ciuitatis gratitudo in defunctos.

funebres in diui Marci templo mira pietate parentando eorum manibus, qui in prælio ceciderant, neniæ celebratæ ſunt: eademque ratione a patribus decretum, ut de uictoriæ, & de eorum, qui in acie pugnando pro patria occubuere, laudibus publica oratio haberetur, ſicuti Demoſthenes apud Athenienſes in Cheronia

Ioſ. Bapt. Raſarii oratio.

occiſos pro concione publicè laudauit: delatumq; id fuit munus Ioanni Baptiſtæ Raſario uiro erudititiſſimo, qui humanitatis ſtudia largo ære in urbe publicè profitetur, Ducaliſque aulæ ſecretarios adoleſcentes edocendi curam habet. Oratio autem eius elegantiſſima fuit, in lucemque ædita ab omnibus commendatur, ad quam audiendā ingens mortalium multitudo confluxit, quæ aurea in æde uſque ad exteriores templi fores conſtipata, uix locum, ſedemque capiebat. Inſuper ad aliquod feſtiuitatis, ac lætitiæ pro uictoria ſignum declarandum non defuere multa magnificentiæ opera, quæ ciuitas in antiquam clariſſimi cuiuſdam triumphi ſpeciem repræſentaret: nam pānorum

No. diuerſa ſpectacula.

Porticus, ædesque ſacrę ad Riualtum intus, & extra, incredibili auleorum, ſignorum, frondium cultu ornatæ ſunt; trophæaque, & monimenta ex hoſtium manubiis, mira micantium armorum uarietate erecta. Idem fermè in mercatoria uia apparatus inenarrabili ſpoliorum bellicarum pompa extructus. ſuperbus quoque Aurificum, & a ſerico textorum ſplendor, in nouo theatri Riualtini uico multa magnificētia, & maieſtate apparuit, quæ omnia ad replendam uniuerſam ciuitatem gaudio pro uictoria ſumptuoſiſſimè inſtituta & confecta ſunt. Ad ea autem ſpectanda, atque oculis fruenda tantus mortalium concurſus, tanta commeantium frequentia erat, ut uiæ non caperent. Germani ſimiliter mercatores immenſæ huius feſtiuitatis participes ad primum nuncii aduentum, ſpecioſa præbuere ludicra, in publico fontici aulæ hoſpitio, ubi interdiu, noctuque reſeratis per triduum foribus, uariis oblectamentis, in tripudiis, in muſicis, in taurorum curſibus, genio indultum. Faces etiam excelſis totius ciuitatis turribus diſpoſitæ nocturnas tenebras ſuperabant. De hac tanta uictoria laureatas patres ad omnes ciuitatum ſuarum Rectores literas conſcripſere, ut populi publicæ fœlicitatis participes redderentur, ac Deo Opt. Max. gratias agerent, qui fecit (ut Pſalmus canit) potentiam in brachio ſuo.

Onfr. Iuſtiniani equeſtris dignitas.

Poſt hæc, Onfredum Iuſtinianum cruore adhuc ex prælio penè madentem, qui maiorum ſuorum uirtutem æmulatus, acerrimi bellatoris officium in acie præſtarat, ac confecto fœliciter prælio, ſingulari triremis ſuæ agilitate per aſperum, turbatumque mare nauigationis curſum uelociter confecerat, vt fœlicē uictoriæ nuncium primus omnium in patriam perferret, publico decreto equeſtri dignitate Princeps decorauit, torqueque aureo donatum, quem ducali manu collo eius applicuit, ad uictricem claſſem remiſit: quæ quidem honoris inſignia non niſi benemeritis de Rep. ciuibus a Senatu tradi ſolent. Primique omnium hoc decus in patria aſſecuti ſunt, Georgius Cornelius, ob Cyprum in Reip. fidem redactā, & Antonius Lauredanus ob Scodram ſeruatā, tertio loco noſtris diebus Onfredus Iuſtinianus. His domi, foriſq; ſecutis,

Iac. Superantius.

in Aug. Barbadici in acie cæſi locum Iac. Superantius eques, uir magna uirtute præditus, cum ſumma poteſtate Legatus a Senatu creatus fuit; qui ſtatim in prouinciam ad demandatum Imperium parata triremi ſe contulit. Conſultatio deinde inter Imperatores, poſtquam expulſis hoſtium armis, omnia pacata conquieſcerent, de partienda hoſtili præda, habita eſt, quæ multiplex opulentaque erat, in triremibus, in æneis machinis, in captiuis, in ſpoliis, uariaque ſupellectili.

No. diuiſioné prædæ.

A triremibus primò inchoatum eſt, quarum ſexaginta & amplius pro dimidia totius ſummæ Philippo euenere Regi, quinquaginta Venetis, & uigintitres Pontifici, pro rata expenſarum, & ſumptuum bellicorum ratiocinatione: ænea præterea tormenta maiora, minoraque, quæ pluſquam trecenta dinumerata ſunt, inter ſe diuiſere; in qua quidē partitione parum æqualitas ſeruata, cùm Regii plura ſibi uendicarent, quæ nec honeſtatis ratio, nec fœderis leges patiebantur: nam captiua Turcarum corpora, in quis duo

Aly filii.

Aly Imperatoris filii, Hornuthbei, & Maumuthbei nomine adoleſcentes indole & forma inſignes erant, in partes ſuas trahebant, ſpolia ſimiliter, ornatum, & barbaram ſupellectilem ingentis precii penè omnem abſtulerant. tum Venerius inæquali, iniu-

ſtæque

ſtæque diuiſioni contra fœderis formulam factæ non conſentiens, eam, ceu uanam, irritamque reiecit. emergentes itaq; plurimæ ex eiuſmodi partitione difficultates, communi conſenſu ad Pontificis arbitrium Româ remiſſæ ſunt: ea propter patres ad tuenda Reip. iura Paulum Teopolum Equitem, uirum ſummi ingenii, & eloquêtiæ ad Pontificem Oratorem legere, ut unà cum Ioanne Superantio altero Reipub. lumine tum Romæ apud Pontificem legationis munere fungente, rem Venetam tueretur, nec fieri quicquam ambo permitterent, quod dignitatem Reipubl. aliquo modo ſugillaret, & ſacroſanctum ius fœderis uiolaret, ſed diligenter curarent, ut quod ſuum eſt, unicuique redderetur. poſt hæc, tantæ uictoriæ memoria patrum animis inſidente, lex in Senatu lata eſt, ut Diuæ Iuſtinæ die inter feſtos relato, quotannis Princeps, Senatuſque in lato clauo, & toga ad eius templum accederent, ubi gratias Diuinæ clementiæ referrent. excuſum mox numiſma fuit, in cuius altero latere Iuſtina Virgo inciſa manet cum recto eius corporis ſtatu, effigie: his litteris circunſcriptis, Memor ero tui Iuſtina Virgo, in alio quoque argenteo numiſmate, quod ſingulis patriciis Principis munere quotannis diſtribui ſolet, hæc noua inſcriptio addita M. D. LXXI. Anno naualis magnæ uictoriæ, Dei gratia, contra Turcas. Conſimili fermè modo ad retinendam per omnes generationes tanti facinoris memoriam data opera eſt, ut in ueteri publicæ Bibliothecæ aula, huius naualis ad Actium pugnæ conflictus nobiliſſima picturæ imagine repræſentaretur: quod a Iacobo Tentoreto eximio pictore magna ſua cum laude factum eſt. At foris, quum iam hyemis aſperitas inſtaret, uictores, concilio aduocato, quidnam agendum eſſet, diſſerebant, uariiſque dictis ſententiis, in hyberna claſſem deducere aliqui ſuadebant, alii in hoſtium fines nulla interpoſita mora irrumpere, ad ſubigenda in Peloponeſſo, aut hìc propius in noſtro mari oppida cenſebant, uel alia cœli plaga res hoſtium infeſtarentur. Quod utinam illico factum fuiſſet, nec ocio uictrices manus obtorpuiſſent. hoſtis enim tanta illata clade, qui tota fermè claſſe, armis, nautis, remigibus, bellatoribus, fortuniſque omnibus ſpoliatus fuerat, quonam modo noſtris uiribus reſiſtere potuiſſet? ſed celeritate opus erat, quæ uictos facile debellatat. hi contraria ratione paucula interpoſita mora reſpirant, & uires reaſſumunt: nam ſi cum quinquaginta ſolum triremibus è toto claſſis corpore ſelecti celerrime in Turcas tanta clade conſternatos feſtinatum fuiſſet, ſicuti Philippus Bragadenus Imperatorem ſæpe monuiſſe dicitur, bello finis imponebatur, atque illi Aſiæ Imperio exturbati, in Ripheos, Scyticoſque montes, unde iam exierât, ſe miſeri recepiſſent. ſed iuſtiſſimis uotis delicta noſtra obſtant: nam Auſtrius ad anni tempus reſpiciens, cum tota regia claſſe ad hybernandum Meſſanam ſubitò conceſſit: idem Venerius, licèt inuitus, facere coactus eſt, claſſemque Venetam Corcyræ in hyberna ſubduxit, ea tamen mente, eo omnium conſilio, ut uere nouo ſtatim in altum prodirent, ac ſiqua interim occaſio, ac temporis commoditas concederet, in hoſticum tranſirent, ac fortunæ arridentis aura uterentur: quod ſi in præſens per anni tempus facere non poſſent, ea tamen certa ſententia manebat, ut ad prima ueris ſigna, coniunctis armis, unà omnes ad infeſtandas hoſtium res, libero, apertoque mari progrederentur, in Pontumque uſque, & ad Euxinum, Caſpiumque mare arma proferrent; terra autem ex alia parte Maximilianus Cæſar bello Selynum in Pannonia agitaret, ut eam prouinciam, quam maiores ſui tanta cum gloria poſſediſſent, armis reciperet, & quatenus indigens pecunia erat, uireſque belligerandi cum finitimo & præpotenti hoſte exiguas, tenueſque habebat, uiginti peditum, & quattuor equitum millia Principes confœderati ſuo ære comparata, ad bellum cum Turcis gerendum Cæſari obtulere. Poloni quoque, & Moſcouitæ tentati, ut in Myſſiam, Daciamque irrumperent. Perſæ item, & Tartari. Qui Scythiam ad Boryſthenem incolunt, ad proximas prouincias Ciliciam, Cappadociam, Meſſopotamiam infeſtandas euocati, ut terra, marique undique armis circumuallatum Othomanicum euerteretur Imperium. Sed omnia fruſtra tentata, Chriſtianorum Principum incuria, ne demiſſo, ac degeneri dicam animo. Interim poſt adeptam uictoriam Auſtrius Dux quattuor ex excelſo, illuſtrique familiæ ſuæ cœtu, Oratores elegit, Comitem Pegii, qui Romam ad Pontificem proficiſceretur; Hernâdum ad Cæſarem in Germaniam, Don Loppem in Hiſpaniam

Paul. Teopolus. Io. Superantius.

Iuſtinæ dies feſtus.

Not. numiſmata.

Victoriæ pictura. Iac. Tentoretus pictor.

Not uarias opiniones, contra hoſtes.

No de inuadendo hoſte cōſilia.

No. Oratores ab Auſtrio miſſos.

ad Philippum Regem,& Petrum Zapatam Venetias,ad congratulationis munus ſeorſum ubique obeundum,pro inſigni uictoria nomini Chriſtiano mari parta. ea propter

Leon. Cõtarenus.

patres,ut Auſtrii Ducis officio pari humanitate reſponderent, Leon. Contarenum equitem,uirum præſtantem creauere,qui Meſſanam ad Auſtriadem ſe conferret, gratiasque ei Reip.nomine plurimas ageret,quòd fœlicem in ſubigenda Turcarum claſſe ſociis armis operam nauaſſet,nomenque ſuum tanto facinore, quo nullum unquam illuſtrius æditum legitur,immortalitati commendaſſet:proinde ut conſumatus uictoriæ fructus perciperetur,bellum uigilantius gerendum eſſe ſuadebat, reaſſumptisque primo uere armis male habitum hoſtem ſociæ claſſes ſub auguſtiſſimis eius auſpiciis uel funditus delerent,uel maiore Regni parte ſpoliatum debilitarent: quæ omnia Auſtrius impigrè ſe curaturum,facturumque,ut tempus opportunum adeſſe uiderit, conſtanter pollicitus eſt.itaque Contareno Oratore comiter amplexato,ac in patriam dimiſſo,totum ſe in belli curam conuertit: nam multa in eo iuuene prudentia, comitaſque inerat .

Auſtrii laudes.

admirabanturque omnes eius uigorem animi , & ſpeciem corporis amplam,ac oris uenuſtatem,dignusque parente illo Carolo V. Imperatore omnium glorioſiſſimo habebatur.& Venerius poſt deductas in hyberna claſſes tanta ſtrage deuictum hoſtem reſpirare ægre patiebatur: proinde,ne noſtra deſidia, ac armorum uacatione uires ille reſumeret,miteſcentem,placidamque in his oris hyemem nactus, ad Margarithi oppidum expugnandum,quod in continenti è Corcyræ regione ſedet,animum adiecit:

Fr. Cornelius. Pau. Vrſinus. M. Quirinus. Margarithi captũ.

ſed Venerio ipſo languente,demandata eſt hæc expeditio Fr. Cornelio, Corcyræ Bailo,uiro prudenti,& Paulo Vrſino armorum ductori præſtantiſſimo, qui ambo rem terra gererent,mari uerò M. Quirinus cum triginta longis nauibus hoſtem fatigaret. resque utrobique ab his fœliciſſime paucis diebus geſta eſt, & oppidum captum ſolo æquatur: qua in expeditione Syluius Portius egregiam operam præſtitit: deficientesque omnes terræ illius populi a Turcarum imperio , in Venetorum fidem conceſſere. idem de Supoto ſequutum , quem locum belli initio Veneti occuparant. Turcæ tamen paucos poſt dies receperant;nouiſſimè,audita ingenti ſuorum clade,

Suppoto receptum

oppidum ab hoſte fuga deſeritur,& rurſus in Venetorum manus peruenit.

Venerii noua expeditio.

Venerius autem Imperator,qui per aliquot dies Corcyræ æger decubuerat, priſtina recepta ualetudine,ne tempus ocio inglorius contereret,ſtatim cum ſexaginta duobus triremibus optime inſtructis,Orientem uerſus in hoſtium fines tranſire ſtatuit,depopulatiſque inter nauigandum Chariæ,Lydiæ,Ioniæque maritimis oris, in maximum omnes illarum regionum populos terrorem coniecit;& nauigia quot quot inuenire potuit, pelago aberrantia,uel portubus incluſa,incendio abſumpſit,ſpoliandique hoſtem maritimis uiribus ſagax Imperator omnem curam adhibebat, ut Turcam maris poſſeſſione penitus deiiceret; facilioremque hoc modo ad ſubigenda reliqua curſum haberet. Venerio autem rem bellicam foris fœliciter adminiſtrante,ſummo patres gaudio afficiebantur,eiuſque nomen celebre,illuſtreque in omnium ore erat. ſed Auſtrius, Hiſpanique ab ea die qua Mutius tribunus laqueo Venerii iuſſu in claſſe necatus fuerat, ut ſuperius memini,tacitum,occultumque cóceperant odium : & licèt poſt uictoriam ambo Imperatores ſe ſe inuicem amplexati, in gratiam rediiſſe uiderentur , indignatio,iraque tamen in iuuenili pectore adhuc manebat:

No. de Venerio.

nam nec ſolitis congreſſibus,nec familiaribus alloquiis cum Venerio utebatur,abſtinebatque ſe prorſus ab eius conſuetudine,& ab omni gerendarum rerum communicatione . unde hac diſcordi uoluntatum,animorumque diſiunctione animaduerſa,ſtatuere patres, ad Auſtrii animum mitigandum,ut Venerius è claſſe euocaretur : nauale tamen illi Imperium in Adriatico ſinu,& ubique ab Auſtrio diuiſo liberum maneret,nouuſque ſtatim maris Imperator

Iac. Foſcarenus claſſis imperator. Al. Grimanus.

in Venerii locum eligeretur,creatuſque eſt Iac. Foſcarenus, uir rebus geſtis clarus, qui tum prouiſor generalis Iaderæ,totiuſque Dalmatiæ adminiſtrationi præerat,quadraginta ætatis annos nondum agens,& in eius locum Aloyſius Grimanus in prouinciam miſſus eſt,cui a Senatu mandatum,ut quum primùm Iaderam appuliſset, Imperatorium uexillum Reip.nomine Foſcareno traderet:qui ſtatim prætoria quadriremi conſcenſa,cum ſeptem aliis roſtratis nauibus ad Corcyram ſe cóferret,quò Auſtrius, & Columna cum Pontificia,& Regia claſse uenturi erant,coniunctiſque eo in loco ſi-

ſimul

mul armis, Imperatores ipſi in communem hoſtem claſſe nudatum, ad eius opes mari euertendas, bellum gererent. Sed priuſquam hæc fierent, Venerius, qui circa Zacinthum cum claſſe conſederat, communicato cum Superantio, Quirino, & Canali Legatis, conſilio, de inuadenda Leucade, quæ uulgo Sancta Maura dicitur, ad eam oppugnandam, approbante Quirino, diſsentientibuſque aliis, cum tota claſſe, milite, equitatuque ſuper eam impoſito, profectus eſt, ſpem non dubiam ferens oppidi expugnandi, quòd ponte continenti iungitur, quo diſtracto, parua militum manu proximis ſaltibus impoſita, ad prohibendum hoſtium acceſsum, ne ſuis opem ferrent, uelint, nolint, deditionem facere Maurenſes coacti eſsent, uel ui expugnati, ad unum omnes cæderētur. Claſſe igitur oppido admota, ponteque a noſtris diſiecto, ad deditionem faciendam Maurenſes tentati ſunt: ſed quum hi clam præſidium Turcarum è proximis regionibus ualidum equitum, peditumque accepiſsent, qui uado parte auerſa noſtris inſcientibus, mare tranſierant, licèt pons abruptus fuiſset, ſuperbo accepto reſponſo, difficilis oppugnatio futura uidebatur, quādo ad auxilia ſuſcipienda, iter maris, quod uadari ſemper poterat, planum, apertumque obſeſſis pateret. Itaque dilata in aliud tempus expeditione, claſſem Venetus ab oppido abduxit, cuius pars in Cretam ſub Superantii, & Quirini legatorum ductu miſſa eſt, cum reliqua autem Venerius Imperator Corcyram conceſſit, nullumque noſtri hoſtilium nauium incurſum timentes, mari dominabantur: nam clades ipſa uere Turcarum uires fregiſſe uidebatur, qui paulò antè proxima maria tercentum uelis repleuerant, liberoque, & aperto æquore ſuperbi uolitabant, nunc uix Helleſponto egredi, & in altum prodire audent. Accedebant & prodigia, tam in cœlo, quàm in terra noua, & magna, quæ Othomanæ rei euerſionē comminari uidebantur. nam ſuper Moſchea, quod olim Diuæ Sophiæ templum fuit, tres lucentiſſimæ cruces puro, claroque æthere apparuere, quæ a Barbaris immiſis pluribus ſagittis petitæ, nunquam lædi potuerunt. celeri enim motu ſe ſe in ſublime attolentes, uanos, irritoſque ictus reddebant, itaque intactæ, illæſæque nullam paſſæ ſunt offenſionem. Quod inſolito ſtupore, religioneque Turcarum impleuit animos. Nec Selymi Regis caſus ab oſtento ſemotus, quem è Byzantio Andrinopolim petentem eamet die (ut aiunt) qua a ſuis ad Echinades male pugnatum eſt, equus prolapſus penè è uita ſuſtulit, terque ex candidiſſimo linteo uelamen regiū ex eius capite excuſſum dicitur. Et hæc foris. Domi uerò, belli memores, quod futura æſtate cum hoſte agendum erat; Veneti in claſſe reparanda, delectu militum habendo, congerendis cibariis omne ſtudium adhibebant; curabant ante omnia, cataphractas triremes, quæ ſtuppas euomerant, & colubris perforatæ erant, reficere. Miſſique ſunt Venetiis Polam, ubi triremes ſubductæ aderant, plures nauium magiſtri, vt eas repararent: nam porrò maximum in harum mole robur, bellicaq; uis ineſt. Huiuſcemodiq; naualis machinæ priſci illi Veneti, maritimarū rerū peritiſſimi, authores, inuentoreſq; fuere; cæteraſque gentes, & nationes nobiliſſimo adinuento una Veneta ciuitas antecellit. Itaque omne fermè hyemis tempus in armorum apparatibus conſumptum eſt, ut ad prima ueris ſigna ſociæ claſſes viris, armiſque optimè inſtructæ, in hoſtium fines tranſirent, belloque, quanto armorum conatu maiore fieri poſſet, Barbari premerentur. Moriturque per hos dies Pius Pontifex ex ulcere in inguine enato, quo morbo quum diu laboraſſet, nec prę pudore medicos ad curationem admitteret, poſtremò per acerbus cruciatus contabeſcens, extinctus eſt, vir ſumma in Deum pietate, ſed rigidis moribus, & auſteritate: uixitque in Pontificatu ſeptem fermè annos. Peractis autem nouendialibus ſepulturæ ſacris, Pontificia comitia in ampliſſimo ad Vaticanum conclaui habita ſunt, in quibus poſt alterum diem Gregorius XIII. patria Bononienſis, uocatus antea in Cardinalatu Hugo Boncompagnus, Pontifex creatur, vir integritate uitæ, doctrinæ ſplendore, rerumque uſu perquàm clarus: ad quem congratulandi, obedientiæque publico nomine de more præſtandæ cauſa, quattuor Oratores a Venetis creati ſunt, Nic. a Ponte, Doct. eq. & Proc. Vinc. Maurocenus, And. Baduarius, & Paulus Theopolus, uiri omnes non uulgari prudentia, & ingenio præditi: Romāq; inſigni comitatu profecti, aureis, holoſericiſque togis, & Senatoria grauitate ſpectabundi, iniunctę legationis munere fœliciter perfuncti ſunt.

Venerii cōſilium in oppugnanda Leucade.

Leucade.

Venetæ claſſis receſſus ex Leucade.

Prodigia

Mirum.

No. Venetorum ſtudiū in reparando bello.

Pii Pontificis mors.

Gregorius XIII. Pōt. Max.

Oratores ad Pont.

Interea Venetiis quum bellicorum ſumptuum ingluuies, ingentem auri uim quotidie abſorberet, ita ut ærarium penè exhauſtum redderetur, ad rem nummariam cogendam lex lata eſt, ut quicunque pecuniam Reipub. mutui nomine præſtarent, Diui Marci Procuratores crearentur.

Proc. noua lege creatio.

Fuere autem Octauianus Grimanus, Alex. Bonius, Lud. Priolus, Hier. quondam Principis filius, Aloy. Theopolus, Ioan. Fr. Priolus, Hieronymus Contarenus, & Hieronymus Amulius, opibus affluentes, a quibus ſupra centum quinquaginta aureorum nummum millia ſoluta, in ærarium peruenere, & illi Procuratoriam dignitatem ex lege conſequuti ſunt. At iam Vere appetente, tranquilloque undique cœlo, quum diu ob hyemis aſperitatem ab armis ceſſatum fuiſſet, cœptum eſt a noſtris res hoſtium bello infeſtari. Ductæque ſunt in Illyrium Senatus iuſſu copiæ, ad Caſtrum nouum oppugnandum, ſub Sarra Martinengo armorum ductore fortiſſimo.

Caſtrinoui expeditio.

Qui cum quinque armatorum millibus in eam expeditionem profectus eſt. acceſſit & Sebaſt. Venerius claſſis Imperator è Corcyra cum aliquot triremibus reuerſus, quem ad ducēta paulòminus maiora, leuioraque diuerſi generis nauigia ex totius Dalmatiæ inſulis ſequuta ſunt, ut rei gerendæ intereſſent, operamque ſtrenuam nauarent. Affuit etiam Zach. Salamonius prouiſor Generalis Catari, a Senatu in caſtra miſſus.

Zac. Salamonius.

Admotis itaque terra, marique ſignis, Veneti milites ingenti ferocia per tormenta, telaque hoſtilia propius ad oppidi uſque mœnia peruenere, in ſuburbiumque tranſcedentes, illud combuſſerunt: erumpentes autem ab oppido biſcentum uno agmine Turcæ, ut cum noſtris manus conſererent, cum cæde, & ignominia intra mœnia ſe ſe recipere coacti ſunt. Infeſtantibus interea proxima a dextra, leuaque ſeuiſſimis piratis maria, excitus Hermolaus Theopolus biremium in ſinu præfectus, cognouit per ſpeculatores, circa Anchonam, Calabriamque prædones ſtationem habere, ubi ab his multa nauigantibus damna inferebantur.

Hierony. Theopoli uirtus.

Itaque uindictæ auidus, in ea loca tacitè profectus, non multis poſt diebus duas minores hoſtium biremes oppreſſit, alteram quoque modico temporis interuallo & alteram, & tertiam per ſaxaginta paſſuum millia inſecutum in ſuam redegit poteſtatem: cæſo prædonum Duce omnium nequiſſimo, cognomento Recamatore, qui, in terram impacta biremi, a Calabris interfectus fuit; Theopolique iuſſu, cutis è corpore euulſa, palea ad ludibrium impletur, ob infandā eius ſæuitiem, qua in miſeros Chriſtianos captiuos latro utebatur.

Quinque piratarū biremes captæ. Recamatoris cædes.

Et Venetorum copiis interim Caſtrumnouum circumſedentibus, diſpoſita ſunt muralia tormenta, ut mœnia munitionesque demolirentur. ingensque earum ruina facta eſt; magnaque diligentia a noſtris adhibebatur, ne auxilia, commeatusque ad obſeſſos in oppidum peruenirent: uallumque hoſti obiectum, clauique ferrei fixi, & cuniculi circa proxima mœnia diſpoſiti, ad impediendum tranſitum, & diuertendos, improuiſos hoſtium in Veneta caſtra incurſus. Turcæ tamen coacta ingenti armatorum manu in ſuorum ſubſidium minarum pleni aduolabant, quibus noſtri reſiſtere uiribus inferiores non audentes, ne in aliquod diſcrimen inciderent, amotis ſubito caſtris ab oppidi obſidione receſſere.

Soluta Caſtrinoui obſidio.

Ex alia parte nouis belli motibus derepente in Belgarum finibus inter Gallos, & Hiſpanos ſubortis, Principum confœderatorum animi plurimum turbati ſunt: retardata eſt enim claſſium coniunctio, Philippo Rege iubente, ne Auſtrius è Meſſana diſcederet, eo conſilio (ut ſi opus eſſet, ad res in Belgio tuendas, parata claſſis in Ibericum mare reuocaretur. Sed Pont. omnē operā dedit, ut depoſitis armis, Reges in priſtinam amicitiam coirent, claſſes extemplo coniungerentur, ad res Turcarum (ſicuti decretum fuerat) in Oriente infeſtandas.

Noui motus belli inter Gallos & Hiſpanos.

Miſſique proinde a Pontifice Reuerendus Saluiatus in Galliam, & in Hiſpaniam Romanetus Paduæ Epiſcopus.

Saluiatus, & Romanetus.

Duo quoque a Venetis Oratores creati, Ioannes Michael, & Antonius Theopolus nuper ex Luſitania reuerſus, ambo equeſtris ordinis uiri inſignes, ad idem cum Regibus munus obeundum, ne eorum diſſenſione claſſium coniunctio impediretur.

Ian. Michael, & Antonius Theopolus.

Michael autem Galliæ, & Theopolus Hiſpaniæ legationem habuit, ac utrique quattuor dierum ſpacium ad diſcedendum ab urbe datum, quum res celeritate indigeret, quando maior ferè æſtatis pars, quo potiſſimum tempore bella commodius tractantur, iam peruolans effluxerat. Nilque a noſtris hactenus poſt uictoriam, memoria dignum actum fuerat, ob tam diuturnam, lentamque in Claſ-

ſium

ſium coniunctione moram. Qua quidem rei bene gerendæ occaſione turpi deſidia elapſa, hoſtes priſtinam maris potentiam magno cum Chriſtianorum dedecore reſumere uidebantur. Nec Venetus diligenti, ſingulariq; in dictis, factiſq; opera caruit, ad procurandam ſociarum claſſium celerem coniunctionem, ac in hoſtes, quanto citius fieri poſſet, profectionem maturandam. Miſſusq; eſt ab Imperatore Foſcareno, Iac. Superantius cum uiginti triremibus optimè inſtructis Meſſanam uſque, ut Auſtrium ad Corcyram officii gratia deduceret, eundemq; ad coniungendas ſocias uires abſq; ulla temporis mora cohortaretur: ſed ob Flandriæ motum, ut ſupra memorauimus, opportuno rerũ gerendarũ curſu interrupto, bellicus ardor quodãmodo rextinctus elanguit, tãtiſperq; belli cura omiſſa, donec de Regũ uoluntate, certiore nuncio aliquid compertum foret, circa bellũ in Turcas gerendum, & claſſes coniungẽdas, qđ breui a Legatis reſciri poterat, qui ad utranq; Maieſtatẽ (vt diximus) magna cum celeritate profecti fuerant, nil intentatum quoq; Pontifex Chriſtianæ pietatis amator relinquebat, tum nunciis, tum litteris Apoſtolicis, vt cæteris expeditionibus omiſſis, in Orientẽ coniunctis claſſibus ſocia arma uerterẽtur, ubi maior Chriſtiano nomini gloria, illuſtriorq; victoria ſplendeſceret: omniaq; ſedulò optimus parens agebat, ad ſeruandã amplificãdãq; Chriſtianæ Reip. dignitatẽ aduerſus renaſcẽtes cõis hoſtis uires. nil aũt grauius hac vulgata ſociarũ claſſiũ diſiunctione audiri poterat: nã cũ iam propè eſſet, vt hoſtis deleretur, pigreſcentes manus in ipſo victoriꝫ limine ſocii retrahebant, cumque reſpirare ſinebant, uulnerum potius noſtrorum ſpectatores, quàm iniuriarũ uindices. factum tamen eſt, poſt diuturnam temporis moram, ut Auſtrius, qui Meſſanꝫ ſubſtitere a Philippo iuſſus erat, duas & uiginti triremes cum quinque armatorũ Hiſpanæ, ac Italæ gentis millibus in eas impoſitis, ſub equeſtris ordinis uiri Vandradæ ductu Venetæ claſſi adiungeret. hiſque auxiliis, pontificia, & Veneta claſſis ſuffulta, Corcyram ad Imperatorem Foſcarenum, qui ibi cũ ſexaginta triremibus Auſtrii aduentum expectans diu conſederat, peruenit, ut ea pars Hiſpanæ claſſis cũ Veneta coniuncta, unà in hoſtes proficiſceretur, cùm Auſtrius reliquo cũ nauali regio apparatu, Tuneti, Algeriique expeditionem in Aphrica ſuſcipere iuſſus fuiſſet, ut Turcarum res duplici bello premerentur. Sed pauci erant, qui hæc Hiſpanorum conſilia non ſummopere improbarent, ceu Reip. Chriſtianæ damnoſa, & fœderis legi, decretæq; expeditioni contraria: nam inter partes Romæ coram Pontifice iam decretum fuerat, ut cæteris rebus omiſſis, coniunctæ claſſes Orientem uerſus, in hoſtes quamprimùm progrederentur, ubi præclara factorum illuſtrium materia ſuppetebat, multoque maior bellatoribus immortalis laudis acquirendæ gloria parabatur, fœlicioreſq; longe ſucceſſus, quàm in deſertis Aphricæ littoribus, Lybiæque arenis, aduerſus imbellem Arabum turbam: nam Oriente domito, cætera facilè armis noſtris ſubacta cedebant. Tentatuſque eſt proinde iterum Philippi, Auſtriiq; animus, ut omiſſis Aphricæ rebus, priſtina in Oriẽte claſſium profectio ageretur. Interim M. Antonius Columna, cui abſente Auſtrio, confœderatarum claſſium Imperium demandatum erat, unà cum Iacobo Superãtio Prouiſore Generali cum quinquagintaſeptem triremibus, ad Foſcarenum Corcyram nauigauit, & Auſtrius Palermum ſe contulit, ut in Aphricam paruo maris ſpacio traiiceret. Diuina tamen pietate, id ſecutum, quod nullatenus quiſquam amplius ſperabat, ut ſedato in Belgis armorum tumultu, Auſtrius Philippi mandato, iterum Meſſanam redire iuberetur; imperatumque pariter, ut coactis omnibus regiis triremibus, Corcyram ad Venetos ſe ſtatim conferret, unaque utriuſque partis claſſes, Duceſque coniuncti, abſque mora in Orientem, iuxta priorem initi fœderis formulã, ſocia arma uerterent. Itaque, quod fœlix, fauſtumque fuit, diuino primum implorato auxilio, curatiſque corporibus, è Corcyra claſſes Pontificia, & Veneta uiris, armiſq; inſtructiſſimæ ſoluentes, in Creticum mare proſpera aura curſum flexere, ut cum hoſte, qui claſſem reparauerat, manus ſecundò conſererent, ac ſi fortuna aſpiraſſet, eum penitus deletum Imperio exturbarent: nam omnes Othomanicæ ditionis populi ab Aegeo pelago vſque ad Caramaniæ littora ad defectionem ſpectare uidebantur. Et noſtro mari per hos dies Scardona a Nicolao Suriano ſinus præfecto, uiro impigro capta, expugnataque eſt, prædaque, & cæde in barbaros grauiter ſæuitum. Oppidum po-

ſtea

Venet. diligentia.

Iac Superantius.

Not. Pontificis ſtudium in bello.

Vãdradæ auxiliaris manus.

Rumor de Hiſpanorũ conſilio.

M. Anto. Colũna.

No. noua Mandata.

Scardona

Cliſſa.

ſtea penè diruitur. Cliſſa quoq; è Turcarum manibus furtim erepta, in noſtrorum poteſtatem conceſſit; qui oppidum ingreſſi, fœdè illud diripuerunt, raptæque gazæ, & diuitiæ ingentes.

Hector Tronus.

Sed Hectoris Troni uel metu, ſeu auaritia, ne partã prædam hoſtis, qui aduentare forti manu ferebatur, reciperet; iuſſi ſunt milites, qui ad præſidiũ miſſi fuerant, relicta cuſtodia, oppidum deſerere. ea propter indignati patres, Venerio Imperatori in Illyrico ſedenti, ſtatim mandarunt, vt Cliſſenſem cauſam cognoſceret, ac ſi Tronum, aliosve in perduellionis crimine eſſe deprehenderet, in eos more maiorum lege ageret. Sed Venerius iudicium declinans, Tronum ſub cuſtodia Venetias miſit, ut de eo patres maturè ſententiã ferrent, nullo tamen ad hanc uſq; diem iudicio ſecuto, in uinculis adhuc ille manet. Poſtmodum a Legatis, qui in Galliam, Hiſpaniamque antea miſſi fuerant, litteræ aduenere, quibus patres certiores reddebantur, quòd firma, conſtansque in utroque Rege ſeruandæ pacis, nec ullo pacto inter ſe bello contendere, ſententia manebat; fuitque eorum ſemper animus, affinitatis iura, & pietatis, ac quietis ſtudia ſanctè percolere. Ex Zacintho proinde, ubi claſſis Veneta, in Orientem profectura, conſederat, cum Columna in hoſtes alacrius itum, certamque omnes alterius maioris uictoriæ ſpem animis ferebant, ob admirabilem belli cum apparatum ſub Imperatorum fortiſſimorum auſpiciis.

Auſtrii motus.

Auſtrius autem è Meſſana, ubi per aliquot dies commeatus parandi cauſa ſubſtiterat, cum reliqua Hiſpanæ claſſis parte, Corcyram profectus eſt, ſociam ibi Venetam claſſem reperire ratus; qua non inuenta, quod ea paulò ante ad prohibendos hoſtium conatus receſſerat, uehementer excanduiſse fertur. ſed non culpandi ſunt Veneti, qui quum furibundi hoſtes omnia ferro, igniqúe uaſtarent, oppida obſiderent, prædas agerent, ad tantorum malorum reparationem (non expectato Auſtrio) in eos neceſsariò feſtinare coacti ſunt.

No. hoſtium iniurias.

noſtra enim deſidia, quod deplorandum eſt, Turcæ reparatis ingenti celeritate uiribus ducentarum, & amplius diuerſi generis nauium claſsem conflarant, & cum ea ex Helleſponto, Luciali Duce, in Ionium profecti, dimicandi cum Venetis conſilio, circa Epidaurum conſedere; quos ſolos ſine Auſtrio, ad Cythercam ſtationem habere, per exploratores acceperat: & noſtri nil territi, audito hoſtium in proximos fines acceſsu, ob latam pugnandi occaſionem libentiſſimis animis amplexi ſunt, poſitisque in fronte maioribus triremibus, ac onerariis nauibus, in Turcarum conſpectum confligendi ſtudio ſtatim prodiere: illi quoque in tres ualidiſſimas acies claſse diſpoſita, prælium capeſsere haud detrectare uidebantur.

Luciali.

Pugnandi ardor.

quod bis circa Maleam promontorium initum, ac bis, prioribus ſemper barbaris receptui canentibus, diremptum eſt: nam è ſiniſtro cornu Iac. Superantius prouiſor generalis cum ſuis triremibus intrepide erumpens, proximam hoſtium aciem inuaſit, tantaque ſtrenuitate uſus eſt, ut propè eos in fugam uerterit: ſed tormentis ad inuicem creberrimis ſe ſe ambæ claſses inceſsentes, è prælio, quum iam adueſperaſseret, exceſsere, atque æquo utrinque Marte, nox pugnam diremit.

Iac. Superantius.

Inde Turca Epidaurum cõceſſit, & Venetus Cythercam. mox ut cum Auſtrio ſe coniungeret, Zacinthum petiit, quem obuiam inter nauigandum cum triginta triremibus factum, nautico plurimo clamore, ac crebris tormentorum ſalutationibus honorificentiſſimè excepit.

No. claſſium coniunctioné

Itaque coniunctis claſsibus ad maritimarum rerum hoſtilium euerſionem ſocia arma illata. Barbaris autem Byzantium uerſus Chriſtianæ claſſis metu, trepidam fugam arripientibus, mare totum, quod ab Adriatico ſinu uſque ad Helleſpontum extenditur, liberum, apertumque redditum eſt. & hæc in Græcia armis gerebantur, quum in Gallia grauiſsimo Pariſiis tumultu laboratum fuerit, multaque cæde ſæuitum, in medio propè nuptiarum apparatu.

Tumult. Pariſiis.

Nam Rex deſponſata Nauarræ Regis ſorore, Admiraldoque, & Condeo in gratiam receptis, cæterisque ex Huggonotorum ſecta Ducibus, pacem cum eis firmarat: ſed Admiraldus uir ferox, & inquietus, ad turbandam cum Philippo Rege pacem, & affinitatem, noua moliri in Belgis abſque Gallorum Regis iuſsu temerè cœpit, qui pacis colendæ ſtudio cum Philippo ſecum neceſsitudine & propinquitate coniuncto, a bello abhorrebat: ſimultateque ob id tacitè oborta, Regisque animo offenſo, Admiraldus dum circa meridiem ad ædes ſuas, quippiam in uia lectitans ſe conferret, glande plumbea, manu, brachioque transfixus, grauiter uulneratur. Quod ubi ſui rumore uulgato accepere, incre-

Admiraldi uulnus.

dibili

dibili furore ſtatim arma capiunt,& circa diei crepuſculum armati impetum in Regiā fecere,aduerſus quos, prætorianorum cohorte, quæ circa Regiam excubat, obuiam ad uim repellendam prodeunte, atrox certamen initur, conabanturq; Huggonoti in Regiam irrumpere,ut Regem,Reginamque matrem trucidarent: tum populus Regis periculo excitus,iraque æſtuans,ingenti multitudine armis cinctus, ad Admiraldi ædes accurrit,ubi eum, ſuosq; omnes,nemini parcens,ſtatim ferro obtruncat:inde per totam vrbem magno armorum ſtrepitu diſcurrens, aduerſæ partis ingentem cædem ædidit. Sedatur uix tandem tumultus, in quo plurimus media in urbe per uulnera, cædesque cruor effuſus eſt.

Admiraldi cædes.

Hinc Pontifex, Chriſtianæ Reip.amplificationis cupiditate accenſus,omni ſtudio curauit,ut Rege a pudēda Turcarum amicitia diuulſo, in eos bellicoſam Gallorum nationem armaret,eamque unà cum cæteris Chriſtianis Principibus fœdere coniungeret:miſitque ob id Cardinalem Vrſinum ad Regem in Galliā, qui etiam ad Maximilianum Imperatorem eadem de cauſa in Germaniā poſtea proficiſceretur.

Card. Vrſinus.

Idem fermè ſtudium a Veneto adhibitū, ut Gallica, Germanicaque ſecum arma in Othomanum conſociaret, fruſtra tamen laborabatur, infœlici Reip.Chriſtianæ fato,ob animorum diſiunctionem,diſcordesque Principum uoluntates, quos tum æmulatio,tum ambitio obcæcatos diu tenet,in tenebriſque ambulantes, laborum & erumnarum cumulus in foueam trahit. Ab Roma interea nuncius allatus eſt, qui Venetam ciuitatem incredibili gaudio repleuit, Turcarū ſcilicet claſſem a noſtra, quod falſum erat,inito in Argolico ſinu certamine, profligatam fuiſſe: nunciique authore tacitè fuga elapſo,qui hæc Pontifici nunciarat,ut grandem mercedem reciperet,omnium animi turbati ſunt.

No. Vanę uictoria nunciū.

Alia quoq; improſpera fortuna euenit: nam cùm Othomanica claſſis è proximis Achaiæ finibus a noſtra nouiſſimo(ut diximus)nauali congreſſu fugata,in Peloponeſſum ad Nauarinum curſum flexiſſet, Chriſtiana claſſis ad pugnādum inſtructa,hoſtem eò uſque proſecuta eſt.Sed prælium ille detrectans,conſultò in Methonis portum conceſſit,ubi in tuto claſſem locaret,quando inde ea nec euelli,nec pugnam inire,inuita,nollensq; cogi poſſet.

Fuga Turcorū claſſis in Peloponeſſū

Cæterùm noſtri omnia agebant,ut barbaros è portu detractos,ad certamen elicerent, qui ualidiſſimis erectis munitionibus, locique natura freti,Chriſtianorum impetum parum timere uidebantur; non tamen in aciem ſæpe laceſſiti,prodire unquā auſi ſunt,ſed ſe intra munitiones, ſub oppidi mœnibus tenentes, apertæ dimicationis aleam declinabant: conſtansque & certa ſpes in omnibus erat, hoſtium claſſem,uel ferro,certamine contracto,uel naufragio breui perituram, ſi exigua maris tempeſtas,ſubito oriretur, quòd importuoſa illa ora,ac uentis,turbinibuſq; expoſita eſſet. Verùm præter omnium expectationem accidit, ut uictoria,quæ in manibus noſtris planè erat,deficiente pane nautico, & impedita ab hoſtibus aquatione,amitteretur:nam his malis Auſtrius adactus,ab obſidione, & hoſtiū impugnatione(ut ipſe aiebat)recedere coactus eſt. Itaque Nauarino oppido nec quicquam tentato,quòd ingens barbarorum manus ad eius præſidium aduolarat, è Peloponeſſo uniuerſa claſſis ad Erodanum,inde Zacinthum conceſſit:

Receſſus claſsis Chriſt. e Peloponeſſo.

liberaturque hoſtis ab imminenti clade,quam nullo pacto effugere poſſe quiſquam crediderat,cùm ex omni parte claſſe, armiſque Chriſtianorum barbarus ſeptus, nullum ad ſalutem ſuam refugium haberet. ſed fata,aſtrave iuſtis votis contraria ſpes noſtras uanas, fallaceſq; reddidere: magnoque omnes dolore boni affecti ſunt ex hoc inopino, ac ſubito Hiſpanæ claſſis receſſu,qui ne fieret,a Veneto Imperatore plurimum laboratum eſt. Sed Auſtrio annonæ inopia, atque anni tempore, ſe compelli ad maturandam profectionem differente, Venetus contrà manendum eſſe cenſebat, Auſtriumque orabat,ne diſcederet,nec uictoriam in manu noſtra diuinitus poſitam interrumperet. cibaria autē Duces noſtri ſociæ claſſi ſubminiſtrare pollicebātur, herbarumq; radices,ſi panis nauticus deficeret,ſe edere non recuſabant,cunctaque belli incommoda perferre,pro uictoria conſequenda,parati erant;

Venetorū cōſtantia in obſidēdo hoſte.

omnique planè ſtudio a Venetis curatum,ne, re infecta, Hiſpani ab hoſtilis claſſis obſidione recederent, quod fœdam Chriſtiano nomini perpetuò notam inureret, Turcaque iactabundus hoc ſucceſſu amplum gloriandi locum haberet. Auſtrius tamen ex ſuorum conſilio diſcedendum omnino eſſe putauit. Itaque inuito & reclamāte Veneto,Chriſtiana claſſis Corcyram ſe ſubtraxit, ſexieſq;

uictoria è noſtrorum manibus elapſa eſt, dum mora rebus agendis turpi cunctatione interponitur. Vix autem è Peloponeſſo claſſes receſſerāt, cùm onerariæ aliquot naues

Naues Hiſpanæ cū cōmeatu.

Hiſpanæ, & treſdecim triremes, ſub Ducis Seſſæ, & Ioannis Andreæ Doriæ imperio, commeatu plenæ Corcyrę appulerāt. Vbi poſtquam fames amplius ex aduectione annonæ timenda non eſſet, res in conſultationem uenit, quidnam agendum eſſet.

Variæ ſententiæ, in expeditionibus.

Pluribuſque dictis ſententiis, fuere, qui Peloponeſſum repetendum eſſe cenſebant, ut cum hoſte confligeret; alii in hyberna eundum, quòd anni tempus iam inſtante hyeme expoſceret. Tum Foſcarenus, ex tota claſſe ſeligendas centum, & quinquaginta inſtructiſſimas triremes eſſe cenſuit, quæ tacita nauigatione, ad caput Matapanum, ſiue ad Maleam promontorium ducerentur, claſſemque eò Othomanam tranſituram noſtra uiris, armisque optimè inſtructa aggrederetur, & cùm ea confligeret: aut ſi id non placeret, Leucadis oppidi, ſeu in Rizonico ſinu Caſtrinoui oppugnatio tentaretur.

Auſtrii receſſus.

Sed Auſtris, utraque expeditione reiecta, quòd frigoribus iam omnia rigerere diceret, Meſſanam cum tota claſſe profectus eſt, Columnamque ſequentem cum duodecim Pontificis triremibus ſecum habuit; & Venetus, Hiſpanis diiunctis, Corcyræ ſubſtitit: parumque concordibus animis confœderatis principibus bellum gerentibus, in maximo Reſp. Chriſtiana diſcrimine conſtituta erat. & nemo mortalium fuit, qui eius non eſſe ſententię, quòd formidabiles futura ęſtate terra, marique Turca uires comparaturus eſſet, quibus in Chriſtianam gentem barbara feritate ſæuiendi nullam occaſionem prætermitteret: quod periculum facile diſcuti poſſe iudicabatur, ſi Auſtrius cum regia Claſſe Meſſanæ ſubſtiteret, nec in Hiſpaniam (ut uulgo ferebatur) regrederetur. Quare Pontifex, ne id eueniret,

Claudius Gōzaga, ad Auſtrium.

Claudium Gonzagam unum a ſecretis ſuis ad Auſtrium in Siciliam miſit, ut eum Pontificis nomine hortaretur, ad Meſſanæ hybernandum, ut uere primo abſque mora claſſes coniunctæ in hoſtium fines irrumperent. idem Apoſtolicis litteris, nunciiſque, a Philippo Rege, idem a Veneto Senatu per Oratores ſuos enixe petitum. Sed quum Hiſpani parum ſtudii in bello adminiſtrando adhibeant, omnia (ut ita dicam) irreſolutione, ac pigredine plena reddunt: nam poſt illam inclytā ad Echinades uictoriam, nil proſperè ab eo tempore nobis unquam aſpirauit, in deteriuſque omnia labebantur. Hinc tacita pacem cum Turcis renouare patrum animis cura inſedit, bellumque damnari cœptum, fide apud ſocios nutante, qui facto iam multoties periculo, ſolitam ſequuntur ſegnitiem, nec facta uerbis reſpondent. Inter hæc Sebaſt. Venerio, poſt duos & amplius fermè annos, quibus maritimæ rei ſumma cum laude Imperator præfuit, reditus in patriam Senatuſconſulto decretus eſt, cui è prætoria quadriremi ad Diui Marci ripam egreſſo, a frequenti patritiorum ordine oſtrum, purpuramque induto, obuiam itum, ingentique populi multitudine totius urbis parte effuſa, præclarus inſtar triumphi honos illi eſt habitus: nam Turcarum ſpolia, captiui, armaque, & inſignia ante uictorem ferebantur. Qui rubeo in lato clauo, & ad humeros fibulato grauiter incedens, omnium ora in ſe conuerterat, deductum eum nobiliſſimo comitatu ad Diui Marci Baſilicam, Princeps Senatuſque ad Templi foras honorificè, lætanterque excepere, memorabilemque uictoriam, fœlicemque illi in patriam reditum congratulantes, ad ſacra piè acceſſere. Quibus peractis, ad ſuas Venerius in Diui Marci area ædes ſitas, patritios omnes, qui eum officii gratia concomitati fuerant, lautiſſimo epulo excepit. Ita unus Venerius, ob recte fœliciterque adminiſtratum maris Imperium, ueluti triumphans, ouanſque nouum in patria decus conſequi meruit, quod antea ſimile in ciuitate nemini alii ex tot ſummis Ducibus, qui rei nauali præfuere, contigiſſe unquam auditum eſt. Et hæc domi apud Venetos agebantur.

Turcarū reditus in Conſtantinop.

At Turcæ magno diſcrimine liberati, è ſubito Chriſtianæ claſſis è Peloponeſſo receſſu, in Helleſpontum protinus abiere, Conſtantinopolimque in hybernis conſedentes, maxima terra marique præſidia ad ſuſtinenda Chriſtianorum arma, quæ ueris initio ualidiſſima in altū proditura eſſe ſuſpicabantur, parare cœperunt.

Apparatus bellicus apud Chriſt.

Nam Pontifex, Hiſpani, Venetique audito ingenti a barbaris armorum apparatu, & ipſi ad rem bellicam curandam omni ſtudio conuerſi, maritimas uires communi conſenſu augere feſtinarunt. Et Veneti primùm, quorum de re potiſſimum, ageba-

agebatur, delectu per totam Italiam militum habito, duodecim armatorum millia largo ſtipendio conſcripſere, ut in Cretam, aliaſque maris inſulas bellica præſidia mitterentur. claſsis quoque augendæ a patribus cura habita: nam alias quinque triremes cataphractas, armari placuit, ita ut undecim eiuſdem generis numero eſſent. Quarum omnium Ant. Bragadeno uiro impigro, Fr. Duodi loco morbo laborantis, demandatum eſt imperium: nec non ut altera triginta triremium claſsis conflaretur, decretũ, lectiq; ex patritio ordine gubernatores uiri maritimis rebus peritisſimi, qui ſingulis triremibus præeſſent, adiunctiſque aliis Gregorii Pontificis, & Philippi Regis mari auxiliis, trecentarum, & amplius longarum nauium Chriſtiana claſsis ſummam continebat. Hæc domi circa bellum diligentisſime curabantur, ut uere primo in Barbaros res armis gereretur. Deceſsitque per id tempus è uita Principis uxor Lauredana nomine ex Marcella familia nobilisſima, matrona pietate inſignis, ac eius funus publice celebratum eſt: nam triduo corpus ſub aureo amiculo, antequam tumulo conderetur, in foro poſitum iacuit. Quod elatum Senatus, frequens, Principumque Oratores, ac propinqui, domeſticique pullati omnes ad præparatas in Gemellorum æde exequias deduxerunt, ubi Octauianus Maggius unus a ſecretis, uir eruditiſſimus eleganti oratione defunctam laudauit. Poſt hæc, ut inchoatæ hiſtoriæ narrationem proſequamur, quum Turcæ ad locum, qui dicitur Varbagni iuxta Catarum ualidiſſimas Caſtelli munitiones erexiſſent, ad impediendum tranſitum, ne militum præſidia, ne commeatus, aliave ad uictum neceſſaria in urbem importarentur, ut fame adacti oppidani, uellent, nollent, deditionem facere maturarent; animaduerſo patres periculo, armis agendum rati, Iac. Superantium Prouiſorem Generalem maris cum triginta triremibus è Corcyra eueſtigio euocarunt, ut eæ munitiones vi, armiſque deiicerentur, ab imminentique periculo fideliſſima ciuitas eximeretur. Itaque Superantius cum eo nauium longarum numero quem ſupra cõmemoraui, in prouinciam uenit, expoſitiſque in terram militibus, ac muralibus tormentis, ſub tribus fortiſſimis armorum Ducibus, Paulo Vrſino, Proſpero Columna, & Moreto Calabro, hi terra, & Superantius mari, hoſtium munitiones aggreſſi ſunt; ubi aliquandiu tormentis, uariiſque armorum generibus utrinque acerrime certatum eſt, qua in dimicatione Ioã. Baptiſta Quirinus tormenti pila femore grauiter læſus, è Caſtelli munitione emiſſa penè occubuit, pede tamen claudus redditus eſt. Poſtremo noſtri facto impetu rem fœliciter geſſere: nam capto Caſtello, diiectiſque munitionibus, Turcæ cæduntur, & decem ſeptem æneæ machinæ in noſtrorum poteſtatem redactæ. Quo egregio facinore Catarum periculoſa obſidione liberatur, magna cum Superantii, cæterorumque Ducum gloria, qui fœlici ſucceſſu demandatam expeditionem modico temporis ſpacio confeciſſent. Cũctæ autem orbis terrarum gentes in maxima erant expeditione, quisnam proximo anno, in tantis utrinq; armorũ apparatibus, belli exitus futurus eſſet, atque omnium animi inter ſpem & metum pendebant: nam Turcæ reparatis poſt acceptam cladem uiribus, paulòminus Quadringentarum diuerſi generis nauium claſſem conflarant, ingentes quoque copias equitum, peditumque terra coegerant. Cretamque, ſeu Corcyram, uel Iaderam armis aggredi minabantur. Nec minores maritimas uires confœderati Principes contraxere, ut hoſtiũ conatibus pari armorum robore obuiam irent: trecentarum ſiquidem triremium ſummam Chriſtiana claſsis uiris, armiſque inſtructiſſima continebat. aderantque Imperatores bellicis artibus inſignes, primumque naualis totius Imperii locum Auſtrius habebat. Poſt eum Columna, inde ſequebantur æquali fermè poteſtate Foſcarenus, & Superantius, in Veneta gente maritimis rebus uiri lectisſimi, omneſque confligendi cupiditate accenſi claſsis partem, reliqua ſubſequi iuſſa, in hoſtium fines agere curabant, eo conſilio, ut barbaros celeritate præuentos aliqua clade afficerent. Idem Turcæ moliebantur, reſque eò deducta erat, ferueſcẽtibus utrinq; acerbisſimis odiis, ut in quam partem uictoria uerteretur, fortunaque aſpiraret, in duarum infeſtisſimarum gentium Imperiis maximam faceret, commutationem, in funeſtumque, ac miſerabile diſcrimen omnia traheret. Proinde confirmatis Romæ in Cardinalium congregatione, præſentis anni fœderis conditionibus, quod fœlix, fauſtumque foret, in hoſtes armis com-

munibus

Ant. Bragadenus.

Claſsis numerum.

Vxoris P. interitus.

Oct. Maggius.

Varbagnum.

Iac. Superantius.

Armorũ Duces.

Ioã. Bapt. Quirini uulnus.

Varbagnũ capitur.

Not. Turcarũ claſſem.

Not. Chriſtianorũ claſſem.

Imperatores maritimi.

munibus properanter iri decretum eſt. Et ſub id tempus in Dalmatiæ finibus ad Tragurium non procul a Cliſſa in Turcas a noſtris proſpere pugnatum eſt, captique ex hoſtibus ducenti, & cæſi complures; & quod nunquam, aut rarò euenit, duo de uiginti ouium, pecudumque millia, & octingẽta boum corpora, aliaque iumenta non exiguo numero abacta, in noſtrorũ poteſtatẽ conceſſere, quæ tantæ prædæ opulẽtia (ſpoliatis barbaris, mirũ ĩ modũ Dalmatas locupletauit, & hoſtiũ res afflixit. Nec multò pòſt ꝓdigia q̃dã nunciata ſunt: immanis enim corporis ſtaturæ, cẽtũ cubitorũ altitudine mõſtrũ, humanã habẽs effigiẽ in Peloponeſſo apparuiſſe uulgabatur, ꝙ incredibilẽ per agros uaſtitatẽ ædebat, arbores, ſataq; euertẽdo, cũ fęda incolarũ fuga & terrore, Duæ præterea ſummo æthere nubes concurſare inter ſe uiſæ ſunt, ac tonitruis, fulminibuſque ſeſe inceſſere. quarum una paulò pòſt quaſi victa abiens euanuit. Apud Andrinopolim inſuper fluuius, qui mediam interſecat urbem, uſque adeo intumuit, ut ter mille ædes aquarum excreſcentia obruerentur. Hæc per orbem uulgata mortalium mentes conturbauere, uariisq; (ut ſunt hominum ingenia) interpretationibus uẽtura prænunciabantur: illud tamen breui euenit, poſt aliquam prius cum Turcis de pace renouanda mentionem factam, ut ea ſubitò ad optatum exitum perduceretur. Animaduerſo enim Veneti rerum ſuarum periculo, ob parum ſeruatas fœderis leges, dum longa in bello gerendo a ſociis mora ſæpe annectitur, lenteque omnia adminiſtrantur, bellũ tacito conſilio in pacem commutare ſtatuerunt: quæ breui ſecuta eſt, de qua ubi Pontifex certior eſt factus, tam inexpectato nuncio uehementiſſimè excãduit, Oratoremque Paulum Teopolum, publicam tueri cauſam uolentem, fari uetuit, ac obducta fronte a conſpectu ſuo minitabundus repulit: nemoque erat in Romana ciuitate, qui Venetos non carperet, maledictisq; in eos abſtineret, uixq; Orator in propriis ædibus periculi expers erat, tanta indignatio oẽs cœperat, ꝙ nulla fœderis habita ratione, impudenti, ac præcipiti cõſilio pacem cum perfidiſſimo hoſte Venetus firmaſſet. Nec ſolùm Romæ, ſed & in Hiſpania, & in Germania idem animorum habitus erat, Venetumque nomen vbique maledictis, probriſque lacerabatur. Tum patres ut aliquo modo publicæ dignitati conſulerent, ac iratum Pontificem delinirent, Nicolao a Ponte, Doctorẽ Equitem, & Procuratorem, virum ampliſſimum, Oratorem creauere, qui Romam ad Pontificem celeriter proficiſceretur, atque humili nouæ legationis officio ſuam Sanctitatem Reip. pacatam redderet, iuſtamque Venetos pacis amplectendæ cauſam habuiſſe edoceret. Romam igitur profectus, de pacis initæ cauſis dicturus, graui ſermone, ita Pontificẽ affatus eſt. Si cuncta recta, ait, Pontifex Maxime diſcutere placet, ſanè prudentum omnium iudicio Veneti non ſolùm excuſatione, ſed fauore totius, ac laude digni habẽtur: nam ut oĩa Pater Sancte intelligas, poſt cõſcriptas primo belli anno fœderis leges, in his ſeruandis parum ſtudii a ſociis adhibitum fuit, nilq; generosè, nil tempeſtiuè unquam actum eſt, quod accerrimo hoſti officeret, ac communi ſocietati prodeſſet; quin dum Imperator noſter claſſem, ut Cypri rebus ſuccurreret, in Pãphilium mare duxiſſet, a Ioan. Andrea Doria, qui cum quadraginta nouem regiis triremibus cum Veneto ſe cõiunxerat, in propinquo armorum congreſſu, ac in ipſo penè uictoriæ limine deſtituitur, amiſſaque eſt bene gerendæ rei fœliciſſima occaſio: unde altero anno hoſtis inſolentior factus, Venetos magnis cladibus afflixit, & Cyprum, quæ acerbiſſima clades fuit, miſerè ſubegit, licèt paucos poſt dies ad Echinades circa Cephaleniam fœliciſſimè in hoſtes pugnauimus, deleta cruenta ſtrage eorum numeroſa claſſe, quòd ſi nulla interpoſita mora inperterrefactos hoſtes uictricia arma illata fuiſſent, leges ipſi cum magna Chriſtiani nominis gloria a nobis accepiſſent. ſed ſociis pigreſcentibus, qui in hyberna immaturè conceſſerant, uires reſumẽdi ſpacium hoſtes habuere. Itaque reparata claſſe, in Adriaticum uſque ſinum omnia igni, ferroq; euertentes proceſſere; Antiberiq;, & Olchinio in Epyrho oppidis expugnatis, magna nos clade affecti ſumus. Et cùm tertio, atque ultimo belli anno ad uim hoſtium reprimendam coniunctis armis omnes illicò accurrere debuiſſent, diſiunctis (neſcio quo fato) uiribus, melior anni pars (iam æſtate inclinante) elabitur. Veneta autem re barbarorũ furore, atque armis collabente, coacti fuerunt Imperatores noſtri, priuſquam Turca omnia deleret, non expectato Auſtrio, qui longe aberat, ſoli cum claſſe ſua, paucis tri-

remibus

Not. ingẽtem prædam.

Prodigia.

De Pace cum Turcis.

No. indignationẽ pro pace.

Nicolaus a Ponte.

Sermo cũ Pontifice.

Nota. de belli ſucceſſu cum Turcis.

Oppida ĩ Epyrho amiſſa.

remibus Hiſpanis adiunctis,in eum mouere:inuentaque circa Cythercam hoſtili claſſe,cuius Ductor erat Luciali,pari animorum ardore,audaciaque in pugnam itum,noſtroſque acerrimam pugnam cientes Turcæ non ſuſtinuere.& triduo pòſt iterum eodē propè loco concurſum,maiore hoſtium damno,& occidione, ſecundaq; & tertia uincendi occaſio amittitur,quippe qui in turpem fugam illi ſeſe coniicientes, in Peloponeſſum profecti ſunt,ubi ad Methonem, ſub oppidi mœnibus Luciali cum claſſe conſedit,qui facilè in poteſtatem noſtram ueniſſet, ſi Auſtrius opportunè cū reliqua claſſe regia accedens,in certamen ſtatim deſcendiſſet. ſed non ſolùm a prælio maritimo ille ſe abſtinuit, ſed a Nauarini parui oppidi oppugnatione caſtra amouit,reque infecta abiit,panis nautici indigentiam excuſans,ac commeatuum inopiam.Itaque reclamante Veneto,qui hoſtem fugitiuum,latitantemque aggredi cenſebat, euadendi barbaris occaſio quarta data eſt,qui poſtquam liberati ſunt, minimè tempus ocio terentes,uires maximas terra, mariq; contraxere, quales nunquam antea Othomana gens cōparaſſet. A confœderatorum uerò parte (Ignoſce mihi Pater ſancte)lentiſſimi belli apparatus,torporeque omnia plena erant,ita quòd Veneti neceſſitate adacti, in pacis firmandæ cum hoſte conſilia deuenere,ne momento temporis Reſp.& libertas tot ſæculis conſeruata manifeſto periculo ſubiiceretur. Itaq; mortalium nemo,ſi rectè iudicare uoluerit, Venetorum pacis cum Turcis initæ conſilia reprehendere iure poteſt, qui ſimul cum Sanctitate tua (ut probè ſcis)nullo unquam tempore deſtitere,litteris, nunciis,precibus Hiſpanos hortari ad coniungendas (quantò citius fieri poſſet) claſſes, uireſque maritimas & terreſtres, ut maturè ſimul bellum in hoſtes gereretur, in quo Veneti non auro, non laboribus, non periculis ullis parcentes, debitam operam præſtitere,celeritateq; uſi,nil intentatum relinquebant, ut opportunè res bellica adminiſtraretur,hoſtiſque infeſtiſſimus impugnaretur:ſed contrà a ſociis, miniſtriſque eorum,omnia intempeſtiuè,omnia ſigniter fiebant,qui uarii in conſiliis, diſcordes in ſententiis,tardi in expeditionibus,noſtrarum cladium ſpectatores, potiuſquam uindices fœlicem rerum gerendarum curſum ſemper impediuerunt:quòd ſi ſincera fide,ac ſerio iuxta fœderis leges bellum proſecuti fuiſſent, admirabiles aduerſus Turcarum gentem rerum ſucceſſus contigiſſent cum maxima Chriſtiani nominis gloria,& dignitate. Defeſſi igitur grauiſſimi belli onere, ſocialibuſq; auxiliis patres ſæpius deſtituti,cùm periclitanti Reipub.tum populorum indemnitati,& totius orbis Chriſtiani ſaluti ſapienter conſuluerunt. In quo quidem triennalis belli ſpacio expenſæ fuerunt duodecim centies aureorum nummum millia,exinanitæ publicæ,priuatæq; opes, tot inclyti armorum Ductores,tot nobiliſſimi ciues cæſi,oppida, Inſulæ captæ, ſubditorum res in prædam actæ,cædes,incendia,direptiones in finibus, ac propè in oculis noſtris commiſſæ,cùm alii intacti,illæſique nil detrimenti paſſi fuerint:nos ſoli hoſtium arma,quibus contermini ſumus,infeſta primi ſenſimus, durioraque quotidie experiebamur. Ea propter ne,maior Imperii iactura fieret, neceſſariam pacem patres inuiti acceperunt,quæ cum maiore potius Chriſtianæ Reip.quàm noſtræ beneficio, & commodo ſancita eſt. Nec ſi eam Pater beatiſſime,in tanto rerum noſtrarum diſcrimine complexi fuimus, propterea nobis ſuccenſere debes, qui ceu obedientiſſimi filii huic Sanctiſſimæ ſedi ſemper fauimus, maiores noſtros imitati,quorum armis ſæpe Romana Eccleſia defenſa fuit,& nos etiam pro ea opes, uitamque effundere parati ſumus. Tu quoque Pater ſancte Remp. noſtram paterna charitate amplectere, qua incolumi,qua florente,Eccleſiaſtica etiam ditio hoſpes,potensq; erit: nam uterque principatus ita ſimul eodem communis boni ſtudio copulatus eſt, ut unus ab altero in qualibet fortuna adinuicem ſine maxima rerum perturbatione ſeiungi non poteſt taciturnitati igitur Senatus tua Sanctitas parcat, in non communicanda tecum primo quoq; tempore pace:quod propterea factum fuit,ne longiuſcula mora interponeretur, quæ uota noſtra turbaret. Vbi Orator conticuit,tum Pontifex ad eum conuerſus, Non debuerant,inquit,tanto ſilentio patres circa pacem uti nobiſcū,cui omnia ad rem Chriſtianam ſpectantia noſcere datum eſt, qui uicem Dei in terris gerimus. ſed poſtquam ea ſecuta eſt,nil amplius contendimus. Amplexato,itaque ac dimiſſo Oratore,Venetos,data piis manibus benedictione,in gratiam recepit. emollitiq; ſunt omnium animi.

Bis cū hoſte concurſum.

Not. ī claſſe Hiſpana uictus penuriā.

No. Venetorum in bello diligentiam.

Prudēs patrum conſilium.

Not. aurū expēſum.

Nota.

mi,quia pacis euulgatæ initio in Venetos plurimum exacerbati erant. cognita enim ueritate, ac honeſtis Reip.cauſis,in renouanda cum potentiſſimo hoſte pace, nullus iuſtus querelæ locus cuiquam relinquebatur. atque utinam Dii immortales talem cunctis Principibus Chriſtianis hoc tempore mentem,ſpiritumque infudiſſent, ut uera in Deum pietate,coniuncta eorum arma infidelium uires contudiſſent: ſed diſcordibus contumacibusque in bello animis,nil præclarè, nil proſperè geri poteſt, ſatius proinde eſt,interdum fortunæ cedere, quàm in periculoſis, dubiiſque continuo uerſari rebus: ac forſan citò illuceſcet illa dies,quæ poſt tenebras, finem noſtris calamitatibus dabit.

No. pacis conditiones.

Pacis autem conditiones hæ fuere, ut Cyprum Turcæ armis occupatum haberent, eorumque Imperio Antibaris, & Olchinium in Epyrho oppida adiicerentur: Suppoto etiam Veneti hoſti redderent, atque trecentum aureorum nummum millia tribus penſionibus ſoluerent:haberet inſuper, ac reciperet unuſquiſque quæcunque ante bellum poſſediſſet,captiuiq́ue, & mercatorum bona utrinque reſtituerētur.

Andr. Baduarius.

Quo facto,creatur ſtatim Andr.Baduarius Orator Conſtātinopolim, pro firmanda his legibus publico nomine pace,& M.Antonii Barbari loco, qui ab urbe abſens ſeptennio Byzātii publicis muneribus uacauit,Antonius Teopolus Bailus declaratur.

Ant. Teopolus.

Not. munera.

Donaq́ue ad Regem uterque magna attulit,in quis fuere,præter pateras,ac pocula auro,argentoq́ue cælata, uigintiquinque non infimæ conditionis Turcarum corpora,nauali pugna capta.

Ioā Superantius.

Miſſus eſt etiam in Hiſpaniam ad Philippum regem Ioannes Superantius elegantis uir ingenii,ad denunciandam excuſandamq́ue pacem, quam non ita Rex iniquo animo accepit, quemadmodum erat hominum opinio; quin Superantio uultu hilari excepto, patres ſapienter feciſſe faſſus eſt, qui pacem cum Turca renouaſſent. noratq́ue iampridem Veneti Senatus in regenda Repub. prudentiam, nec excuſatione apud eum opus eſſe, quando omnia maturo conſilio facta ſint. Iret igitur ac promptum Hiſpanorum in qualibet fortuna ſtudium, Regiſq́ue amicitiam Senatui perpetuò offerret. Inde Superantius paucis diebus perfunctus legatione ad urbem rediit.

FINIS.

VENETIIS,
Apud Ludouicum Auantium.
M. D. LXXVI.




PAX ALIT ARTES

470

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA
1970

Digitized by Google